BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele II
XLVII
F
2
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. NATALIS
ALEXANDRI
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,

IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS, EMERITI PROFESSORIS

HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS
NOVIQUE TESTAMENTI

Ab orbe condito ad Annum poſt Chriſtum natum milleſimum ſexcenteſimum: Et in loca ejuſdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.

EDITIO OMNIUM NOVISSIMA,

Notis & Animadverſionibus, quoad Hiſtoriam & Diſſertationes novi Teſtamenti, aucta ad caſtigationem & illuſtrationem opinionum quarumdam Auctoris,

OPERA ET STUDIO

CONSTANTINI RONCAGLIA

Lucenſis, Congregationis Matris Dei.

Editio ſecunda Lucenſis, animadverſionibus quibuſdam novis aucta & illuſtrata a P. Jo. Dominico Mansi Congregationis ejuſdem.

Tomus Secundus.

Inscriptus Bibliothecae Soc. Jesu

Catalogo Collegii May anno 1759.



LUCÆ

Typis Leonardi Venturini.

MDCCXLVIII.

DE SUPERIORUM LICENTIA.

Digitized by Google

I N D E X

DISSERTATIONUM, PROPOSITIONUM, Quæſtionum, Capitum, Articulorum, & Paragraphorum, quæ in hoc ultimo Volumine Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti continentur.

IN QUARTAM MUNDI ÆTATEM

DISSERTATIONES SELECTÆ

Dissert. ix. *De Libris Moyſis*, Pagin. 1.

Prop. unic. *Pentateuchus vere a Moyſe ſcriptus eſt : In quo clariſſima extant Oracula Chriſti prænuntia*, ibid.

Diſſert. X. *De Moyſis, & cæterorum Prophetarum Antiquitate*, 10.

Prop. I. *Moyſes omnibus Gentium Philoſophis, Hiſtoricis, & Poetis antiquior : Prophetæ quoque Philoſophis omnibus ætate ſuperiores probantur*, ibid.

Prop. II. *Antiqui Philoſophi, Poetæ, Hiſtorici profanarum Gentium, ex Libris Moyſis, aliiſque Scripturæ Sacræ Libris, doctrinæ ſuæ partem maximam hauſerunt*, 14.

Diſſert. XI. *De Moſaicorum, Librorum, totiuſque Scripturæ Veteris Teſtamenti Divinitate*, 22.

Prop. unica. *Moſaicos Libros, totamque Veteris Teſtamenti Scripturam veram eſſe ac divinam, firmiſſima demonſtrant argumenta*, ibid.

Diſſert. XII. *De Jurata Gabaonitis ab Joſue, & Iſraelitarum Principibus ſecuritate*, 34.

Prop. unica. *Licet Joſue, & Iſraelitarum Principes, juratam Gabaonitis ſecuritatem præſtare non tenerentur ; ob religionem tamen juramenti, volente & approbante Deo, pie & laudabiliter præſtiterunt, clementiaque erga ipſos utendum merito cenſuere*, ibid.

Diſſert. XIII. *De admirabili ſtatione Solis imperante Joſue*, 36.

Prop. unica. *Sol & Luna re ipſa ſteterunt, Deo ad votum Joſue Miraculum operante : Nec audiendi ſunt qui Solis & Lunæ motum interruptum aut impeditum negant*, 37.

Diſſert. XIV. *De Annis Sabbaticis & Jubilæis*, 39.

Prop. I. *Annorum Sabbaticorum & Jubilæorum Epocha deducenda eſt ab Anno primo culturæ Terræ-promiſſionis : Iique ab Autumno ducebant initium*, 40.

Prop. II. *Utrum Annus Jubilæus quolibet anno quadrageſimo-nono celebraretur, an vero anno quinquageſimo, Quæſtio Problematica. Prior ſententia argumentorum pondere, poſterior Patronorum numero & auctoritate vinceret*. 41.

Diſſert. XV. *De tempore Principatus Joſue*, 42.

Prop. unica. *Joſue ſeptendecim dumtaxat annis Judæorum Reipublicæ præfuiſſe, opinio eſt Chronologiæ Scripturæ Sacræ magis conſona*, ibid.

Diſſert. XVI. *De Libro Joſue*, 43.

Prop. unica. *Liber Joſue incerti Auctoris & temporis eſt*, ibid.

Diſſert. XVII. *De Annis Interregnorum, Oppreſſionis, Servitutis, & Quietis. Utrum ſeorſim ab Annis Judicum numerandi ſint, an vero in iis includendi*, 44.

Prop. unica. *Anni Interregnorum, Oppreſſionis, Servitutis, & Quietis, ſeorſim ab annis Judicum non ſunt numerandi, ſed in iis includendi*, ibid.

Diſſert. XVIII. *De Debbora. Utrum in numero Judicum collocanda ſit*, 46.

Prop. unica. *Debbora vere & proprie Judex Hebræorum ac propheta fuit, & inter Sanctos Iſraelis Judices merito numeratur*, ibid.

Diſſert. XIX. *De voto Jephte*, 47.

Prop. unica. *Jephte votum imprudenter emiſit, crudeliter implevit in filia, non virginitatis conſecratione, ſed mactatione cruenta. Inſignis tamen fuit Chriſti Domini typus*, ibid.

Diſſert. XX. *De Samſonis Pœnitentia & morte*, 53.

Prop. unica. *Samſon Scorti Gazæi conſuetudinem, & Dalilæ meretricis amores, Pœnitentiæ lacrymis, & morte fortiter ac ſancte oppetita expiavit. In eoque egregium Chriſti typum ſuſcipimus*, ibid.

Diſſert. XXI. *De Libro Judicum*, 55.

Prop. unica. *Librum Judicum recentiorem eſſe & poſt Captivitatem decem Tribuum ſcriptum, quidam falſo ſuſpicantur*, ibid.

Diſſert. XXII. *De Hiſtoria Ruth. Quo tempore contigerit ; & an plures Boozi admittendi ſint*, 56.

Diſſert. XXIII. *De Samuelis Apparitione Sauli facta, cum Pythoniſſam Mulierem conſuluit*, 57.

Prop. unica. *Saul Pythoniſſam conſulens a vero Samuele ſuum, ſuorumque proximam cladem didicit : Quamquam ſancta Prophetæ Anima Pythonicis artibus evocata non fuerit, ſed Dei providentia & imperio. Probabilis nihilominus eorum ſententia, qui Dæmonem ſub Samuelis phaſmate apparuiſſe & Sauli reſpondiſſe cenſent*, ibid.

Diſſert. XXIV. *De Pſalmis Davidicis*, 63.

Quæſtio I. *Utrum David ſit unicus omnium Pſalmorum Auctor*, ibid.

Prop. I. *Liber Pſalmorum genuinus eſt & antiquiſſimus. An unius ſit Auctoris, incertum. Partem certe maximam Davidi tribuendam eſſe conſtat*, ibid.

Prop. II. *Centum quinquaginta Pſalmos dumtaxat continet Pſalmorum Liber, adeoque Pſalmus Idiographus merita reiicitur*, 68.

Prop. III. *Hebraica Pſalmorum in quinque Libros diviſio reſpuenda eſt ut Neotericorum Hebræorum inventum*, ibid.

Prop. IV. *Pſalmi oratione Poeticis numeris adſtricta ſcripti ſunt; Quo Metri genere, incertum*, 68.

Quæſtio II. *De Propheticis Oraculis Chriſtum, & Eccleſiam in Libro Pſalmorum ſpectantibus*, 69.

Prop. unica. *Plurima ſunt, & quidem clariſſima de Chriſto & Eccleſia in Libro Pſalmorum Vaticinia*, ibid.

Diſſert. XXV. *De Libris Samuelis, ſive primo & ſecundo Regum*, 75.

Prop. I. *Libri Samuelis, ſive primus & ſecundus Regum, gemini ſunt & antiqui. Eorum Auctor haud omnino certus: Probabiliter cenſetur, a Samuele, Nathan, & Gad Prophetis eſſe ſcriptos, ita ut pars maxima Samuelem Auctorem habuerit, reliqua Nathanem, & Gadum*, ibid.

Prop. II. *Inſignes de Chriſto Prophetias duo priores Libri Regum continent*, 77.

Diſſert. XXVI. *De initiis Regni Salomonis*, 79.

Quæſtio I. *De Salomonis Ætate cum Regnum iniit*, Ibid.

Prop. unica. *Annum ætatis circiter vigeſimum Salomon attigerat, cum Regnum iniit*, Ibid.

Quæſtio II. *Utrum Salomon Regni ſui exordia cæde Adoniæ Fratris, & Abiatharis Sacerdotis exauctoratione, abſque crimine funeſtaverit*, 80.

Prop. unica. *Salomon fratrem Adoniam juſte capitis damnavit, Abiatharem Sacerdotem merito exauctoravit*, ibid.

V. MUNDI ÆTAS

A FUNDATIONE TEMPLI SALOMONICI AD CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

HISTORIÆ SYNOPSIS.

Cap. I. *De Regibus Juda & Iſrael, eorum Rebus geſtis, ut in Hiſtoria Sacra narrantur*, 82.

Art. I. *De Salomone*, ibid.

Art. II. *De Roboamo, Abia, & Aſa Regibus Juda: Jeroboamo, Nadab, Baaſa, Ela, Zambri, & Amri, Regibus Iſraelis*, 84.

Art. III. *De Joſaphato, Joramo, Ochoſia, & Athalia Regibus Juda; Achabo, Ochoſia, Joramo, & Jehu Regibus Iſrael*, 87.

Art. IV. *De Joaſo, Amaſia, & Ozia Regibus Juda; Joachaſo, Joaſa, Jeroboamo II. Zacharia, Sellumo, Manahemo, & Phaceja Regibus Iſrael*, 94.

Art. V. *De Joatham, Achaz, & Ezechia Regibus Juda; Phacee, & Oſee Regibus Iſrael*, 95.

Art. VI. *De Manaſſe, Amone, & Joſia, Regibus Juda*, 99.

Art. VII. *De Joachazo, Joakimo, Joakino ſeu Jechonia, & Sedekia Regibus Juda*, 100.

Cap. II. *Hiſtoria Regum Juda & Iſrael ut ab Hebræis interpolata*, 102.

Cap. III. *De Hiſtoria Regum Juda & Iſrael ut ab Ethnicis Scriptoribus interpolata vel confirmata*, 110.

Cap. IV. *De Hiſtoria Exotica quintæ Mundi Ætatis*, 112.

Art. I. *De Rebus Ægyptiacis*, ibid.

Art. II. *De Rebus Aſſyriorum, & Medorum*, 113.

Art. III. *De Rebus Chaldæorum ſive Babyloniorum*, 115.

Art. IV. *De Rebus Tyriorum*, 116.

Art. V. *De Rebus Græcorum*, Ibid.

Art. VI. *De Rebus Romanorum*, 122.

IN HISTORIAM SACRAM

QUINTÆ MUNDI ÆTATIS

DISSERTATIONES SELECTÆ.

Diſſert. I. *De Templo Salomonis. Utrum a ruditate & moribus Gentium originem traxerit*, 125.

Prop. unica. *Templi Salomonici origo ad Ægyptiacam ſuperſtitionem, vel ruditatem Gentium referenda non eſt; ſed ad Dei Optimi Maximi conſilium, afflatum, auctoritatem, Davidiſque & Salomonis pietatem*, ibid.

Diſſert. II. *De Regina Saba, quæ Salomonis audituta Sapientiam, Hieruſolymam venit*, 133.

Prop. I. *Regina Saba ex Æthiopia veniſſe ad Sapientiam Salomonis audiendam probabilius videtur, quam ex Arabia*, Ibid.

Prop. II. *Probabile eſt Reginam Saba ad veri Dei cognitionem, cultumque converſam fuiſſe*, 135.

Diſſert. III. *De Æterna Sorte Salomonis*, 136.

Prop. unica. *Sors Æterna Salomonis incerta eſt*, Ibid.

Diſſert. IV. *De Libris Salomonis*, 140.

Art. I. *De numero Librorum Salomonis, eorumque auctoritate*, ibid.

Prop. unica. *Tres dumtaxat Libros Salomonis Eccleſiaſticus Canon recipit, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum*, ibid.

Art. II. *De Libro Proverbiorum*, 141.

Prop. I. *Salomon Proverbia ſcripſit Sapientia divinitus infuſa, & Spiritu Sancto afflatus*, ibid.

Prop. II. *Liber Proverbiorum non eſt Ecloga optimarum Sententiarum, ex plurimis qui ante Salomonem floruerint Scriptoribus*, 142.

Prop. III. *Quamvis Proverbiorum Liber ſecundum omnes ſuas partes ſit Canonicæ Auctoritatis; ejuſque maximam partem, Salomonis eſſe, cujus nomine inſcribitur, certiſſimum ſit, non tamen certo conſtat, an duo poſtrema Capita Salomonem habeant Auctorem*, 143.

Art. III. *De Libro Eccleſiaſtis*, Ibid.

Prop. I. *Contra Canonicam Eccleſiaſtis Auctoritatem nulla militant ponderis alicujus Argumenta*, Ibid.

Prop.

Prop. II. *Nec Ezechiæ, cum Talmudiſtis; nec Zorobabeli, cum Grotio; ſed Salomoni, cum Eccleſia: Liber Eccleſiaſtis adſcribendus eſt,* 146.
Prop. III. *Scriptores Ethnici ex Libro Eccleſiaſtis nonnulla hauſerunt,* 147.
Art. IV. *De Cantico Canticorum,* 148.
Prop. unica. *Canticum Canticorum amatorium carmen eſſe in gratiam filiæ Pharaonis a Salomone conditum, & nihil aliud quam garritum conjugum, leneſque amantium ſub noctem ſuſurros exprimere, impie aſſerunt cum Veteribus Hæreticis Anabaptiſtæ, Caſtalio, & Grotius. Sacrum enim Epitalamium eſt Nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ, divino afflatu a Salomone conſcriptum,* ibid.
Differt. V. *De Jeroboami & X. Tribuum Defectione a Cultu Dei,* 151.
Prop. I. *Vituli aurei a Jeroboamo conflati, & in Bethel & Dan erecti, non erant veri Dei ſymbola, ſed Idola: Nec verum Deum in illis, ſed ipſas ſtupidorum animalium figuras Jeroboamus & Iſraelitæ colebant & adorabant: Qui proinde ab Idololatria nulla ratione excuſari poſſunt,* ibid.
Prop. II. *Jeroboam Vitulos Aureos non effinxit, nec Iſraelitis propoſuit in ſimilitudinem Cherubim Tabernaculi vel Templi. Neque in Joſephi Patriarchæ memoriam: ſed ad imitationem Ægyptiacæ Superſtitionis,* 153.
Differt. VI. *De Elia Propheta. Quomodo Chriſti Domini typus fuerit; & an ejuſdem ad judicandos Vivos & Mortuos Venturi Præcurſor futurus ſit,* 154.
Prop. unica. *Elias cum Enocho Præcurſor Chriſti ad Judicium venturi futurus eſt,* 155.
Differt. VII. *De Naamane Syro, Utrum Rege Syriæ in Templo Remmon adorante, & ipſe Idoli cultum ſimulare voluerit: Idque ipſi conceſſerit Eliſæus,* 157.
Prop. unica. *Naaman Syrus ita affectus non fuit, ut Rege Syriæ in Templo Remmon adorante Idoli cultum externo ritu ſimulare voluerit: Nec id ipſi conceſſit Eliſæus,* Ibid.
Differt. VIII. *De Retroceſſione Solis Ezechia regnante. An Solaris umbra tantum, an Solis ipſius retroceſſione Miraculum explicari poſſit,* ibid.
Prop. unica. *Non Solaris tantum umbræ in Horologio Achaz, ſive in gradibus Ædium ipſius reductio, ſed Solis ipſius retroceſſio Ezechiæ data in ſignum eſt: Eoque Miraculo omnes cœleſtes orbes una cum Sole retroacti, Horæque plurimæ noctis detractæ, diei additæ ſunt. Quot vero, incertum,* 158.
Differt. IX. *De conſenſu Librorum Regum Paralipomenon, cum SS. Matthæo & Luca in Genealogiis Regum Juda,* 160.
Prop. unica. *Libri Regum & Paralipomenon in Genealogiis Regum Juda ab Evangelio non diſſentiunt,* ibid.
Differt. X. *De Prophetis qui temporibus Regum Judæ & Iſrael claruerunt, & Prophetias ſuas ſcripto tradiderunt ante Captivitatem Babylonicam,* 163.
Art. I. *De Oſee,* ibid.
Art. II. *De Joele,* 165.
Art. III. *De Amoſo,* 166.
Art. IV. *De Abdia,* 168.
Art. V. *De Jona Propheta,* ibid.
Art. VI. *De Michæa Propheta,* 169.
Art. VII. *De Iſaia Propheta,* 173.
Art. VIII. *De Nahum Propheta,* 182.
Art. IX. *De Habacuc Propheta,* 183.
Art. X. *De Sophonia Propheta,* ibid.
Art. XI. *De Jeremia Propheta,* ibid.
Art. XII. *De Baruch Propheta,* 187.
Differt. XI. *De Hiſtoria & Libro Tobiæ,* 188.
Prop. unica. *In primo quidem Librorum Sacrorum Canone Tobiæ Liber conſcriptus non fuit, ab Eccleſia tamen inter Libros Sacros & Canonicos receptus eſt,* 189.

VI. MUNDI ÆTAS A CAPTIVITATE BABYLONICA, AD NATALE CHRISTI HISTORIÆ SYNOPSIS.

Cap. I. *Hujus Ætatis Hiſtoria ex Libris Sacris exponitur,* 191.
Art. I. *De Rebus Judæorum tempore Captivitatis,* ibid.
Art. II. *De Rebus Judæorum a ſoluta Captivitate ad Machabæos,* 194.
Art. III. *De Rebus Judæorum a Machabæis ad Herodem,* 196.
Art. IV. *De Rebus Judæorum ab Herode uſque ad ortum Chriſti,* 205.
Art. V. *De Sectis Judæorum ſexta Mundi Ætate exortis,* 208.
§. I. *De Samaritanis,* ibid.
§. II. *De Sadducæis,* 209.
§. III. *De Phariſæis & Scribis,* 210.
§. IV. *De Eſſæis ſive Eſſenis,* 211.
§. V. *De Hemerobaptiſtis, & Herodianis,* 212.
Cap. II. *Animadverſiones in Joſephum circa ſextæ Ætatis Hiſtoriam,* ibid.
Cap. III. *Hiſtoria ſextæ Ætatis ab Ethnicis interpolata,* 216.
Cap. IV. *Hiſtoria Exotica ſextæ Mundi Ætatis,* ibid.
Art. I. *De Rebus Ægyptiorum,* Ibid.
Art. II. *De Rebus Tyriorum,* 217.
Art. III. *De Rebus Chaldæorum ſeu Babyloniorum,* 218.
Art. IV. *De Rebus Perſarum,* 221.
Art. V. *De Rebus Græcorum uſque ad Alexandrum Magnum,* 225.
Art. VI. *De Rebus Græcorum, & Macedonum, Alexandro Magno imperante,* 229.
Art. VII. *De Alexandri Magni Succeſſoribus,* 232.
§. I. *De Seleucidarum ſive Regum Syriæ ſucceſſione,* 233.
§. II. *De Ptolemæorum, ſive Regum Ægypti poſt Alexandri Magni mortem ſucceſſione,* 239.
Art. VIII. *De Rebus Romanorum,* 243.

INDEX

IN VI. MUNDI ÆTATEM DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERT. I. DE *Prophetis qui tempore Babylonicæ Captivitatis vaticinati ſunt*, 258.
Art. I. *De Ezechiele*, Ibid.
Art. II. *De Daniele Propheta*, 262.
Prop. I. *Liber Danielis nomine inſcriptus, genuinus ipſius fœtus eſt*, 263.
Prop. II. *Daniel vere & proprie Propheta fuit*, 264.
Prop. III. *Unus & idem eſt Daniel Propheta & Suſannæ vindex: Ad eumque Suſannæ Beli & Draconis Hiſtoriæ referendæ ſunt*, 265.
Prop. IV. *Hiſtoria Suſannæ, & alia quæ Danielis Additamenta vulgo nominantur, Sacra ſunt, & Canonica*, 267.
Diſſert. II. *De LXX. Danielis Hebdomadibus*, 270.
Prop. I. *Septuaginta Hebdomadum Danielis exordium probabilius ducitur ab anno vigeſimo Artaxerxis Longimani: Finis vero earumdem ſtatuitur poſt Paſſionem Chriſti: Ita ut in medio ſeptuageſimæ, & ultimæ Hebdomadis occiſus fuerit Chriſtus*, 272.
Prop. II. *Undecunque Septuaginta Hebdomadum numerandarum exordium ſumatur, ex hoc Danielis Oraculo veniſſe Meſſiam demonſtratur contra Judæos: Eumque non alium eſſe quam Chriſtum Jeſum*, 273.
Diſſert. III. *De Babylonicæ Captivitatis Epocha*, 276.
Prop. unica. *Septuaginta Babylonicæ captivitatis Anni ab anno quarto Joakimi Regis Juda ad annum primum Cyri Perſarum Regis: Anni vero ſeptuaginta deſolationis ab anno undecimo Sedechiæ ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis, probabilius computantur*, ibid.
Diſſert. IV. *De Eſdra*, 279.
Art. I. *Utrum Eſdras Sacros Codices ex integro reparaverit, ac memoriter dictaverit*, ibid.
Prop. unica. *Eſdras Libros Sacros in captivitate Babylonica diſſipatos & corruptos collegit, digeſſit, a mendis repurgavit, non ex integro reparavit, aut ex memoria conſcripſit, vel dictavit*, ibid.
Art. II. *Utrum Eſdras Auctor fuerit Hebraicæ Punctationis, & Maſoræ*, 281.
Prop. I. *Puncta vocalia & Accentus nec Moyſem, nec Eſdram Auctorem agnoſcunt, ſed Maſoretas Tiberienſes*, ibid.
Prop. II. *Auctores Maſoræ non fuerunt Eſdras, & Viri Synagogæ Magnæ, ſed Critici Tiberienſes*, 286.
Art. III. *Utrum Eſdras Auctor fuerit Cabbalæ*, ibid.
Prop. unica. *Cabbalæ nomine ſi ſenſus Myſtici in literali fundati, & ex intentione Spiritus Sancti ſub literæ cortice recoditi, traditionem & intelligentiam duntaxat ſignifices; Moyſen & Eſdram Cabbalæ Doctores fuiſſe, facile conceſſerim: At ſi hoc nomen Artem illam intelligas, qua Judæi recentiores Myſteria ex literis, & earum figura permutatione, aut arithmetica ſupputatione eruunt, hujus Auctores Eſdram vel Moyſen aſſerere temerarium ac ridiculum eſt*, 288.
Diſſert. V. *De Perſarum Rege, ſub quo Templi ſecundi fabrica abſoluta eſt*, 290.
Prop. unica. *Darius Rex Perſarum ſub quo Templi Inſtauratio abſoluta eſt, non Darius Nothus, ſed Hyſtaſpis fuit*, ibid.
Diſſert. VI. *De Prophetis qui ſoluta Captivitate vaticinati ſunt*, 292.
Art. I. *De Aggæo Propheta*, ibid.
Art. II. *De Zacharia Propheta*, 293.
Art. III. *De Malachia Propheta*, 297.
Art. IV. *Epilogus eorum quæ de Prophetis dicta ſunt*, 299.
Prop. I. *Hebræi Prophetæ multa de Chriſto Jeſu prænunciaverunt*, ibid.
Prop. II. *Hebræorum Prophetarum teſtimonia utiliſſima ſunt ad probandam Chriſtianæ Religionis veritatem*, 300.
Prop. III. *Hebræorum Prophetæ ex Vaticiniorum ſuorum dignitate, pieque & ſancte vixerunt*, 304.
Diſſert. VII. *De cæteris Libris Sacris VI. Mundi Ætate editis*, 305.
Art I. *De Libris 3. & 4. Regum*, ibid.
Art. II. *De Libris Paralipomenon*, 306.
Art. III. *De Libris Eſdræ*, ibid.
Art. IV. *De Hiſtoria & Libro Judith*, 307.
Prop. I. *Quæ in Libro de Judith narrantur, commentitia, meramque Parabolam aſſerere, impium, temerarium, & hæreticum eſt*, ibid.
Prop. II. *Judithæ Hiſtoria poſt reditum Judæorum e Captivitate Babylonica contigit*, 309.
Art. V. *De Hiſtoria & Libro Eſther*, 311.
Prop. I. *Hiſtoriam Eſther commentitiam ac fictitiam eſſe Anabaptiſtæ ac Lutherani quidam impie aſſerunt: Septem poſtrema Capita Libri Eſther Sixtus Senenſis, Grotius, & alii, velut aſcititia & apocrypha perperam inconſulto rejiciunt*, 312.
Prop. II. *Eſtheris Hiſtoria probabilius refertur ad tempora Darii Hyſtaſpis: Iſque videtur Aſſuerus illius Maritus*. 313.
Art. VI *De Libro Sapientiæ*, 315.
Prop. I. *Liber Sapientiæ Sacer eſt & Canonicus, taliſque ſemper habitus eſt a majori Eccleſiarum parte, qualis tunc ab Eccleſia univerſa: Quamvis quædam olim Eccleſiæ illum in Canone non conſcripſerint*, ibid.
Prop. II. *Liber Sapientiæ neque Salomonis, neque Jeſu Sirachidis, nec Philonis Judæi, ſed Auctoris incerti fœtus eſt*, 318.
Art. VII. *De Libro Eccleſiaſtici*, 319.
Prop. I. *Divina eſt Libri Eccleſiaſtici Auctoritas, quem olim pars Eccleſiarum maxima in Canonem retulit, ac tandem Eccleſia univerſa ut Canonicum ſuſcepit*, ibid.
Prop. II. *Auctor Eccleſiaſtici fuit Jeſus filius Sirac*, 321.
Art. VIII *De Libris Machabæorum*, ibid.
Prop. I. *Libri Machabæorum primus & ſecundus incerti ſunt Auctoris*, 322.
Prop. II. *Quamvis Libri Machabæorum olim a quibuſdam Eccleſiis in Canonem relati non eſſent, jure tamen ab Eccleſia tandem univerſa ut Canonici & Divini recepti ſunt*, ibid.
Diſſert. VIII. *De Verſione LXX. Interpretum: An vera ſit quæ de illa Verſione circumfertur Hiſtoria? Quo tempore facta ſit? An Libros 5. Legis dumtaxat, an totum Veteris Teſtamenti Scripturam, quæ tunc apud Judæos habebatur, interpretati ſint?* 330.

Prop.

INDEX

Prop. I. *Quamvis Ariſteæ Libellus, De Legis Divinæ ex Hebraica Lingua in Græcam Tranſlatione per 70. Interpretes, ſuppoſititius videatur, Criticæ intemperantioris pruriginem eſſe arbitror, negare Verſionem illam a 70. Interpretibus divino conſilio adornatam,* 331.

Prop. II. *Verſio LXX. Interpretum extremis Ptolemæi Lagi temporibus, & Philadelphi cum patre regnantis initiis, adornata eſt,* 335.

Prop. III. *Septuaginta Interpretes non ſolum quinque Libros Moſis, ſed Libros omnes Scripturæ Hebraice ſcriptos, & in Canonem Judæorum relatos, in Græcam Linguam tranſtulerunt,* ibid.

Differt. IX. *De Genere Herodis,* 336.

Prop. unica. *Herodes Idumæus fuit, & alienigena reſpectu Judæorum,* ibid.

Differt. X. *De celebri Joſephi Teſtimonio Chriſtum Jeſum ſpectante,* 338.

Prop. unica. *Præclarum illud de Chriſto Jeſu Teſtimonium, quod apud Joſephum legitur, genuinus Joſephi fœtus eſt,* ibid.

IN HISTO.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM
VETERIS TESTAMENTI,
QUARTÆ MUNDI ÆTATIS,
DISSERTATIONES
SELECTÆ.

DISSERTATIO IX.

De Libris Moyſis.

PROPOSITIO UNICA.

Pentateuchus vere a Moyſe ſcriptus eſt: In quo clariſſima extant Oracula Chriſti prænuntia.

PRobatur Propoſitio contra *Hobbeſium*, *Peirerium*, & *Spinoſam* Tract. *Theologico Politici* Auctorem, primo Scriptorum Sacrorum teſtimoniis. *Moyſem* enim res a Populo Dei geſtas ſcriptis tradidiſſe conſtat ex Cap. 17. *Exodi* v. 14. ubi victoriam de Amalecitis reportatam Deus ipſi literis mandare jubet: *Dixit autem Dominus ad Moyſem: Scribe hoc ob monumentum in Libro; & trade auribus Joſue.* Mandata etiam a Deo accepta ipſum literis commiſiſſe probant illa Deuteronomii 24. 4. 7. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini .... Aſſumenſque Volumen fœderis, legit audiente Populo.* Et Exodi 34. 27. *Dixitque Dominus ad Moyſem; Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Iſrael pepigi fœdus.* Legem a *Moyſe* ſcriptam, ex Libris Sacris evidens eſt, Legiſque nomine non ſolum *Deuteronomium*, ſed quinque Libros *Moyſis* nomen præ ſe ferentes, intelligi debere. *Deuteronomii* 17. De futuro Iſraelitarum Rege ſcriptum eſt: *Poſtquam autem ſederit in Solio Regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium Legis hujus in Volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & cæremonias ejus quæ in lege præcepta ſunt.* Deuteronomii 3. *Scripſit itaque Moyſes Legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fœderis Domini, & cunctis Senioribus Iſrael. Præcepitque eis dicens: Poſt ſeptem annos, anno Remiſſionis, in ſolemnitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Iſrael, ut appareant in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Iſrael audientibus eis, & in unum omni Populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis & advenis, qui ſunt intra portas tuas: Ut audientes diſcant, & timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiant impleantque omnes ſermones Legis hujus.* Ibidem Canticum ſcribere jubetur Moyſes, quod Capite 32. legitur. *Nunc itaque ſcribite vobis Canticum iſtud, & docete filios Iſrael ut memoriter teneant & ore decantent, & ſit mihi Carmen iſtud pro teſtimonio inter filios Iſrael .... Scripſit ergo Moyſes Canticum, & docuit filios Iſrael.* Ibidem v. 24. *Poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba Legis hujus in volumine atque complevit: præcepit Levitis qui portabant Arcam fœderis Domini dicens: Tollite Librum iſtum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei veſtri: Ut ſit ibi contra te in teſtimonium.*

Idem probatur ex Joſue Cap. 1. 7. 8. *Confortare igitur, & eſto robuſtus valde: Ut cuſtodias, & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus: Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat Volumen Legis hujus ab ore tuo: Sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo.* Ex quibus colligitur, Legem *Moyſis* ſcriptam extitiſſe temporibus *Joſue*. Nec ſolum Legem ſecundam, quæ Deuteronomium eſt, ſed primam quoque, quam deſcriptam habuiſſe *Joſue* neceſſe fuit, ut univerſa *Moyſis* præcepta executioni mandaret. Pleraque enim Deuteronomium non complecti conſtat ex Numerorum 27. 22. 23. *Fecit Moyſes ut præceperat Dominus. Cumque tuliſſet Joſue, ſtatuit eum coram Eleazaro Sacerdote, & omni frequentia Populi. Et impoſitis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.*

Confirmatur ex aliis Veteris Teſtamenti Libris, Pentateucum integrum *Moyſi* vindicandum. *David* morti proximus ita *Salomonem* alloquitur. 3. Regum 2. 3. *Et obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cuſtodias cæremonias ejus, & præcepta ejus & judicia & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi.* Porro cæremoniæ, præce-

pta, & judicia Domini per totum Pentateuchum ſparſa ſunt. Itaque Legis Moſaicæ nomine Pentateuchus integer intelligitur. Sic 4. Regum 21. 8. *Et ultra non faciam commoveri pedem Iſrael de Terra, quam dedi patribus eorum: Si tamen cuſtodierint opere omnia quæ præcepi eis, & univerſam Legem, quam mandavit eis ſervus meus Moyſes.* 4. Regum 22. & 23. nec non 2. *Paralipomenon* 34. 14. narratur, *Helciam* Pontificem, cum ſarta tecta Templi curaret, *Librum Legis Domini per manum Moyſi*, in Domo Domini reperiſſe: Quem ad ſe miſſum cum *Joſias* legiſſet, ejuſdem juſſu, univerſo Populo audiente fuiſſe recitatum. *Legitque cunctis audientibus omnia verba Libri fœderis, qui inventus eſt in Domo Domini. Stetitque Rex ſuper gradum, & fœdus percuſſit coram Domino, ut ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta ejus & teſtimonia, & ceremonias in omni corde, & in tota anima, & ſuſcitarent verba fœderis hujus, quæ ſcripta erant in Libro illo.* Quæ ſive de Pentateucho integro cum *Joſepho* intelligantur Libro 10. *Antiquitatum* Cap. 3. ſive de ſolo Deuteronomio cum *SS. Athanaſio* Epiſtola ad Marcellinum, *Chryſoſtomo* Homilia 9. in Matthæum, & in Homilia 7. in 1. ad Corinthios, certum eſt, *Deuteronomium* eſſe genuinum Opus *Moyſis*, adeoque & priores quatuor Libros, quos jam ſcriptos ſupponit, cum ſit compendiaria illorum explanatio, totiuſque legis breviarium, ut declarat ipſe *Moyſes* Deuteronomii 1. 5. *Cœpitque Moyſes explanare Legem, & dicere: Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos in Horeb*, &c. Et Deuteronomii 29. 1. *Hæc ſunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moyſi ut feriret cum filiis Iſrael in Terra Moab: Præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb.* Quamobrem Liber ille dictus eſt *Deuteronomium*, id eſt, ſecunda Lex. His adde hæc verba 4. Regum 23. 25. de Joſia: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem Legem Moyſi.* Et 1 Paralipomenon 16. 40. *Ut offerrent Holocauſta Domino ſuper Altare Holocautomatis jugiter, mane & veſpere juxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini, quam præcepit Iſraeli.* Item Libro 2. 23. 18. *Conſtituit autem Jojada Præpoſitos in Domo Domini, ſub manibus Sacerdotum & Levitarum, quos diſtribuit David in Domo Domini, ut offerrent holocauſta Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi.* Cap. 25. 3. 4. 5. de *Amaſia* dicitur: *Cumque roboratum ſibi videret Imperium, jugulavit ſervos, qui occiderant Regem patrem ſuum, ſed filios eorum non interfecit, ſicut ſcriptum eſt in Libro Legis Moyſi, ubi præcepit Dominus dicens: Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus ſuis, ſed unuſquiſque in ſuo peccato morietur.* Quæ ſententia iiſdem verbis legitur *Deuteronomii* 24. 16. Cap. 30. 15. 16. *Immolaverunt autem Phaſe quarta decima die Menſis ſecundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in Domo Domini. Steteruntque in ordine ſuo, juxta diſpoſitionem, & legem Moyſi hominis Dei.* Et Cap. 31. 3. *Pars autem Regis erat, ut de propria ejus ſubſtantia offerretur holocauſtum mane ſemper & veſpere: Sabbatis quoque & Calendis, & ſolemnitatibus cæteris, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi.* Capit. 35. 11. 12. *Et immolatum eſt Phaſe: Aſperſeruntque Sacerdotes manu ſua ſanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles Holocauſtorum; & ſeparaverunt ea, ut darent per domos & familias ſingulorum, & offerrentur Domino, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moyſi.* Ritus autem celebrandi Phaſe præſcribitur *Exodi* 12. *Levitici* 23. & *Numerorum* 27. De Holocauſtorum immolatione & ſolemnibus Sacrificiis in Levitico ſancitum eſt. Hi ergo Libri vere ſunt *Moyſis*, Legiſque Moſaicæ nomine ſignificantur. In Libris *Eſdræ* frequens eſt Legis Moſaicæ mentio, & *in Libro Moyſi* ſcripta dicuntur, quæ in Pentateucho extant 1. Eſdræ 3. 2. *Et ſurrexit Joſue filius Joſedec, & fratres ejus Sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt Altare Dei Iſrael, ut offerrent in eo Holocautomata, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi viri Dei.* Cap. 6. 18. *Et ſtatuerunt Sacerdotes in ordinibus ſuis, & Levitas in vicibus ſuis ſuper opera Dei in Jeruſalem, ſicut ſcriptum eſt in Libro Moyſi:* (Nempe *Numerorum* 3. 6. & 8. 9. 2.) Eſdræ 10. *Veniebant ad pollicendum & jurandum ut ambularent in Lege Dei, quam dederat in manu Moyſi ſervi Dei, ut facerent & cuſtodirent univerſa Mandata Domini Dei noſtri, & Judicia ejus, & Cæremonias ejus, & ut non daremus filias noſtras Populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis noſtris. Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad uſum per diem Sabbati ut vendant, non accipiemus ab eis in Sabbato & in die ſanctificato. Et dimittemus Annum ſeptimum, & exactionem univerſæ manus. Et ſtatuemus ſuper nos præcepta, ut demus tertiam partem ſicli per annum ad opus Domus Dei noſtri, ad panes Propoſitionis, & ad Sacrificium ſempiternum, & in Holocauſtum ſempiternum in Sabbatis, in Calendis, in Solemnitatibus, & in ſanctificatis, & pro peccato: Ut exoretur pro Iſrael, & in omnem uſum Domus Dei noſtri. Sortes ergo miſimus ſuper oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Levitas, & Populum ut inferrentur in Domum Dei noſtri per domos Patrum noſtrorum, per tempora, a temporibus anni uſque ad annum: Ut arderent ſuper Altare Domini Dei noſtri, ſicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi.* Quæ omnia in Pentateucho leguntur. Cap. 13. 1. *In die autem illo lectum eſt in Volumine* Moyſi *audiente Populo: & inventum eſt ſcriptum in eo, Quod non debeant introire Ammonites & Moabites in Eccleſiam Dei uſque in æternum:* Quod *Deuteronom.* 23. 3. legitur.

Ex Capite 8. ejuſdem Libri diſcimus *Eſdram* Moſaicæ Legis Volumen prælegiſſe univerſæ Iſraelitarum Genti, & interpretationibus illuſtraſſe, ut Populus omnia & ſingula illius capita intelligeret. *Et dixerunt Eſdræ Scribæ ut afferret Librum Legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraeli. Attulit ergo Eſdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die prima Menſis ſeptimi. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante Portam Aquarum de mane uſque ad medium diem, in conſpectu virorum & mulierum, & Sapientum, & aures omnis Populi erant erectæ ad Librum. Et in die ſecundo congregati ſunt Principes familiarum univerſi Populi, Sacerdotes & Levitæ, ad Eſdram Scribam, ut interpretaretur eis verba Legis. Et invenerunt ſcriptum in Lege, præcepiſſe Dominum in manu Moyſi, ut habitent filii Iſrael in Tabernaculis in die ſolemni, menſe ſeptimo, &c. Fecit ergo univerſa Eccleſia eorum qui redierant de captivitate, Tabernacula .... Legit autem in Libro Legis Dei per dies ſingulos, a die primo uſque ad diem noviſſimum.* Liber Pſalmorum, quorum nonnulli *Moyſen* Auctorem habent, Legem *Moyſis* frequenter inculcat. Pſalmi præcipue ſeptuageſimus-ſeptimus, centeſimus-quartus, centeſimus-quintus, & centeſimus triceſimus-quintus, totam Pentateuchi Hiſtoriam ab initio repetunt. *Baruch* Propheta ſub *Moyſis* nomine aliqua laudat, quæ in Levitico & Deuteronomio ſcripta leguntur. Sic enim habet Cap. 2. 28. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moyſi in die qua præcepiſti ei ſcribere Legem tuam coram filiis Iſrael dicens: Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, quo ego vos diſpergam*, &c. Sic & *Danielis* 9. 11. 13. *Et ſtillavit ſuper nos maledictio & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in Libro Moyſi ſervi Dei, quia peccavimus ei .... Sicut ſcriptum eſt in Lege Moyſi, omne malum hoc venit ſuper nos.* Et Cap. 13. 2. De parentibus *Suſannæ* dicitur: *Erudierunt filiam ſuam ſecundum Legem Moyſi.* Malachiæ 4. 4. *Mementote*, inquit Dominus, *Legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael, præcepta & judicia.* Tobiæ 7. 14. *Raguel* de filia ſua *Tobiæ* collocanda ait: *Et credo quoniam Deus ideo fecit vos venire ad me, ut iſta conjungeretur cognationi ſuæ ſecundum Legem Moyſi*, literis mandatam *Numerorum* 36. Lib. 2. Macchabæorum 7. 6. *Eleazarus* ait: *Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto Legis, quæ data eſt nobis per Moyſen.* Eodem Capite fit mentio Cantici *Moyſis*, ex eoque teſtimonium profertur. Septem enim Fratres Macchabæi cum Matre ſanctiſſima dixiſſe referuntur: *Dominus Deus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione* Can-

Google

Cantici declaravit Moyſes: Et in ſervis ſuis conſolabitur.

Confirmatur ſecundo ex Chriſti & Apoſtolorum Oraculis. *Joannis* 5. 45. Chriſtus Judæos his verbis compellat: *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Pateem: Eſt qui accuſat Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: De me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis: Quomodo verbis meis credetis?* Scripſit itaque *Moyſes*, & eos quidem Libros ſcripſit, quos Judæi velut ipſius Libros legebant. Hos autem Pentateuchum ipſum fuiſſe, minime dubium eſt, in quo extant inſignia de Chriſto venturo Oracula, ut illud *Geneſis* 49. 10. quod vetuſtiores Judæi ad Meſſiam ſine hæſitatione referunt, Chaldæi præcipue Paraphraſtæ, Thalmudiſtæ etiam, R. Selomoh, & R. David Kimchi. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui Mittendus eſt, & ipſe erit Expectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*... Et illud Deuteronomii 18. 15. & ſeq. *Prophetam de Gente tua & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipſum audies, ut petiiſti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata eſt, atque dixiſti Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia ſunt locuti. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Quod Oraculum non de *Joſue*, non de *Davide*, *Jeremia*, vel de aliis Prophetis, ut quidam Judæi commentantur, ſed de uno Chriſto intelligendum, multa demonſtrant, primo quod Prophetarum neminem ſimilem fuiſſe *Moyſi* ex illis verbis *Deuteronomii* 34. 10. certo ac evidenter conſtat: *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes*, Jeſum autem inter & *Moyſea* ſumma ſimilitudo interceſſit, ut fuſe docet *Euſebius* Libro 3. *Demonſtrationis Evangelicæ*, Cap. 2. „Num, *inquit*, ex iis qui poſt Moyſem extiterunt Prophetæ, Eſaias exempli gratia aut Jeremias, aut Ezechiel, aut Daniel, aut alius quiſpiam de cæteris duodecim, Legum Auctori Moyſi conferendus exiſtit? Nequaquam. Sed ex illis tandem quis unquam Moſi ſimilia effecit? Nuſquam poteris dicere. Sed quiſque illorum a primo ad noviſſimum quoſcumque inſtituebant ac docebant, ad ipſum Moſem remittebant, atque in hoc Populum reprehendebant, quod Moſis Legem non ſervaſſet, ſed contra illam feciſſet, neque illum ad quidquam aliud hortabantur, niſi ad ea firmiter tenenda, quæ in Lege Moſis poſita ſunt. Nullum igitur horum illi ſimilem dixeris: Atqui Moſes de uno dumtaxat certe ac definite loquitur. Quemnam igitur alium Moſi ſimilem futurum Prophetam canit Oraculum illud, niſi Salvatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum? Quomodo autem hoc dictum ſit, diligentius contemplari neceſſe eſt. Primus Moſes Genti Judaicæ præfuit: Cumque eos deprehendiſſet Ægyptiis ſuperſtitionibus, multorumque Deorum cultu implicitos, primus ab iis illos avertit, inevitabilibus ſuppliciis cultores ſimulacrorum deterrens, & primus eis Theologiam oſtendit, eam quæ unius principatum docet, præcepitque ut unum Opificem, Auctoremque rerum omnium colerent. Primus etiam religioſæ vitæ illis inſtitutionem quamdam diſponens atque aſſignans, piæ, ſanctæque Reipublicæ illis auctor & primus & ſolus apparuit. Atqui Jeſus quoque Chriſtus, ſicut Moſes ſimiliter, ac multo quidem excellentius: Qui primus ejus doctrinæ, quæ veram Religionem inſtituit, reliquis Gentibus Auctor & Magiſter fuit, & primus per totum terrarum orbem ſimulacrorum cultum evertit, primuſque unius omnium Regis Dei cognitionem & reverentiam cunctis oſtendit hominibus: Novæque vitæ, ac piis hominibus accommodatæ Reipublicæ primus introductor, Legiſque lator extitit. Ad hæc, ea quæ de Mundi ortu, & quæ de Animæ immortalitate feruntur, aliaque omnia Philoſophica præcepta quæcumque ejuſdem ſunt generis, primus Moſes Judæorum tradidit Nationi. Sed hæc multo divinius primus cæteris Gentibus Jeſus Chriſtus per ſuos Diſcipulos demonſtravit, ut tane merito Moſem primum ſolumque pietatis Legum latorem Judæorum appellare æquum ſit: Jeſum autem Chriſtum Gentium univerſarum ſicut Prophetia quæ de illo eſt, canit: *Conſtitue Domine Legiſlatorem ſuper eos, agnoſcant Gentes quod homines ſunt*. Moſes præterea geſtis mirabilibus & prodigiis Religionem a ſe inſtitutam & traditam confirmavit. Itidem Chriſtus iis Miraculis, quæ etiam ſcriptis tradita eſſe omnes novimus ad fidelium iuventium uſus, novis ſuæ doctrinæ Evangelicæ præceptis ſtabilitatem ac perpetuitatem adjunxit. Rurſus Moſes Gentem Judaicam ab intolerabili ſervitute, qua ab Ægyptiis premebatur, in libertatem vindicavit. Chriſtus quoque omne genus humanum ab impio atque Ægyptiaco ſimulacrorum cultu, quo ſub malis Dæmonibus tenebatur, revocavit ad libertatem. Denique Moſes Terram Sanctam, & in ea vitam Deo gratam & beatam iis qui Leges ſervarent promittit. Simili ratione Jeſus Chriſtus: *Beati*, inquit, *mites quoniam ipſi poſſidebunt terram*, longe utique meliorem terram, vereque ſanctam ac Deo gratam, non eam quæ eſt in Judæa, quæ plane a reliquis nihil differt, ſed Dei amatricibus in cœlo Animabus convenientem, iis qui vivendi rationem a ſe poſitam plene obſervaverint, pollicitus. Quod quidem apertius indicans iis, quos apud ſe beatos futuros prædicabat, Regnum cœlorum appellavit. Cæterum, alias quoque res a Salvatore noſtro geſtas invenies, quæ virtute longe præſtiterint iis quas Moſes edidit, magnam tamen cum Moſaicis illis habentes ſimilitudinem. Exempli gratia: Moſes totos quadraginta dies jejunus fuit... Itidem etiam Chriſtus. Rurſus Moſes in deſerto alimenta Populo præbuit. Salvator quoque ac Dominus noſter quinque panibus quinque millia hominum pavit. Item Moſes per medium Mare ingreſſus eſt, Populoque itineris dux fuit.... Simili poteſtate, ac Deo etiam convenientius, Jeſus qui Chriſtus eſt Dei in ſuperficie Maris ingrediens Petrum, item ad ſe incedere ſuper eadem fecit.... Moſes vento Auſtro violento Mare ſolidum fecit.... Eadem ratione ac multo quidem præſtantius Salvaror noſter increpuit ventum, & Mare, & facta eſt traoquillitas magna... Moſis item vultus, cum de Monte deſcenderet, cernebatur plenus gloria.... Simili ratione, & longe quidem excellentius Salvator noſter cum duxiſſet ſuos Diſcipulos in Montem excelſum valde, transfiguratus eſt coram eis, & reſplenduit facies ejus ut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Moſes item Leproſum mundavit. Siquidem ſcriptum eſt. Et ecce Maria lepra candens ſicut nix. Et paulo poſt: Et clamavit Moſes ad Dominum dicens: Deus obſecro ſana eam. Simili ergo ratione, ſed longe majori poteſtate Chriſtus Dei cum ad eum leproſus acceſſiſſet, dixiſſetque: Si vis, potes me mundare: Reſpondit, Volo, mundare, & mundata eſt ejus lepra. Rurſus Moyſes digito Dei ſcriptam eſſe Legem affirmavit. Nempe ſic ſcriptum eſt. Et dedit Moſi, cum deſiiſſet loqui ad eum in Monte Sina, duas tabulas teſtimonii, tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. Et in Exodo: Dixerunt igitur incantatores Pharaoni. Digitus Dei eſt hic. Itidem Jeſus quoque qui Chriſtus eſt Dei, Phariſæis dicebat: Si autem in digito Dei ejicio Dæmonia. Ad hæc omnia, Moſes denominavit Jeſum Nave. Pari ratione etiam Salvator Simonem Petrum. Atque item Moſes conſtituit Populo, qui præeſſent Septuaginta.... Sic etiam ipſe Salvator deſignavit ſuos Diſcipulos ſeptuaginta, & miſit binos ante faciem ſuam. Rurſus Moſes duodecim viros emiſit terram exploraturos. Noſter item Salvator, multoque etiam præſtantius, duodecim Apoſtolos emiſit, ad inſpiciendas omnes Gentes. Rurſus Moſes ponit Legem quæ dicit: Non occides, non mœchaberis, non fu-

„ ra-

,, raberis, non pejerabis. At Salvator noſter Lege
,, propoſita, non occidere ſolum, ſed etiam iraſci pro-
,, hibet; & pro eo quod dictum eſt non mœchari
,, ne intueri quidem mulierem cum petulanti cupidi-
,, ne admonet; & pro eo quod eſt, non furari res
,, proprias, indigentibus elargiri imperat: Etiam il-
,, lud longe tranſiliens, quod eſt, non pejerare, ne
,, jurare quidem ullo modo inſtituit. Et quid me
,, oratione longius provehi neceſſe eſt, ut demon-
,, ſtrem ſimilia, finitimaque inter ſe, Moſem ac Sal-
,, vatorem Dominumque noſtrum feciſſe? Cum uni-
,, cuique volenti, in otio talia colligere facillimum
,, ſit? Etenim cum Moſis mortem noviſſe neminem
,, dicant, ac ne ſepulcrum quidem ejus, neque iti-
,, dem Salvatoris noſtri poſt reditum ſuum in vitam,
,, mutationem in ſpeciem divinam quiſquam ſcire po-
,, tuit. Si igitur in tam multis rebus alius nemo,
,, ſed ſolus Salvator noſter, qui cum Moſe ſimilitu-
,, dinem ſactorum habuerit, proferri poteſt, ſuper-
,, eſt jam ut in illum unum ſpectemus. Neque ve-
,, ro ad alium quempiam referamus Prophetiam, quæ
,, apud Moſem extat, in qua illi ſimilem ſuſcitatu-
,, rum ſe Deus reſpondet.

Præterea *S. Petrus* Iſraelitis ſtrictim in Concione
exponens quæ de Jeſu Chriſto locutus eſt Deus per
os Sanctorum ſuorum a ſeculo Prophetarum, Chri-
ſti venturi Vaticinium ſupradicto *Moſis* Oraculo con-
tineri aſſerit: *Moyſes quidem dixit. Quoniam Pro-*
Act. 3. *phetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus noſter de fra-*
tribus veſtris tanquam me, ipſum audietis juxta om-
nia quæcumque locutus fuerit vobis. Erit autem: Om-
nis anima, quæ non audierit Prophetam illum, ex-
terminabitur de plebe. Et omnes Prophetæ a Samuel,
& deinceps, qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies i-
ſtos. Vos eſtis filii Prophetarum, & teſtamenti quod
diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham:
Geneſ. 22. *Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.*
Vobis primum Deus ſuſcitans Filium ſuum, miſit eum
benedicentem vobis: Ut convertat ſe unuſquiſque a
nequitia ſua: S. etiam *Stephanus* in Concione ad
Judæos Actuum 7. *Hic eſt*, inquit, *Moyſes, qui dixit*
filiis: Iſrael Prophetam ſuſcitabis vobis Deus de fra-
tribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis.

Tertio *S. Cyrillus Alexandrinus Libro* 8. *contra Ju-*
lianum Apoſtatam, illum Imperatorem negantem
Moſaicum illud Oraculum de *Jeſu* filio *Mariæ* intelli-
gendum eſſe, ſic refellit pag. 256. Cum autem Chri-
,, ſti Nativitatem inquirat, & in Lege Moſis ſapi-
,, entiſſimi fruſtra ſe torqueat: Diſcat a nobis, Do-
,, ctrinæ Moſaicæ ſcopum ad Chriſti Myſterium per-
Rom. 10. 4. ,, tinere, Chriſtumque apud eum multoties deſcribi.
,, Quod cum noſſet divinus Paulus dicebat, *Finis*
,, *enim Legis & Prophetarum, Chriſtus.* Locuples
,, autem harumce rerum ipſe teſtis erit, Judæos ita
compellans: *Si crederetis*, inquit, *Moyſi, crederetis*
mihi: De me enim ille ſcripſit. Agendum ergo,
Joan. 5. 46. ,, quamvis nullo negotio quamplurima teſtimonia ea-
,, que vera proferre liceat, nos aliis prætermiſſis,
,, quæ ab ipſo allata fuerunt, perpendamus, at-
,, que ita vel in hoc mendacii illum arguamus.
,, Dixit Moſes ille ſacrorum interpres Iſraelitis:
Prophetam ex fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit ti-
Deuteron. 18. *bi Dominus Deus tuus: Ipſum audietis. Secundum*
omnia quæ petiiſti a Domino Deo tuo in Choreb in die
convocationis dicentes: Non adiiciemus audire vocem
Dei noſtri, & ignem hunc magnum non aſpiciemus
ultra, ne moriamur. Et ait Dominus ad me: Recte
omnia quæ locuti ſunt. Prophetam ſuſcitabo eis ex
fratribus eorum, ſicut te, & dabo verbum meum in
ore ejus: & loquetur eis, ſecundum quod mandave-
ro ei. Et homo qui non audierit quæcumque locutus
fuerit Propheta ille in nomine meo, ego vindictam ſu-
,, *mam de eo.* Videſis ergo ut opportune admodum
,, illud Chriſti Myſterium ſignificatum ſit. Deſcen-
,, dit enim ille Univerſi Deus in ſpecie ignis ſuper
,, Montem Sina, & vox tubæ reſonabat valde, ſi-
,, cut ſcriptum eſt: Sed ſpectaculum illud cerni non
,, poterat, & tubarum ſonus erat prorſus intole-
,, rabilis. Proindeque dicebant vehementi formidi-
,, ne capti: Ignem hunc magnum non videbimus
,, ultra, non audiemus vocem Domini Dei noſtri...
,, Cum igitur ſpectaculum eorum, quæ ad Dei glo-
,, riam figurata erant, ferre non poſſent qui tum
,, temporis inſtituebantur homines, tandem neceſſa-
,, rio Incarnationis Unigeniti modus prædictus eſt.
,, Non enim aliter verſari cum hominibus poterat,
,, cum ſecundum naturam ipſe Deus ſit, quam ſi homo
,, ſecundum nos factus appareret, ſimulque maneret
,, Deus... Nominatus porro eſt Propheta, licet Pro-
,, phetarum ſit Dominus. Nam cum ad inanitatem ſe
,, demiſiſſet, humanitatis conditione ſuſcepta, utique
,, decebat quæ humanitatis ſunt non deſpicere: Ip-
,, ſa vero Prophetia humanitatis conditioni valde
,, congruit, ſed & ſummum in rebus humanis di-
,, gnitatis locum tenere putatur.... Quoniam au-
,, tem contendit hæc de Eo qui ex Maria prognatus
,, eſt, ſcripta non eſſe, alium nobis oſtendat fuiſſe
,, ſecundum Moyſen.... Cum plurimi poſt Moſen
,, Prophetæ fuerint, & homines, ſicut ipſe fate-
,, tur; de quonam tandem hæc dicit? Ergo neceſſe
,, eſt plane illud SICUT ME, plurimis modis a
,, nobis intelligi. Et quidem Moſis Miniſterium cum
,, Servatoris Diſpenſatione, quoad ejus eſt, com-
,, parantes, agedum, vim Prophetiæ, quæ de ipſo
,, eſt, nitamur explicare. Nimirum gravi ſervitute
,, oppreſſos Iſraelitas Moſes liberavit, & per me-
,, dium Mare traduxit, ſuffocatis in eo qui quon-
,, dam impotenter dominati fuerant: Aluit in ſo-
,, litudine, Manna cælitus demiſſo: Deo commen-
,, davit, medius ac ſequeſter Dei & hominum fuit,
,, ac Legis Adminiſter, eoſque ad omnem honeſta-
,, tem ſapienter compoſuit. Hinc velut ex typo &
,, umbra ad ipſum veritatis decus tandem venien-
,, dum eſt. Tyrannidem in nos exercuit Satanas,
,, & peccati jugo genus hominum illigavit... Spe
,, autem ſua miſer excidit: Chriſtus quippe contra-
,, dixit ac reſtitit, ſolvit ejus laqueos, animi ſer-
,, vitute nos eripuit, & immerſos peccati cœno li-
,, beravit: Per Jordanem traduxit, qui bonorum
,, hoſtibus & perſecutoribus immiſit exitium, vi-
,, vificat vero & conſervat Deo ſubditos, & qui e-
,, jus voluntati obſequuntur. Dedit nobis, non Man-
,, na quod ſub ſenſum cadit, ſed ſe ipſum poti-
,, us in cibum ſanctum, & vivificum, & reve-
,, ra ſanctiſſimum. Oblati autem ſumus per ipſum
,, Deo & Patri, & factus eſt Mediator ipſius &
,, hominum. Ad hæc Leges præſcripſit non quæ in
,, typis & umbris ultra eſſent, ſed quæ ad opti-
,, mum ac præſtantiſſimum vitæ genus perducerent.
,, Ineſt quippe ipſi quoque Legi veritatis adumbra-
,, tio; Veritas autem ipſa tandem illuxit. Vide
,, porro quomodo Moſes quidem non ignoravit, quod
,, unigenitum Dei Verbum aſſumpta humanitate, Le-
,, ges Vetere Mandato longe circa comparationem
,, meliores daturum erat hominibus. Nam cum de
,, Legibus per ipſum latis ſcripſiſſet, His quicquam
,, addi, aut ab iis detrahi nefas eſſe; poſtea Do-
,, minicæ Majeſtatis eminentiam & gloriæ ſublimi-
,, tatem divinæque potentiæ magnitudinem animo
,, reputans, præcipit his verbis: *Ipſum audietis, ju-*
,, *xta omnia quæ vobis loquetur.* Si enim ipſe vo- Exod. 19.
,, luerit, inquit, eas Leges ponere, quæ Manda-
,, tum per me traditum irritum faciant, hujus nul-
,, la ratio habeatur: Leges cum poteſtate ſtatuat,
,, Deus enim eſt ac Dominus, eique ac ſoli com-
,, petit Leges ponere. Ne autem ſolus videretur
,, Moyſes de ipſo Chriſto in his Prophetiam edi-
,, diſſe, id ipſum etiam Pater ipſe confirmavit, &
,, recte locutum illum declarat his verbis: *Recte omnia*
quæcumque locutus eſt. Prophetam ſuſcitabo eis de me-
dio fratrum ſuorum, ſicut te; & dabo verbum meum
in ore ejus, & loquetur eis ſecundum omnia quæ
,, *mandavero ei.* At enim quid ſibi hæc verba vo-
,, lunt? Non enim quiſquam paulo cordatior dixe-
,, rit ipſum omnibus Sanctis Prophetis verbum dediſ-
,, ſe, qui cœleſtia & ab illo accepta verba tranſ-
,, portantes ajebant: *HÆC DICIT DOMINUS?* Quid
,, ergo ſibi vult cum ait, *Dabo verbum meum in* Matth. 8.
,, *ore ejus?* Animadverte Servatoris noſtri ſupra 3.
,, res omnes eminentiſſimam dignitatem. Divini quip- Luc. 7. 24.
,, pe Prophetæ Miniſterium ſuum implentes, ea quæ Joan. 27.
,, maxime ſervos decet, reverentia dicebant: HÆC 43.
,, AIT DOMINUS: Hic vero non ita, Ipſe nam-
,, que Dominus erat; Patris autem vocibus in una-
,, qua-

Digitized by Google

„ Quaque re potius utebatur, ut cum Leproſo di-
„ cit: *Volo, Mundare:* Et cum mortuos in vitam
„ redire jubet. *Adoleſcens*, enim inquit, *tibi dico*
„ *ſurge:* Et *Lazare, veni foras*. Et cum creaturam
„ increpas, & ſurentium ventorum impetus retun-
„ dit, & cum voce & verbo Deo maxime con-
„ venienti inſanos Maris fluctus compeſcit. *TACE*,
„ enim inquit, *OBMUTESCE*. Hoc opinor eſt illud
„ *DABO VERBUM MEUM IN ORE EJUS*.

Quarto *S. Eulogius* Alexandrinus Epiſcopus coacta Alexandriæ frequenti Synodo, & excuſſa Samaritanorum controverſia ſuper prædicto *Deuteronomii* Oraculo, quod alii *Joſue*, alii *Doſitheo* Samaritano accommodabant, utramque damnavit ſententiam, & Jeſum Chriſtum hoc Vaticinio a *Moyſe* prænuntiatum eſſe definivit. Ita refert *Photius* Opera *S. Eulogii* recenſens *Codice* 230. *Bibliothecæ* ſuæ. *Liber*, inquit, *poſtremus Orationem continet, cui titulus:* DECRETUM IN SAMARITANOS *editum. Argumentum Orationis hujuſmodi. Plebe Samaritana in contrarias divulſa factiones, inter ſe diſſidebat, & peregrinis opinionibus ſe impugnabat. Alii enim Jeſum Naven eum eſſe cenſuerunt, de quo Moyſes dixit:* Prophetam „ vobis excitabit Dominus Deus ex fratribus ve- „ ſtris, ut me. *Alii rejecta hac ſententia, Doſtenquemdam nomine, ſive Doſitheum prædicarunt Samaritanum etiam gente, æqualem Simoni Mago. Et hunc illum eſſe a Moyſe prædictum portentoſe commenti, ab ipſius nomine Doſthenii cognominati ſunt.* . . . *Utraque porro factio Libellos pro ſua ſententia, & contra adverſariam partem, ſuum quoque Prophetam alteri præferendo, porrexit. S. Eulogius cum Synodo frequentiſſima, Pontificibus pleno inſignibus atque illuſtribus dignitate viris, Judex his præſedit. Marcianus ſuſceptum Imperium Romanum ſeptimum jam annum adminiſtrabat. S. Eulogius diſcuſſis quæ ab utraque parte afferebantur, & utraque erroris convicta, illum a Prophetis prædictum Meſſiam, ex Scripturis Sacris docuit eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum: illos vero graviſſimo errore laboraſſe: Hos quidem quod Jeſum Nave illum Prophetam prænuntiatum fingere; illos vero quod Doſten, ſeu Doſitheum impium portentoſe comminiſcerentur. Atque ita Concilium ſolvit. Sed argumentum & Decretum cum Eulogio periit.* Ex his conſtat, *Deuteronomium*, aliosque quatuor Libros Legis, a *Moyſe* inſcriptos eſſe, in iiſque clariſſima extare Oracula Chriſti prænuntia.

Hanc veritatem confirmant verba illa *Philippi* ad *Nathanaelem*, relata Joannis 1. 45. *Quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph a Nazareth.* Ubi Legem a Prophetis diſtinguens, Legis a *Moyſe* ſcriptæ nomine Pentateuchum ſignificat. Sic & S. Petrus Act. 15. 21. *Moyſes enim a temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur.* Sic denique *S. Paulus* de Judæis ſcribens 2. ad Corinth. 3. 15. *Sed uſque in hodiernum diem, cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.*

Probatur ſecundo Propoſitio noſtra ex Traditione ab Apoſtolis ad nos derivata, & ex ſummo Patrum omnium conſenſu, qui ex Pentateucho, velut ex Moſaico opere teſtimonia depromſerunt, quibus Judæorum, & Hæreticorum errores refellerent, Chriſtianæque & Catholicæ Religionis dogmata confirmarent. Homeri, Virgilii, Ariſtotelis, Ciceronis, Herodoti, Xenophontis, Taciti, eſſe quæ eorum dicuntur Opera, nemo ſanæ mentis dubitat, ob perpetuum Græcorum & Latinorum, qui ipſos ſub horum Auctorum nominibus laudarunt, teſtimonium: Quanto magis Pentateuchus *Moyſis* eſſe credendus eſt; cui non modo Judæi, ſed univerſa ab Apoſtolorum temporibus Eccleſia Chriſti, ab ipſo Salvatore & Apoſtolis edocta, teſtimonium perhibet quod a *Moyſe* ſcriptus ſit? Simili argumento Manichæos negantes ab Apoſtolis ſcriptos eſſe Libros, quos Apoſtolorum eſſe dicit & tenet Eccleſia *S. Auguſtinus* refellit *Libro* 33. *contra Fauſtum* Capite ſexto. Hos
„ autem Libros, inquit, quibus illi, qui de tranſ-
„ verſo proferuntur, comparati reſpuuntur, unde
„ conſtat eſſe Hippocratis? Unde ſi quis hoc ne-
„ get, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur, niſi quia
„ ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore uſque ad hoc
„ tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commen-
„ davit, ut hinc dubitare dementis ſit? Platonis,
„ Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis aliorumque ejuſ-
„ modi Auctorum Libros unde noverunt homines
„ quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet
„ ſuccedentium conteſtatione continua? Multi mul-
„ ta de Literis Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non
„ quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adjuvan-
„ di ſtudio ſive diſcendi. Unde conſtat quid cujus
„ ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque
„ ſcripſit, quibus potuit, inſinuavit atque edidit,
„ & inde in alios, atque alios continuata notitia,
„ latiuſque firmata ad poſteros, etiam ad noſtra
„ tempora pervenerunt, ita ut interrogati cujus quiſ-
„ que Liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere de-
„ beamus? Sed quid pergam in longe præterita?
„ Ecce iſtas literas, quas habemus in manibus, ſi
„ poſt aliquantum tempus vitæ hujus noſtræ, vel illas
„ cujuſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas,
„ unde convincitur, niſi quia illi qui nunc iſta
„ noverunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt fu-
„ turos continuatis poſterorum ſucceſſionibus traji-
„ ciunt? Quæ cum ita ſint, quis tandem tanto
„ furore cæcatur, niſi Dæmoniorum mendaciloquo-
„ rum malitia atque fallacia conſentiendo ſubverſus
„ ſit, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolo-
„ rum Eccleſiam, tam fidam, tam numeroſam fra-
„ trum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad
„ poſteros trajicerent, cum eorum Cathedras uſque
„ ad præſentes Epiſcopos certiſſima ſucceſſione ſer-
„ vaverint, cum hoc qualiumcumque hominum Scri-
„ ptis, ſive extra Eccleſiam, ſive in ipſa Eccleſia,
„ tanta facilitate proveniat? *Pentateuchum* autem *Moyſi* tribuit non ſolum Canon Hebræorum, ſed etiam Canon Eccleſiæ. Quotquot enim ab Apoſtolorum temporibus Librorum Sacrorum indicem adornarunt Patres, Pontifices, Concilia, *Quinque Libros Moyſis* primo loco recenſent. Ita Canon ultimus ex iis qui *Apoſtolici* inſcribuntur; *Melito* Sardenſium Epiſcopus, Epiſtola ad *Oneſimum*, apud *Euſebium* Libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 28. *Origenes* in Expoſitione Pſalmi primi, cujus teſtimonium idem Euſebius deſcripſit, Libro 6. Cap. 25. *S. Cyrillus Jeroſolymitanus* in Catecheſibus: *S. Athanaſius* Præfatione in Pſalmos: *S. Auguſtinus* Libro 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. & Libro 15. *De Civitate Dei*, Cap. 25. *S. Hieronymus* in Epiſtola ad *Paulinum*, & alii Patres cum Græci, tum Latini: *Innocentius I.* in Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum. Concilium Laodicenum Canone ultimo: Romana Synodus ſub *Gelaſio* Pontifice Maximo, & Tridentina Seſſione 4.

Probatur tertio ex Pentateuchi Samaritani vetuſtate & auctoritate. Cum enim jam inde ab *Jeroboami* perduellione, decem Tribus ſeceſſione facta, ſuis Legibus, ſuaque Religione uti cœpiſſent, auctaque eſſet invidia utriuſque Gentis, poſtquam Templi Hieroſolymitani & Sanctæ Civitatis inſtaurationem ſub *Eſdra* turbarunt; capitale demum & perpetuum diſſidium conſecutum eſt ab *Alexandri* temporibus, ex quo *Manaſſes* Jaddi Pontificis frater, ob Samaritidem Mulierem in Matrimonium ductam, Sacerdotio exauctoratus, in Templo quod *Sanaballat* ejus Socer, *Darii* nomine *Samariæ* adminiſtrans, in Monte Garizim extruxerat, Pontificem ſe geſſit. Illa tamen diſſociatione & odio implacabili non obſtante, utraque Gens ſuum Pentateuchi Codicem habuit, nihil vel certe parum diſſentientem, hunc Samaritanis literis exaratum, qui veteres fuerunt Hebræorum characteres; illum Judaicis, qui poſt captivitatem Babylonicam ex Aſſyriis efformati in uſu eſſe cœperunt: Utraque Pentateuchum *Moyſi* tribuit.

Probatur quarto ex Septuaginta Interpretum verſione ſub *Ptolemæo Philadelpho*, procurante *Demetrio Phalereo* adornata. Hæc enim *Pentateuchum* ut genuinum *Moyſis* Opus a tota Judæorum Synagoga agnitum probat.

Probatur quinto ex Scriptorum externorum teſtimonio jam inde a *Moyſis* ævo, aſſerentium *Moyſem* Legum Judaicarum Auctorem fuiſſe. Ita *Manethon* Se-

Sebennyta in Ægyptiaca Hiſturia, referente *Joſepho* Libro 1. contra Apionem, *Philochorus* Athenienſis, qui *Ptolemai Philopatoris* tempuribus floruit, referente *S. Juſtino* Martyre in Paræneſi: *Polemon*, qui *Ptolemai Epiphanis* ævo Græcanicam ſcripſit Hiſtoriam, eodem *S. Juſtino*, & *Cyrillo* Libro 5. adverſur *Julianum*, referentibur *Eupolemus* ab *Alexandro Polyhiſtore* laudatus, cujur illuſtria fragmenta legere eſt apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelica*, Capitibus 17. 23. 30. *Apollonius Molonis*, referente *Joſepho* Libro 2. Contra Apionem. *Caſtor* ſive Rhodius, ſive Galata, Dejotari gener, cujus teſtimonium laudat *S. Juſtinus in Pæreneſi*, *Diodorus Siculus*, quem *idem S. Juſtinus*, & *Cyrillus* Libro 1. Contra *Julianum* teſtem appellant. *Chæremon* Ægyptiacæ Hiſtoriæ conditoe, qui *Auguſti* ætate floruit a *Joſepho* laudatus. *Trogus Pompejus*, cujus Hiſtoriam in Epitomen contraxit *Juſtinus*, ſub *Antonini Pii* Imperio. *Nicolaus Damaſcenus*, Auctor Hiſtoriæ univerſalis, Herodis Judæorum Regis amicus, cujus aliqua teſtimonia *Joſephus* deſcripſit. *Ptolemæus Mendeſius*, qui res Ægyptias tribus Libris complexus eſt; cujus meminerunt *S. Juſtinus* in Parænesi, *Tatianus*, & *Africanus* apud *Euſebium* Libro 10. *Præparationis Evangelica*, Cap. 10. *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum, & *S. Cyrillus* Libro 1. contra Julianum. *Strabo* Lib. 16. Geographiæ. *Apion* Grammaticus, etſi Judæorum hoſtir. *Juvenalis* Satyra 14. ubi ait, Judaicum Jus a Judæir ediſci, ſervari & metui, *Tradidit Arcano quodcunque Volumine Moſes*. Ptolemæus Alexandrinus, Hephæſtionis filius, cognomento *Chennus*, apud *Photium* Cod. 190. *Cornelius Tacitus* Libro 5. Hiſtoriæ, Cap. 3. & 4. *Plinius* Libro 30. Cap. 1. *Numenius Apameus* Platonicus Philoſophur, qui *Moſen* non ſolum *Prophetam* dicit, ut refert *Porphyrius* Libro *De Ant. Nymph.* ſed *Theologum* etiam, & *Legum divinarum Interpretem*, ut ejus verba indicant a *Clemente Alexandrino* laudata Libro 1. *Stromatum*. Eiuſdem dictum illud celebratur: *Eſt enim Plato Moyſes atticiſans*. His ſuffragatur *Longinus* Zenobiæ Palmyrænorum Reginæ a conſiliis & Studiis Libro *De ſublimi dicendi genere*, ubi cum dixiſſet de Deo loquentes curare debere, ut eum nobis magnum, ſincerumque & impermixtum exhibeant, ſubdit: *Sic egit & is qui Judæis Leges condidit, vir minime vulgaris ingenii, ut qui Dei poteſtatem digne & conceperit, & eloqutus fuerit, ſtatim in principio Legum hæc ſcribens: Dixit, ait Deus, Quid? Fiat Lux; & facta eſt. Fiat Terra & facta eſt*. His adde *Porphyrii* & *Juliani* infenſiſſimorum Chriſtianæ Religionis hoſtium teſtimonia, qui *Pentateuchum* a *Moyſe* ſcriptum agnoverunt.

Spinoſa objectionibus reſpondetur. Objicit primo *Spinoſa* in Tractatu Theologico Politico: Auctor Deuteronomii ſcripſit trans Jordanem, ut probant verba illa Deuteronomii 1. 1. *Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Jordanem*. At *Moyſes* Jordanem numquam tranſgreſſus eſt, nec eo vivente Iſraeliticus Populur. *Moyſes* itaque *Deuteronomii* Auctor cenſeri non debet: Multo minur aliorum Librorum.

Reſpondetur primo, *Moyſen* hæc dici locutum *trans Jordanem*, habita ratione Terræ Sanctæ, cujur comparatione Scriptura Sacra ſitos locorum conſignare ſolet. *Campeſtria* enim *Moab*, in quibus *Moſes* ad Judæos extremum verba faciens Legem iteravit, ſunt trans Jordanem Judæis Terram promiſſam incolentibus.

Reſpondetur ſecundo, unius forte voculæ Hebraicæ æquivocatione factum ut Interpres verteret; *trans Jordanem*, quod *cis Jordanem*, vertendum erat. Vox enim *Eber* non ſolum *trans*, ſed & *cis* ſignificat, ut notant *Pagninus*, & *Buxtorfius*, & norunt quique Hebraice periti. Textus Hebraicus ſic ad verbum reddi poteſt, ut habetur in Bibliir Polyglottis: *Iſta verba quæ locutus eſt Moſes ad omnem Iſrael in tranſitu Jordanis*: Id eſt, cum mox tranſiturus Jordanem eſſet.

Objiciunt ſecundo *Spinoſa*, & alii qui eum ſequuntur hac in parte; Auctorem Pentateuchi de *Moyſe* velut de aliena perſona loqui. Deuteronomii 31. 9. *Scripſit itaque Moyſes Legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi*, Laudes etiam *Moyſis* in Pentateucho celebrari. Numerorum 12. 3. *Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra*. Deuteronomii 36. 10. *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus, facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus ſervis ejus univerſæque Terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram univerſo Iſrael*. Ita autem de ſe ipſo *Moyſes* vir modeſtiſſimur & humillimus non ſcripſiſſet. Alius itaque a *Moyſe* Pentateuchum ſcripſit.

Reſpondetur, Scriptoribus Sacris & profanis ſolemne eſſe de ſe ipſis in tertia perſona loqui in iis Hiſtoriis quarum pars fuerunt. Sic *Cæſar* in *Commentariis*, & *Joſephus* in Libris *De Bello Judaico*, de ſe ipſis loqui ſolent. Sic *S. Joannes* in Evangelio de ſe ipſo loquitur: *Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus*. Sic de ſe ipſo S. Matthæus: *Vidit Jeſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me*. Sic *S. Lucas*, quem unum ex Diſcipulis Emmauntem euntibus fuiſſe ferunt: *Et ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Jeruſalem, nomine Emmaus*. Unde *S. Gregorius* Præfatione in Expoſitionem Libri Job, Cap. 1. ait: *Moris Scripturæ Sacræ eſt, ut ipſi qui ſcribunt, ſic de ſe in illa, quaſi de aliis loquantur. Hinc eſt enim quod Moyſes ait:*

„ Erat Moyſes vir mitiſſimur ſuper omnes homi-
„ nes, qui morabantur in terra. Hinc Joannes di-
„ cit: Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus. *Hinc*
„ *Lucas ait: Quod ambularent* duo ex Diſcipulis in
„ via, Cleophas & alius. *Quem profecto alium, dum tam ſtudioſe tacuit, ut quidam dicunt, quid niſi ſe ipſum fuiſſe monſtravit? Scriptores igitur Sacri Eloquii, qui impulſu Sancti Spiritus agitantur, ſic de ſe in illo teſtimonium quaſi de aliis proferunt. Spiritus ergo Sanctus per Moyſen locutus eſt de Moyſe*, &c.... *Itaque Scriptores Sacri Eloquii, quia repleti Spiritu Sancto ſuper ſe trahuntur, quaſi extra ſemetipſos fiunt; & ſic de ſe ſententias, quaſi de aliis proferunt. Unde & Beatus Job Sancto Spiritu afflatus, poſuit ſua geſta, quæ erant videlicet ſupernæ aſpirationis dona, quaſi non ſua ſcribere: Quia eo alterius erant quæ loquebatur, quo homo loquebatur, quæ Dei ſunt? Et eo alter quæ erant illius loquebatur, quo Spiritus Sanctus loquebatur, quæ hominis ſunt*. Itaque ſuas laudes *Moyſes* celebravit afflante Spiritu Sancto, ut gratiam Dei prædicaret, cujus dona erant virtutes illius & merita: Quod & *S. Paulus* in Epiſtolis ſuis fecit. Quam autem id ab elatione & jactantia remotum fuerit, ex eo perſpectum eſt, quod *Moyſes* defectus ſuur & errata non diſſimulaverit, uti nec prioris vitæ ſuæ peccata *S. Paulus*.

Objiciunt tertio: Auctor Libri Geneſeos Cap. 12. v. 6. ubi narravit, *Pertranſiviſſe Abram Terram uſque ad locum Sichem, uſque ad Convallem Illuſtrem*: obſervat quaſi per parentheſim, tunc Chananæos Terræ illiur incolas fuiſſe: *Chananæus autem tunc erat in Terra*. Quod argumento eſt hæc ſcripta fuiſſe, cum Chananæi amplius in Paleſtina non eſſent. At *Moſis* tempore nondum ex Palæſtina pulſi erant Chananæi. Hæc igitur *Moyſes* non ſcripſit.

Reſpondetur, Senſum illorum verborum non eſſe quod olim Chananæi Palæſtinam occupaſſent, quo tempore hæc Hiſtoria ſcribebatur, ſed quod regionem illam jam incolerent, cum *Abraham* in illam migravit. Notare ſcilicet voluit *Moyſes*, & ad poſteritatis notitiam tranſmittere, quænam Gens illa eſſet, cum qua vixit *Abraham* in Chananitide.

Objiciunt quarto, Montem Moria, *Geneſis* 22. 14. appellari, *Dominus videt*, quo nomine vocari cœptus eſt, cum ædificationi Templi deſtinatus eſt: Quod nonniſi poſt *Moyſen* contigit: Hunc itaque Librum eſſe *Moyſe* recentiorem.

Reſpondetur, Montem illum *Terram Viſionis*, a viſo Angelo & ariete vepribur hærente, appellari; & *Dominus videbit*, a reſponſione Abrahami ad filium: *Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi*. Certe hoc nomen ea occaſione tunc primum inditum fuiſſe Monti ab ipſo *Abrahamo*, conſtat ex Sa-

cro

cro Textu : *Et Ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens : Abraham, Abraham. Qui reſpondit : Adſum. Dixitque ei : Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam : Nunc cognovi quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde uſque hodie dicitur : In Monte Dominus videbit.* Quanquam & Templum ibi ædificandum cognoſcere potuerit *Moyſes*, utpote Prophetico lumine illuſtratus.

Obiiciunt quinto, verba illa Deuteronomii 3. 10. 11. *Solus quippe Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum. Monſtratur lectus ejus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus.* Porro, inquiunt, ſi hunc Librum ſcripſiſſet *Moyſes*, quorſum Gigantis illius proceritatem ex lecti ferrei magnitudine probaſſet Iſraelitis, qui ipſum pugnantem, & cæſum conſpexerant? Unde factum ut lectus ille non in Baſanitide regione, ſed in Rabbath filiorum Ammon viſeretur, niſi ex temporum longitudine, quæ omnia mutare conſuevit? Probabilius ergo eſt Deuteronomium ſcriptum eſſe ab Auctore qui eo tempore vixerit, quo *Ogi* Regis Baſan memoria omnino perierat apud Iſraelitas : Maxime cum lectus ille ignotus fuiſſe videatur uſque ad tempora *Davidis* Regis, qui Ammonitas debellavit, eorumque Urbem Rabbatham expugnavit, ut refertur 2. *Regum* 12. 29. 30.

Reſpondetur, Iſraelitarum plurimos *Ogum* Regem Baſan non vidiſſe, pueros nempe, ſenes, feminas, abſentes a prælio, in quo cæſus eſt, Milites. Præterea, *Moyſen* non ſuæ ſolum ætatis Hebræis, ſed futuris etiam Legem poſuiſſe, & Hiſtoriam ſcripſiſſe. Hiſtoria enim ſcribitur, ut rerum geſtarum memoria tranſmittatur ad poſteros. Gigantis autem iſtius inſolentem proceritatem ex lecti ipſius ferrei magnitudine innoteſcere voluit iis qui ipſum non viderant. Cum enim lecti tertia parte longiores hominibus fieri ſolerent, ut notat *Maimonides*, & lectus ille ferreus novem cubitos longitudinis haberet, facile erat colligere *Ogum* ſexcubitalem fuiſſe. Lectum autem illum in Ammonitarum Urbe Rabbatha ſervari *Moyſes* noverat, vel quod ea Urbe tunc potiretur *Ogus* : Vel quod Ammonitæ contra illum pugnantes lectum illum quaſi inſigne ſpolium & victoriæ monumentum abſtuliſſent : Vel quod Iſraelitæ lectum illum ferreum Ammonitis vendidiſſent : Vel quod domeſticum illud inſtrumentum, exquiſitamque ſupellectilem *Ogus* apud Ammonitas in tuto poſuiſſet, quos ab Iſraelitarum armis intactos fore confidebat.

Obiiciunt ſexto, Pentateuchi Scriptorem varia Operi ſuo inſeruiſſe Urbium nomina, quæ poſt *Moſis* obitum indita ſunt, cum aliis antea nominibus Urbes illæ vocarentur. Sic *Geneſis* 14. v. 14. narratur, quod cum audiſſet *Abraham* captum a quinque Regibus *Lothum* Nepotem ſuum, *numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo : Et perſecutus eſt uſque Dan.* Conſtat autem ex Cap. 18. *Judicum*, v. 28. & 29. Urbem illam, quæ olim vocabatur *Lais*, primum nomen *Dan* accepiſſe a ſexcentis illis viris de Tribu *Dan*, qui ablato *Micha* Idolo cum Sacerdote, Urbem illam expugnarunt. *Erat autem Civitas ſita in regione Rohob : Quam rurſum extruentes, habitaverunt in ea, vocato nomine Civitatis Dan juxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſrael, quæ prius Lais dicebatur.* Sic civitas *Hebron*, cujus frequens in Pentateucho mentio, maxime *Geneſis* 23. 2. & 35. 27. nomen *Hebron* accepit ab *Hebrone* filio *Caleb* poſt obitum Moyſis, cum, antea *Cariatharbe* vocaretur ut colligitur ex Capit. 14. Libri Joſue v. 14. *Benedixitque ei Joſue* (nempe Calebo) : *& tradidit ei Hebron in poſſeſſionem. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo, uſque in præſentem diem : Quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe.* Denique Deuteronomii 3. v. 14. hæc habentur : *Jair filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob uſque ad terminos Geſſuri, & Machati. Vocavitque ex nomine ſuo Baſan, Havot Jair, id eſt, Villas Jair, uſque ad præſentem diem.* Ex quibus poſtremis verbis colligi poſſe videtur, longo poſt *Moſis* mortem tempore hæc ſcripta eſſe.

Reſpondetur primo, Illas nominis unius pro alio ſubrogationes ad *Eſdram* Sacrorum Librorum reſtauratorem, Spiritu Sancto non minus afflatum quam *Moyſen*, probabiliter referri. Illum nempe cum Sacros Libros recognoſceret, emendaret, meliroremque in ordinem reſtitueret poſt Captivitatem Babylonicam, qua durante mendas plurimas contraxerant, majoris explicationis gratia nomen *Lai* jam obſoletum in *Dan* mutaſſe, & *Cariath Arbe* nomen hac obſervatione quaſi per parentheſim poſita illuſtraſſe, (*quæ eſt Hebron*).

Reſpondetur ſecundo cum doctiſſimo Præſule *Daniele Huetio*, Nomen *Dan*, prout loci nomen eſt, antiquius eſſe prædicta ſexcentorum Danitarum expeditione. Ex duobus enim fontibus & rivulis *Jor* & *Dan*, Jordanis flumen & nomen derivatum *S. Hieronymus*, & *Philoſtorgius* teſtantur. Antequam ergo Urbi *Lais* nomen Dan indidiſſent ſexcenti illi Daniticæ Tribus homines, alter fontium Jordanis *Dan* appellabatur. Nam Jordanis nomen Urbe *Dan* vetuſtius eſt. Hunc ergo fontem ſeu fluviolum forte ſignificavit *Moyſes*, cum ſcripſit *Abrahamum* hoſtes uſque *Dan* eſſe perſecutum. Unde additur : *Et diviſis ſociis, irruit ſuper eos nocte : Percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos uſque Hoba, quæ ad levam Damaſci.* At *Damaſcus*, & *Hoba*, loca ſunt Jordanis fontibus vicina.

Reſpondent tertio Recentiores quidam, Duplicem eſſe diſtinguendam civitatem *Dan* : Alteram quæ *Joſue* 15. v. 49. dicitur *Danna*, Alteram vero ſimplici nomine *Dan*, cui a Tribu ſua Danitæ nomen fecerunt, de qua *Joſue* 19. 47. *Judicum* 20. v. 1. I. *Regum* 3. 20. 1. *Paralipomenon* 21. 2. & 2. *Paralipomenon* 30. 5. De priori autem Civitate, nempe *Danna*, intelligendum locum *Geneſeos*, non vero de poſteriori ; ſiquidem veriſimile non eſt, *Abrahamum* fugitivos hoſtes perſequentem, tot vaſtas excurriſſe regiones, quæ interjacent a loco certaminis, ubi Reges prius victores proſtravit, ad illam civitatem *Lais* a Danitis occupatam. Hæc enim ab Hebrone & regione Sodomitica, ubi Reges illi ab *Abrahamo* victi ſunt, diſtat plus quam quinquaginta leucis. Quis autem credat *Abrahamum*, cum trecentis tantum armatis vernaculis ſuis, quinque Regum devictos Exercitus ad tantam locorum diſtantiam fuiſſe inſecutum?

Verum *Dan* cum *Danna* imperite confundunt illi. Eſt enim *Dan* oppidum Phœnices ad fontes Jordanis ſitum, in quo Tribus *Dan* habitavit, eique nomen impoſuit, olim *Leſem* appellatum, *Joſue* 19. & *Lais*, Libri *Judicum* Cap. 18. ſive *Laiſa*, Cap. 10. *Iſaiæ*. Ipſum fuit terminus Terræ Iſrael ab Aquilone, 2. *Regum* 3. & *Ezechielis* 27. in quo *Jeroboam* Rex Iſrael Vitulum adorandum erexit, 3. *Regum* 12. 29. & 30. & *Amos* 8. 14. De quo oppido S. *Hieronymus* in Libro *De locis Hebraicis* ſcribit : *Dan Viculus eſt in quarto a Paneade Milliario, euntibus Tyrum : Qui uſque hodie ſic vocatur, terminus Judææ Provinciæ contra Septentrionem : De quo & Jordanis flumen erumpens, a loco ſortitus eſt nomen. Jor quippe ῥεῖθρον id eſt fluvium, ſive rivum, Hebræi vocant.* Et in traditionibus Hebraicis, *Dan Phœnices oppidum* eſſe teſtatur, quod *nunc Paneas dicitur*. At vero *Danna* Civitas eſt in Tribu Juda, *Joſue* 15. ſita inter *Socoth*, & *Cariathſenna*. De qua idem *S. Hieronymus* Libro *De Locis Hebraicis*, ait : *Danna in Tribu Juda : Eadem autem eſt quæ & Dabir, Civitas Literarum.* Cum itaque *Abrahamus* hoſtes uſque *Dan*, non uſque *Danna* perſecutus dicatur *Geneſeos* 14. tertia iſta Reſponſio reiicienda eſt, & primæ, ſecundæque ſtandum.

Quod *Hebronem* ſpectat, non eſt omnino certum an Civitas illa nomen acceperit ab *Hebrone*, Calebi Nepote, de quo *Paralipomenon* Libro 1. Cap. 2. an ipſi nomen Civitatis a ſe expugnatæ indiderit *Caleb* ; ſicut alios ejus Nepotes nominibus Civitatum *Ephrata*, *Bethlehem*, *Cariathiarim*, *Bethgader*, appellatos legimus V. 50. ejuſdem capitis. Sane *Hebron*

bron

Google

bron ſeptem annis ante Tanim Urbem Ægypti antiquiſſimam *condita eſt*, ut dicitur Numerorum 13. 23. Quidni ergo *Cariath-Arbe* primum appellata, vetus nomen ante *Moyſen* amiſerit, & *Hebron* vocata ſit ab aliquo forſan Chananæorum Principe?

Ad tertiam Objectionis partem reſpondetur, verba illa, *Uſque in præſentem diem*, dici poſſe quoties tempus aliquod rem geſtam inter & narrationem illius intercedit, quantumvis ſit recens eventus. Sic *S. Matthæus*, quamvis Evangelium ſuum non multis poſt Chriſti mortem annis ſcripſerit, uſus eſt his verbis: *Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt, Ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem*. Et alibi: *Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem*. Cum igitur plures Menſes ab egregio *Jairi* facinore effluxerunt, ad obitum *Moyſis*, potuit ille in *Deuteronomio*, quod morti proximus ſcripſit, hunc loquendi modum uſurpare. Vel a *Joſue*, *Eſdra*, aut quovis alio Dei Spiritu afflato, Scriptore, hæc verba poſtmodum addita ſunt.

Objiciunt ſeptimo Pentateuchi Auctorem res narrare poſt *Moyſis* obitum geſtas. Dicitur enim Exodi 16. 35. *Filii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: Hoc cibo aliti ſunt, uſquequo tangerent fines Terræ Chanaan*. Porro Manna Iſraelitis depluere non ceſſavit, donec tranſmiſſo Jordane, de frugibus Terræ Chanaan comederunt, ut liquet ex Capite quinto Libri *Joſue* v. 12. Hæc itaque ſcripta ſunt poſt obitum *Moyſis*, ac proinde ab alio Auctore.

Præterea, *Geneſis* 36. Capite, V. 31. dicitur: *Reges autem qui regnaverunt in Terra Edom, antequam Regem haberent filii Iſrael, fuerunt hi*, &c. Ubi Auctor octo Reges, & Principes undecim recenſet, qui in Idumæa regnaverant, antequam Iſraelitæ Regem haberent. Hæc itaque ſcripta ſunt, poſtquam *David* Idumæos ſubegit 2. *Regum* 8.

Ad hæc, Auctor *Deuteronomii* Cap. 2. v. 12. Horræos ab Idumæis de Monte Seir ejectos fuiſſe ſignificat, quemadmodum ab Iſraelitis Idumæi ipſi poſtea ex eodem Monte exterminati ſunt regnante Davide. *In Seir*, inquit, *habitaverunt Horræi, quibus expulſis atque deletis, habitaverunt filii Eſau: Sicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis ſuæ*.

Reſpondetur, Inde non probari quod *Moyſes* Auctor Pentateuchi non fuerit, ſiquidem Prophetico lumine illuſtratus, futura prænoverat, eaque velut præſentia narrabat, quod Prophetis familiare eſſe nemo neſcit. Cum itaque Deus *Moyſi* & *Aaroni* præſignificaſſet, Iſraelitas totis quadraginta annis per deſertum erraturos, antequam Chananitidis poſſeſſionem adirent, *Numerorum* 14. 34. Quidni *Moyſi* divinitus revelatum credatur, cum Manna depluere cœpit, Iſraelitas annis totidem cibo illo mirabili alendos? Similiter *Moyſes* Deo revelante prænoverat futurum, ut aliquando Hebræorum Reipublicæ Reges præeſſent, ut conſtat ex Deuteronomii 17. v. 14. *Cum ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum Nationes, eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.*

Quod Reges ſpectat Idumæorum octo illi a *Moyſe* recenſiti regnare potuerant ab *Eſau* ad ipſius *Moyſis* tempora, & Principes ſive Duces ab eodem nominati, varias Idumææ Provincias poſtmodum inter ſe dividere poſt mortem *Hadar* Regum Idumæorum poſtremi, ut dicitur 1. *Paralipomenon* Cap. 1. v. 51. Poſſunt etiam hæc verba antequam, *haberent Regem filii Iſrael*, ad *Moyſem* referri, qui Rex dicitur *Deuteronomii* 33. V. 5, ubi enim præmiſit: *Legem præcepit nobis Moyſes, hæreditatem multitudinis Jacob*: ſubdit, *Erit apud rectiſſimum Rex, congregatis Principibus Populi cum Tribubus Iſrael*. Sic Philo Judæus *Moyſen Regem* appellat: Sic Judex nomine Regis ſignificatur, Judicum 17. 6. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael*. Octo itaque Reges in Idumæa regnaſſe *Moyſes* verbis prædictis ſignificat, antequam Iſraelitæ in Ægypto egreſſi in unius Reipublicæ corpus adunarentur. Suis vero temporibus formam regiminis apud Idumæos, volente Deo, a Regno in Ducatum fuiſſe mutatam, ob inclementiam *Hadar* Regum poſtremi, qui tranſitum Iſraelitis negavit.

Ad tertiam objectionis partem reſpondetur, illis *Deuteronomii* verbis non ſignificari, quod Idumæi Horræos e Monte Seir expulerint, ſicut Iſraelitæ Idumæos ipſos poſtea ex eodem Monte exterminarunt, ſed ſolum quod Idumæi in eo Monte habitarunt ejectis Horræis, ſicut Iſraelitæ *In Terra poſſeſſionis ſuæ*. Quæ verba ad univerſam Terram promiſſam referre minime neceſſe eſt, ſed ad Terram duorum Regum Og & *Sehon*, quorum Regna Iſraelitæ, Amorrhæis, & Baſanitis debellatis, jam occupaverant, cum hæc ſcriberentur. Jam enim Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia pars Manaſſæorum illis regionibus potiebantur. Hinc *Arias Montanus* vertit: *Sicut fecit Iſrael nonnullis in poſſeſſionibus, quas dedit eis Deus*. Id *Moyſes* ipſe confirmat, Deuteronomii 3. *Terramque poſſedimus tempore illo ab Aroer, quæ eſt ſuper ripam Torrentis Arnon, uſque ad mediam partem Montis Galaad; & Civitates illius dedi Ruben & Gad. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan Regni Og, tradidi mediæ Tribui Manaſſe, omnem regionem Argob*, &c. Vel, ſi ad univerſam Terram promiſſam prædicta verba referre placeat, dicendum, *Moyſen* Spiritu Prophetico enuntiaſſe rem proxime futuram verbo præteriti temporis, propter certitudinem eventus. Vel, *fecit*, idem ſignificat; ac *facere decrevit*.

Objiciunt octavo, Auctorem Pentateuchi Libros laudare a *Moyſe* ſcriptos, nempe *Librum Fœderis*, & *Librum bellorum Dei*, & *Librum Legis Dei*, Exodi 24. 4. 7. Numer. 21. 14. Deuteronomii 31. 9. Pentateuchus igitur ex Libris *Moyſis* poſt ipſius obitum ſcriptus videtur.

Reſpondetur, *Moyſen* Libros a ſe editos, quaſi alienos citare potuiſſe, ſicut res a ſe geſtas, velut ex aliena perſona, non ex propria narravit. Non ſequeretur ergo *Moyſen* Pentateuchi Auctorem non eſſe, quamvis Libri illi in Pentateucho memorati a *Moyſe* ſcripti eſſent. At incertum eſt, quiſnam Liber fuerit bellorum Domini, & a quo editus. Veriſimilius eſt nullum fuiſſe *Moyſe* tempore huiuſmodi Librum. Vox enim *Sepher*, pro qua Vulgatus interpres Librum reddidit, relationem & narrationem æque ſignificat, & ita ſumitur *Geneſ.* 5. v. 1. Verba ergo illa Numerorum 21. *Unde dicitur in Libro Bellorum Domini*, &c. hunc ſenſum habent: Cum Bella Domini narrantur, victoriæ quoque Amorrhæorum contra Moabitas celebrantur. Notant etiam Viri Eruditi, Vocem Hebraicam, pro qua Vulgatus Interpres vertit, *dicitur*, eſſe verbum futuri temporis, & ita reddendum eſſe, *Dicetur in Libro Bellorum Domini*. Ita obſervat inter alios *Malvenda* noſter. Suſpicatur *S. Auguſtinus Quæſtione* 42. *in Numeros*, His verbis Librum aliquem Chaldæorum vel Ægyptiorum deſignari, qui *Bellorum Domini* appellatur, quod de Bellis maximis & celeberrimis ageret. Hunc autem Librum, licet profanum & apocryphum, *Moyſen* citaſſe, ſicut Apoſtolus aliqua ex „ profanis Auctoribus laudavit: In quo Libro, in„ quit, hoc ſcriptum ſit, non commemoravit. ne„ que ullus eſt in his, quos divinæ Scripturæ ca„ nonicos appellamus, De talibus occaſiones repe„ riuntur, qui Libros apocryphos incautorum auri„ bus & curioſorum conantur inſerere ad perſua„ dendas fabuloſas impietates. Sed hic dictum eſt „ ſcriptum in Libro, non dictum eſt in cujus Pro„ phetæ vel Patriarchæ Sancto Libro. Neque negan„ dum eſt fuiſſe jam Libros ſive Chaldæorum, unde „ egreſſus eſt Abraham, ſive Ægyptiorum, ubi didi„ cerat Moyſes omnem illorum ſapientiam, ſive cu„ juſque Gentis alterius, in quorum Librorum aliquo „ potuit hoc eſſe ſcriptum; Qui tamen non ideo ſit aſ„ ſumendus in eas Scripturas, quibus divina commen„ datur Auctoritas, ſicut nec Propheta ille Cretenſis, „ cujus mentionem facit Apoſtolus; nec Græcorum „ Scriptores vel Philoſophi vel Poetæ, quos idem ipſe „ Apoſtolus magnum ſane aliquid & veraciter prom„ ptum ad Athenienſes loquens dixiſſe confirmat: „ *In illo enim vivimus, & movemur, & ſumus*. Li„ cet enim divinæ Auctoritati, unde voluerit, quod „ verum invenerit, teſtimonium ſumere; ſed non

ideo

,, ideo omnia quæ ibi ſcripta ſunt, accipienda con-
,, firmat. Cur autem hoc iſto commemoratum ſit lo-
,, co, non evidenter apparet, niſi forte ut fines il-
,, lic inter duas gentes conſtituerentur, bello actum
,, eſt, quod bellum ejuſdem loci homines propter
,, magnitudinem, Bellum Domini eſſe dixerunt, ut
,, ſcriberetur in aliquo eorum Libro, *Bellum Domini*
,, *Zoob inflammavit:* Quod vel arſerit eodem Bello
,, iſta Civitas, aut ad pugnandum inflammata ſit,
,, hoc eſt excitata, vel ſi quid aliud in obſcuritate
,, loci hujus latet. Liber *Fœderis*, & Liber *Legis*,
,, non alii ſunt ab Exodo vel Deuteronomio. *Exodi*
,, 24. Venit ergo Moyſes, & narravit plebi omnia
,, verba Domini atque judicia: Reſponditque omnis
,, Populus una voce: Omnia verba Domini, quæ
,, locutus eſt, faciemus. Scripſit autem Moyſes u-
,, niverſos ſermones Domini.... Aſſumenſque vo-
,, lumen Fœderis legit audiente Populo; qui dixe-
,, runt: Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus,
,, & erimus obedientes. Ille vero ſumptum ſangui-
,, nem reſperſit in Populum, & ait: Hic eſt ſanguis
,, fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum ſuper
,, cunctis ſermonibus his. *Deuteronomii* 31. 9. Scripſit
,, itaque Moyſes Legem hanc, & tradidit eam Sacer-
,, dotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fœderis
,, Domini, & cunctis Senioribus Iſrael. Et *Cap.* 29.
,, 21. Et conſumat eum in perditionem ex omnibus
,, Tribubus Iſrael, juxta maledictiones, quæ in Li-
,, bro Legis hujus ac Fœderis continentur.

Obiiciunt nono, *Moyſis* mortem, ſepulturam, & Hebræorum luctum, ultimo *Deuteronomii* Capite narrari; Adeoque hunc librum ab ipſo *Moyſe* ſcriptum non eſſe.

Reſpondetur, Ea quæ *Moyſis* obitum ſpectant, & quæ reliquo capite continentur, vel ab *Eleazaro* vel a *Joſue*, vel ab *Eſdra* ſcripta videri, & cum principio Libri *Joſue* cohærere. Sed propterea *Deuteronomium* claudunt, quia ibi convenientius erat abſolvi, quæ *Moyſem* ſpectabant, univerſa. Vel ab ipſo *Moyſe* prophetice ſcripta ſunt, ut ſenſerunt non abſurde *Joſephus* Libro 4. *Antiquitatum* Cap. ultimo, & *Philo* Libro 3. *De Vita Moyſis*, quorum teſtimonia Diſſertatione ſuperiori laudata ſunt, necnon *Maimonides* in Tract. *De Precib. & Ben. Suc. c.* 13.

Obiiciunt decimo, *Moyſem* Leges duntaxat, quæ in Pentateucho leguntur, Judæis tradidiſſe: Hiſtoriam vero a publicis Scribis in literas relatam. Scribas ſcilicet ac Hiſtoricos, ab Iſraeliticæ Reipublicæ natalibus, ſcribendis Diariis & Annalibus deſtinatos fuiſſe ſupponunt: Sicut apud Ægyptios erant publici hujuſmodi Scribæ, qui res memoria dignas in tabulas referrent. Scribas illos divino Spiritu afflatos, & Prophetiæ dono inſignes fuiſſe. Librorum Sacrorum plurimos a Scribis illis divinitus inſpiratis ex antiquioribus Diariis & Annalibus fuiſſe deſcriptos, ut de Libris Regum cenſet *Theodoretus* in Præfatione, & *Quæſtione* 4. in Librum ſecundum. Pentateuchum itaque ſimili ratione ex veterum Scribarum Diariis & Annalibus ab aliquo Spiritu Dei afflato homine compendioſe expreſſum ac digeſtum fuiſſe.

Reſpondetur, Ut ut ſe res habeat de nonnullis Scripturæ Sacræ Libris, ſcilicet Libris Regum, Paralipomenon, & Machabæorum, hanc hypotheſim de *Pentateucho* a Scribis publicis ſive Prophetis aliis a Moyſe ſcripto, nulla ratione probari, nulla ponderis alicujus conjectura fulciri, adeoque ſe ipſa ruere. Nullam publicorum hujuſmodi Scribarum in tota Lege mentionem fieri. Expreſſis ac diſertis Scripturæ Sacræ teſtimoniis, quæ *Moyſi* ceu vero ac legitimo parenti Pentateuchum aſſerunt, inanes conjecturas temere opponi. Quæcumque publici illi Scribæ tametſi Prophetiæ dono inſignes, memoria digna in tabulas referrent, non propterea canonicæ auctoritatis extitura, quod Diaria & Annales non ſcriberent ut Prophetæ, ſed ut Hiſtorici, ut *S. Auguſtino* viſum eſt Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 38. *Quandoquidem*, inquit, *in ipſa Hiſtoria Regum Juda, & Regum Iſrael, quæ res geſtas continet, de quibus eidem Scripturæ Canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in Libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ ſcripſerant, & alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur, nec tamen inveniuntur in Canone, quem recepit Populus Dei. Cujus rei fateor, cauſa me latet, niſi quod exiſtimo, etiam ipſos, quibus ea quæ in auctoritate Religionis eſſe deberent, Sanctus utique Spiritus revelabat, alia ſicut homines Hiſtorica diligentia, alia ſicut Prophetas inſpiratione divina ſcribere potuiſſe; atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta vero tanquam Deo per ipſos loquenti, judicarentur eſſe tribuenda; ac ſic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad Religionis Auctoritatem: In qua Auctoritate cuſtoditur Canon.* Scribit quidem *Joſephus Libro* 1. *Contra Apionem*, Sacros Libros conſcribendi poteſtatem omnibus in Hebræorum Republica datam non fuiſſe, *ſed ſolummodo Prophetis, antiquiſſima quidem & vetuſtiſſima ſecundum inſpirationem factam a Deo cognoſcentibus, alia vero ſuorum temporum, ſicuti ſunt facta, palam conſcribentibus*. Quod & *Euſebii* auctoritate confirmatur. Verum Prophetas illos, de quibus *Joſephus* & *Euſebius* loquuntur, fuiſſe alios a *Moyſe* cæteriſque Librorum ſacrorum Auctoribus, uſque ad *Artaxerxis* tempora, nemo probabit.

Quæres, Quo tempore *Moyſes* Pentateuchum ſcripſerit?

Reſpondetur, Scriptum videri poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto, & Legem datam. Geneſis enim ſecundo capite iis verbis loquitur de ſanctificatione Sabbati, & capitibus ſeptimo & octavo de pecudibus & volucribus mundis, ut ad Legem ipſum his in locis alluſiſſe manifeſtum ſit. *Theodoreti* auctoritate hæc ſententia firmatur Quæſtione 1. in Geneſim. *Divinus*, inquit, *Moyſes a Deo omnium miſſus in Ægyptum, juſſus eſt dicere tribulibus ſuis:* Qui eſt, miſit me ad vos. *Iſtud autem*, Qui eſt, *æternitatem ſignificat. Conſtat porro ſtudioſis, illa prius quam hæc eſſe dicta. Illam enim diſciplinam eis Ægyptum adhuc incolentibus exhibuit, hæc autem componebat in Deſerto.* Addunt aliqui, Hebræos tempore Ægyptiacæ ſervitutis literarum alphabeticarum omnino rudes fuiſſe, ſi vera ſunt quæ *S. Auguſtinus* ſcribit Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 39. *Moſes*, inquit, *cum eſſet in Deſerto una cum Hebræorum multitudine, in Populo Dei conſtituit, qui docendis Literis præeſſent, priuſquam divinæ Legis ullas literas neſcirent.* Ipſis ergo ante exitum ex Ægypto Libros ſacros non ſcripſit. Verum, ut ingenue fatear, parum probabilis videtur illa ſententia, quæ univerſam Hebræorum Gentem ante exitum ex Ægypto literarum alphabeticarum rudem omnino fuiſſe aſſerit, legendique & ſcribendi patria lingua & characteribus penitus imperitam. Et aliunde Librum *Job* a *Moyſe* ſcriptum fuiſſe tempore Ægyptiacæ ſervitutis, ut Populum Dei in graviſſimis laboribus & afflictione propoſito heroicæ patientiæ exemplo ſolaretur, probabilius eſt, & eruditorum virorum cum veterum tum recentiorum ſuffragiis firmatum. Æque ergo Geneſim in Ægypto ſcribere, & Iſraelitis legendam tradere *Moyſes* potuiſſet. Non ſcripſiſſe tamen ante Legem datam cenſemus.

Pererius, *Tena*, & alii contrarium ſentiunt, *Euſebii* auctoritate freti Libro 7. *Præparationis Evangelicæ*, Capite 7. Sed revera nihil aliud ſignificat eo loci *Euſebius*, quam Librum Geneſis prius a *Moyſe* ſcriptum fuiſſe, quam Legem a Deo ſibi traditam in literas referret. Utrumque tamen præſtitit in Deſerto poſt Legem datam. En *Euſebii* verba. *Moſes igitur, eximius ille Theologus, atque ex Hebræis Hebræus ipſe procreatus, cum patriæ Gentis Hiſtoriam accurate, ſi quiſquam alius, teneret, priſcorum Hebræorum Vitas, quas Sacris Legibus, cujuſdam quaſi proœmii loco viam munirent, poſterorum memoriæ commendare voluit, nulla unquam oblivione delendas. Iis porro non ea tantum quæ divinitus acceperant beneficia, verum & nonnullorum præterea, qui omnem cum Divinitate pietatis ſenſum abjecerant, mores, ſimul ac pœnas intexuit; ratus iis, qui Legibus ſuis inſtituendi eſſent, omnino id cognitionis apprime neceſſariam futuram, ut eos & ab improborum imitatione deterreret, & ad conſectanda proborum exempla ſtimularet. Tanti etiam erat, uti eos non lateret, Majorum quidem ſuorum quamplurimos, antequam ab eo ſe ſo Leges ſcripto lata eſſent, recta animi rationis*

Digitized by Google

manum ſecutos, ad ſummam Religionis ac divini cultus tandem perveniſſe, qui quod & divini Numinis amicitia, & Prophetiæ munere præſtitiſſent, immortali apud ſe memoria viverent. Quibus autem Leges præſcriberet, eos cum Antiquioribus illis ipſo generis ac ſanguinis communione conjunctos: Eoque verum eſſe, ut qui hominum Deo cariſſimorum ac virtutis amantiſſimorum Nepotes eſſent, iidem Majorum quoque ſuorum pietatis æmulos ſe atque imitatores exhiberent, atque in beneficiorum ac præmiorum, Patribus a Deo conceſſorum, partem ac ſocietatem venire omni ope ſtudioque contenderent.

DISSERTATIO X.

DE MOYSIS, ET CÆTERORUM Prophetarum Antiquitate.

PROPOSITIO I.

Moyſes omnibus Gentium Philoſophis, Hiſtoricis, & Poetis antiquior: Prophetæ quoque Philoſophis omnibus ætate ſuperiores probantur.

OMnes enim Gentium Scriptores Trojæ excidio recentiores ſunt, *Moyſes* autem multis ſæculis ante Trojæ excidium vixit, ſcripſitque: Philoſophos vero poſteriores *Cyro* Perſarum Rege fuiſſe conſtat, quo regnante *Solon* Athenienſis, & ſeptem Græciæ Sapientes floruerunt. Porro *Cyri* temporibus antiquiores ſunt Prophetæ. Sic *Moyſis* & *Prophetarum* ſupra Scriptores profanos Antiquitatem Patres demonſtrant.

S. *Juſtinus Martyr* in Parænesi: *Itaque*, inquit, *a primo apud nos Propheta & Legiſlatore Moſe incipiam: Ubi prius, quibus ille extiterit temporibus, idoneo omnino a vobis petito teſtimonio expoſuero. Non enim ex divinis tantum Hiſtoriis noſtris hæc probare aggredior, quibus vos nondum, propter inveteratum in animis veſtris Majorum veſtrorum errorem, fidem adhibere vultis: Sed ex veſtrarum etiam, nihil ad Religionem noſtram pertinentium Literarum monumentis: Ut intelligatis, omnibus veſtris ſive Sapientibus, ſive Poetis, ſive Hiſtoricis, ſive Philoſophis, & Legiſlatoribus, multo antiquiorem fuiſſe primum Religionis noſtræ Doctorem Moſen, ſicuti nobis Græcæ declarant Hiſtoriæ. Nam circa Ogygis & Inachi tempora, quos nonnulli veſtrorum hominum terrigenas fuiſſe ſunt opinati, Moyſis illi meminerunt tanquam Ducis & Principis Judaicæ Gentis. Ita enim Polemon in Græcanicarum Rerum primo ſcribit Libro, & Apion Poſidonii in ſuo adverſus Judæos Commentario, Atque is etiam in quarto Hiſtoriarum Libro dicit, Regnante apud Argivos Inacho, ab Ægypti Rege Amaſide ſeceſſiſſe Judæos, quibus Moſes præfuit. Suffragatur omnibus iſtis Ptolemæus Mendeſius qui Res Ægyptias ſcripſit: Tum autem & qui Athenienſium geſta memoriæ mandarunt, Hellanicus & Philocorus, cujus Attici ſunt Libri: Item Caſtor, & Thallus, & Alexander Polyhiſtor: Atque inſuper ſapientiſſimi illi Philo & Joſephus, qui Judaïcas Res ſcripſerunt, ut admodum vetuſti & antiqui Judæorum Principis Moyſis faciunt mentionem. Et qui apud vos Hiſtoricorum omnium illuſtriſſimus eſt Diodorus, qui Bibliothecas in compendium redegit, & triginta totis annis, quemadmodum ipſe ſcriptum reliquit, Aſiam & Europam propter exquiſitam diligentiam peragravit, ſpectatorque rerum plurimarum fuit, quadraginta integris Hiſtoriæ ſuæ editis Libris, poſtquam in primo teſtatus eſt in Ægypto ſe ex Sacerdotibus didiciſſe, priſcum admodum atque adeo primum Legiſlatorem fuiſſe Moyſen, ita de eo verbis hiſce ſcripſit:* Secundum veterem,
„ quæ in Ægypto fuit, vitæ inſtitutionem, quæ
„ fabulis ſub Diis & Heroibus fuiſſe perhibetur,
„ multitudini primum ut ſcriptis Legibus uteretur
„ & viveret, perſuaſiſſe ferunt Moſen, virum &
„ animi magnitudine & vitæ commoditate commen-
„ datiſſimum. *Paululum deinceps progreſſus, ac veterum Legiſlatorum mentionem inferre volens, primi*
„ *Moyſis meminit. Sic namque ad verbum inquit:*
„ Apud Judæos quidem Moſen, Dei nomine cogno-
„ minatum; Sive quod admirandam & plane di-
„ vinam Mentem ejus eſſe homines judicaverint, ma-
„ gno multitudini futuram uſui: Seu quod ad ex-
„ cellentem dignitatem, & virtutem eorum qui Le-
„ ges tuleriſſe dicerentur Plebem reſpicientem, ma-
„ gis in officio parendi fore ſint arbitrati. *Secundum vero Ægyptiam Legiſlatorem fuiſſe ajunt Sasychim* &c. Et infra: *Neceſſarium autem eſſe puto & tempora inquirere, quibus veſtri vivere Philoſophi, ut recens admodum & breve intelligatis eſſe, quod illos vobis tulit tempus: Ita enim facile quoque vobis erit, Moyſis vetuſtatem noſſe. Socrates Platonis, Plato Ariſtotelis fuit Præceptor. Hi autem Philippi, & Alexandri Macedonis floruere temporibus, quibus & Athenienſes Oratores ſicuti clare nobis hoc indicant etiam Demoſthenis adverſus Philippum ſcriptæ Orationes. Undequaque ergo cognitu facile eſt multo antiquiorem eſſe externis Hiſtoriis omnibus Moyſis noſtri Hiſtoriam. Atqui ne hoc quidem vos ignorare decet, nihil quidquam ante Olympiades a Græcis accurate ſcriptum eſſe: Neque extare Scripturam ullam veterem, in quam res aliqua Græcorum vel Barbarorum ſit relata. Sola vero tum & prima Prophetæ Moyſis extitit Hiſtoria, quam afflatu divino ille Hebraicis compoſuit literis. Græcorum enim nondum extabant, pro eo atque ipſi etiam literarum Magiſtri aſſerunt, Cadmum eas primum e Phœnice allatas Græcis tradidiſſe docentes. Quin & Plato ipſe Philoſophorum princeps poſterius inventas eſſe teſtatur. Inducit enim in Timæo Sapientum Sapientiſſimum Solonem, ex Ægypto reverſum, Critiæ dicentem, audiſſe ſe Ægyptium quemdam Sacerdotem, non*
„ *admodum ſenem ita ſecum agentem:* O Solon, So-
„ lon vos Græci pueri ſemper eſtis. Neque quiſ-
„ quam eſt Græcus Senex. *Deinde rurſum;* Adole-
„ ſcentes, *inquit*, animo eſtis omnes: Nullam e-
„ nim in eo per auditionem veterem habetis ſen-
„ tentiam priſcam, neque aliquam propter tempo-
„ ris diuturnitatem canis obſitam doctrinam: Nec
„ animadvertitis eos, qui ſubinde a caſibus fatali-
„ bus ſunt ſuperſtites, ætatibus multis ſine literis
„ mutos diem ſuum obire. *Proinde ſcire convenit, omnem Hiſtoriam & doctrinam Græcorum poſterius inventis eorum literis eſſe conſcriptam: At ſi quis vel Poetarum veterum, vel Legiſlatorum, vel Hiſtoricorum, vel Philoſophorum, vel Oratorum meminiſſe velit: Comperiet tamen illos Libros ſuos Græcorum compoſuiſſe literis.*

Idem Apologiam 2. *Moſes Propheta Scriptoribus omnibus fuit vetuſtior.*

Tertullianus Apologetici capite decimo nono: *Primam*, inquit, *Inſtrumentis auctoritatem ſumma antiquitas vindicat. Apud vos quoque Religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere. Omnes itaque ſubſtantias, omneſque materias, origines, ordines, venas veterani cujuſque ſtyli veſtri, Gentes etiam pleraſque & Urbes inſignes, canas memoriarum, ipſas denique effigies literarum indices cuſtodeſque rerum, & puto adhuc minus dicimus, ipſos inquam, Deos veſtros, ipſa Templa, & Oracula, & Sacra; unius interim Prophetæ ſcrinium ſæculis vincit, in quo videtur theſaurus collocatus totius Judaici Sacramenti, & inde etiam noſtri. Si quem audiſtis interim Moyſem, Argivo Inacho pariter ætate eſt. Quadringentis pene annis, nam & ſeptem minus Danaum & ipſum apud vos vetuſtiſſimum prævenit, mille circiter cladem Priami antecedit. Poſſem etiam dicere quingentis amplius & Homerum, habens quos ſequar. Cæteri quoque Prophetæ, etſi Moyſi poſthumant, extremiſſimi tamen eorum non retroſiores deprehendantur primoribus veſtris Sapientibus & Legiferis, & Hiſtoricis. Hæc quibus ordinibus probari poſſint, non tam difficile eſt nobis exponere, quam enorme: nec arduum, ſed interim longum. Multis inſtrumentis cum digitorum ſupputariis geſticulis adſidendum eſt. Reſeranda antiquiſſimarum etiam Gentium Archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum. Advocandi Municipes eorum, per quos notitia ſubminiſtrata eſt, aliqui Manethon Ægyptius, & Beroſus Chaldæus, ſed & Iromus Phœnix Tyri Rex; Sectatores quoque eorum*

rum, Mideſint Ptolemaus, & Menander Epheſius, & Demetrius Phalereus, & Rex Juba, & Appion, & Thallus, & qui iſtos aut probat aut revincit Judaus Joſephus Antiquitatum Judaicarum vernaculus Vindex; Gracorum etiam Cenſuales inſerendi, & qua quando ſint geſta, ut concatenationes temporum aperiantur, per qua lucrant Annalium numeri. Peregrinandum eſt in hiſtorias & literas orbis. Et tamen quaſi partem jam probationis intulimus, cum per qua probari poſſint, aſperſimus.

Tatianus Oratione adverſus Gentes, ab *Euſebio* laudatus Libro 10. *Praparationis Evangelica*, Cap. 11.
,, Jam, inquit, agendum nobis id videtur, ut no-
,, ſtram quoque Philoſophiam exquiſitis illis Græ-
,, corum Artibus antiquiorem eſſe demonſtremus.
,, Qua in re Moſem & Homerum ſummos veluti car-
,, dines terminoſque ſtatuemus. Cum enim ſit uter-
,, que vetuſtiſſimus, & alter quidem Poetas & Hi-
,, ſtoricos omnes tempore antecedat, alter vero bar-
,, baræ omnis Sapientiæ Dux Princepſque fuerit:
,, Juvat etiam amborum contentionem inſtituere. E-
,, nimvero non doctrina modo Græcorum, ſed ipſa
,, quoque literarum inventione res noſtras priores
,, eſſe cognoſcemus. Neque tamen domeſticos eam
,, in rem teſtes dabimus, ſed Græcorum ipſorum au-
,, ctoritate abutemur... Ac de Homeri quidem Poeſi,
,, genereque ſimul, ac tempore quo floruerit omni-
,, um antiquiſſimi Rheginus ille Theagenes, qui ſub
,, Cambyſe vixit, Steſymbrotus Thaſius, Callima-
,, chus Colophonius, Herodotus Halicarnaſſenſis, &
,, Dionyſius Olynthius jam diligenter ante quæſie-
,, runt. Quibus eadem in opera ſucceſſere Ephorus
,, Cumæus, Philochorus Athenienſis, Megaclides &
,, Chamelon Peripatetici: Tum Zenodotus, Ariſto-
,, phanes, Callimachus, Crates, Eratoſthenes, Ari-
,, ſtarchus, Apollodorus, Grammatici omnes. Quos
,, inter Crates ipſum ante Heraclidarum reditum,
,, intra annos a Trojanis temporibus octoginta flo-
,, ruiſſe auctor eſt. Eratoſthenes vero nonniſi poſt an-
,, num ab Excidio Trojano centeſimum, Ariſtarcus
,, Jonicæ tantum Coloniæ temporibus, quæ annis
,, poſt Trojana illa centum & quadraginta, dedu-
,, cta eſt. Phylochorus poſt eandem Coloniam qua-
,, draginta. Archonte Athenis Arxippo, annis poſt
,, everſam Trojam centum & octoginta. Apollodo-
,, rus annis ab iſta Colonia centum, quo modo Tro-
,, janis eum temporibus juniorem fuiſſe oporteret,
,, annis quadraginta ſupra ducentos. Nec deſunt,
,, qui paulo ante Olympiadas natum illum eſſe ve-
,, lint, hoc eſt, annis ab expugnata Troja quadrin-
,, gentis. Imo ſunt etiam qui longe recentiorem,
,, & Archilochi æqualem eum faciant: Archilocus
,, autem circa Olympiadem tertiam ac vigeſimam ce-
,, lebratus eſt, Gygæ Lydi temporibus, annis poſt
,, Trojana illa quingentis. Ac de Homeri quidem
,, ætate, deque eorum, qui res ipſius memoriæ pro-
,, diderunt, contentione atque diſſidio, hæc ſum-
,, matim attigiſſe ſufficiat, cum alioqui rem accu-
,, rate, ſi liberet, inveſtigare poſſemus. Nam vel
,, ex eo quivis iſtorum omnium narrationes vani-
,, tatis mendaciique convincat. Qui enim ſemel in
,, temporum deſcriptione titubarit, is nunquam Hi-
,, ſtoriæ veritatem retinere poſſit.... At eſto ſane,
,, demus Homerum non modo non everſione Trojana
,, poſteriorem, ſed etiam ipſomet Belli Trojani tempo-
,, re vixiſſe, etiam Agamemnonem in illa Expeditione
,, ſecutum, ac ſi quis ita velit, ipſa literarum in-
,, ventione priorem fuiſſe: Moſem enim certo con-
,, ſtabit, non ſolum permultis annis captum illum
,, anteceſſiſſe, verum etiam ejuſdem conditu adeoque
,, Troe ſimul & Dardano longe antiquiorem extitiſ-
,, ſe. Quam in rem Chaldæorum, Phœnicum, Æ-
,, gyptiorum teſtimonia proferam. Beroſus ergo vir
,, Babylonius, idemque Beli, quod ipſorum Nomen
,, erat, Sacerdos, qui Alexandri temporibus vive-
,, bat, in ea quam tribus Libris Antiocho poſt Se-
,, leucum tertio, ſcripſit Chaldæorum Hiſtoria, ubi
,, Regum ipſorum geſta commemorat, Nabuchodo-
,, noſoris cujuſdam meminit, qui adverſus Phœnicas
,, & Judæos Expeditionem ſuſceperit, quam a Pro-
,, phetis quoque noſtris celebratam eſſe novimus,
,, quæque cum longe poſt Moyſen contigerit, tum
,, vero Perſarum Imperium annis ſeptuaginta præ-
,, ceſſerit. Beroſus ille quidem omni fide digniſſi-
,, mus eſt, uti vel ex Jobæ teſtimonio intelligere
,, poſſumus, qui de Aſſyriis ſcribens, illorum ſe ſe
,, Hiſtoriam ex Beroſo didiciſſe profitetur. Phœni-
,, ces vero quod attinet; tres apud eos viri floruere,
,, Theodotus, Hypſicrates, & Mochus, quorum
,, Libros Græce vertit Aſitus, is qui Philoſopho-
,, rum Vitam ſumma diligentia ſtudioque conſcripſit.
,, Qui quidem omnes ſuis in Hiſtoriis, ſub uno ali-
,, quo Rege ſimul & Europæ raptum, & Menelai pro-
,, fectionem in Phœniciam, & Irami fœdus ac ſo-
,, cietatem contigiſſe tradunt, cum is Salomoni Ju-
,, dæorum Regi filia jam matrimonio conjuncta, vim
,, inſuper omnis lignorum generis maximam ad Tem-
,, plum ædificandum ſponte donavit: Quarum etiam
,, rerum Menander ille Pergamenus ſuis memoriam
,, Scriptis conſignavit. Jam Irami tempora non lon-
,, ge a Trojanis abſunt, cum tamen Salomon ejuſ-
,, dem æqualis multo fuerit Moyſe poſterior. Æ-
,, gyptiorum denique Commentarii accurate in pri-
,, mis ac diligenter elaborati ſunt, quorum e nu-
,, mero literarum ſuarum Interpres Ptolemæus fuit,
,, non Rex ille quidem, ſed Sacerdos Mendetus. Is
,, in Regum Ægyptiorum Hiſtoria, ſub Amoſe Rege,
,, Duceque Moſe, Judæos quocumque libitum fuiſ-
,, ſet, ex Ægypto profectos teſtatur. Amoſim autem
,, illum Inachi temporibus regnaſſe conſtat. Ptole-
,, mæum ſequitur Apio Grammaticus, clariſſimi vir
,, nominis, qui Libro Ægyptiacarum Hiſtoriarum
,, quarto, cum alia pleraque, tum hoc in primis
,, docet, ab Amoſi everſam Avarim fuiſſe, eum-
,, demque Argivi Inachi vixiſſe temporibus, uti Pto-
,, lemæus Mendeſius ſuis in Annalibus teſtatum re-
,, liquit. Quod ſi ab Inacho ad captum Ilium tem-
,, porum ſeriem ducere volueris, ætates viginti nu-
,, merabis. Id ita demonſtrare pergit.

,, Argis olim regnarunt, qui ſequuntur, Inachus
,, Phoroneus, Apis, Argius, Griaſus, Phorbas, Trio-
,, pas, Crotopus, Stenelaus, Danaus, Lincæus, Abas,
,, Proetus, Acriſius, Perſeus, Euryſtæus, Atreus,
,, Thyeſtes, Agamemnon cujus anno decimo octavo
,, Troja capta eſt. Atque hic prudenti & genioſo
,, lectori diligenter in primis obſervandum erit, vel
,, ex ipſa Græcorum hominum traditione conſtare
,, nullam tum apud illos perſcriptam adhuc Hiſto-
,, riam fuiſſe. Nam qui literarum formam ipſis & ra-
,, tionem tradidit Cadmus, nonniſi multis poſt æta-
,, tibus pervenit in Bœotiam. Poſt Inachum vero Pho-
,, ronei ductu atque auſpiciis homines ab ferino vago-
,, que vitæ genere ad humaniorem ac liberaliorem
,, cultum vix tandem aliquando traducti ſunt. Qua-
,, re ſi Moſem Inacho æqualem fuiſſe habebimus,
,, idem Trojana tempora quadringentis annis ante-
,, ceſſerit neceſſe eſt.

,, Ex his colligit Tatianus: Si clariſſima quæque
,, Græcorum ſub Inachi tempus & Scriptis mandari
,, & in hominum cognitione verſari cœpere, id i-
,, pſum pariter ſub Moſis ætatem contigiſſe. Nam
,, Phoroneo, qui poſt Inachum regnavit, ſupparem
,, Athenienſes Ogygem faciunt, ſub quo primum di-
,, luvium accidit: Tum Phorbanti Actæum, a quo
,, Attica Actææ nomen habuerit; Triopæ deinde,
,, Prometæum, Epimetheum, Atlantem, geminum
,, Cecropem, & Jo. Ad Crotopi ævum, & Phae-
,, tontis incendium, & Deucalionis diluvium refe-
,, runt. Cum Sthenelao, Amphictionis Regnum, Da-
,, nai in Peloponneſum adventum, conditam a Dar-
,, dano Dardaniam, & Europæ ex Phœnicia depor-
,, tationem in Cretam, temporis ſocietate conjun-
,, gunt. Sub Lynceo, Proſerpinæ raptum, Eleuſinii
,, delubri ædificationem, agriculturam Triptolemi,
,, Cadmi Thebanam in Civitatem adventum, & Mi-
,, nois Regnum collocant. Ad Proetum Eumolpi
,, Bellum adverſus Athenienſes: ad Acriſium Pelo-
,, pis trajectionem ex Phrygia, Jonis Athenas ad-
,, ventum, Cecropem alterum Juniorem, Perſeique
,, res geſtas revocant. Poſtremo regnante Agame-
,, mnone captum eſt Ilium. Ergo ex ſuperioribus,
,, Moſem Heroibus, Civitatibus, ac Dæmonibus i-
,, pſis (ſeu Diis Gentium) antiquiorem fuiſſe mani-
,, feſto intelligitur. Verius autem profecto eſt homi-

,, ni ætate pluſimum antegreſſo ſidem babere, quam
,, Græcis, qui ejus dogmata ut ex ipſomet fonte
,, hauſerins, minus tamen veræ ſcientiæ ductum ſe-
,, cuti ſuns. Sophiſtas enim permultos habuere, qui
,, curioſitati ſuæ obſecuti, quæcumque vel a Moſe
,, vel ab ſimilis Philoſophiæ Profeſſoribus acceperant
,, adulterare omnia conati ſunt: Primum ut ſingu-
,, lare aliquid ac proprium dicere viderentur: De-
,, inde ut quæ minus aſſequerentur, ea commentitiæ
,, dictionis ſpecie involvendo, fabularum inſtar veri-
,, tatem ipſam traducerent.

,, Oſtendit ſubinde Tatianus, non Homero ſolum
,, antiquiorem fuiſſe Moyſen, verum etiam vetuſtio-
,, ribus Homero Scriptoribus, Lino, Philammone,
,, Thamyride, Amphione, Orphæo, Muſæo, Dæmo-
,, doco, Femio, Sybilla, Epimenide Cretenſi, qui
,, Spartam migravit, Ariſtæo Proeconneſio, Ari-
,, maſpiorum Auctore, Asbolo Centauro, Iſatide,
,, Drymone, Euclo Cyprio, Oro Samio, & Protæ-
,, nide Atbenienſi. Linus enim Herculis Magiſter
,, fuit, Hercules vero Trojana tempora ætate dum-
,, taxat una anteceſſit, ut vel ex eo intelligi po-
,, teſt, quod Tlepolemus Herculis filius Græcorum
,, adverſus Trojanos Expeditionis ſocius fuerit. Ejuſ-
,, dem Herculis Orphæus æqualis fuit: Tametſi quæ
,, vulgo ipſi tribuuntur, ab Onomacrito Athenienſi,
,, qui ſub Piſiſtratidarum dominatu, circa Olympia-
,, dem quadrageſimam vixit, conſcripta ferant. Or-
,, phæi porro diſcipulus Muſæus fuit. At Amphion
,, qui duabus Trojana ætatibus antegreſſus eſt. plu-
,, res a nobis ad priores illos doctrinæ ſtudioſos ad-
,, jungi non patitur. Jam Demodocus & Femius ſub
,, ipſum Trojani Belli tempus extitere, cum alter
,, apud Procos. apud Phæacas alter verſaretur. Quo
,, utroque Thamyris ac Philammon haud multo an-
,, tiquiores fuere.

Legiſlatores denique, ac Septem Sapientes Græcorum, poſteriores fuiſſe Trojæ Excidio, adeoque & *Moyſe* juniores *Tatianus ſic oſtendit. Minos, quem omnis cum ſapientia, tum ſolertia, adeoque Legum ſanctionis Principem fuiſſe putant, Lynceo, qui Danao ſucceſſit, regnante florebat, ætate poſt Inachum undecima. Lycurgus vero, longe poſt captum Ilium, annis ante Olympiades haud amplius centum, Lacedæmonios Legibus inſtituit. Draconem circa Olympiadem nonam ſupra trigeſimam fuiſſe reperies. Solonem vero circa ſextam & quadrageſimam; Pythagoram denique circa ſexageſimam ſecundam. Olympiades autem annis ſeptem ſupra quadringentos poſt Trojana tempora inſtitutas fuiſſe oſtendimus. Hic certo conſtitutis, ſeptem quoque Sapientum ætatem facile breviterque definiemus. Nam cum vetuſtiſſimum eorum Thaletem, circa Olympiadem quinquageſimam vixiſſe conſtet, ſimul etiam uno quaſi compendio caterarum, quos ille ſuppares habuit, ætatem colligimus.*

Tatiani veſtigia ſectatur *Clemens Alexandrinus*, Lib. 1. *Stromatum*, colligitque *Moſem Græcis illis non Sapientibus tantum ac Poetis, verum etiam pleriſque Numinibus antiquiorem fuiſſe.* Non ſolum *Tatianum* in Oratione adverſus Græcos, ſed & *Caſſianum* in primo Pontificalium, *Clemens Alexandrinus* ſuffragatores laudat. *Clementis* locum deſcripſit *Euſebius* Libro 10. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 12.

Julius Africanus Libro 3. *Chronographiæ* probat *Moſem* eduxiſſe Populum Iſrael ex Ægypto temporibus *Ogygis*, regnante Argis *Phoroneo*, a quo ad primam Olympiadem anni viginti ſupra mille numerantur. Ab exitu vero *Moſis*, ad *Cyrum* anni mille ducenti triginta ſeptem. Quam Chronologiam ex Polemone, Apione Poſidonii filio, Herodoto, Hellanico, & Philochoro, Caſtore, & Thallo, Diodoro Siculo, & Alexandro Polyhiſtore confirmat. Colligitque, *Quicquid paulo rarius Græci fabulantur, id omne Moſe poſteriùs inveniri, diluvia, incendia, Prometheum, Jo, Europam, Proſerpinæ raptum, Myſteria, Legum ſanctiones, Bacchi geſta, Perſeum, Argonautas, Centauros, Minotaurum, res Trojanas, Herculis certamina, Heraclidarum reditum, Jonum migrationem, & Olympiadas.* Locum Julii Africani deſcripſit *Euſebius* Lib. 10. *Præparat. Evang.* Capite 10.

Lactantius Libro quarto *Divinarum Inſtitutionum*, Capite 5. de *Moyſis* & Prophetarum antiquitate ita
,, ſcribit: Ante omnia, qui veritatem ſtudet com-
,, prehendere, non modo intelligendis Prophetarum
,, vocibus animum debet intendere: ſed etiam tem-
,, pora, per quæ quiſque illorum fuerit, diligen-
,, tiſſime inquirere; ut ſciat & quæ futura prædi-
,, xerint, & poſt quot annos prædicta completa ſint.
,, Nec difficultas in his colligendis ineſt ulla: Te-
,, ſtati ſunt enim ſub quo quiſque Rege divini Spi-
,, ritus fuerit paſſus inſtinctum. Multique Scripto-
,, res Libros de temporibus ediderunt, initium fa-
,, cientes a Propheta Moyſe, qui Trojanum Bellum
,, nongentis fere annis anteceſſit. Is autem cum per
,, annos quadraginta Populum rexiſſet, ſucceſſorem
,, habuit Joſue, qui ſeptem & viginti annis tenuit
,, Principatum. Exinde ſub Judicibus fuerunt per
,, annos trecentos ſeptuaginta: Tum mutato ſtatu,
,, Reges habere cœperunt: Quibus Imperium tenen-
,, tibus per annos quadringentos ſeptuaginta uſque
,, ad Sedeciæ Regnum, oppugnati a Rege Babylo-
,, nio, captique Judæi, diuturnum ſervitium per-
,, tulerunt, donec ſeptuageſimo poſt anno eos Cy-
,, rus Major terris ac ſedibus ſuis redderet, qui per
,, idem tempus in Perſas ſuſcepit Imperium, quo Romæ
,, Tarquinius Superbus. Quare cum omnis temporum
,, ſeries & ex Judaicis & ex Græcis, Romaniſque
,, Hiſtoriis colligitur, etiam ſingulorum Propheta-
,, rum tempora colligi poſſunt, quorum ſane ulti-
,, mus Zacharias fuit, quem conſtat ſub Dario Re-
,, ge, ſecundo anno Regni ejus, octavo menſe ceci-
,, niſſe. Adeo antiquiores etiam Græcis Scripto-
,, ribus Prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eo pro-
,, fero, ut errorem ſuum ſentiant, qui Scripturam
,, Sacram coarguere nituntur tanquam novam & re-
,, cens fictam, ignorantes ex quo fonte Sanctæ Re-
,, ligionis origo manaverit. Quod ſi quis collectis
,, perſpectiſque temporibus, fundamentum doctrinæ
,, ſalubriter jecerit, & veritatem penitus compre-
,, hendet, & errorem cognita veritate deponet.

Euſebius Cæſarienſis Propoſitionem noſtram confirmat Libro 10. *Præparationis Evangelicæ*, Capite 9. *Prima*, inquit, *Græcorum Olympias cum Iſaia, & ipſius æqualibus congruit. Rurſus qui ad ſuperiora tempora recurrere voluerit, is ab Olympiade prima ad captam uſque Trojam annorum ſummam conficiet octo ſupra quadringentos, quem numerum Chronologici Græcorum Commentarii repræſentant. Similiter apud Hebræos ab Ozia Judæorum Rege quinquageſimo, ſi gradum ad Labdonis Hebræi quondam Judicis tertium fecerit, æqualem annorum quadringentorum & octo numerum colliget. Atqui ita ſub Labdonis Judicis tempore, captum Ilium fuerit ſeptem annis antequam Samſon Hebræis imperaret, quem viribus corporis nihil non ſuperaſſe, adeoque omnium ore jactato Græcorum Herculi perſimilem fuiſſe tradunt. Quod ſi ab illo tempore annos rurſus quadringentos ſurſum verſus numeraveris, Moſem apud Hebræos, apud Græcos Cecropem illum terrigenam reperies; Quo quidem recentiora eſſe quæcumque Græci tantopere celebrant, nemo non fatetur. Non poſt illum Deucalionis diluvium, Phaetontis incendium, ortus Erichthonii, Proſerpinæ raptus, Myſteria Cereris, Eleuſiniorum Inſtitutio, Triptolemi agricultura, Europa ab Jove raptus, natalis Apollinis, Cadmi apud Thebanos adventus, atque his omnibus juniores, Bacchus, Minos, Perſeus, Æſculapius, Caſtor & Pollux, & Hercules extitere. Quos proinde Moſes, cum Cecropis ætate floruerit, ætate omnes anteivit.*

Hanc veritatem *Porphyrii* teſtimonio confirmat *Euſebius*, ejus verba deſcribens ex Libro adverſus Re-
,, ligionem Chriſtianam: Porro, inquit, in ſcribenda
,, Rerum Judaicarum Hiſtoria veritatis amantiſſimus
,, eſt Sanchoniatho ille Berytius, quippe qui Com-
,, mentarios cum eorum ſive locis ſive nominibus ma-
,, xime congruentes, ab Hierombalo Jevo Dei Sa-
,, cerdote acceperit: Qui ſuam Hiſtoriam Abelbalo
,, Berytiorum Regi nuncupatam, cum illi ipſi, cum
,, iis etiam, quibus in explorando vero conſiliariis
,, atque arbitris utebatur, probavit. Quorum ſane
,, tempora Trojanis etiam illis antiquiora ſunt, pa-
,, rumque admodum a Moſis ætate disjuncta, ut ex
,, Phœniciæ Regum ſucceſſione cognoſcitur. Idem
,, autem Sanchoniatho, qui univerſam Hiſtoriam,
,, cum

Digitized by Google

,, cum ex publicis Urbis, tum e ſacris tabulis hau
,, ſtam, ſummo cum veritatis ſtudio Phœnicia lin-
,, gua conſcripſit, Semiramidis Aſſyriorum Reginæ
,, temporibus floruit. Ex his ita ratiocinatur Euſe-
,, bius: Si Sanchoniatho Semiramidis temporibus flo-
,, ruit, Semiramidem vero multo ante Trojana re-
,, gnaſſe conſtat, iiſdem quoque vetuſtior Sanchonia-
,, tho fuerit, neceſſe eſt. Atqui cum ab aliis etiam
,, antiquioribus Commentarios accepiſſe tradunt, qui
,, etiam ipſi Moſis non æquales, ſed vicini tantum
,, fuiſſe dicuntur. Sequitur ergo tanto ſaltem in-
,, tervallo Sanchoniathonem a Moſe ſuperari, quan-
,, to poſterior illis eſt, quos nonniſi Moſis vicinos
,, confitentur. Cæterum, quot annis eoſdem ante-
,, greſſus Moſes fuerit, quod certo definiri nequeat,
,, ommittendum ſtatuo. Quin etiam, ut demus San-
,, choniathonis æqualem omnino fuiſſe Moſem, ſic
,, tamen colligere atque rem conficere liceat. Si
,, regnante in Aſſyria Semiramide Sanchoniatho cla-
,, ruit: Moyſes certe quidem, ut nihil eo vetuſtior
,, fuerit, ſed prorſus æqualis, ſub eiuſdem tamen
,, Semiramidis Imperium vixerit neceſſe eſt. Jam &
,, Abraamum Semiramidis temporibus vixiſſe, antea
,, probavimus, & Moſem ipſum illa vetuſtiorem Phi-
,, loſophus hic noſter fuiſſe confirmat. Trojana ve-
,, ro tempora Semiramis annis integris octingentis
,, ſuperavit. Ergo totidem illa Moſes ex bujus Phi-
,, loſophi mente anteceſſerit. Præterea, cum pri-
,, mus apud Argivos Inachus imperaret, necdum
,, Athenienſibus aut civitas, aut nomen erat. E-
,, juſdem autem Inachi Regnum in quintum a Se-
,, miramide Aſſyriorum Regem incidit, annis poſt
,, illam atque Muſen centum & quinquaginta, qui-
,, bus nihil apud Græcos memoria dignum geſtum
,, eſſe reperitur. Cæterum eodem tempore apud
,, Hebræos Judices imperabant. Annis deinde poſt
,, Semiramidem amplius quadringentis, primus Athe-
,, nis regnavit Cecrops, quem indigenam vocant,
,, Triopa regnante Argis, qui ſeptimus ab Inacho
,, Regum Argivorum primo fuit. Quo quidem Re-
,, gum iſtorum intervallo, Ogygium diluvium con-
,, tigiſſe narrant: Itemque apud Ægyptios primum
,, Apim Deum nominarunt, ac ſimul Ju Inachi fi-
,, lia, quam Iſidis nomine colunt Ægyptii, Prome-
,, theus atque Atlas celebrari cœperunt. Jam a Ce-
,, crope ad captum Ilium, alii prope quadringen-
,, ti colliguntur anni, quibus illa Græcorum fabu-
,, lis decantata Miracula, Deucalionis, inquam,
,, diluvium, & Phaetontis incendium contigere; cu-
,, jus utriuſque fingendi occaſionem, ex multis, uti
,, veriſimile eſt, crebriſque per ea loca terrarum cla-
,, dibus arripuerint. Jovem autem ab eodem primum
,, Cecrope Deum appellatum eſſe ferunt, cum ne-
,, quaquam inter homines id antea nominis habuiſſet:
,, Ab eodem poſtmodum primum Athenis excitatam
,, Aram, primumque Minervæ ſignum conſtatum ac
,, poſitum fuiſſe, neque enim pervetuſtum genus il-
,, lud rerum extitiſſe. Itaque poſt Cecropem tota
,, illa Græcorum Numinum genealogia texitur. A-
,, pud Hebræos interea cum Davidis poſteri regna-
,, bant, tum ſecuti Muſen Prophetæ florebant. Ita,
,, ſi noſtrum hunc Philoſophum audiamus, a Moyſe
,, ad captum Ilium anni amplius octingenti nume-
,, rentur. Porro longe Trojanis illis temporibus re-
,, centiores, Homerum, Heſiodum, ac reliquos fuiſ-
,, ſe conſtat. Ideo nuperi omnino, Pythagoras,
,, Democritus cæterique deinceps Philoſophi, circa
,, Olympiadem quinquageſimum, hoc eſt annis poſt
,, captum Ilium prope ſeptingentis emerſere. Mo-
,, ſem igitur, ac poſteriores Moſe Prophetas, ante
,, omnes Græciæ Philoſophos annis quingentis ſu-
,, pra mille vixiſſe, ex ejuſdem Philoſophi confeſ-
,, ſione inferimus.

Idem *Euſebius* Capite 54. ejuſdem Libri, ubi præ-
miſit *Jeſum Joſedeci*, & *Zorobabelem Salathielis* filium
e Captivitate Babylonica reverſos, permittente *Cy-
ro* Perſarum Rege, novi Templi fundamenta poſuiſ-
ſe, quo tempore *Aggæus*, *Zacharias*, & *Malachias*
,, omnium noviſſimi prophetabant, ſubdit: Jam Cy-
,, ro regnante Solon Athenienſis quoſque ſeptem
,, Sapientes Græci vocant, floruere, quibus ſane ve-
,, tuſtior apud eos Philoſophus nemo celebratur.
,, Ex iis Thales Mileſius Princeps inter Græcos de
,, rebus naturalibus philoſophari cœpit, deque So-
,, lis converſionibus, Lunæque cum defectione, tum
,, illuſtratione, necnon de Æquinoctio diſputavit.
,, Quare clariſſimus in Græcia ſemper habitus eſt.
,, Thaletis Auditor fuit Anaximander, Praxiadæ
,, filius, genere Mileſius ipſe quoque. Is omnium
,, primus ſtylos ad dignoſcendas Solis, temporum,
,, tempeſtatum, & Æquinoctii converſiones elabora-
,, vit. Huic operam dedit Anaximenes item Mile-
,, ſius Euryſtrati filius, quem audivit Anaxagoras
,, Clazomenius Hegeſibuli filius. Is de Principiis
,, diſtincte primus & enucleate diſputavit. Neque
,, enim de Univerſi tantum natura, uti priores il-
,, li, ſed etiam de ipſo motus ejus Auctore phi-
,, loſophatus eſt. Cum enim res omnes, inquit,
,, confuſæ ſimul permixtæque ab initio forent, Mens
,, penitus eas permeans, ab illa perturbatione in or-
,, dinem elegantiamque vindicavit. Anaxagoræ Di-
,, ſcipuli tres fuere, Pericles, Archelaus, & Eu-
,, ripides. Pericles, non Athenienſium modo faci-
,, le Princeps fuit, verum etiam æquales ſuos om-
,, nes opibus ac nobilitate ſuperavit. Euripides
,, cum ad Poeticam ſe ſe contuliſſet, Scenicus a non-
,, nullis Philoſophus vocatus eſt. Archelaus denique
,, Lampſaci Anaxagoræ ſuo in Ludo ſucceſſit. In-
,, de cum Athenas migraſſet, ejuſdem ibi docen-
,, di partes munuſque ſuſtinuit, & quamplurimos
,, Athenienſes diſcipulos, interque cæteros So-
,, cratem habuit. Ejuſdem Anaxagoræ tempore
,, Xenophanes & Pythagoras Phyſici claruere. Ac
,, Pythagoræ quidem Theano Mulier, ejuſque fi-
,, lii Thelauges, & Mneſarchus ſucceſſerunt. The-
,, laugis Auditor Empedocles fuit, cujus ætate He-
,, raclitus ille tenebricoſus in hominum ore ver-
,, ſari cœpit. Xenophani vero Parmenidem, Par-
,, menidi Meliſſum, Meliſſo Zenonem Eleatem ſuc-
,, ceſſiſſe ferunt. De quo Zenone illud etiam nar-
,, ratur, cum is conjurationis adverſus Tyrannum
,, ejus temporis initæ princeps auctorque deprehen-
,, ſus eſſet, ab eoque uti conſilii ſocios indicaret,
,, torqueretur, Tyranni ſuppliciis tanquam minus
,, ad ſe ſe pertinentibus omnino contemptis, præ-
,, manſam dentibus linguam in eum expuiſſe, atque
,, ita mediis in cruciatibus conſtantiſſimum obiiſſe.
,, Ejuſdem Auditor Leucippus fuit, Leucippi De-
,, mocritus, Democriti Protagoras, cujus ætate So-
,, crates floruit. Ut enim ante Socratem Phyſicos
,, ſparſim nonnullos reperias, omnes tamen eum i-
,, nitium ab Thalete ducant, Cyro Perſarum Rege
,, poſteriores fuiſſe conſtat. Atqui Cyrum multis
,, poſt abductos Babylonem Judæos annis vixiſſe li-
,, quet cum jam Prophetæ apud Hebræos eſſe deſi-
,, iſſent, & ſacra ipſorum Metropolis expugnata fuiſ-
,, ſet. Reſtat igitur ut & Moſe, & recentioribus
,, eo Prophetis multo juniorem Græcorum Philoſo-
,, phiam eſſe fateris, Platoniſque præſertim, qui
,, Socratis primum Auditor cum fuiſſet, indeque Py-
,, thagoreis operam dediſſet, ſuperiores omnes cum
,, eloquentia, tum etiam prudentia, philoſophan-
,, dique genere, longo ſuperavit intervallo. Is enim
,, ſub extrema Regni Perſarum tempora floruit, pau-
,, lo ante Alexandrum Macedonem, ante Auguſtum
,, vero annis haud multo amplius quadringentis.
,, Si ergo Platonem tibi, quique illum ſecuti ſunt,
,, eadem interdum quæ Hebræos ipſos, philoſopha-
,, tos eſſe conſtiteris, tum vero operæ pretium fue-
,, rit, quonam tempore vixerit cogitare, adeoque
,, illam Hebræorum ſive Theologorum, ſive Prophe-
,, tarum vetuſtatem, cum Græcorum omnium Phi-
,, loſophorum ætate componere.

Probatur denique Propoſitio noſtra ex *S. Auguſti-
no* Libro 18. *De Civitate Dei*, Capite 37. *Tempore
igitur Prophetarum noſtrorum*, inquit, *quorum jam
Scripta ad notitiam fere omnium gentium pervenerunt,
Philoſophi gentium nondum erant, qui hoc etiam no-
mine vocarentur, quod cœpit a Samio Pythagora, qui
eo tempore quo Judæorum eſt ſoluta captivitas, cœpit
excellere atque cognoſci. Multo ergo magis cæteri Phi-
loſophi poſt Prophetas reperiuntur fuiſſe. Nam ipſe So-
crates Athenienſis, Magiſter omnium, qui tunc maxi-
me claruerunt, tenens in ea parte, quæ Moralis vel*
Acti-

Activa dicitur, *Principatum*, *poſt Eſdram in Chronicis invenitur. Non multo poſt etiam Plato natus eſt, qui longe cæteros Socratis diſcipulos anteiret. Quibus ſi addamus etiam ſuperiores, qui nondum Philoſophi vocabantur, ſeptem ſcilicet Sapientes, ac deinde Phyſicos qui Thaleti ſucceſſerant, in perſcrutanda natura rerum ſtudium ejus imitati, Anaximandrum ſcilicet, & Anaximenem, & Anaxagoram, aliosque nonnullos, antequam Pythagoras Philoſophum primus profiteretur, nec illi Prophetas noſtros univerſos temporis antiquitate præcedunt: Quandoquidem Thales, poſt quem cæteri fuerunt, regnante Romulo eminuiſſe fertur, quando de fontibus Iſrael in eis litoris, qua toto orbe manarent, Prophetiæ flumen erupit. Soli igitur illi Theologi Poetæ, Orpheus, Linus, Muſæus, & ſi quis alius apud Græcos fuit, his Prophetis Hebræis, quorum Scripta in auctoritate habemus, annis reperiuntur priores. Sed nec ipſi verum Theologum noſtrum Moyſen, qui unum verum Deum veraciter prædicavit, cujus nunc Scripta in auctoritatis Canone prima ſunt, tempore prævenerunt: Ac per hoc quantum ad Græcos attinet, in qua lingua literæ hujus ſæculi maxime ferbuerunt, nihil habent unde ſapientiam ſuam jactent, quo Religione noſtra, ubi vera ſapientia eſt, ſi non ſuperior, ſaltem videatur antiquior.*

Obiiciet quiſpiam, *Moyſen eruditum fuiſſe omni Sapientia Ægyptiorum*, teſte *S. Stephano*, Act. 7. 27. adeoque non fuiſſe omnium Gentium Philoſophis, Hiſtoricis, & Poetis antiquiorem.

Reſpondetur, Ante *Moyſem* doctrinam quidem aliquam, etſi non apud Græcos, apud Ægyptios tamen fuiſſe, quæ illorum ſapientia diceretur, nimirum Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, maxime vero occultam Philoſophiam, deſcriptam Literis Hieroglyphicis, ut cenſet *Philo* Libro 1. *De Vita Moyſis*: Nullos tamen Scriptores fuiſſe, etiam apud Ægyptios, aliaſque Barbaras Gentes, ante *Moyſen*. Nam literas ante illius tempora nullas habebant Ægyptii, quas ab *Iſide* ſe accepiſſe gloriabantur. Hæc autem filia fuit *Inachi* Argivorum Regis, ab Ægyptiis poſt obitum in Deam conſecrata: *Moyſen* autem ſub *Inacho* floruiſſe, & filios Iſrael ex Ægypto eduxiſſe, tradunt *Julius Africanus*, *Tatianus*, *Clemens Alexandrinus*, quin & ipſæ Chriſtianæ Religionis hoſtis Porphyrius, & iſtis multo antiquiores *Hellanicus & Philochorus*, qui res Atticas, *Caſtor & Thallus*, qui Syriacas proſecuti ſunt. Quod ſi ita ſe habeat, ſequitur Ægyptios ante *Moyſis* tempora Literas nullas habuiſſe, niſi Hieroglyphicas. Nec tamen Ægyptiorum qualiſcumque ſapientia noſtrorum Prophetarum ſapientiam tempore anteceſſit, etiamſi *Moyſes Inacho* recentior ſupponatur: Siquidem & *Abraham*, *Propheta fuit. Quid autem ſapientiæ eſſe potuit in Ægypto, ante quam eis Iſis, quam mortuam tanquam Deam Magnam colendam putaverunt, literas traderet? Iſis porro Inachi filia fuiſſe proditur, qui primus regnare cœpit Argivis, quando Abrahæ jam nepotes reperiuntur exorti* (inquit) *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 37. *Nulla igitur gens*, (inquit idem S. Doctor Cap. 39.) *de Antiquitate Sapientiæ ſuæ ſuper Patriarchas & Prophetas noſtros, quibus inerat divina Sapientia, ulla ſe vanitate jactaverit, quando nec Ægyptus invenitur, quæ ſolet falſo & inaniter de ſuarum doctrinarum antiquitate gloriari, qualicumque Sapientia ſua Patriarcharum noſtrorum tempore prævenisse Sapientiam. Neque enim quiſquam dicere audebit mirabilium diſciplinarum eos peritiſſimos fuiſſe, antequam Literas noſſent, id eſt, antequam Iſis eo veniſſet, eaſque ibi docuiſſet. Ipſa porro eorum memorabilis doctrina, quæ appellata eſt Sapientia, quid erat, niſi maxime Aſtronomia, & ſi quid aliud talium diſciplinarum magis ad exercenda ingenia, quam ad illuminandas vera Sapientia mentes valere ſolet? Nam quod attinet ad Philoſophiam, quæ ſe docere profitetur aliquid, unde fiant homines beati, circa tempora Mercurii, quem Triſmegiſtum vocaverunt, in illis terris ejuſmodi ſtudia claruerunt: Longe quidem ante Sapientes vel Philoſophos Græciæ, ſed tamen poſt Abraham, & Iſaac, & Jacob, & Joſeph; nimirum etiam poſt ipſum Moyſen. Eo quippe tempore, quo Moyſes natus eſt, fuiſſe reperitur Atlas ille Magnus Aſtrologus, Promethei frater, maternus avus Mercurii Majoris, cujus nepos fuit Triſmegiſtus iſte Mercurius.*

Obicies, *Moyſen* trecentis pene annis juniorem *Inacho* fuiſſe, ut qui *Cecropis* ætate floruerit, ſecundum *Euſebii* rationes? Ac proinde omnium Gentium Scriptores antiquitate non ſuperare.

Reſpondetur, Nullum poſſe laudari vel Græcorum, vel externarum Gentium Scriptorem *Cecrope* antiquiorem. Unde quamvis ad *Cecropis* tempora *Moyſes* differatur, negari propterea non debet illum omnium Gentium Scriptoribus antiquiorem eſſe. At ſententiam *Julii Africani*, *Tatiani*, *Clementis Alexandrini*, aliorumque Auctorum *Euſebio* antiquiorum ſuffragiis firmatam, quæ Moyſen Inachi temporibus floruiſſe aſſerit, quidam probabiliorem cum *Georgio Syncello* exiſtimant, in *Euſebium* animadvertentes. *Pugnantia* namque, inquiunt, *ſcripſiſſe videtur Euſebius*, eum *Moyſen* dixit ætate parem *Cecropi*, & nihilominus *omni Græcorum Numine & Religione, ipſiſque a Jove rebus geſtis, quas Cecropis tempore recentiores Græcorum affirmat opinio, longe antiquiorem ponit; Cum prima feminarum, cui conjunctus fuerit Jupiter, ſit Niobe Inachi filia. At Inachus, ſi fidem Euſebii demus computo, annis trecentis Cecrope prior eſt; in quem calculum inclinat ferme Africanus. Ipſeque Euſebius, quæ de Jove & Niobe, Phoroneo & Inacho referuntur, circa quinquageſimum Jacob ætatis annum in temporum Ratione a ſe condita repoſuit. Phoroneus porro Inachi Niobeſque filius, is eſt qui Leges & Judiciorum Inſtituta in hominum conſortium invexit: Alii licet Græci Nioben Phoroneo natam aſſerant, ex qua Jupiter Appim, qui Serapis eſt, ſuſcepit: Quæ quidem ſeu vere ſeu ficte fuerint a Græcis ſcripta, Inachi Phoroneique temporibus ab adultero Jove cenſentur patrata, ſane Jovis ipſius res geſta ante Cecropem illum biformem literis commendata feruntur, quarum hæc de Niobe, quam mulierum primam compreſſit, cenſetur præcipua. Itaque ſi Moyſes Phoroneo proſtetior ac Cecropi coætaneus, nullatenus rebus a Jove geſtis, antiquiſve aliis, de quibus meminerunt Græci, cenſebitur anterior: Quod ſi Jove antiquior, (ut ipſi ac alii, qui præceſſerunt, teſtantur) temporibus Inachi Phoroneique natus eſt Moyſes: Conſequens eſt cunctis Græcorum voce decantatis eum eſſe majorem ætate; nullius enim nomen ante Inachum, vel filium Phoroneum, primos Argivorum Reges, Græcis Hiſtoriis celebratur: Eorum autem ſæculo in Acte, quæ nunc Attica, Ogygo regnante, primum illud & celebre Diluvium contigit; exactiſque demum annis novem ſupra centum & octoginta, Regione tanto ſpatio propter vaſtitatem Diluvio illatam Regibus orbata, Cecrops Imperium invaſit. Ex quibus ſingulis, nunc minimum ducentis, in Moyſis ætate recte deſignanda Euſebium peccaſſe compertum eſt.* Animadverſio hæc eſt *Georgii Syncelli* in *Chronograph.* pag. 67. & 68. Verum *Euſebii* erroris dicam breviter ſcribere *Georgium Syncellum* & *Moſem* Cecropis ætate floruiſſe, in ejuſque Epocha fuiſſe accuratiorem *Euſebium* antiquis Scriptoribus, facile demonſtrarem, niſi hanc provinciam olim doctiſſimi viri *Petavius*, *Scaliger*, aliique occupaſſent. Eſto, memoriæ lapſum paſſus ſit *Euſebius*, nec ad Hiſtoriolam vel fabulam *Niobis* a Jove compreſſæ attenderit, ſatis id eſſe ad ejus Chronologiam evertendam non judicabit æquus rerum æſtimator. Ut ut eſt, *Moyſen* omnibus Gentium externarum Scriptoribus antiquiorem eſſe nihilominus inconcuſſum manet, cum Jovis geſta ante *Moyſen* literis mandata non fuerint, neque *Niobes* ab ipſo compreſſæ ullus ante *Apollodorum* & *Hyginum* meminerit.

PROPOSITIO II.

Antiqui Philoſophi, Poetæ, Hiſtorici profanarum Gentium, ex Libris Moyſis, aliiſque Scripturæ Sacræ Libris doctrinæ ſuæ partem maximam hauſerunt.

I. MEminiſſe juvat eorum quæ ſparſim in Hiſtoriæ Synopſi ab Operis hujus exordio obſervavimus, Sacras Hiſtorias in Pentateucho a *Moyſe* ſcriptas, variis modis ab Ethnicis Scriptoribus inter-

Digitized by Google

terpolatas fuiſſe. Quæ de rerum creatione tradit *Moyſes*, ab Auctore Carminum Orphicorum, ab *Heſiodo* in Theogonia, *Ovidio* Lib. 1. Metamorphoſeon, *Virgilio* Ecgloga. 6. & Libro 6. Æneidos exprimi. Paradiſum terreſtrem a *Platone* in Jovis Horto deſcribi, ut obſervarunt *Origenes Libro* 4. *contra Celſum*, & *Euſebius* Libro 12. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 11. Primæ Mulieris formationem in *Pandora* fabula ab *Heſiodo* depingi, ut *Origenes* ibidem, & *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro. 3. contra *Julianum* adnotarunt. Primorum hominum vitam in Paradiſo a *Moyſe* deſcriptam *Platonem* totidem pene verbis expreſſiſſe, ut probat *Euſebius* Libro 12. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 13. Serpentis tentatoris, lapſuſque *Adami* & *Evæ* Hiſtoriam ab eodem *Platone* interpolatam, ut probat idem *Euſebius* Cap. 14. Ejuſdem meminiſſe *Chalcidium* ad *Timæum*. Diluvii & Arcæ Noeticæ Hiſtoriam interpolatam a *Beroſo*, ut refert *Joſephus* Libro 1. contra *Apionem*, & Libro 1. *Antiquitatum*, Cap. 4. ab *Abydeno*, cujus locum deſcripſerunt *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 12. & *S. Cyrillus* Libro 1. contra Julianum; ab *Alexandro Polyhiſtore*, cujus locum exhibet idem S. Cyrillus; a *Luciano* Libro *De Dea Syria*, ab *Hieronymo Ægyptio*, *Molone*, & *Nicolao Damaſceno*. *Molonis* verba refert *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 19. Locum vero *Nicolai* Damaſceni apud *Joſephum* Libro 1. *Antiquitatum*, Cap. 4. legere eſt. Turris Babel & confuſionis Linguarum, ut obſervavimus, meminit *Abydenus* Rerum Aſſyriarum Scriptor, cujus locum refert *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 14. Aloidarum fabulam ex Hiſtoria Turris Babel expreſſam docet *Origenes* Libro 4. *Contra Celſum*. Incendii Sodomorum fit mentio apud *Diodorum Siculum* Libro 19. *Strabonem* Libro 16. *Tacitum* Libro 5. & *Solinum* Cap. 37. Salmaſianæ Editionis. *Abrami* Hiſtoriam fuſe a *Moyſe* ſcriptam, legerant *Beroſus Hecatæus*, & *Nicolaus Damaſcenus*, teſte *Joſepho Antiquitatum*, Cap. 8. ubi *Beroſi* quidem & *Nicolai Damaſceni* verba refert, *Hecatæum* vero juſtum de *Abrahamo* Volumen ſcripſiſſe tradit. Ejuſdem Patriarchæ meminerunt *Eupolemus*, *Artapanus*, & *Molo*, quorum teſtimonia ab *Alexandro Polyhiſtore* leguntur apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Capitibus 17. 18. & 19. *Jacobi* meminerunt *Theodotus* Libro *De Judæis* & *Alexander Polyhiſtor*. *Joſephi* Patriarchæ *Artapanus*, & idem *Alexander*, quorum teſtimonia deſcripſit *Euſebius* Capitibus 17. & 23. ejuſdem Libri. Hiſtoriam *Moyſis* & Exitus Iſraelitarum ex Ægypto interpolarunt, variiſque figmentis infuſcarunt *Manetho*, *Chæremon*, *Lyſimachus*, & *Apion Alexandrinus*. Quos refellit *Joſephus* Libris contra *Apionem*. Item *Trogus Pompejus*, & ex eo *Juſtinus* Libro 36. Cap. 2. *Tacitus* Libro 5. *Hiſtoriæ*, Cap. 3. & 4. *Artapanus* in Comment. *De Judæis*, cujus inſigne fragmentum *Euſebius* deſcripſit Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 27. *Diodorus Siculus* Libro 1. *Strabo* Libro 16. & alii. Horum, inquam, omnium teſtimonia paſſim a nobis in Synopſi Hiſtoriæ quatuor priorum Mundi Ætatum deſcripta, a quibus proinde hic repetendis abſtinemus, partem Propoſitionis noſtræ probant.

Theologia Ethnicorum ex Libris Moſaicis magna ex parte derivata.

II. Theologiam Ethnicorum a Mythologis & Poetis ex Libris Moſaicis maxima ex parte derivatam probarunt Viri eruditione inſignes, *Voſſius*, *Bochartus*, *Huetius*. Phœnicum Theologiam ex illo fonte manaſſe probat Literati illius Triumviratus poſtremus ætate, ſed religione, meritis, doctrina, virtute, ac dignitate primus, *Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione* 4. Cap. 3. Quod in *Taauto* & *Adonide*, quos pro Diis habuerunt, *Moyſis* imago ſit expreſſa. De Ægyptiorum Theologia idem demonſtrat Capite quarto, *Mercurium* ſcilicet, *Thouth* ſive *Thoth* ab ipſis dictum, *Oſiridem* & *Bacchum*, *Apin* & *Mnevin*, *Serapin*, *Orum*, *Anubin*, *Vulcanum*, quos divinis honoribus Ægyptii conſecrarunt, *Moyſen* referre. Græcos Moſaicam doctrinam infinitis fabulis obduxiſſe probat Capite octavo. *Apollinem* quippe *Panem*, *Priapum*, *Æſculapium*, *Prometheum* ad *Moyſis* exemplar eſſe confictos. Omnem Romanorum Theologiam ex eodem fonte profluiſſe oſtendit Capite nono. *Janum* enimvero, *Vertumnum*, *Faunum*, *Silvanum*, *Evandrum*, eoſdem eſſe cum *Moyſe*. Quæ omnia veriſimilibus conjecturis a Viro Maximo probata & firmata in eximio ipſius Opere legi poſſunt. Legantur etiam quæ ſunt a nobis obſervata in Synopſi Hiſtoriæ Quartæ Mundi Ætatis, Cap. 7. Art. 1. §. 17. Ex his autem Propoſitionis noſtræ pars altera probatur. Ex Moſaicis Libris complures variarum Gentium Leges ac Ritus manaſſe oſtendimus in Synopſi, Capite mox laudato. Articulo II. quod momentum alterum eſt ad Propoſitionis noſtræ confirmationem.

Moſaicam illam Sententiam Deuteronomii 6. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus unus eſt*, veteres Poetæ & Philoſophi Gentium expreſſerunt. Orphicorum Carminum Auctor a *S. Juſtino* Martyre in Parænesi, *Clemente Alexandrino* Libro 5. Stromatum, & S. Cyrillo Alexandrino Libro 1. contra Julianum citatus:

Reſpectans Verbum divinum, huic totus inhære,
Pectoris hoc mentem ſacri, greſſuſque guberna,
Incedens recte; Regemque hunc orbis adora,
Unicus eſt, per ſe ſe exiſtens, qui cuncta creavit,
Inque his ipſe extat, nulli e mortalibus unquam
Lumine conſpectus, mortales conſpicit omnes.

Item:

Juppiter eſt unus, Pluto unus, Bacchus & unus,
Unus Sol, Deus unus in omnibus.

Item:

Cœlum jure Deo a Magno & Sapiente creatum,
Vocem jure Patris, primum quam prodidit ore,
Conſilio ipſe ſuo Mundum cum conderet omnem.

Sophocles a *Juſtino* pariter, *Clemente Alexandrino* Libro 5. *Stromatum*, & *S. Cyrillo Alexandrino* Libro 1. *Contra Julianum* laudatus:

Unus profecto eſt, unus hic tantum Deus,
Qui cœlum & amplas condidit terræ plagas,
Cærulea ponti terga, & infrenes Notos.
At nos miſelli, pectore errantes vaga,
Calamitatum finximus ſolatia,
Formas Deorum ſaxeas aut æreas,
Aureve ductas fuſili, aut eburneas.
His dum immolamus, dum ſtato auguſtos die
Reddimus honores, eſſe nos remur pios.

Cleanthes Stoicus a *Clemente Alexandrino*, pariter laudatus:

Quidnam bonum ſit me rogas? jam jam accipe.
Quod ordinatum eſt, integrum, ſanctum, pium;
Suique compos, utile, decens, commodum,
Grave ac ſeverum, quodque ſemper conferat.
Metu ac dolore major, & moleſtia;
Salubre, jucundum, & ſibi conſentiens;
Clarum ac modeſtum, ſedulum, lene, ac potens,
Perenne, labis neſcium ac ſemper manens.

Xenophanes Colophonius apud *Clementem Alexandrinum*, ibidem:

Maximus in genere eſt Divum atque hominum Deus unus,
Qui nec corpore, nec mente eſt mortalibus ulli Aſſimilis.

Xenophon, apud *S. Cyrillum Libro* 1. *Contra Julianum*, de Deo ſic loquitur: *Ille omnia concutiens, & ſtabilis manens, quod magnus ſit & potens manifeſtus, figura tamen incognitus, nec quidem is eſt qui videatur undique conſpicabilis eſſe Sol, nec vero ipſe videtur pati ſe conſpici, ſed ſi quis impudenter ipſum intueatur, orbatur viſu.*

Pythagoras ab eodem *S. Cyrillo* laudatus: *Deus unus, & ipſe, non ut quidam ſuſpicantur, extra Mundi fabricam & adminiſtrationem, ſed in ipſa totus, in toto circulo intuens omnes generationes mixtura exiſtens totius ævi, & lumen ejus facultatum ac operum, Principium omnium in cœlo Illuminator, & omnium Pater, Mens & animatio omnium Sphærarum, omnium motus.*

Timæus Locrus apud *Clementem Alexandrinum*, Libro 5. Stromatum: *Unum Principium omnium eſt ingenitum, ſi enim eſſet genitum, non eſſet utique amplius principium, ſed illud ex quo genitum eſſet principium; Ex illa*, inquit, Clemens Alexandrinus, *vera profluxit opinio, nempe: Audi*, inquit, *Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt, & ei ſoli ſervies.*

Pla-

Plato in Timæo: *Recte ne igitur Cælum unum eſſe antea ſtatuimus, an vero multos, adeoque infinitos poſuiſſe præſtabat? Unum utique ſi modo ſuum ad exemplar conformatum illud eſſe concedimus.* Eumdem porro ut *vulgari Græcorum more plurium Numinum appellatione uti ſoleat, Deum tamen unum agnoſcere, vel ex ea, quam ad Dionyſium ſcribit Epiſtola quivis intelligat: Ubi quas ſtudioſe ac ſeria conſcriberet Epiſtolas, ab aliis quas temere negligenterque profunderet, ſua quadam nota ſecernens, quæ grave nihil ac ſerium continerent, iis Deorum; quæ vero diligenter ab ſe ac moderate ſcriberentur, illis Dei ſeſe nomen, proprium veluti characterem impreſſurum eſſe declarat.* Refert *Euſebius* Libro 11. *Præparationis Evangelicæ*, Capit. 13.

Divinum illud Oraculum Exodi 3. 14. *Dixit Deus ad Moyſen:* EGO SUM QUI SUM. Ait: *Sic dices filiis Iſrael:* QUI EST, *miſit me ad vos:* expreſſit *Plato* in *Timæo* his verbis: *Quid illud eſt, quod ſemper eſt nec tamen ortum ullum habet? Quid illud contra quod ſemper naſcitur, & nunquam eſt? Prius illud quidem, quod ſemper atque eodem modo eſt, ab ſola intelligentia cum ratione percipitur. Alterum hoc, quod oritur ſimul & occidit, neque unquam vere eſt, in ea dumtaxat, quam ſenſus ab omni ratione vacuus efficit, opinione verſatur.* Quem *Platonis* locum expendens *Euſebius* Libro 11. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 9. *Audin*, inquit, *illud Moſis Oraculum*, EGO SUM QUI SUM, *egregius Plato manifeſte repræſentat, dum ſuis*
„ *ipſum ita verbis exprimit:* Quid illud eſt, quod
„ ſemper eſt, nec tamen ortum ullum habet? *Quod etiam candidius & apertius illuſtravit, dum ait: Aliud quod ſit eſſe nihil, niſi quod non corporis oculis videatur, ſed mente ſola capiatur. Nam ubi quæſivit, quid*
„ *ſit illud quod eſt; ita reſpondet ipſe ſibi*, Nimirum
„ illud quod ab ſola intelligentia percipitur. *Simili-*
„ *ter alterum hoc Salomonis:* Quid eſt quod fuit?
„ Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt?
„ Ipſum quod faciendum eſt: *Verbis pene totidem*
„ *interpretatur, dum ait:* Id autem quod oritur ſi-
„ mul & occidit, neque unquam vere eſt in ea dum-
„ taxat, quam ſenſus ab omni ratione vacuus effi-
„ cit, opinione verſatur. *Quibus etiam quæ ſequuntur,*
„ *adjungit.* Quippe temporis, *inquit*, partes iſtæ
„ ſunt, *Erat*, atque *Erit*; quas imprudentes ſempi-
„ ternæ etiam Naturæ injuria tribuimus. Vulgo e-
„ nim ita loquimur, *Erat, eſt, erit:* Cum tamen ei
„ ſolum EST proprie vereque conveniat. *Ac ne quis me Philoſophi verba in alienum ſenſum torquere criminetur, vel ipſos Commentarios, quibus illorum ſententia declaratur, proferre juvat.*

Ita *Numenius Pythagoricus* Libro 2. De Bono; *Age vero atque ad illud* QUOD EST, *quantum licet, aſpiciemus: Omninoque pronuntiemus, quod eſt, id neque fuiſſe unquam, neque unquam futurum eſſe, at certo dumtaxat præſentique tempore ſemper eſſe: Quod ſane tempus hoc modo præſens, ſi quis æternitatem dicere voluerit, me auctore quidem id faciat .... Quod enim* EST, *id ſempiternum eſt, atque ſeſe modo conſtanter habet*, &c. *Maneat igitur, & tanquam verum ſumatur, incorporeum eſſe id* QUOD EST .... *Quærit Plato, quid illud ſit,* QUOD EST. *Id ſine dubio carere ortu ſtatuens. Mutaretur enim alioqui: Si autem mutaretur, ſempiternum id non eſſet. Inde aliquantum progreſſus, hæc addit: Si quod eſt, id omnino ſempiternum & immutabile eſt: nec ab ſe ſe ulla unquam varietate diſcedit, ſed in una ſemper eademque ratione permanet, illud unum profecto ſit oportet, quod intelligentia cum ratione capiatur.* Locum integrum deſcribit *Euſebius* Libro 11. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 10. eoque non *Platonis modo, ſed longe Antiquioris Platone Moſis doctrinam illuſtrari* colligit. *Itaque merito ſane dictum illud hanc in rem celebre circumferri; Quid enim aliud Plato eſt, quam Moſes Attice loquens.*

Ita *Plutarchus* Libro De Syllaba EI Delphico Templo inſcripta: *Equidem neque numerum, neque ordinem, neque vinculum, neque aliud quodlibet dimidiata particula genus ea ſyllaba ſignificari exiſtimo. Eſt omnino Dei perfectum ex ſe ſe integrumque Nomen, quod ei a quo pronuntiatur, una cum voce ipſum continuo poteſtatis divinæ ſenſum & cogitationem injiciat. Nam cum unumquemque noſtrum, qui eo accedimus, hoc velut Deus ſalutatione compellat*, NOSCE TE IPSUM, *quod quidem nihil minus ſonat, quam Salve: Tum vero nos ſalutandi Numinis gratia reſpondemus*, EI: (ES) *quaſi veram ac propriam, adeoque ſolam eique ſoli convenientem hanc a nobis appellationem tribui fateamur. Nos enim vere nullo modo ſumus: Sed omnis omnino natura mortalis, in quodam interitus ortuſque medio conſtituta, umbram ſui dumtaxat aliquam, exilemque ac lubricam opinionem oſtendit; quam ſi incumbente in eam animo comprehendere volueris, tum vero, quemadmodum aquam ſi manu vehementius retinere coneris, dum premis, dum in unum cogis, efflait illa penituſque dilabitur. Sic ratio, dum eorum quæ varios ſubinde caſus ac mutationes ſubeunt, illuſtrem illam quæ ſibi objiciatur ſpeciem propius inſequitur, aberrat ac luditur, quod partim in id quod oritur, partim in id quod interit, ſic incurrat, nihil ut quod maneat, quodque vere comprehendere omnino poſſit .... Ecquid igitur illud eſt ſit, quod vere eſt? Id unum utique quod ſempiternum eſt, quod ortu ſimul interituque caret, cui nullum tempus mutationem affert. Eſt enim omnino tempus mobile quiddam, quodque ſimul cum mobili materia ſemper fluens, ac nihil uſquam firmitatis habens, ſic tanquam vas aliquod interitus ortuſque cogitatur. Cujus profecto vel appellationes ipſæ, poſterius, prius, erit, fuit, illud non eſſe palam ac per ſe ſe confitentur. Nam quod vel nondum habeat ut ſit, vel jam eſſe deſiit, id eſſe, non niſi ſtolide abſurdeque dicas. Quinetiam illud ipſum, quo maxime temporis cogitationem fulcimus, atque fulcimus, dum vel inſtans, vel præſens, vel nunc dicimus; ſoluta diſſipataque ratio confeſtim amittit: Perinde enim in futurum ac præteritum eliſa diſtrahitur, ut in oculorum radiis uſu venit, ſi quis quod ſua quadam neceſſitate disjunctum atque divulſum eſt, id ſemel intueri velit: Jam ſi eadem ipſa, quæ tempori metienti conveniunt, ea quam metitur natura ſubeat, ne ipſa quidem aut manet, aut vere eſt, ſed prout tempori contribuitur, vel naſcitur, vel interit. Quare nihil ejuſmodi quod per Erat, vel Erit ſignificatur, de eo quod Eſt dici queat: Cum iſta ejuſmodi rei, quæ per ſe ſe firmiter & conſtanter eſſe non poteſt, inclinationes quædam ſeu trajectiones, deflexioneſque ſint. At vero ita plane loquendum; Deus eſt, nec tamen ipſe tempore ullo eſt, ſed æternitate dumtaxat, quæ motu omni, omnique tempore ſimul, & inclinatione caret: Cujus nec prius quicquam eſt, nec quicquam poſterius, futurum nihil, nihil præteritum, vetuſtius nihil, nihilque recentius. Sed qui unus eſt, idem uno etiam nunc ſempiternam durationem implet: Adeoque illud unum eſt, quod vere per ſe ſe eſt, non autem aut fuit, aut futurum eſt; quemadmodum nec aliquando cœpit, nec unquam deſiturum eſt. Sic igitur idem ipſum venerando, ſalutare nos & appellare decet, aut ſaltem his verbis*, UNUM ES, *id quod priſcorum nonnulli factitabant. Nec enim plura Deus eſt, uti noſtrum quilibet, qui congeries quædam ſumus, ex omni ſtatuum varietatum diverſis ex caſibus mutationibuſque naſcentium genere, & quadam velut univerſitate conflata atque permixta. Sed unum oportet id eſſe, quod eſt. Nam alterum quid ſi additur, illud ſane tanquam aliud quod eſt differentia, ad ejus quod nullum eſt, procreationem declinat.* Hunc *Plutarchi* locum deſcripſit *Euſebius* Lib. 11. *Præparat. Evang.* Cap. 11.

V. Divinum illud Oraculum Deuteronomii 32. 35. *Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore.* Item illud Pſalmi decimi. 8. *Juſtus Dominus & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.* Et illud Pſalmi 30. 24. *Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam:* Exprimit *Plato* in *Legibus*, his verbis: *Deus certe quidem, uti ex priſcorum doctrina conſtat, rerum univerſarum principia, finem, mediumque complexus, recta illa, quomodo natura poſtulat, obeundo perficit. Eum perpetuo juſtitia ſequitur, eorum qui ab divina lege diſcedunt, ultrix atque vindex: Cui quidem affixus, demiſſo compoſitoque animo comitatur quiſquis ad felicitatem aſpirat. Contra vero qui vel ſuperbia intumeſcens, vel opum vi copiaque ſublatus, vel etiam honorum amplitudine, corporiſve ſpecie, cum juventutis flore, ſtultitiaque conjuncta inſoleſcens, animo petulantius exardeſcit, perinde ut ſi nec Principe, nec Moderatore ullo indigeret, ſed*

po-

potius ad cæteris imperandum aptus ipſemet idoneus quo ſit, is Deo vacuus relinquitur: Reliſtus autem, adhibitis illico gemino protervia ſocios exultat cuncta miſcendo; atque interim aliquid eſſe permultis videtur: At modico poſt tempore dignas ab eo pœnas exigente juſtitia, ſe ipſum, domumque ſimul, cum tota funditus civitate perdit.

VI. Quæ de Verbo Divino & Perſonarum Divinarum Trinitate in Scripturis habentur Geneſis 19. Dominus pluit ſuper Sodomam ignem & ſulphur a Domino de Cœlo. Pſalmo 109. 1. Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis. Pſalmo 32. 6. Verbo Domini Cœli firmati ſunt. Pſalmo 106. 20. Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos. Geneſis 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c. ea Plato delibavit in Epimenide ita loquens: Et honores habemus, ſic tamen ut non jam annum alteri, alteri menſem, diem aliis tribuamus, aut ullum omnino tempus, quo ſuam quilibet converſionem abſolvat, dum ad Mundo, quem Verbum omnium longe diviniſſimum confirmavit, perfectionem ipſe concurrit. Quod quidem Verbum, quiſquis beatus eſt, primum admirari, tum ejuſdem, quatenus mortalis natura ſus eſt, cognoſcendi amore ac ſtudio teneri ſolet.

Idem in Epiſtola ad Hermiam, Eraſtum, & Coriſcum, ſcribit: Epiſtolam hanc a vobis tribus ſimul convenientibus legi decet; Sin autem a duobus viciſſimque conjunctis, idque, quam ſæpiſſime fieri poterit. Præterea pactum inter vos, legemque ratam fixamque ſervari, ſic ut in æquum bonum juretis: Adeoque ſtudio non illiberali, ac ſtudii ſorore doctrina mutuo conjuncti, in Deum ipſum rerum omnium, ſive præſentium, ſive futurarum Præſidem, nec non Præſidis etiam Principiique Parentem Dominum juretis, quem quidem, ſi modo recte philoſophabimur, quantum homines beati poſſunt, clare omnes planeque cognoſcemus. Hunc Platonis locum deſcripſit Euſebius Libro 10. Præparationis Evangelicæ, Cap. 16. ſubditque: An non tibi videtur Plato dum hæc ait, Hebræorum dogmata tuiſſe? Unde enim aliqui in mentem ipſi venerit, Deum alterum ipſomet rerum quæ procreantur omnium Principio ſuperiorem, imo & Univerſi Moderatoris Parentem appellare? Unde porro hunc ipſi verum Conditoris Parentis Domini nomen imponere? Quo profecto Græcorum nunquam auribus, imo ne animis quidem, mortalium ante ſe quiſquam injecerat. Ex Plotino & Numenio Platonis mentem explicat Capitibus 17. & 18. ac demum ex Amelio Platonico, quem Evangelii S. Joannis Caput 1. expreſſiſſe Cap. 19. obſervat ejus verba proferens. Atque, inquit Amelius, hoc plane Verbum erat, per quod, ſempiternum cum eſſet, exiſtebant omnia, quæ fiebant, quemadmodum Heraclitus loqueretur: Quod ipſum videlicet Barbarus etiam ille, apud Deum in Principii gradu ac dignitate conſtitutum, imo & Deum ſimul pronuntiat: Per quod facta ſimpliciter omnia ſint, in quo quicquid factum eſt, & vivens, & vita, & aliquid pro ſua quodque natura fuerit: idem porro in corpora delabi, tandit & carne indutum humanam ſpeciem præ ſe ferre, ſic tamen ut ſuæ interea naturæ majeſtatem oſtendat; Adeoque ſolutum ubi jam fuerit, Dei locum denuo capeſſere, ac Deum prorſus eumdem eſſe, qui erat prius quam in corpus atque in carnem hominemque deſcenderet. Hæc ille. Quæ profecto, inquit Euſebius, non jam ſubobſcure adumbrata, ſed palam, undique, quod ajunt, fronte, ex illa Barbari hominis Theologia tranſlata eſſe nemo non videt. Barbarus autem ille, quem vocat, etquis porro fuit, niſi Joannes Servatoris noſtri Evangeliſta, qui Hebræus ex Hebræis erat?

Egregium Platonis de Sancta Trinitate locum ex illius ad Dionyſium Epiſtola proferunt Euſebius Libro mox laudato, Cap. 20. & S. Cyrillus Alexandrinus Libro 1. contra Julianum. Hæc ænigmatice, inquit, aperienda tibi ſunt, uti ne, ſi quid forte mari terrave, Epiſtolæ hujus paginis factum erit, intelligere poſſit, qui legerit. Sic enim ſe res habet. Circa univerſorum Regem omnia ſunt, ac propter ipſum omnia. Idem bonorum omnium Principium eſt. At circa Secundum, ea quæ ſecunda; Circa Tertium, ea quæ tertio ordine cuncta verſantur. Quæ quidem hominis animus, in res ſibi cognatas intentus, cujuſmodi ſint, perſpecta & explorata habere geſtit. Hunc Platonis locum explicans Porphyrius Libro 4. Philoſophicæ Hiſtoriæ ait, Dei ſubſtantiam uſque ad tres hypoſtaſes procedere, eſſe vero ſupremum Deum optimum, poſt ipſum & alterum Creatorem ſeu Opificem, tertium porro Mundi Animam. Platonem certe non uſquequaque ſpeculatum omnia, ſed eodem modo quo Ariani, de tribus Perſonis ſenſiſſe, immo tres Deos inducere, S. Cyrillus obſervat. Exiſtimat tamen eum & ſenſurum & locuturum fuiſſe recte, editurum quoque in vulgus palamque facturum veras & germanas de Deo opiniones, niſi forte Anyti & Meliti accuſationem timuiſſet, atque Socratis cicutam.

VII. Boni naturam, nihil aliud eſſe quam Deum ipſum, Scriptura Sacra teſtatur, Pſalm. 72. Quam bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde. Pſalmo 105. 1. Confitemini Domino quoniam bonus. Hanc doctrinam expreſſit Plato in Timæo. Dicamus ergo, inquit, quam ob cauſſam Auctor ille Molitorque Deus rebus ortum dare, atque hoc Univerſum condere ſtatuerit. Bonus erat, bonus autem nulla unquam ulla in genere laborat invidia. Cum igitur ea vacaret, omnia ſibi quam ſimillima eſſe voluit. Idem in ſuis de Republica libris: Nunquid vero, inquit, cum Sol ipſe viſus non ſit, ab eo tamen cujus ille cauſſa eſt, cernitur? Plane. Hunc igitur habito boni filium abs me vocari, quem bonum ſui ſimilem genuerit: Ut quod ipſum in loco ſpirituali eſt, cum Mente, rebuſque mente perceptis comparatum; id Sol in loco aſpectabili ſit, ſi cum viſu ac rebus ſub viſum cadentibus conferatur. Quod igitur & iis rebus quæ cognoſcuntur veritatem tribuit, & cognoſcendi vim facultatemque ſuppeditat, id tu boni Ideam eſſe ſtatuito . . . Solem, opinor, iis quæ videntur, non id modo tribuere dices, ut videri queant, verum etiam ortum ipſis, incrementa, nutritionemque largiri, cum tamen ortus ipſe non ſit: Qui enim eſſe poſſit? Ergo ſimiliter eas eas quæ cognoſcuntur, a bono dices, non ut cognoſcantur modo, ſed etiam ut ſint, adeoque propriam eſſentiæ ſuæ rationem ab eodem accipere, tametſi bonum eſſentia non ſit, ſed longe ſupra eſſentiam omnem majeſtate ſimul ac poteſtate emineat: Hæc Platonis loca deſcribit Euſebius Libro 11. Præparationis Evangelicæ, Cap. 21. Præclarumque Numenii Platonici locum in eamdem rem ſubjungit Cap. 22.

VIII. Hæc Dei verba a Moyſe relata Geneſis 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: Et illa Moyſis: Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: Ad imaginem Dei creavit illum: Occaſionem dediſſe Platoni excogitandi Ideas, quæ Mundi hujus aſpectabilis exemplaria eſſent, docet Euſebius Capitibus 23. 24. & 25. His quæ de Animæ immortalitate, de Mundi ortu, alteratione, ſupremo fine, Reſurrectione mortuorum, & Judicio quod mortem excipit, Sacræ Literæ docent, affinia docuiſſe, Platonem probat ſequentibus ejuſdem Libri Capitibus, ut nemini hæc attente conſideranti dubium eſſe poſſit, quin maximam doctrinæ partem, ob quam divinus Philoſophus appellatus eſt, e Sacris Literis hauſerit.

IX. Quæ de parentum honore Deus in Decalogo præcepit, expreſſit Plato in Legibus. Quicumque, inquit, mentis compos fuerit, is parentum ſuorum preces ac vota metuet, plurimique faciet, quod in multis & ſæpius commiſſa illa & convicta eſſe noverit. Rurſuſque alio Libro: Nemo non apud nos eum a quo ætate ſuperabitur, tum opere quam verbis obſervato. Qui autem ſe annis viginti antecedet, ſeu vir ille, ſeu fœmina fuerit, hunc in Patris aut Matris loco habens, veneretor.

X. Legem Moyſis vetantem ne Hebræis Hebræi ſerviant, Plato in Republica ſua exſcripſit, Græcamque fecit: Græcum, inquit, Servum Græcus nemo poſſideat, idque cum cives noſtri diligenter obſervent, tum aliis quoque Græcis idem ut faciant auctores ſint. Sic enim vero futurum eſt, ut multo libentius, dum ſibi mutuo parent, in Barbaros nemo convertant.

XI. Illud Deuteronomii 19. 14. Non aſſumes & transferes terminos proximi tui: Sic exprimit Plato: Nemo agri ſines moveto, neque civis illius ſui quem vicinum habuerit, neque alterius cujuſcumque finitimi, etiam extranei, qui fundum ſub extremos agri ſui limites poſſideat, ratus vere id, eſſe immo-

ta,

ta, quod ajunt loco movere. Tum addit: *Si quis finium limites tranſiliens, vicini agrum tuum ſuo coluerit, non modo juſtum ei damnum ſarcito, verum etiam ut hominis impudentiæ & illiberalitati medicina fiat, illati detrimenti duplum alterum ei quem læſerit, repræſentato.*

XII. Moſaica Lex eſt de furibus, Exodi 22. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.... Si inventum fuerit apud eum quod furatus eſt, vivens ſive bos, ſive aſinus, ſive ovis, duplum reſtituet.* His Plato ſimilia ſtatuit. *Si fur,* inquit, *rem quamlibet ſeu magnam, ſeu parvam furabitur, Lex in omnes una, una judicio pœna ſtatuatur: Primum, quod furto ſublatum erit, uti duplum eius repræſentet, quiſquis furti damnatus erit, ſi modo ſupra ſortem ſolvere per reliquarum facultatum copiam poterit: Sin autem in vinculis ſit, donec aut ſolverit, aut ab eo, a quo furti damnatus eſt, veniam impetraverit.* De fure interfecto ſic Exodi 22. 2. ſtatuitur: *Si effringens fur domum ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: Percuſſor non erit reus ſanguinis.* His affinia ſanxit Plato: *Qui nocturnum furem,* inquit, *in ædes furandi animo ſubeuntem interfecerit, innocens eſto. Similiter, qui graſſatorem, dum vim vi repellit, occiderit innocens eſto.*

XIII. De bove qui hominem occiderit, ſic in Moſaica Lege ſtatutum eſt. Exodi 21. 28. *Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes ejus; dominus quoque bovis innocens erit.* Lex ſimilis apud Platonem legitur. *Si jumentum,* inquit, *aut aliud animantis genus quempiam interfecerit, niſi tamen ab aliquo ex iis quæ ad publicos ſolemneſque ludos adhibentur, in ipſo certaminis actu id fieret, cædis eorum ab interfecti propinquis peragatur. Qua de cauſa cognoſcunt agrorum Curatores ii, quibus a propinquo mandatum negotium erit. Ii vero damnatum jumentum ubi morte multaverint, finibus ejiciunt.*

XIV. Gens Hebræorum univerſa duodecim in Tribus diviſa fuerat. Quod exemplum ſecutus *Plato*, id ipſum in civium ſuorum tributione ſervandum ita ſanxit: *Duodecim in partes, uſque quoad fieri poterit, æquales, tota nobis Regio tribuatur. Partibus autem ſingulis ſua quæque Tribus aſſignata, quinque viros quotannis, quaſi agrorum Curatores, Tribuumque Principes conſtituat. Tum ab iis alios præterea, Ordinum Ductores, habito delectu, creari vult, eoſque duodecim, qui Belli tempore Duces futuri ſint, ſingulos ſingulis Tribubus aſſignatos.* Hanc Platonicarum Legum cum Moſaicis comparationem inſtituit *Euſebius* Libro 12. *Præparationis Evangelicæ*, Capitibus 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 47.

XV. Illud Pſalmi 4. 6. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino,* ſic expreſſit *Menander*:

———————— Neve acum, o ſuaviſſime,
Alienæ quæ ſit, appetas: Etenim Deo
Injuſta nulla, juſta quæ modo ſunt placent.
Feliciorem ducere hanc vitam ſinat,
Qui nocte terram, qui diem aſſiduo colit.
Deo ſacrifices æqui ad extremam tenus,
Ut veſte mundus ſplendidus, ſic pectore.
At cum tonabit, ſiſte, nec pavido gradu
Fugam capeſſe, quandiu nil conſcius
Ipſe tibi fueris: Te Deus præſens videt.

XVI. Illud *Salomonis* in Proverbiis *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*, *Plato* his verbis expreſſit Libro 3. De Republica: *Ergo alia quædam, ni fallor reperimus, quæ ac in civitatem furtim unquam & occulte ſubeant, ab ejus Moderatoribus omni proviſione cavendum erit. Quænam? Opes, inquam, & inopia: Quod illa quidem luxum, ignaviam, rerumque novarum molitionem invehant, hæc vero præter factiones illiberalitatem ſimul atque malitiam. Malitia autem nomen indignum omne factiones continetur.*

Illud Proverbiorum 21. 1. *Cor Regis in manu Domini: Quocumque voluerit, inclinabit illud;* laudat *Themiſtius* Oratione 5. obi commendans Imperatoris clementiam, quod Jovis inſtar nullum habeat malorum ac mortis dolium juxta ſe poſitum, ſed vitæ dumtaxat plenum ſemper ac redundans, quam ex eo meram & ſinceram haurit, & in homines effundit, hæc habet: *Proinde quidem huic Aſſyriorum ſententia fidem adhibet, quo cor Regis merito dixit in manu Dei cuſtodiri: quod quidem in condemnationis literas minime propendere poteſt. Neceſſe enim eſt, ut qui hoſce literas facile ſcribit, ex ea manu decidat, quæ vitam omnibus perpetuam largitur.* Et Oratione 9. *Quam eleganter hoc ipſum Aſſyriorum Literis proditum animadverti, Regis ſcilicet animum in manu Dei cuſtodiri: Unde ei quantum immineat periculi providendum, ne ſi ad agendum aliquid quod a Deo ſit alienum feratur cuſtodiente ſe ſe manu Dei tandem excidat.* Per literas Aſſyriorum, Sacros Hebræorum Libros intellexit *Themiſtius*.

XVII. Illud Sapientiæ 2. 12. *Circumveniamus Juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris;* ſic reddidit *Plato* Libro ſecundo de Republica: *Juſto illi, qui ſic animo comparatus erit, verbera imponentur, injicientur vincula, oculi eruentur. Idem poſtremo omnia hæc perpeſſus agetur in Crucem.* Refert *Clemens Alexandrinus* Libro 5. *Stromatum*.

XVIII. Illud Eccleſiaſtis 12. 14. *Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum, ſive malum illud ſit,* aliaque de judicio Scripturæ Sacræ Oracula, *Diphilus* Comicus his Verſibus expreſſit:

Putaſne vero mortuos, Nicerate,
Queis omnis omnem fluxit in luxum dies,
Potuiſſe latebris fugere ſuprema Deum?
Eſt oculus ille, eſt, cuncta qui juſtus videt.
Duæ, ut ſtatuimus, inferos ferant viæ.
Patet una caſtis, altera ſceleſtos manet.
Quamvis profundo ſemper incluſum ſinu
Utrumque terra teneat. I, rapiat licet,
Furere, ſpolies, miſceas. Erras, cave:
Eſt eſt ſub alto Dite Judicium ſuper,
Cui Magnus orbi Dominus ac Rector præeſt,
Cujus vel ipſum nomen effari horreo,
Quique diuturnam ſontibus vitam trahit.
Quod ſi quis omni ſcelera molitus die,
Superos latere credit, is novum ſcelus
Sibi perſuadet, juſta quod lento manus
Rependere ſoleat otio. At quiſquis Deum
Non eſſe fingit, proſpice infelix tibi.
Deus ille, Deus eſt. Si quis interea nocens
Impune peccat, habeat in lucro moram.
Namque ipſe meritas poſtea pœnas luet.

Refert *Clemens Alexandrinus* Libro 5. *Stromatum*.

XIX. Illud Pſalmi 96. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: Vidit, & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra,* his verſibus expreſſit *Æſchylus* Tragicus, *Clemente Alexandrino* referente:

Secerne cunctis Numen a mortalibus,
Huic ſimile corpus ne putes ullum cave.
Ignota res eſt. Nunc velut flammam emicat,
Aditumque prohibet: Unda mox, caligo mox,
Mox & tremenda ſimilis apparet fera,
Vento, atque nubi, fulguri, tonitruo,
Imbrique ſimilis: pontus huic, fontes, petræ,
Atque orbe toto quidquid undarum ciet,
Obſequitur. Illum montium horreſcunt juga,
Tremitque tellus, & ſinus vaſti maris,
Dum Dominus acri cuncta viſu deſpicit,
Immenſa quippe eſt illa Majeſtas Dei.

XX. Dei Oraculum eſt Iſaiæ, 1. 2. 16. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui. Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis; quieſcite agere perverſe.* Item illud Jeremiæ 23. 24. *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus?* Hæc vero expreſſit *Menander* Comicus apud *Clementem Alexandrinum*.

Si quis quod hœdi, vel bovis, mi Pamphile,
Cruentet Aras ſanguine, aut aliud Deis
Quodcumque mactet; ſive quod docta manus
Laborat oris, purpura ardenti micans,

Au-

Aureum textum pallium, aut candens ebur,
Viridem aut ſmaragdum, muta quæ moles ſinit,
Animantes imitans offerat; Numen ſibi
Credat ſecundam: Mentis hic nimium levis,
Heu graviter errat. Commodis ſit moribus
Homo neceſſe eſt: Virginis caſto innocens
Parcat pudori, parcat alieno toro.
Furtè atque cædis inſcias ſervet manus
Cave ergo vel acum ne appetas mi Pamphile.
Te quippe nuſquam non videt præſens Deus.

XXI. Illud Iſaiæ 26. 18. *Concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum*, Plato in *Thæteto* Socratem loquentem inducens ſic exprimit: *Qui conſuetudine mea utuntur, ii feminis parientibus perſimiles ſunt. Parturiunt illi ſiquidem, & noctes atque dies ipſis etiam puerperis vehementius angi ſolent. Hunc vero partus dolorem artis meæ vi cum excitare ipſe, tum etiam levare poſſum.* Refert *Euſebius* Libro 12. *Præparationis Evangelicæ*, Capit. 45.

XXII. *Ezechielis* 22. 18. 19. 20. dicitur: *Fili hominis, verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: Omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: Scoria argenti facti ſunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod verſi eſtis omnes in ſcoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jeruſalem, congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis: Ut ſuccendam in ea ignem ad conflandum.* Quibus affinia Platonem loqui obſervat *Euſebius*, verba ejus referens Libro 12. *Præparat. Evang.* Cap. 43. *Quotquot*, inquit, *in Civitate verſamur, fratres ſumus omnes. Verum fictor ille Deus, ut ajunt, qui ex nobis ad imperandum apti eſſent, aurum iis dum procreantur admiſcuit, ex quo plurimum dignitatis conſecuti ſunt. Qui vero ad operam aliis navandam idonei forent, his argentum aſperſit: Agricolis denique ac cæteris opificibus, ferrum atque æs infudit. Ergo cum tanta omnes cognatione conjuncti ſimus, nobis quidem ut plurimum ſimiles procreamur: Sed tamen contingit aliquando, ut ex auro argentum, vel ex argento aurum, cæteraque viciſſim omnia ex aliis alia generentur. Principibus igitur ac Magiſtratibus primum hoc Deus ac præcipue mandat, uti nihil æque diligenter ac ſtudioſe curandum ſibi ac providendum exiſtiment, quam ut ex iis metallis quid cuique liberorum nepotumque ſuorum animo admixtum ſit, intelligant. Quos porro ex illis aut ſubæreos, aut ſubferreos eſſe cognoverint, iis nihil prorſus indulgeant, ſed illos, prout natura ſua conditio poſtulabit, in opificum aut agricolarum claſſem ordinemque transferibant. Similiter quos aut ſubaureos, aut ſubargenteos a natura factos eſſe deprehenderint, eos pro ſua quemque dignitate ad Rempublicam vel gerendam, vel juvandam, admoveant. Tum enim utique Rempublicam interire oportebit, cum ejus adminiſtrationem ferreus quiſpiam æreuſve cuſtos ſuſceperit.*

XXIII. *Ezechielis* 34. 2. Populi Principes ita compellantur; *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: Nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: Gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum non reduxiſtis.* Quæ ſic in primo Libro ſuo de Republica *Plato* expreſſit: *Nunc autem vides, mi Traſymache, te, qui verum Medicum principio definieris, deinceps tamen veri Paſtoris eſſe noluiſſe, diligenter ac ſtudioſe gregem cuſtodire, ſed potius eum, quatenus Paſtor eſt, ſic oves ſuas paſcere, ut non jam qui oves optime habeant, ſed epulonis cujuſdam convivium inſtruentis more, qui lautè convivas ſuos excipiat, attente conſideret: Vel ſane quemadmodum eas, tanquam cauſator aliquis, non tanquam Paſtor, ſuo compendio vendat. Arti ſane Paſtorali cura nihil aliud eſt, quam ut creditis ſibi commiſſiſque gregibus optima quæque ac ſaluberrima provideat. Nam artem ipſam quod attinet, abunde ni fallor, rebus per ſe ſe omnibus, ut optima illa vereque paſtoralis omnino ſit, neceſſariis inſtructa eſt. Ita nunc quidem fateri neceſſe eſſe arbitrabar, Principatum omnem, quatenus Principatus eſt, ejuſmodi eſſe, qui alteri nemini quam poteſtati ſuæ fideique commiſſo, optima quæque proſpiciat, ſeu publicus ille ſit, ſeu privatus etiam Principatus. Tu vero Rerumpublicarum Principes, ſi vere modo Principes fuerint, Principatum ultro gerere arbitraris.*

XXIV. Propoſitio noſtra rurſus probatur ex *Hermippo*, quem teſtem appellat *Joſephus* Libro 1. contra Apionem: *Hermippus*, inquit, *vir circa omnem Hiſtoriam diligentiſſimus indagator, refert in primo de Pythagora Libro, in quo Pythagoras uno familiarium ſuorum defuncto, nomine Calliphonte, genere Crotoniate, illius animam dicebat ſecum degere die noctuque: & quod præciperet ut non tranſiret locum, ubi aſinus lapſus eſſet, & ab aqua fæculenta ſemetipſum abſtineret, & ab omni blaſphemia recederet. Hæc autem agebat atque dicebat Judæorum & Thracum opiniones imitatus, ac transferens in ſemetipſum. Dicitur enim vere quod ille vir multas Judæorum Leges in ſuam tranſtulit Philoſophiam.*

Item ex *Ariſtobulo*, apud *Euſebium* Lib. 13. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 12. *Satis conſtat*, inquit, *Legum noſtrarum inſtituta ſecutum eſſe Platonem, & ſingula earum capita diligenter ac ſtudioſe perlegiſſe. Nam etiam ante Demetrium illum Phalereum, adeoque ante Alexandri ac Perſarum Imperium, ea jam omnia Græce ab aliis converſa fuerunt, quibus illa Hebræorum popularium noſtrorum ex Ægypto migratio, tum eorum ſeries quæ cælitus ipſis evenere, promiſſæ Regionis occupatio, & univerſa Legis expoſitio continetur: Nemini ut dubium eſſe poſſet, quin ſuos in Libros laudatus inde Philoſophus pleraque derivarit: fuit enim is lectionis plurimæ, quemadmodum & Pythagoras, qui e noſtris ſelecta quoque permulta ſuis illis Decretis inſeruit.* Et infra: *Divinam quippe vocem accipere non ſic oportet, non ut ſermonem aliquem conceptis incluſum expreſſumque verbis ſed ut operum ipſorum molitionem, quo plane ſenſu creationem mundi univerſam Legiſlator ille Moſes Dei vocem appellavit. Nam de ſingulis operibus ita pronuntiat.* Dixitque Deus, & factum eſt. *Id quod ego Pythagoram, Socratem, ac Platonem, cum noſtra omnia curioſe rimati eſſent, omnino ſecutos exiſtimo, cum ſe ſe Dei vocem exaudire dicerent, in illa Univerſi molitione, quæ tam accurate a Deo perfecta, ſic ſemper ſimilis integraque perſiſterat, contemplatione defixos.*

XXV. Idem confirmatur ex *S. Juſtino* Martyre Apologia 2. *Proinde*, inquit, *& Plato cum dixit*, Cau„ ſa ſive culpa, deligentis eſt, Deus autem cul„ pa caret: *A Moſe id acceptum protulit. Longe namque antiquior eſt Moſes omnibus etiam Græcorum Scriptoribus. Atque omnia quæ de Animæ immortalitate, aut ſuppliciis poſt mortem, aut cæleſtium rerum contemplatione, aut ſimilibus doctrinis, & Philoſophi, & Poetæ dixerunt, a Prophetis argumenta ſumpta & intelligere ea, & exponere potuerunt.*

Scriptores Ethnicos multa ex Moſis fontibus hauſiſſe, Veteres Patres confirmant.

Item ex *Tertulliano* Apologetici Cap. 47. *Adhuc enim*, inquit, *mihi proficit Antiquitas præſtructa divinæ, quo facile credatur theſaurum eam fuiſſe poſteriori cuique ſapientiæ. Et ſi non onus jam voluminis temperarem, excurrerem in hanc quoque probationem. Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, qui non de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur & Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt. Inde & a quibuſdam quoque ejecta Philoſophia, dum ad noſtra contaminantur. Sed homines gloriæ, & eloquentiæ ſolius libidinoſi, ſi quid in Sanctis offenderunt Digeſtis, exinde regeſtum pro inſtituto curioſitatis ad propria verterunt, neque ſatis credentes divina eſſe, quo minus interpolarent, neque ſatis intelligentes ut adhuc tunc ſubnubila, etiam ipſis Judæis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam & ſi qua ſimplicitas erat veritatis, eo magis ſcrupuloſitas humana fidem aſpernata nutabat, per quod in incertum miſcuerant etiam quod invenerant certum .... Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam Spiritibus erroris. Ab iis adulteria hujuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſubornata: Ab his quædam etiam fabulæ immiſſæ, quæ de ſimilitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam ſibi potius evincerent, ut quis ideo non putet Chriſtianis credendum, quia nec Poetis nec Philoſophis: Vel ideo magis Poetis & Philoſophis exiſtimet credendum, quia non Chriſtianis. Itaque ridemur Deum prædicantes judicaturum:*

Sic enim & Poetæ, & Philoſophi tribunal apud Inferos ponunt: & gehennam ſi comminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus, proinde decachinnamur: Sic enim & Pyriphlegeton, apud Mortuos amnis eſt: & ſi Paradiſum nominemus locum divinæ amœnitatis recipiendis Sanctorum Spiritibus deſtinatum, maceria quadam ignea illius zonæ a notitia orbis communis ſegregatum, Elyſii campi ſidem occupaverunt. Unde hæc, oro vos, Philoſophis aut Poetis tam conſimilia? Non niſi de noſtris Sacramentis. Si de noſtris Sacramentis, ut de prioribus, ergo fideliora ſunt noſtra, magiſque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt. Si de ſuis ſenſibus, jam erga Sacramenta noſtra imagines poſteriorum habebuntur, quod rerum forma non ſuſtinet. Nunquam enim corpus umbra, aut veritatem imago præcedit. Legantur *Clemens Alexandrinus* Libro 5. *Stromatum*, & *Euſebius* Libris undecimo & duodecimo *Præparationis Evangelicæ*.

His conſonat *S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 1. Contra Julianum*, ubi præmiſſa Græcarum Antiquitatum Chronologia, & cum Rerum Hebraicarum Epochis comparata, ſubdit: *Igitur ex accurata temporum & proſapiarum deſcriptione, cui non perſpicuum ſit, omnes Græcorum Sapientes divino Moſi tempore poſthumaſſe, qui & novitii & nuper prodeuntes cœpta jam ab Olympiadibus computatione, longo poſt tempore extiterint? Unde credo datur intueri, ac etiam pro certo aſſeverare illos non prorſus Moſis dogmatum, ſuſtaque illi a Deo ſapientia expertes & ignaros, nonnunquam balbutire verum falſo admiſcentes, ac veluti fragrantiſſimum unguentum cœno macerantes. Nam quæ digna ſcitu aut ſapiens non Moſaicis ſermonibus ineſt diſciplina? Vel quis ejus opera non obſtupeſcat? Quippe qui Græcorum ſubtilitates exacte indagarunt, dividi ajunt Philoſophiam in contemplatricem & activam, ac ſi quis utrimque dexter atque felix fuerit, eum videri pleno ſucceſſu in Philoſophia voti compotem eſſe. Agedum cerne mihi Moſem hujuſmodi: Nam & ore divino eruditus ſupra cæteros mortales, de Suprema omnium Eſſentia & incomparabili gloria, atque in cunctos eminentia, univerſique Auctorem, Dominum unum, ſolumque Deum demonſtrat: Iiſque quibus bonum cordi eſt & beata vita ineſſit cupiditas, præſcripſiſſe cernitur omnium longe optima & præferenda, per quæ maxime venerabiles evaſuri ſunt. Enimvero dicet forſan aliquis, ita eſt Moſem Græcis Sapientibus eſſe antiquiorem, nec tamen inde verum fieri eos ex illius ſapientia ſuffuratos, aut aliquid interpolaſſe competens. Atqui curioſi nullamne oratio noſtra probabilitatem contineat, judicent. Hiſtoriarum Scriptores apud eos omnem, ut ita dicam, orbem terræ pervagati, ſemper diſcendi cupidi fuerunt, ut multa ſcire atque cognoſcere viderentur. Quare & magnum ſuæ commentationis argumentum illud eſſe duxerunt, ſi nihil eorum quæ geſta eſſent ſilentio præterirent. Ecquis tales viri utilia diſcere ſoliti, tam graves Hiſtorias noſſe, dogmatumque & legum antiquiſſimam & accuratam explanationem capeſſere neglexiſſent? Quippe Pythagoras Samius, & Thales Mileſius, non exiguo tempore in Ægypto morati, collectis inde quibus inſtructi fuiſſe perhibentur diſciplinis in patriam redierant. Et quidem ipſe Ariſtonis filius Plato in Timæo, ait, Solonem profectum Athenis in Ægyptum veniſſe, ibique convento quodam Pſeudoprophetarum ſive Sacerdotum hæc audiſſe: O Solon, Solon, Græci ſemper eſtis pueri, ſenex vero Græcus nemo eſt, juvenes ſiquidem animis omnes nullam habetis in vobis antiquam opinionem, neque diſciplinam tempore confirmatam: Sed vos fallit quod per multas ætates literarum expertes ac muti fueritis. Ex quibus facile, uti reor, quiſpiam deprehenderit, antiquiſſima eſſe Chriſtianorum Dogmata: Nondum enim apud Græcos literarum erat ſcientia, vixque Cadmus eas a Phœnicia ipſis attulerat, cum jam Scripta Moſis extarent. Quin etiam & Solon Athenis Legum Auctor & ipſe Plato, uterque in Ægypto ideo verſatus, ut cæteris omnibus præſtare ſcientia viderentur, Scripta Moſis admirati ſunt. Quod autem Græcis Hiſtoriarum Scriptoribus notiſſimus eſſet Moſes, ex his quæ ipſi ſcripſerunt licet cognoſcere. Nam Polemon in primo Græcarum Hiſtoriarum ejus meminit, & Ptolemæus Mendeſius, Hellanicus, Philochorus, & Caſtor, cumque his plerique alii. Diodorus, qui res Ægyptiorum curioſe perquiſivit, ait ſe de illo ex eorum Sapientibus audiviſſe, ſcripſitque in hæc verba: Nam poſt antiquum vivendi apud Ægyptios morem, qualem ſub Diis & Heroibus fuiſſe illi fabulantur, primo multitudinem Legibus ſcriptis uti & vivere perſuaſam ferunt a Viro magni animi, & novo genere vitæ apud Judæos omnium quot unquam fuerant maxime ſuſpiciendo, qui Moſes Deus vocaretur. Cum enim omni virtute cumulatiſſimum conſpicarentur Moſem, Deum ipſum appellarunt, quem nonnulli, ut opinor, apud Ægyptios colerent, inſuper quod Supremum Deum ei hæc dixiſſe;* Ecce dedi te Deum Pharaoni. *Igitur de antiquitate ſatis ſuperque, uti reor, & quod Scripta Moſis, illa quæ in honore fuit apud Græcos ſapientia, tempore ſuperiora ſunt, habeantque famam antiquiorem, oratio noſtra demonſtratione quæ redargui nequeat uſa, abunde declaravit.*

XXVI. Obiicit *Marshamus* in Canone Chronico pag. 150. Veriſimile non videri Philoſophiam Platonicam aut Pythagoricam ex fonte Judaico derivatam fuiſſe; ſi vel Judæorum Rempublicam vel illorum mores examinemus. Enim vero ante captivitatem Babylonicam, five ſeptem Sapientum ætatem, Græci non ſolum Philoſophiæ, ſed & rerum ſuarum, magis exterarum incurioſi fuerunt. Poſt reditum e Babylone, Judæorum Reſpublica ſub Perſis adeo obſcura fuit, ut vix nomen eorum ætate *Herodoti* Græcis auditum fuerit. Dum Aſſyrios penes Medoſque & Perſas Oriens fuit, viliſſima pars ſervientium (inquit *Tacitus* Libro 5. *Hiſtoriæ*.) Ab Expeditione *Alexandri*, Græcis primum innotuerunt Judæi; ſub Seleucidis demum inclaruerunt. Poſt *Alexandri* victorias obvia erat Judæorum memoria. Si mores Judæorum inſpiciamus, nulla fuit iis conſuetudo cum exteris; neque viſebant eos, neque ab iis viſebantur. *Nos* (inquit Joſephus Libro 1. contra Apionem) *neque terram habitamus maritimam, neque negotiationibus gaudemus, neque earum cauſa cum aliis conſuetudinem habemus, ſed Urbes noſtræ procul ſunt a Mari: Nos autem terram fertilem incolentes, in ejus cultura laboramus.... Præterea, cum ſit nobis propria vivendi ratio, nihil fuit antiquis temporibus, quod nobis converſationem faceret cum Græcis.* Alibi *Joſephus* non negat quod obiicit *Molo*, *Judæos Numinum ex aliis Gentibus recipere diverſa de Numine ſentientum; neque communicare cum iis qui aliam ſequuntur vitæ rationem* præter Judaicam. Sane Judæi, ex decreto Sapientum, Gentiles omnes pro immundis habebant, adeo ut ex eorum contactu contraheretur immundities. Hinc Judæi, *Ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha, non intraierunt in Prætorium* Pilati. *Joannis* 18. 28. Et *S. Petrus* Actuum 10. 28. ait; *Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam.* Aliam cauſam comminiſcitur *Juſtinus* Libro 36. Hiſtoriarum: *Quoniam metu contagionis pulſos ſe ab Ægypto meminerant, ne eadem cauſa inviſi apud incolas forent, caverunt ne cum peregrinis communicarent: Quod ex cauſa factum paulatim in diſciplinam Religionemque convertit.* Quod autem ad Legis Moſaicæ communicationem attinet, gloriabantur Judæi *Legem fuiſſe hæreditatem ac peculium Eccleſiæ Jacob*, adeoque ſibi propriam, neque Gentibus aliis per Verſionem communicandam. Miranti *Ptolemæo Philadelpho*, cur Legum Moſaicarum *nec Hiſtoricorum, nec Poetarum* quiſquam meminiſſet, reſpondit *Demetrius*, referente *Joſepho* Libro 12 *Antiquitatum*, Cap. 2. *Divinitus pœnas dediſſe quoſdam, qui eas ſollicitaſſent: Theopompum mente, Theodectem viſu orbatum fuiſſe.* Denique *Lactantii* teſtimonio refelluntur, qui *Platonem & Pythagoram* ad Judæos acceſſiſſe volunt, & ex eorum conſuetudine pleraque dogmata hauſiſſe, & in Philoſophiam ſuam transtuliſſe. Sic enim *Lactantius* Libro 4. *De vera Sapientia*, Cap. 2. *Equidem mirari ſoleo, quod cum Pythagoras, & poſtea Plato, amore indagandæ veritatis ad Ægyptios, & Magos, & Perſas uſque penetraſſent, ut earum Gentium Ritus & Sacra cognoſcerent; (ſuſpicabantur enim Sapientiam in Religione verſari) ad Judæos tamen non*

Marshami objectionibus reſpondetur.

eſt

mutuaſſerint, penes quos tunc ſolos fuit, & quo facilius eo potuiſſent.

Reſpondetur; Quod etſi Græcos ante ſeptem Sapientes, rerum ſuarum, multo magis exterarum, incurioſos fuiſſe *Morſhamo* concedamus; certiſſimum tamen eſt, omnes Græcorum Poetas, Philoſophos, Hiſtoricos, multis poſt *Moyſen* ſæculis floruiſſe; cum ante ſeptem illos Sapientes nullum Scriptorem habuerint Græci: *Moyſe* autem longe recentiores illi fuerint. Nil igitur obſtat quin e Libris *Moyſis* multa ſuffurari potuerint. Judæorum Rempublicam ſub Aſſyriorum, Medorum, & Perſarum Imperio vilem & obſcuram fuiſſe, ut ne cognitum quidem *Herodoto* fuerit eorum nomen, falſiſſimum eſt. *Davidis* enim & *Salomonis* ætate florebat adhuc Aſſyriorum Imperium; Tunc autem & res Judæorum erant floreutiſſimæ. *Davidi* enim Deus *fecit nomen grande, juxta nomen Magnorum qui ſunt in terra*, (2. Regum 7. 9.) *Divulgatumque eſt nomen David ſuper univerſis regionibus, & Dominus dedit pavorem ejus ſuper omnes Gentes*. (1. Paralipomenon 14. 16.) *Salomon vero magnificatus eſt ſuper omnes Reges terræ divitiis & ſapientia. Et univerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, ut audiret ſapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus. Et ſinguli deferebant ei munera.* Et *Regina Saba audita ejus fama in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus*. (3. Regum 10.) Medis imperantibus Judæos vilia fuiſſe mancipia quis dixerit, cum ex ſua Gente Reges haberent? Plurimos Judæos ſuſceptæ a *Xerxe* Perſarum Rege adverſum Græcos Expeditionis ſocios fuiſſe, teſtis eſt *Choerilus* Poeta vetuſtiſſimus his verbis:

Tranſiit inde hominum genus admirabile viſu:
Phœnicum ſimilis grandi ſonat ore loquela,
Montibus in Solymis habitant, juxtaque paludem
Immenſam: Attonſum ſqualløns caput obſidet horror.
Pro galeis, derepta ab equis, duratque fumo
Ora ferunt.

Ac Judæos quidem, (inquit Euſebius) *hic ab eo verbis expreſſos ac deſignatos eſſe, vel inde conſtat, quod & Hieroſolyma in Montibus iis quos Solymos Græci vocant, ſita ſit, & prope ab Aſphaltide palude abſit, quæ, ut Poeta loquitur, latiſſima eſt, omniumque Syriæ paludum maxima.* Hæc *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 9. *Taciti*, in iis quæ Judæos ſpectant, ſublesta fides eſt. Judaicam gentem *Herodoto* ignotam non fuiſſe, *Joſephus* probat Libro 1. contra Apionem, ac nomine *Syrorum qui Palæſtinam habitant*, Judæos indigitare. Judæis nullam fuiſſe omnino cum Exteris conſuetudinem, nullum commercium, æque falſum eſt, nec ita ſtricte accipienda ſunt *Joſephi* verba qui ſecum ipſo & cum Scriptura Sacra alias pugnaret. Nam primum Judæos ex Ethnicis pleroſque ſervaſſe incolumes, cum Palæſtinam armis ſubegerunt, velut Gabaonitas, Jebuſæos, alioſque, Sacræ literæ teſtantur, & hac inopportuna clementia divinam adverſus ſe iram ſæpe concitaſſe. Præterea, Judæia, vel propter vicinitatem, frequens interceſſit cum Phœnicibus commercium; *Davidi* etiam & *Salomoni* cum *Hiramo* Rege Tyri, cum Regina Saba, cum Regibus Hethæorum, & Syriæ, & cum Ægyptiorum Rege, cujus filiam duxit. (3. *Regum* 9. 10. & 2. *Paralipomenon* 2.) Quin & Sidonias duxit uxores & Moabitas, & Ammonitidas, Idumæas, & Hethæas, a quibus depravatum eſt cor ejus, ut earum Idola coleret. Quamvis autem Judæi de Lege velut de peculio & hereditate glorarentur, nec eam facile cum Exteris communicarent, inde colligi non poteſt, quod Ethnici Libros Sacros legere non potuerint, & ex iis plurima ſuffurari. Qui enim cum profanis Gentibus amicitias & fœdera ineundo, Legem divinam ſæpius violaverunt & qui inter Gentes commixti opera earum didicerunt, quidni & Libros Sacros cum iiſdem communicarint? Præterea inter clades & captivitates, tum Aſſyriacam, tum Babylonicam, & reliquiarum etiam Judaicarum una, cum Propheta *Jeremia* tranſmiſſionem in Ægyptum; fieri non potuit quin Libri Sacri in Ethnicorum poteſtatem & cognitionem venirent; maxime cum Judæi tenerentur ſinguli Legis exemplar, vel per ſe, vel, ſi literas neſcirent, per alium deſcriptum habere, idque ita contigiſſe, permittente Deo, ne generi humano utiliſſimum Opus intra Gentis unius anguſtos fines contineretur, confirmat *Philo* Libro 2. *De Vita Moyſis*. Ingens etiam Proſelythorum numerus ad Judæorum Religionem ac Ritus ex omnibus Mundi regionibus confluentium, ut conſtat ex *Paralipomenon* 2. Cap. 2. 5. 17. & 18. veriſimillimum eſſe probat, Libros *Moyſis* ad exterarum Gentium notitiam perveniſſe, & a Viris inter Ethnicos Eruditis fuiſſe lectos. Tandem etſi ante *Ptolemæi Philadelphi* tempora nulla fuiſſet adornata Scripturæ Sacræ Verſio, potuiſſent Poetæ & Philoſophi Ethnici ſufficientem Hebraicæ Linguæ notitiam comparare ad eam legendam, & ſecundum verborum ſaltem ſenſum intelligendam, Sicut *Themiſtocles* Perſicam Linguam intra anni ſpatium didicit, ut Perſarum Regem abſque Interprete alloqui poſſet; & *Pythagoras* & *Plato* Linguam Ægyptiacam intra breviſſimum tempus didicerunt, ut Ægyptias Diſciplinas caperſſerent: Vel Judæo aliquo Interprete plurima ex Libris Sacris noſſe, & intelligere potuerunt, quemadmodum multa *Ariſtoteli* a Judeo quodam fuiſſe expoſita ſcripſit *Clearchus*, cujus verba ex Libro 1. *De ſomno* legere eſt apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 5. Idemque teſtatur *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum. *Numa Romanorum Rex*, (inquit idem Pater) *ut Pythagoreus fuerit, hunc ſaltem Moſis ſcriptis fructum cepit, uti Romanos a Dei ſimulacro vel in hominis, vel in cujuſdam animantis ſpeciem fingendo averterit. Adeoque totis ſaltem primis ſeptuaginta ſupra centum annis, Templa quidem ædificarunt, ſed nullam omnino neque fictam, neque pictam Imaginem intulerunt. Hoc enim ipſos occulte Numa docuit, non lingua, ſed mente ſola id quod optimum eſt attingi poſſe.*

An interpretatio aliqua Librorum Moyſis antiquior fuerit Verſione 70. Interpretum?

Denique Viri plerique Eruditi cenſent, ante expeditionem *Alexandri Magni* aliquam Moſaicorum Librorum Interpretationem Græcam extitiſſe, Verſione 70. Interpretum vetuſtiorem, ac proinde veteres Poetas, Philoſophos, & Hiſtoricos Libros *Moyſis* legere potuiſſe. In ea ſunt ſententia *Clemens Alexandrinus* Libro 5. Stromatum, & *Euſebius* Libro 13. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 12. *Ariſtobuli* auctoritate nituntur, quæ eo majoris ponderis eſt, quo ætati illi, vicinior fuit, qua Interpretationem ſuam elaborarunt Septuaginta Senes, & antiquior illa uſurpabatur. Præterea, Libros *Moyſis* ante *Ptolemæum Philadelphum* jam Græca Lingua fuiſſe donatos, confirmatur Epiſtola *Demetrii Phalerei* ad hunc Regem data, quam referunt *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 2, & *Euſebius* Libro 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 3. *Quod mihi*, inquit, *dederes in Mandatis, o Rex, ut qui ad Bibliothecæ complementum deeſſent, ſuper ne Libri conquirerentur, & quæcumque negligentius excidiſſent, ea ſtudioſe ac ſedulo ſarcirentur; id abs me ſumma cum diligentia curatum ad te praſcribo. Deſiderantur tamen cum paucis aliis Judaica Legis Volumina, quod Hebraicis ea Literis ac vocibus continentur. Extat earum quidem, ſed negligentius, atque ut ex peritis audio, perperam expreſſa ſignificatio; nec mirum, Regia enim cura opus illud non fuit. Ea vero ut non minus quam cætera, ad amuſſim exacta penes te habeas, vel hoc nomine plurimum intereſt, quod altioris cujuſdam ſapientiæ, ac ſinceriſſimæ integritatis plena Lex ea ſit, utpote lata divinitus. Quare tam Oratores, quam Poetæ, & quotquot Hiſtoriam conſcripſere, ab ejuſmodi Librorum, adeoque hominum illorum, qui ex eorum præceptis vitam inſtituere, longiſſime abfuerunt, quod iis caſta quædam & auguſta ſenſus & intelligentiæ ratio contineatur, quemadmodum Hecatæus Abderita teſtatur. Quod igitur, o Rex, te approbante fiat, cum Summo Hieroſolymorum Pontifice per literas agendum erit, uti viros morum integritate præſtantes, ætate maturos, & eorum quæ patriam ad Legem pertinent omnium cognitione præditos ſex Tribubus e ſingulis ad te mittat, ut quem in ſenſum plures convenerint, diligenti examine conſtiteris, eum ſeligamus, & accuratam eorum Librorum Interpretationem, prout res ipſa & voluntatis tuæ ratio poſtulat, honeſto & illuſtri in loco reponamus.* Ex quibus

bus patet, ante *Ptolomæi Philadelphi* imperium extitiſſe quidem Moſaicorum Librorum Verſionem, ſed minus accuratam. Id confirmat etiam *Ariſtæus* ab *Euſebio* laudatus Libro 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 5. apud quem *Demetrius Ptolemæo Philadelpho* ait, *Se ex Theopompo quodam audiviſſe, quod ex Lege nonnulla Græce jam reddita, audaciori quodam orationis genere vulgare ſtatuiſſet, mentis eum perturbatione dies amplius triginta laboraſſe.* Legatur Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius* Libro *Demonſtrationis Evangelicæ*, *Propoſitione* 4. Cap. 12.

Negat quidem *Lactantius*, Pythagoram & Platonem ad Judæos acceſſiſſe, at non negat illum multa ex Judæorum Libris in Philoſophiam ſuam tranſtuliſſe, quod *Hermippus*, *Ariſtobulus*, *Joſephus*, *Juſtinus Martyr*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, & *Euſebius* affirmant: Sed & *Porphyrius* in Vita *Pythagoræ* aſſerit illum ſciendi deſiderio varias adiiſſe Nationes, præſertim Arabes, Ægyptios, Chaldæos, & Hebræos. Scribit etiam *Jamblicus* in *Pythagoræ* Vita, Sidone congreſſum fuiſſe *Pythagoram* cum *Mochi Phyſiologi* ſucceſſoribus. *Jamblici* teſtimonium erudita obſervatione D. *Huetius* illuſtrat, duos *Mochos* diſtinguens, Phœnices ambos, unum Hiſtoricum, qui res gentis ſuæ patria lingua prodidit, cujus meminerunt *Athenæus* Libro 3. *Joſephus* Libro 1. *Antiquitatum*, Cap. 4. *Tatianus Oratione contra Gentes*. Alterum Phyſiologum quem commemorat *Jamblicus*, quem *Strabo* Libro 16. *Mochum Sydonium* appellat, quemque Phyſica tractaſſe ait, & Trojano Excidio fuiſſe vetuſtiorem. Hujus etiam meminit *Sextus Empyricus*. Emendandum ergo *Jamblicum* cenſet D. *Huetius*, & pro Μώχυ ſcribendum Μώσυ: Hunc autem ipſum videri *Moyſen* qui merito Phyſiologus dictus eſt, utpote qui ſcripſerit de rerum primordiis, Trojanumque Bellum ætate præceſſit, & *Sydonius* credi potuit ab iis qui patriam ipſius ignorabant. Nonnunquam enim cum Phœnicibus Judæos ob viciniam confundi, certum eſt. Præterea, cum inter Ægyptios ac Perſas, tanquam in meditullio poſiti Judæi ultro citroque commeanti *Pythagoræ* ſeſe velut obviam darent, & *Lactantius* fateatur *Pythagoram* veritatis indagandæ ſtudio ad Ægyptios & Perſas penetraſſe, vix credibile eſt quod Judæos non adierit, neque cum illis congreſſus ſit. Denique *Zaratum* Aſſyrium, (pro quo *Nazaratus* perperam legitur apud *Clementem Alexandrinum* Libro 1. Stromatum) *Pythagoræ* Præceptorem fuiſſe, ſcribit *Alexander*, Libro De Pythagoricis Symbolis. *Zaratum* autem illum *Ezechielem* fuiſſe quidam ſenſerunt, teſte *Clemente Alexandrino*: Quam opinionem licet ille rejiciat, ipſam tamen veriſimilibus conjecturis approbat Illuſtris *Huetius Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione* 4v. p. 220. Et certe, ſi temporum ineatur ratio, exploratum erit juventutem *Pythagoræ*, qui *Polycratis* Samii coævus fuit, in *Ezechielis* ſenectutem incidiſſe. Proindeque eum ad Chaldæos iviſſe *Pythagoram* conſtet, non ſolum fieri potuit ut eum *Ezechiele* viro inter ſuos claro, & ſanctitate, vaticiniis, ac prodigiis celebrato fuerit converſatus; ſed aliter etiam fieri non potuit, cum ad ejuſmodi tantum viros noſcendos & alloquendos tam longinquas peregrinationes ſuſceperit. Ut ut eſt, adeo certum fuit Antiquis *Pythagoram* ex ſacris Moſaicorum Librorum fluentis hauſiſſe, ut propterea ipſum ex Judæis genus duxiſſe, falſa opinione decepti, crediderint. Ita *S. Ambroſius* Libro 3. Epiſtola 20. *Cum ex populo Judæorum (ut plerique arbitrantur) genus Pythagoras duxerit, ex ejus diſciplina derivavit etiam Magiſterii præcepta.*

Objicit *Marshamus* Apollinis Oraculum, quod Ægyptiis veræ eruditionis, & viæ ad felicitatem ducentis originem tribuit, referente *Porphyrio* Libro 2. *De Oraculorum Philoſophia*, apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 10. Sic autem habet:

Ardua, & innumeris Divum eſt via conſita ſaxis.
Ac primum e valvis rigida ſtridentibus ære
Panditur: Hinc æqui ambiguo diſcrimine calles,
Quos facta immenſe primi docuere Nepotes,
Niliaco andantes potant qui gurgite lymphas.

Reſpondetur, falſi Numinis falſum eſſe Oraculum, qua parte Ægyptiis primas Sapientiæ tribuere videtur, atque primos viam quæ ad felicitatem ducit docuiſſe aſſerit. Idem tamen Hebræis tribuit:

Plurima quin etiam ad ſupera vix cognita Sedes
Phœnici, Aſſyrii, Lydi Hebræoque coloni.

Ægyptios quidem primo nominat Poeta metro forte ſuo indulgens, vel gradatione uſus ab Ægyptiis incipit, & in Hebræis ut omnium laude digniſſimis deſinit: Sed non minus Hebræis quam Ægyptiis inventionem tribuit, quæ ad felicitatem homines ducat, neque Hebræos ab Ægyptiis ſua mutuatos vel leviter innuit, ut ex ipſo conſtat Oraculi interprete Porphyrio. *Nam*, inquit, *quæ ad Deos via ducit, æreis obſtructa vinculis, arduaque ſimul & aſpera eſt, cujus cum Barbari colles ſemitaſque plurimas invenerint, Græci tamen partim ab ea prorſus aberrarunt, partim eam cum jam tenerent extimo depravarunt. Cæterum illius inventionem Ægyptiis, Phœnicibus, Chaldæis, (Aſſyrii enim illi ſunt) Lidis, & Hebræis Deus aſſignandam eſſe teſtatur.* Præterea aliud *Apollinis* Oraculum Chaldæos, & Hebræos ut ſolos veræ ſapientiæ Auctores ac profeſſores celebrat, non Ægyptios:

Chaldæi, Hebræaque unis Sapientia ceſſit,
Qui caſto æternum venerantur Numen honore.

Idemque conſultus, quo ſenſu cœleſtes orbes multos eſſe dicerent, ita reſpondit:

Unicus in toto curvatur circulus orbe,
At ſeptem Zonis Aſtrorum educitur in orbe.
Has Chaldæus ait, famaque illuſtris Hebræus.
Nomine cœleſtes ſepteno ſerpere curſu.

DISSERTATIO XI.

DE MOSAICORUM LIBRORUM, totiuſque Scripturæ Veteris Teſtamenti Divinitate.

PROPOSITIO UNICA.

Moſaicos Libros, totamque Veteris Teſtamenti Scripturam veram eſſe ac divinam, firmiſſima demonſtrant argumenta.

HAnc Propoſitionem a Viris Eruditis demonſtratam, indicatis dumtaxat argumentis, quæ fuſe explicarunt, probare ſatis erit impræſentiarum.

Primum argumentum quo veritas iſta probatur ex Chriſti & Apoſtolorum teſtimonio petitum eſt, qui *Moyſis* & Prophetarum Scripta laudarunt ad doctrinæ, quam prædicarunt hominibus confirmationem. *Primum argumentum.*

Secundum ex figurarum Veteris Teſtamenti, & Prophetiarum adimpletione in Chriſto, & Eccleſia. Quod argumentum urget *Tertullianus Apologetici* Cap. 20. *Plus jam afferimus*, inquit, *pro iſta dilatione Majeſtatem Scripturarum, ſi non vetuſtatem. Divinas probamus, ſi dubitatur antiquas. Nec hoc tardius aut aliunde diſcendum. Coram ſunt quæ docebunt, Mundus, & ſæculum, & exitus. Quicquid agitur, prænuntiabatur. Quicquid videtur, audiebatur. Quod terræ vorant Urbes, quod Inſulas Maria fraudant, quod externa atque interna bella dilaniant, quod Regnis Regna compulſant, quod fames, & lues, & locales quæque clades, & frequentia plerumque Montium vaſtant, quod ſublimes humilitate mutantur, quod juſtitia rareſcit, & iniquitas increbreſcit, bonarum omnium diſciplinarum cura torpeſcit, quod etiam officia temporum & elementorum munia exorbitant, quod & monſtris & portentis naturalium forma turbatur, providenter ſcripta ſunt. Dum patimur, leguntur, dum recognoſcimus, probantur. Idoneum, opinor, teſtimonium Divinitatis veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta eſt, jam ſcilicet probatorum: Quia cum illis quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eædem voces ſonant, eadem literæ notant, idem ſpiritus pulſat. Unum tempus eſt divinationi futura præfandi. Apud homines, ſi forte, diſtinguitur dum expungitur: Dum ex futuro præſens, dehinc ex præſenti præteritum deputatur* *Secundum argumentum.*

pu-

putatur. Quid delluquimus, ora vos fatuea quoque credentes, qui jam didiceramus illis per duos gradus credere?

Idem argumentum *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 40. paucioribus verbis complectitur. Cui enim, *inquit*, melius narranti præterita credimus, quam qui etiam futura prædixit, quæ præſentia jam videmus? *Et Libro* 10. *Cap.* 32. Præter hanc viam, *inquit*, quæ partim cum hæc futura prænuntiantur, partim cum facta nuntiantur, nunquam generi defuit humano, nemo liberatus eſt, nemo liberatur, nemo liberabitur. Quod autem Porphyrius univerſalem viam Animæ liberandæ nondum in ſuam notitiam Hiſtoriali cognitione dicit eſſe perlatam: Quid hac Hiſtoria vel illuſtrius inveniri poteſt, quæ univerſum orbem tanto apice auctoritatis obtinuit: vel fidelius, in qua ita narrantur præterita, ut futura etiam prædicantur: quorum multa videmus impleta, ex quibus ea quæ reſtant, ſine dubio ſperemus implenda? Non enim poteſt Porphyrius, vel quicumque Platonici, etiam in hac via, quaſi terrenarum rerum, & ad iſtam vitam mortalem pertinentium, divinationem prædictionemque contemnere: Quod merito in aliis vaticinationibus, & quorumlibet modorum vel artium divinationibus faciunt. Negant enim hæc vel magnorum hominum, vel magni eſſe pendenda: & recte. Nam vel inferiorum fiunt præſenſione cauſarum, ſicut arte Medicinæ quibuſdam antecedentibus ſignis plurima eventura valetudini prævidentur; vel immundi Dæmones ſua diſpoſita facta prænuntiant, quorum jus & in mentibus atque cupiditatibus iniquorum ad quæque congruentia facta ducendis quodam modo ſibi vindicant, & in materia infima fragilitatis humanæ. Non talia ſancti homines in iſta univerſali liberandorum hominum via gradientes, tanquam magna prophetare curarunt, quamvis & iſta eos non fugerint & ab eis ſæpe prædicta ſint, ad eorum fidem faciendam, quæ mortalium ſenſibus non poterant intimari, nec ad experimentum celeri facilitate perduci. Sed alia erant vere magna atque divina, quæ quantum dabatur, cognita Dei voluntate futura nuntiabant. Chriſtus quippe in carne venturus, & quæ in illo jam clara perfecta ſunt atque in ejus nomine impleta, pœnitentia hominum, & ad Deum converſio voluntatum, remiſſio peccatorum, gratia juſtitiæ, fides piorum, & per univerſum orbem in veram Divinitatem multitudo credentium, culturæ ſimulacrorum dæmonumque ſubverſio; & a tentationibus exercitatio, proficientium purgatio, & liberatio ab omni malo, Judicii dies, Reſurrectio mortuorum, ſocietatis impiorum æterna damnatio, Regnumque æternum glorioſiſſimæ Civitatis Dei, ejus conſpectu immortaliter perfruentis, in hujus viæ Scripturis prædicta atque promiſſa ſunt: Quorum tam multa impleta conſpicimus, ut recta pietate futura eſſe cætera confidamus. Hujus viæ rectitudinem uſque ad Deum videndum eique in æternum cohærendum, in Sanctarum Scripturarum, qua prædicatur atque aſſeritur, veritate, quicumque non credunt, & ob hoc nec intelligunt, oppugnare poſſunt, ſed expugnare non poſſunt.

Tertium argumentum. Tertium argumentum ſumitur ex Canonicarum Scripturarum concordia, ſummaque conſenſione Prophetarum cum *Moyſe*, totiuſque Novi Teſtamenti cum Veteri, atque Scriptorum Novi Teſtamenti inter ſe, cum variæ ſint & immanes Philoſophorum diſſenſiones. Iſtud argumentum perſequitur *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 41. *Ut autem*, inquit, *jam cognitionem omittamus Hiſtoriæ, ipſi Philoſophi, qui non videntur laboraſſe in ſtudiis ſuis niſi ut invenirent quomodo vivendum eſſet accomodate ad beatitudinem capeſſendam, cur diſſenſerunt & a Magiſtris diſcipuli, & inter ſe condiſcipuli, niſi quia, ut homines, humanis ſenſibus & humanis ratiocinationibus illa quæſierunt? Ubi quamvis eſſe potuerit & ſtudium gloriandi, quo quiſque alio ſapientior & acutior videri cupit, nec ſententiæ quodam modo addictus alie-na, ſed ſui dogmatis & opinionis inventor: Tamen ut nonnullos vel etiam plurimos eorum fuiſſe concedam, quos a ſuis Doctoribus, vel diſcendi ſociis, amor veritatis abruperit, ut pro ea certarent, quam veritatem putarent, ſive illa eſſet ſive non eſſet; quid agit, aut quo vel qua, ut ad beatitudinem perveniatur, humana ſe porrigit infelicitas, ſi divina non ducit Auctoritas? Denique auctores noſtri, in quibus non fruſtra Sectarum Literarum figitur & terminatur Canon, abſit ut inter ſe aliqua ratione diſſentiant. Unde non immerito, cum illa ſcriberent, eis Deum vel per eos locutum, non pauci in Scholis atque Gymnaſiis litigioſis diſputationibus garruli, ſed in agris atque in Urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt. Ipſi ſane pauci eſſe debuerunt, ne multitudine vileſceret, quod Religione carum eſſe oporteret; Nec tamen ita pauci, ut eorum non ſit miranda conſenſio. Neque enim in multitudine Philoſophorum, qui labore etiam literario Monumenta ſuorum dogmatum reliquerunt, facile quis invenerit inter quos cuncta quæ ſenſere conveniant.*

Quartum argumentum. Quartum argumentum ex eo petitur, quod Libri *Moyſis*, & Prophetarum, cæterique Canonici, ab eo Populo, quem Deus elegit, & ſingulari protectione, beneficiiſque non vulgaribus proſecutus eſt, & cui eloquia ſua credidit, ſoli recepti ſint ut vere divini; qui vero ab his diſſentiunt, rejecti ſint, cum profanæ Reſpublicæ contraria ſentientes Philoſophos repererint, eorumque pugnantia de rebus ipſis quibus beate aut miſere vivitur, dogmata æquis auribus exceperint, nuſquam improbaverint vel damnaverint. Iſtud argumentum *S. Auguſtini* verbis exponitur loco mox laudato. Quis autem, *inquit*, Sectæ cujuſlibet Auctor ſic eſt in hac dæmonicola Civitate approbatus, ut cæteri improbarentur, qui diverſa & adverſa ſenſerunt? Nonne apud Athenas & Epicurei clarebant, aſſerentes res humanas ad Deorum curam non pertinere, & Stoici, qui contraria ſentientes, eas regi atque muniri Diis adjutoribus atque tutoribus diſputabant? Unde miror cur Anaxagoras reus factus ſit, quia Solem eſſe dixit lapidem ardentem; negans utique Deum, cum in eadem Civitate gloria floruerit Epicurus vixeritque ſecurus, non ſolum Solem vel ullum Syderum Deum eſſe non credens, ſed nec Jovem, nec ullum Deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum ſupplicationeſque perveniant. Nonne ibi Ariſtippus in voluptate corporis ſummum bonum ponens, ibi Ariſtenes virtute animi potius hominem fieri beatum aſſeverans, duo Philoſophi nobiles & ambo Socratici, in tam diverſis atque inter ſe contrariis finibus vitæ ſummam locantes, quorum etiam ille fugiendam, iſte adminiſtrandam Sapienti dicebat eſſe Rempublicam, ad ſuam quiſque Sectam ſectandam diſcipulos congregabat? Nempe palam in conſpicua & notiſſima Porticu, in gymnaſiis, in hortulis, in locis publicis ac privatis, catervatim pro ſua quiſque opinione certabant: Alii aſſerentes unum: alii innumerabiles Mundos, ipſum autem unum alii ortum eſſe, alii vero initium non habere: alii interiturum, alii ſemper futurum, alii mente divina, alii fortuitu & caſibus agi: Alii immortales eſſe Animas, alii mortales; & qui immortales, alii revolvi in beſtias, alii nequaquam; qui vero mortales, alii mox interire poſt corpus, alii vivere etiam poſtea vel paululum, vel diutius, non tamen ſemper: Alii in corpore conſtituentes finem boni, alii in animo, alii in utroque, alii extrinſecus poſita etiam bona ad animum & corpus addentes: Alii ſenſibus corporis ſemper, alii numquam, putantes eſſe credendum. Has & alias pene innumerabiles diſſenſiones Philoſophorum, quis unquam Populus, quis Senatus, quæ Poteſtas vel Dignitas publica impiæ Civitatis dijudicandas, & alias probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiandaſque curavit, ac non paſſim ſine ullo judicio confuſeque habuit in gremio ſuo tot controverſias hominum diſſidentium, non de agris & domibus, vel quacumque pecuniaria ratione, ſed de his rebus quibus aut miſere vivitur, aut beate; Ubi

etſi

„ etſi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur & falſa; prorſus ut non fruſtra talis Civitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit. Babylon quippe interpretatur confuſio, nec intereſt Diaboli Regis ejus, quam contrariis inter ſe rixentur erroribus, quos merito multæ variæque impietatis pariter poſſidet: At vero Gens illa, ille Populus, illa Civitas, illa Reſpublica, illi Iſraelitæ, quibus credita ſunt Eloquia Dei, nullo modo PſeudoProphetas cum veris Prophetis pari licentia confuderunt: Sed concordes inter ſe atque in nullo diſſentientes Sacrarum Literarum veraces ab eis agnoſcebantur & tenebantur Auctores. Ipſi eis erant Philoſophi, hoc eſt, amatores Sapientiæ, ipſi Sapientes, ipſi Theologi, ipſi Prophetæ, ipſi Doctores probitatis atque pietatis. Quicumque ſecundum illos ſapuit & vixit, non ſecundum homines, ſed ſecundum Deum, qui per eos locutus eſt, ſapuit & vixit. Ibi ſi prohibitum eſt ſacrilegium, Deus prohibuit. Si dictum eſt, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, Deus juſſit. Si dictum, *Non mœchaberis. Non homicidium facies. Non furaberis*, & cætera hujuſmodi, non hæc ora humana, ſed Oracula divina fuderunt. Quicquid Philoſophi quidam inter falſa, quæ opinati ſunt, verum videre potuerunt, & laborioſis diſputationibus perſuadere moliti ſunt, quod Mundum iſtum fecerit Deus, eumque ipſe providentiſſimus adminiſtret, de honeſtate virtutum, de amore patriæ, de fide amicitiæ, de bonis operibus atque omnibus ad mores probos pertinentibus rebus, quamvis neſcientes ad quem finem, & quonam modo eſſent iſta omnia referenda, Propheticis, hoc eſt, divinis vocibus, quamvis per homines, in illa Civitate Populo commendata ſunt, non argumentationum concertationibus inculcata; ut non hominis ingenium, ſed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognoſceret.

Quintum argumentum.

Quintum argumentum ſumitur ex Miraculis, quibus Judaica Religio confirmata eſt, a Deo per *Moyſen*, *Joſue*, & Prophetas, qui Sacros Libros ſcripſerunt, editis. Cum enim Dei ſolius omnipotentis extra communem naturæ ordinem, quippe ab ipſo conſtitutum, ipſique opificii jure ſubjectum, agere poſſit quidquid vult, ad idque agendum hominibus vel Angelis uti, velut miniſtris & inſtrumentis: Deus porro qui prima & ſumma veritas eſt, teſtimonium perhibere non poſſit falſitati, nec falſam Religionem Miraculis, quaſi auctoritatis ſuæ ſigillis obſignare: Eam eſſe veram Religionem neceſſe eſt, quæ miraculis confirmata eſt. Vera autem Religio non eſſet, niſi vera eſſent quæ in ea credenda proponuntur. Cum itaque conſtans fuerit ac perpetua Judæorum fides, eademque & Chriſtianorum, Libros Moyſis, Prophetarum, cæteroſque in Canone conſcriptos, eſſe ſacros & divinos, & ab hominibus Spiritu Sancto afflatis editos; omnia miracula quæ ad Judaicæ & Chriſtianæ Religionis veritatem confirmandam olim patrata ſunt, ad Sacrorum etiam Librorum divinitatem probandam facta conſequenter cenſeri debent. De hujuſmodi porro miraculorum veritate prudenter dubitari non poteſt, quæ a teſtibus, idoneis id eſt, quorum nec judicium, nec fides laboret, ab hominibus ſanctis, quales fuerunt Moyſes & Prophetæ, referuntur, literis mandantur, edita in conſpectu Populi totius narrantur, iis ipſis præſentibus quorum teſtimonio argui convincique poſſent mendacii, qui hæc memoriæ prodiderunt, ſi falſa & conficta eſſent. *Moyſis* & Prophetarum veracitatem probat divina ipſorum vocatio, vitæ integritas, divitiarum, gloriæ, voluptatis, vitæ ipſius contemptus, ubi pro Dei gloria, Populique ſalute exponenda eſſet, maximeque eventus Vaticiniis reſpondentes. *Moyſen* Dei oraculo commendatum ac Populo præfectum perpetua inter Hebræos fama ſemper conſtitit. Eum vero nec ſuæ gloriæ, nec ſuorum commodis ſtuduiſſe, perſpicuum eſt, cum & peccata ſua, fratriſque *Aaronis*, quæ diſſimulare poterat, ipſe ſcriptis tradiderit, & Regni Sacerdotiique dignitatem aliis aſſignaverit, ſua poſteritate in Levitarum ordinem redacta: Quæ omnia ſatis evincunt, nihil ei cauſæ fuiſſe cur mentiretur.

Præterea, quod *Moyſes* facta & miracula, quæ in ejus Libris narrantur, confinxerit, eaque hominibus eorum nota eſſet, falſitas, perſuadere voluerit, ac revera perſuaſerit, res eſt ab omni ſpecie veri prorſus aliena. Id enim ſuſpicari vetat, 1. Ingens hominum multitudo quibus imponendum fuiſſet. 2. Factorum ipſorum, quæ omnium ſenſibus uſurpata erant, evidentia. 3. Narrata Iſraelitarum crimina, murmurationes adverſus Deum, Vituli aurei cultus, incredulitas ac diffidentia, blaſphemiæ, ſeditiones, perduelliones, libidines, cæteraque crimina, quibus ipſos iram Dei provocaſſe, & tot flagellis a Deo caſtigatos fuiſſe, in ipſis Libris *Moyſis* ſcriptum eſt; 4. Monimentorum ſenſibilium ac perpetuorum inſtituta ad hujuſmodi eventorum memoriam ſervandam. 5. Styli orationiſque ſimplicitas. Hæc (inquam) omnia ſuſpicari vetant, quod *Moyſes* affingere voluerit. Illo enim viri alicujus eximii & eruditione celebris auctoritas, & ad veri ſpeciem compoſita argumenta in rebus ſpeculationi Philoſophorum vel Theologorum objectis plurimos decipere poſſit; fieri tamen non poteſt ut ſexcentis & amplius hominum millibus, ut integræ Genti perſuadeat ipſos vidiſſe quod non viderunt, converſas aquas fluminum in ſanguinem, tenebras Ægyptiis omnibus offuſas, vaſtatos grandine, & locuſtis eorum agros, occiſa ab Angelo eadem nocte omnia primogenita tam pecudum quam hominum Ægyptiorum; Mare Rubrum virga diviſum, populi per medium ipſius trajectionem, aquis hinc & inde muri fluitantis inſtar ſuſpenſis, Pharaonici Exercitus ſubmerſionem aquis mirabiliter retrogreſſis, columnæ nubis & ignis quæ viæ dux eſſet, cœleſte phœnomenon; Manna per annos quadraginta delapſum; Nubem denſiſſimam Montem Sinai operientem, mugientia tonitrua, fulgura micantia, clangorem buccinæ perſtrepentem, auditam Dei vocem cum in eodem Monte data Lex eſt; *Core, Dathanis, & Abironis*, quos univerſo Populo ſpectante terra vivos abſorbuit, mortem terribilem. Hæc (inquam) & alia hujuſmodi, qua ratione viſa Iſraelitis dicere, ſcribere, inculcare, perſuadere *Moyſes* potuiſſet, niſi ſe vera ita geſta, & ab ipſis viſa eſſent? An ita inſipiens credatur, ut fabulas, quarum falſitas omnibus Hebræis explorata eſſet, ipſis propoſuerit ut Religionis, ut Legum, ut Auctoritatis ſuæ fundamenta, rationeſque obedientiæ ab ipſis exhibendæ? An ipſos teſtes appellaverit tot Miraculorum, ſi ficta ſint? An ſacramenta, ſacrificia, cæremoniæ, ſolemnitates, ad eventorum tam admirabilium memoriam in perpetuum conſervandam inſtituta fuiſſent, & a Populo ſuſcepta, religioſeque ſervata, ſi hæc eventa fabuloſa fuiſſent, & pro fabuloſis agnita a tota Gente, cui hæc Monumenta tradebantur? Tandem nec Moyſes, nec alii Canonicorum Librorum Auctores, fucata aut illecebroſa utuntur oratione, qualis mendacio fidem impetrare ſolet, ſed ſimplici, & conveniente rei ingenio.

Argumentum iſtud ex Miraculis petitum illuſtrat *S. Auguſtinus* Lib. 10. *De Civitate Dei*, Cap. 8. & 17. *An vero dicet aliquis iſta falſa eſſe Miracula, nec fuiſſe facta, ſed mendaciter ſcripta? Quiſquis hoc dicit, ſi de his rebus negat omnino ullis literis eſſe credendum, poteſt etiam dicere nec Deos ullos curare mortalia. Non enim ſe aliter colendos eſſe perſuaſerunt, niſi mirabilium operum effectibus, quorum & Hiſtoria Gentium teſtis eſt quarum Dii ſe oſtentare mirabiles, potius quam utiles oſtendere potuerunt.... Porro autem ſi multorum Deorum cultores, (qualeſcumque Deos ſuos eſſe arbitrentur,) ab eis facta eſſe Miracula, vel civilium rerum Hiſtoriæ, vel Libris Magicis, ſive, quod honeſtius putant, Theurgicis credunt, quid cauſæ eſt, cur illis literis nolint credere, iſta facta eſſe, quibus tanto major debetur fides, quanto ſuper omnes eſt magnus, cui uni ſoli ſacrificandum eſſe præcipiunt?* Hæc ille Cap. 18. ejuſdem Libri. At magnum diſcrimen eſt inter ea quæ jactantur Gentilium Miracula, & Miracula quæ in Sacris Literis referuntur: illa enim vel cauſarum naturalium virtutem non ſuperant, quæ a Dæmonibus applicantur, vel meræ præſtigiæ ſunt magicis artibus ad hominum ſenſus ludificandos factæ. Iſta vero quæ

ab

ab Angelis, a ſanctis Dei hominibus, a Chriſto, vel Apoſtolis facta ſunt, & in ſacris Libris narrantur, præter omnes naturæ leges, ordinemque ſunt edita, adeoque cauſſarum omnium naturalium, Angelorum etiam bonorum vel malorum virtutem ſuperant; quamobrem ad unius Dei cujus voluntas naturæ ſuprema lex eſt, omnipotentiam ſunt referenda. Diſcernuntur autem vera a falſis miraculis, quod illa fiant ad unius veri Dei cultum promovendum, iſta vero ad cultum Dæmonum propagandum. Ea de re præclare diſſerentem *S. Auguſtinum* Cap. 16. ejuſdem Libri audiamus. *Reſpondeant*, inquit, *homines, ſi aliai natura ſua ſenſus, quo rationales creati ſunt, ex aliqua parte vivit in eis: Reſpondeant, inquam, iiſne ſacrificandum ſit Diis vel Angelis, qui ſibi ſacrificari jubent, an illi uni, cui jubent; hi qui & ſibi & iſtis prohibent? Si nec illi nec iſti ulla Miracula facerent, ſed tantum præciperent, alii quidem ut ſibi ſacrificaretur, alii vero id vetarent, ſed uni tantum juberent Deo, ſatis deberet pietas ipſa diſcernere, quid horum de faſtu ſuperbiæ, quid vero de Religione deſcenderet. Plus etiam dicam: Si tantum hi mirabilibus factis humanas permoverent mentes, qui ſacrificia ſibi expetunt; illi autem qui hoc prohibent, & uni tantum Deo ſacrificari jubent, nequaquam iſta viſibilia Miracula facere dignarentur; profecto non ſenſu corporis, ſed ratione mentis præponenda eorum eſſet Auctoritas. Cum vero Deus id egerit ad commendanda Eloquia Veritatis ſuæ, ut per iſtos immortales Nuntios, non ſui faſtum, ſed Majeſtatem illius prædicantes, faceret majora, certiora, clariora Miracula, ne infirmis piis illi, qui ſacrificia ſibi expetunt, falſam Religionem facilius perſuaderent, eo quod ſenſibus eorum quædam ſtupenda monſtrarent, quem tandem ita deſipere libeat, non vera eligat quæ ſectetur, ubi & ampliora invenit quæ miretur? Illa quippe Miracula Deorum Gentilium, quæ commendat Hiſtoria, non ea dico quæ intervallis temporum occultis ipſius Mundi cauſſis, veruntamen ſub divina providentia conſtitutis & ordinatis monſtruoſa contingunt, quales ſunt inuſitati partus animalium, & cælo terraque rerum inſolita facies, ſive tantum terrens, ſive etiam nocens, quæ procurari atque mitigari dæmoniacis Ritibus fallaciſſima eorum aſtutia perhibentur: Sed ea dico quæ vi ac poteſtate eorum fieri ſatis evidenter apparet, ut eſt quod effigies Deorum Penatium, quas de Troja Æneas fugiens advexit, de loco in locum migraſſe referuntur, quod cotem Tarquinius novacula ſecuit; quod Epidaurius Serpens Æſculapio naviganti Romam comes adhæſit; quod navim qua ſimulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam, una Muliercula zona alligatam ad ſuæ pudicitiæ teſtimonium movit & traxit; quod Virgo Veſtalis, de cujus corruptione quæſtio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi, neque perfluente, abſtulit controverſiam. Hæc ergo atque alia hujuſmodi nequaquam illis quæ in Populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda ſunt. Quanto minus ea quæ illorum quoque Populorum, qui tales Deos coluerunt, Legibus judicata ſunt prohibenda atque pleclenda, Magica ſcilicet vel Theurgica? Quorum pleraque ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt, quale eſt Lunam deponere, donec ſuppoſitas, ut ait Lucanus, propior deſpumet in herbas: Quædam vero etſi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipſe quo diſcernuntur, incomparabiliter hæc noſtra oſtendit excellere. Illis enim multi tanto minus ſacrificiis colendi ſunt, quanto magis hæc expetunt: His vero unum commendatur Deus, qui ſe nullis talibus indigere, & Scripturarum ſuarum teſtificatione, & eorundem poſtea ſacrificiorum remotione demonſtrat.*

Et capite 12. *Verum quia tanta & talia geruntur his artibus* (Magicis & Theurgicis) *ut univerſum modum humanæ facultatis excedant: Quid reſtat, niſi ut ea quæ mirifice tanquam divinitus prædici vel fieri videntur, nec tamen ad unius Dei cultum referuntur, cui ſimpliciter inhærere, fatentibus quoque Platonicis & permulta teſtantibus, ſolum beatificum bonum eſt, malignorum Dæmonum ludibria & ſeductoria impedimenta, quæ vera pietate cavenda ſunt, prudenter intelligantur? Porro autem quæcumque Miracula, ſive per Angelos, ſive quocumque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius in quo ſolo beata vita eſt, cultum Religionemque commendent, ea vere ab eis, vel per eos qui nos ſecundum veritatem pietatemque diligunt, fieri ipſo Deo in illis operante, credendum eſt. Neque enim audiendi ſunt qui Deum inviſibilem viſibilia Miracula operari negant, cum ipſe etiam ſecundum ipſos fecerit Mundum, quem certe viſibilem negare non poſſunt. Quicquid igitur mirabile fit in hoc Mundo, profecto minus eſt quam totus hic Mundus, id eſt, cælum & terra & omnia quæ in eis ſunt, quæ certe Deus fecit. Sicut autem ipſe qui fecit, ita modus quo fecit, occultus eſt & incomprehenſibilis homini. Quamvis itaque Miracula viſibilium naturarum videndi aſſiduitate viluerint, tamen cum ſapienter intuemur inuſitatiſſimis rariſſimiſque majora ſunt. Nam & omni Miraculo quod fit per hominem, majus Miraculum eſt homo. Quapropter Deus qui fecit viſibilia cælum & terram, non dedignatur facere viſibilia Miracula in cælo vel in terra, quibus ad ſe inviſibilem colendum excitet animam adhuc viſibilibus deditam: Ubi vero & quando faciat, incommutabile conſilium penes ipſum eſt.*

Sextum argumentum ad probandam Moſaicorum Librorum, totiuſque Scripturæ Veteris Teſtamenti veritatem ac divinitatem, ſumitur ex ſanctiſſimis Legibus ac Præceptis, quæ in his habentur. Cum enim Dei ſit qui hominem condidit, illum ad finem ſuum ultimum ac ſupernaturalem dirigere, qui non alius ab ipſo Deo eſt, Scripturas illas divinas eſſe oportet, quæ Leges ac Præcepta tradunt recte vivendi & ad Deum tendendi, illique adhærendi, quæ humana Philoſophia non tradit. Cum enim Philoſophorum quidam dixerint, *Mihi frui mea carne bonum eſt*; alii, *Mihi frui mea mente bonum eſt*; alii, *Mihi frui mea virtute bonum eſt*: illi ſoli qui a Deo vel intus docente, vel per Legem Moſaicam, aut Evangelicam erudiente illuminati ſunt dicere potuere; *Mihi adhærere Deo bonum eſt*. In Divinis tantum Literis, non in Philoſophorum Libris, caritas docetur, eaque traduntur præcepta, quæ ad finem caritatis omnia referuntur. In iis tantum docetur humilitas Philoſophis gloriæ animantibus incognita. In iis tantum docentur ut oportet cæteræ virtutes: quæ veræ eſſe non poſſunt, ubi non eſt vera Religio. *Quamlibet enim videatur animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare; ſi Deo animus & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe Deus ipſe præcepit, nullo modo corpori vitiiſque recte imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum poteſt eſſe mens domina, veri Dei neſcia, nec ejus Imperio ſubjugata, ſed vitioſiſſimis Dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius quam virtutes. Nam licet a quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cum ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: & ideo non virtutes, ſed vitia judicanda ſunt. Sicut enim non eſt a carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit vivere: Sic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit bene vivere, nec ſolum hominem, ſed etiam quamlibet Poteſtatem Virtutemque Cæleſtem.* Verba ſunt *S. Auguſtini* Libro 20. *De Civitate Dei*, Cap. 25. In ſolis Scripturis Canonicis Hebræorum & Chriſtianorum diſci poſſunt fines bonorum, & malorum, id eſt, in quo poſitum ſit ſummum bonum & ſummum malum. *De quibus inveniendis, atque in hac vita ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſummo malo multum laboraverunt qui ſtudium Sapientiæ in hujus ſeculi vanitate profeſſi ſunt; nec tamen eos, quamvis diverſis errantes modis natura limes in tantum a veritatis itinere deviare permiſit, ut non alii in animo, alii in corpore, alii in utroque fines bonorum ponerent & malorum. Ex qua tripertita velut generalium diſtributione Sectarum, Marcus Varro in Libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter & ſubtiliter ſcrutatus advertit, ut ad ducentas octoginta octo Sectas, non quæ jam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias, facillime perveniret.* Lege *S. Auguſtinum*, cujus hæc obſervatio eſt

Sextum argumentum.

Digitized by Google

Libro 19. *De Civitate Dei*, Cap. 2. 2. 3. & 4.

Certe ſi Lex Moſaica cum Gentium profanarum Legibus, ſi Mores & Inſtituta Judæorum olim ſecundum illam viventium, cum Ethnicorum Moribus componantur, illam eſſe divinam patebit. Varias Gentium profanarum Leges, Moreſque ex *Bardeſane* Syro recenſet *Euſebius* Libro 6. *Præparationis Evangelicæ*, Capitul. 10. Apud Perſas, *inquit*, Lex erat, qua non filias tantum aut ſorores, ſed ipſas quoque matres ſecum Matrimonio
,, jungere licebat : Apud Gelos cautum Lege eſt uti
,, mulieres terram colant, domos ædificent, ac re-
,, liquis ejuſmodi operibus vacent, immo quibuſcum
,, ipſæ voluerint, impune conſueſcant. Ita nec re-
,, prehendi a viris, nec adulteræ vocari ſolent quod
,, omnes pariter & in ſimilium artium occupatione
,, verſentur, & cum omnibus promiſcue ac præſer-
,, tim cum peregrinis conjungantur .... Apud Ba-
,, ctros mulieres uſque adeo intemperantia laborant,
,, ut cum ſervis etiam atque peregrinis promiſcue
,, conſueſcant; nec ullam propterea virorum offen-
,, ſionem aut reprehenſionem extimeſcunt, utpote
,, quibus ipſæ prope dominentur .... In Parthia ſi-
,, mul & Armenia, vulgares quidem homicidæ non-
,, nunquam a Judicibus, interdum a cæſorum pro-
,, pinquis morte puniuntur. Si quis vero aut uxorem,
,, aut fratrem liberis orbum, aut ſororem innuptam,
,, aut filium occiderit, accuſat nemo : Hoc enim ut
,, liceat certa Populorum iſtorum lege cautum eſt
,, ... Ab Euphrate fluvio ad Oceanum uſque ver-
,, ſus Orientem, quibus vel homicidii vel furti
,, crimen impingitur, non graviter admodum ac mo-
,, leſte ferunt : At quibus maſcula Venus objicitur,
,, ii voluntaria ſæpe morte turpitudinis ſuſpicionem
,, ulciſcuntur : Cum apud Græcos, amores ſuos ha-
,, bere, ne Sapientibus quidem ipſis probro detur.
,, In eodem Oriente quibus oblatum ſtuprum fuerit,
,, ii comperta re, a fratribus, aut parentibus, aut
,, cognatis, non occiduntur modo, ſed etiam ſe-
,, pulcri honore ſpoliantur. Apud Gallos autem,
,, adoleſcentes publice ac ſecure nubunt, nec turpe
,, faciunt, cui patriæ Legis patrocinetur auctori-
,, tas, arbitrantur .... Medi omnes, canibus quos
,, ingenti alunt ſtudio, adhuc ſpirantia moribundo-
,, rum corpora objiciunt .... In Britannia plures
,, viri uxorem unicam, in Parthia virum unicum
,, plures uxores habent. At Judæi nec in Parthis,
Parthi licet, pluribus uſi ſunt uxoribus; nec in Perſide, Perſæ licet, filias uxores duxerunt : nec apud Bactros aut Gallos Nuptiarum honeſtatem & jura contaminarunt. Infandam libidinem *Platonem* in *Phædro* approbaſſe cenſet *Euſebius* Libro 13. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 20. Eundem in homicidas indulgentiorem fuiſſe oſtendit Cap. 21. Hæc vero crimina Moſaica Lege damnari compertum eſt, Judæos in ea inſtitutos ob morum integritatem & inſignem philoſophandi rationem, Ethnici ipſi laudarunt, ut probant *Joſephus* in Libris contra *Apionem*, & *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*. Prodeat imprimis *Theophraſtus*, laudatus a *Porphyrio* in Libris de rerum animatarum Abſtinentia. *Si Judæi*, inquit, *qui quod inſtitutum apud eos jam inde ab initio, hoc ſacrificii genus fuerit, etiamnum animantes immolant, eodem, quo ipſi Ritu ſacra facere nos juberent, nunquam eo nos adduci pateremur .... Diebus illi ſingulis, dum ejuſmodi Sacris operam dant, cum jejunio ſe ſe dedunt, tum de divino Numine, uti homines ipſo genere Philoſophi decet, toto illo tempore ſermones inter ſe miſcent : Noctu autem Sidera deſixis in cœlum oculis contemplantur, ſuas interea preces atque vota Deo nuncupantes. Hi enim non cæteras tantum animantes, ſed etiam ſemetipſos primi omnium offerre cœperunt, neceſſitate profecto, non cupiditate ducti*. Prodeat ſecundo *Hecatæus Abderita*, de Judæis qui ante *Alexandri Magni* tempora fuere, ſcribens : *Et malo ſæpius a finitimis audientes, & omnes contumelias paſſi a Perſicis Regibus & Satrapis, non poſſunt a ſententia deduci, ſed pro ea palam omnes cruciatus ſæviſſimaſque mortes ſubeunt, nec adduci poſſunt ut patria inſtituta abdicent*. Omitto hic inſignem ejuſdem *Hecatæi* locum de Templo Hieroſolymitano, ſuo loco referendum. Ipſum *Apollinis* Oraculum a *Porphyrio* laudatum Libro *De Oraculorum Philoſophia* Judaicæ Religionis ſanctitati ſuffragatur :

Chaldæi, Hebræique unis ſapientia ceſſit,
Qui caſto æternum venerantur Numen honore.

Vide & quæ de conſtanti Eſſenorum apud Judæos ſanctimonia tradidit *Porphyrius* Libro 4. *De Abſtinentia*, cujus locum prolixiorem *Euſebius* deſcripſit Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Capit. 3.

Juliani Apoſtatæ objectionibus reſpondetur.

Objiciebat Julianus Apoſtata, *Moyſen* de Mundi creatione ut par erat locutum non fuiſſe, nec accurate deſcripſiſſe rerum omnium productionem, aut earum naturam, conditioneſque naturæ expoſuiſſe, ſed ad vulgi opiniones ſeſe accomodaſſe. Neque enim abyſſum factam ait a Deo, nec tenebras, nec aquam; tametſi cum lucem Dei juſſu factam ſcripſiſſet, idem plane de nocte abyſſo & aqua dictum oportuit. Quid quod ne Angelorum quidem meminit, quomodo creati aut facti, nedum qua ratione producti fuerint, ſed corpora duntaxat commemorat, quæ cœlo & terra continentur, ita ut ſecundum *Moyſen* nullam rem incorpoream Deus fecerit, ſed materiam tantum ſubjectam digeſſerit. Illud enim, *Terra erat inviſibilis & incompoſita*, nihil aliud eſt quam humidam quidem & aridam ſubſtantiam materiam facere; ejus autem ordinatorem Deum introducere.

,, Reſpondet *S. Cyrillus* Libro 2. contra Julianum,
,, quod Moyſes minute de rerum natura diſputare
,, propoſitum non habuit, aut de primis, ut vo-
,, cant principiis, aut de elementis quæ ab iis o-
,, riuntur, verba facere. Curioſiora enim iſta ſunt,
,, & ejuſmodi ut nonnullorum ingeniis nequeant ca-
,, pi. Sed ſcopus illi fuit, eorum qui tum erant
,, hominum mentem doctrina veritatis informare :
,, Errore namque tenebantur, & quod cuique vide-
,, batur, manifeſte colebant, unumque & natura
,, Deum præ nimia inſcitia ignorantes, creaturæ
,, ſerviebant, inter quos alii Numen ſibi aſcribebant
,, Cœlum, quidam Solis orbem. Erant qui Lunæ
,, etiam ac Sideribus, terræ, plantis, & aquarum
,, naturæ volucribus, item & brutis ratione carenti-
,, bus Supremæ Naturæ gloriam tribuere ſtuderent.
,, Eo itaque rebus illorum adductis, cum univerſos
,, homines hic tam gravis error depaſceretur, opi-
,, tulator Moſes adfuit, & præſtantiſſimæ doctrinæ
,, dux cunctis extitit, palamque & aperte prædi-
,, cavit unum eſſe natura rerum omnium Opificem,
,, & a rebus cæteris, quæ per illum creatæ ac pro-
,, ductæ ſunt, eos avocavit. Utiliſſime ergo, &
,, ſane quam ſapienter nimiam iſtam ſubtilitatem ab
,, oratione ſua removit, & ad ſcribendas res magis
,, neceſſarias converſus eſt. Nam quid attinebat di-
,, cere qualis eſſet aquarum natura, aut quod pri-
,, mordium habuerit? Quid erat neceſſe abyſſos me-
,, tiri, cœlique naturam, aut quomodo Angeli ex-
,, titerint, curioſe exquirere? Quæ ſane civis eſ-
,, ſe explicatu difficillima, neminem diffiteri puto.
,, Quod ſi dante ſapientiam Deo explicari iſta po-
,, tuiſſent; quis tandem idoneos auditor futurus,
,, aut tantæ res ſubtilitatis, imo vero & ſupra in-
,, tellectum poſitas animo complexurus erat? ....
,, Quis Moſis induſtriam non admiretur, quæ nihil
,, ſupervacaneum, aut nimis altum, ſive etiam in-
,, tellectu difficile, id ætatis hominibus loquitus,
,, ſed ea potius per quæ poterant ad ſana conſilia
,, redire, quæque eos ad inculpatam omnium Do-
,, minatoris gloriam dirigere poſſent. An vero pue-
,, rorum Magiſtros laudabimus, qui ſe ad eorum ca-
,, pium demittunt, & paulatim ad abſtruſarum re-
,, rum ſcientiam quaſi manu ducentes, nihil nimia
,, elaboratum principio, & inacceſſi quodammodo a-
,, ditus per initia proponunt : Moſem vero illum
,, ſanctiſſimum qui hoc tam egregie præſtitit, non
,, omni genere laudis proſequemur? ... Age vero
,, quanta perſpicuitate & facilitate Libros de Mun-
,, di creatione divinus Moſes conſcripſerit, quam
,, accurati ſint illi, quamque nihil ſuperflui habeant,
,, age demonſtremus. *In Principio*, inquit, *fecit*
,, *Deus cœlum & terram*. Non enim ipſe jam, ut
,, quidam, materiam cum Deo principii expertem,
,, coæternam, & ingenitam intelligi ſinit, & quod
,, aliquando non erat, cum æterno concurrere, ac
,, ſimul exiſtere; nec cum eo qui idem ſemper eſt,

,, id

„ id quod mutatur; cum incorrupta id quod cor-
„ ruptioni ſubeſt: Imo tempore ac principio vocan-
„ te ad ortum res creatas deſinit, tamquam ex ni-
„ hilo Dei voluntate, ut eſſent id quod ſunt, edu-
„ ctas. Neque ſcilicet dicit præjacentis & prius
„ inventæ materiæ ornatorem & opificem tantum
„ Deum fuiſſe, qui quod informe erat, quomodo
„ poſſet ſciretque, conformarit, eique qualitatum
„ differentias magnitudinemque ac molem ſolum in-
„ diderit, ſed arcana quadam & ineffabili virtute
„ quod non erat uſpiam ad exiſtendi primordium ad-
„ duxiſſe. Quomodo vero condiderit, aſſequi non
„ poteſt noſtræ mentis infirmitas, cum longe ora-
„ tionem omnem exuſperet. Cum igitur Moſes ait:
„ *In principio fecit Deus cœlum & terram*, intellige
„ ſummatim se velut in compendium collatis omni-
„ bus univerſarum rerum creationem exponere; tum
„ artificioſe progredi ad explicandum qua parte ſin-
„ gula fuerint exornata, & ut unaquæque res crea-
„ ta exiſtentiam ſuam maxime fuerit adepta. nem-
„ pe, Verbo potentiſſimo ipſum ait condidiſſe o-
„ mnia.

Quod ſpectat Angelorum creationem, quam a *Moyſe* omiſſam *Julianus* obiiciebat, *S. Auguſtinus* Libro 11. *De Civitate Dei*, Cap. 9. reſpondet: *Ubi de Mundi conſtitutione Sacræ Literæ loquuntur, non evidenter dicitur utrum vel quo ordine creati ſint Angeli: Sed ſi prætermiſſi non ſunt, vel Cœli nomine, ubi dictum eſt*, In principio fecit Deus cœlum & terram, *vel potius lucis hujus, de qua loquor, ſignificati ſunt. Non autem prætermiſſos eſſe hinc exiſtimo, quod ſcriptum eſt, Requieviſſe Deum in ſeptimo die ab omnibus operibus ſuis quæ fecit, cum Liber ipſe ſit exorſus*: In principio fecit Deus cœlum & terram, *ut ante cœlum & terram nihil aliud feciſſe videatur. Cum ergo a cœlo & terra cœperit, atque ipſa terra quam primitus fecit, ſicut Scriptura conſequenter eloquitur, inviſibilis & incompoſita, nondumque luce facta, utique tenebræ fuerint ſuper abyſſum, id eſt ſuper quandam terræ & aquæ indiſtinctam confuſionem, ubi enim lux non eſt, tenebræ ſint neceſſe eſt: deinde omnia creando diſpoſita ſint, quæ per ſex dies conſummata narrantur; quomodo Angeli prætermitterentur; tamquam non eſſent in operibus Dei, a quibus die ſeptimo requievit? Opus autem Dei eſſe Angelos, hic quidem etſi non prætermiſſum, non tamen evidenter expreſſum eſt: Sed alibi hoc Sancta Scriptura clariſſima voce teſtatur. Nam & in Hymno trium in camino virorum cum prædictum eſſet*, Benedicite omnia opera Domini Domino: *in executione eorumdem operum, etiam Angeli nominati ſunt. Et in Pſalmo canitur*:
„ Laudate Dominum de cœlis, laudate eum
„ in excelſis. Laudate eum omnes Angeli ejus, lau-
„ date eum omnes Virtutes ejus. Laudate eum Sol
„ & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen, &c.
„ Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt; Ipſe manda-
„ vit, & creata ſunt. *Etiam hic aperitiſſime a Deo factos eſſe Angelos divinitus dictum eſt, cum eis inter cætera cœleſtia commemoratis, infertur ad omnia*, IPSE DIXIT, ET FACTA SUNT.

Obiiciebat Julianus, Fabuloſa eſſe quæ de Paradiſo a Deo plantato, de homine ex luto ficto, de muliere illi in adjutricem data narrantur: quæ tantam abeſt ut ipſum adjuvarit, ut potius deceperit; fabuloſa item quæ de locutione ſerpentis cum Eva referuntur in Geneſi: Adeoque hunc Librum divinum non eſſe.

Reſpondet *S. Cyrillus* Libro 3. contra *Julianum*. Hæc longe credibiliora eſſe Pandora Heſiodi, luto Promethei, Horto Jovis, locutionibus equorum, hominum, arborum, de quibus Poetæ fabulantur, quibus nihilominus Ethnici credunt. Mulierem *Adamo* datam ut adjutricem ad procreationem liberorum, non ad conſilium & deliberationem: Deum virum & mulierem libero arbitrio donaſſe, quo bonum vel malum eligere poſſet, adeoque non aberraſſe a ſcopo, quamvis ceciderint. Legem de certo fructu non comedendo ipſis datam providentiſſimo Dei conſilio ad obedientiæ ac temperantiæ exercitationem, ut ſummum Imperatorem ac Legiſlatorem Deum revererentur. Dæmonem in ſerpente locutum, eoque organo uſum, ut mulierculam deluderet, præ nimia ſimplicitate & inexperientia arbitratam forſitan & aliis animalibus datum vocis humanæ uſum. Quod autem hæc immundis Spiritibus non ſint difficilia, vel ſola *Moyſis* verba idonea eſſe quæ fidem faciant. Fabuloſum namque in Sacra Scriptura nihil eſſe, veritatis plena eſſe omnia. Hæc Reſponſionis *Sancti Cyrilli* ſumma eſt. Relegantur quæ de his argumentis ſcripſimus Tomo 1. hujus Operis. His igitur de rebus, aliiſque Moyſi, & cæteris Scriptoribus Canonicis credendum eſt, ut a Deo inſpiratis, *Qui prius per Prophetas, deinde per ſe ipſum, poſtea per Apoſtolos, quantum ſatis eſſe judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ canonica nominatur, eminentiſſimæ Auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per noſmetipſos noſſe idonei ſumus. Nam ſi ea ſciri poſſunt teſtibus nobis, quæ remota non ſunt a ſenſibus noſtris, ſive interioribus, ſive etiam exterioribus; profecto ea quæ remota ſunt a ſenſibus noſtris, quoniam noſtro teſtimonio ſcire non poſſumus, de his alios teſtes requirimus, eiſque credimus, a quorum ſenſibus remota eſſe vel fuiſſe non credimus. Sicut ergo de viſibilibus, quæ non vidimus, eis credimus qui viderunt, atque ita de cæteris quæ ad ſuum quemque ſenſum corporis pertinent: Ita de his quæ animo ac mente ſentiuntur, hoc eſt, de inviſibilibus quæ a noſtro ſenſu interiore remota ſunt, iis nos oportet credere, qui hæc in illo incorporeo lumine diſpoſita didicerunt, vel manentia contuentur. Viſibilium omnium maximus eſt Mundus: Inviſibilium omnium maximus eſt Deus. Sed Mundum eſſe conſpicimus: Deum eſſe credimus. Quod autem Deus Mundum fecerit, nulli tutius credimus quam ipſi Deo. Ubi eum audivimus? Nuſquam interim nos melius quam in Scripturis Sanctis, ubi dixit Propheta ejus*, In principio fecit Deus cœlum & terram. *Numquidnam ibi fuit iſte Propheta; quando fecit Deus cœlum & terram? Non, ſed ibi fuit Sapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, quæ in animas etiam ſanctas ſe transfert, Amicos Dei & Prophetas conſtituit, eiſque opera ſua ſine ſtrepitu intus enarrat. Loquuntur eis quoque Angeli Dei, & qui ſemper vident faciem Patris, voluntatemque ejus quibus oportet annuntiant. Ex his unus erat iſte Propheta, qui dixit & ſcripſit*, In principio fecit Deus cœlum & terram. *Qui tam idoneus teſtis eſt per quem Deo credendum ſit, ut eodem Spiritu Dei, quo hæc ſibi revelata cognovit, etiam ipſam fidem noſtram futuram tanto ante prædixerit*. Ita *S. Auguſtinus* Libro 11. *De Civitate Dei*, Cap. 3. & 4.

Fauſti Manichæi objectiones diluuntur.

Obiiciebat *Fauſtus* Manichæus, Libros illos divinos non eſſe, in quibus Patriarchæ aut Prophetæ laudantur, qui immanium criminum rei fuere ut *Abraham*, qui habendæ prolis inſans flagrans cupidine, Deo, qui jam id ſibi de *Sara* conjuge promiſerat, minime credens, cum pellice volutatus ſit, ſub conſcientia, quod ſit inhoneſtius, uxoris: Similiter quod matrimonii ſui infamiſſimus nundinator, idem avaritiæ ac ventris cauſa duobus Regibus *Abimelech* & *Pharaoni* eamdem *Saram* conjugem ſuam ſororem mentitus, quia erat pulcherrima, in concubitum venditavit. Quod *Loth* de Sodomæ incendio liberatus, cum duabus filiabus ſuis in Monte concubuit. Quod Iſaac patrem ſuum imitatus, *Rebeccam* uxorem ſuam ſororem finxerit, ut per ipſam viveret turpiter. Quod *Jacob* inter *Rachel* & *Liam* duas germanas ſorores, earumque famulas, quatuor uxorum Maritus, tanquam hircus erraverit. Quod *Judas* cum *Thamar* nuru ſua dormierit. Quod *David* adulterium & homicidium commiſerit. Quod *Salomon* trecentas uxores, & ſeptingentas concubinas habuerit. Quod *Oſee* de fornicaria Muliere filios procreaverit. Quod *Moyſes* homicidium perpetraverit, ſpoliarit Ægyptum, bella geſſerit, crudelia multa & mandarit, & fecerit.

Reſpondet *S. Auguſtinus* Libro 22. *contra Fauſtum Manichæum*, *Abrahamum* ad prolem propagandam, non ad libidinem ſatiandam, ancillæ copulatum eſſe, quam ipſi *Sara* in uxorem tradidit, eo tempore quo Polygamia ad generis propagationem licita erat. *Saram* vero prolem, quam de ſe habere non poterat, ex Ancilla habere voluiſſe, ex eo tamen ſemine, ex quo & de ſe ſi poſſet, habere debebat. Tunc quidem Deum heredem *Abrahamo* promiſiſſe, ſed ex quo ſemine nondum prædixiſſe; adeoque divinæ promiſſioni non fuiſſe

incredulum. Cum *Saram* ſororem dixit, tacuiſſe aliquid veri, non dixiſſe aliquid falſi; non negaſſe uxorem, dixiſſe ſororem, ne ſe occiſo, ab alienigenis captiva poſſideretur: Certus de Deo ſuo, quod nihil eam turpe ac flagitioſum perpeti ſineret. De *Iſaac* idem dicendum, qui conſanguineam recte ſororem appellavit, conſueto tunc temporis loquendi more. *Jacob* Patriarchæ immerito vitio verti quod quatuor uxores habuerit, ſi quidem licita erat Polygamia, non moribus aut legibus tunc prohibita. Quando autem mos erat, crimen non erat. Illis porro mulieribus uſum *Jacobum* non laſciviendi ſtimulo, ſed officio generandi. *Moyſem* Ægyptios abſque peccato ſpoliaſſe, cum Deo jubente qui rerum omnium ſupremus Dominus eſt, fecerit. Deum autem juſto judicio decreviſſe, ut Ægyptii ab Hebræis, homines inique dominantes, ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro tam duris & injuſtis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu ſacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privarentur. In bellis etiam gerendis divina ſecutus imperia *Moyſes*, non ſæviens, ſed obediens fuit: Nec Deus, cum jubebat iſta, ſæviebat, ſed digna dignis retribuebat, dignoſque terrebat. Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur: Quæ plerumque ut etiam jure puniantur, adverſus violentiam reſiſtentium, ſive Deo, ſive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipſa bella ſuſpiciuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire juſte ordo ipſe conſtringit. Porro ſi bellum a Principe ad injuriæ publicæ ultionem indictum, juſtum eſt, multo magis bellum, quod gerendum Deo auctore ſuſcipitur, recte ſuſcipi, dubitare fas non eſt, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad ſubjugandam mortalium ſuperbiam. *Cum ergo vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte poſſit illo jubente bellare, civica pacis ordinem ſervans: Cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt: Ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem Militem oſtendat ordo ſerviendi: Quanto magis in adminiſtratione bellorum innocenter diverſatur, qui Deo jubente belligerat, quem male aliquid jubere non poſſe, nemo qui ei ſervit ignorat....* Calumnioſa ergo imperitia *Moyſes* reprehenditur, quod bella geſſerit, qui minus reprehendi debuit, ſi ſua ſponte gereret, quam ſi Deo jubente non gereret. *Oſee* Propheta nulli reprehenſioni obnoxius eſt, quod Meretricem relicta fornicatione fecit uxorem, jubente Deo: Sic enim ad vitam corrigendam mulieri conſultum eſt, & figuræ, ſcilicet vocationis Gentium, ſacramentum expreſſum eſt. *Lothi* cum filiabus, & *Judæ* cum *Tamara* inceſtus, *Davidis* adulterium & homicidium, *Salomonis* libido & idololatria, in Veteris Teſtamenti Libris narrantur, non approbantur. Cum enim fornicatio & omnis illicitus concubitus, homicidium, & alia vitia *Divino Jure* ibi damnentur, cum talia quorumdam facta commemorat, de quibus eo loco ſuam taceat ſententiam, judicanda nobis permittit, non laudanda præſcribit. Et hujuſmodi criminum narratio *Non modo non decolorat divinitatem Dei, vel Scripturæ illius veritatem, verum etiam laudandam diligendamque commendat: quod tanquam ſpeculi fidelis nitor, admotarum ſibi perſonarum non ſolum quæ pulchra atque integra, verum etiam quæ deformia vitioſaque ſint, indicat.* Denique Patriarcharum & Prophetarum *non tantum linguam, verum etiam vitam fuiſſe propheticam*, reſpondet S. Auguſtinus, *Totumque illud Regnum Gentis Hebræorum magnum quemdam, quia & magni cujuſdam fuiſſe Prophetam. Quocirca quod ad eos quidem attinet, qui illic erant eruditi corde in ſapientia Dei, non ſolum in iis quæ dicebant, ſed etiam in iis quæ faciebant: Quod autem ad cæteros ac ſimul omnes illius Gentis homines, in iis quæ in illis vel de illis divinitus fiebant, Prophetia venturi Chriſti & Eccleſiæ perſcrutanda eſt. Omnia enim illa, ſicut dicit Apoſtolus, figura noſtri fuerunt.* Summa hæc Reſponſionum S. *Auguſtini*. Relegantur quæ in Diſſertationibus diximus de Patriarcharum Polygamia, de *Abrahamo*, *Lotho*, *Juda*, & *Moyſe*.

Objiciebat *Fauſtus*, in Libris Moſaicis varia contineri præcepta, quæ Chriſtianis obſervare, non licet, adeoque non eſſe divina.

Reſpondet *S. Auguſtinus* Libro 6. contra *Fauſtum*, Cap. 2. Manichæos *omnino neſcire quid interſit inter præcepta vitæ agendæ, & præcepta vitæ ſignificandæ. Exempli gratia*, Non concupiſces, *præceptum eſt agendæ vitæ*. Circumcides omnem maſculum octavo die, *præceptum eſt ſignificandæ vitæ. Ex hac quippe imperitia Manichæi, & omnes quibus diſplicent Litteræ Veteris Teſtamenti, quidquid Deus mandavit priori populo ad celebrandum, umbram futurorum non intelligentes, & ea modo non obſervari animadvertentes, ex more præſentis temporis illa reprehendunt, quæ utique illi tempori congruebant, quo iſta quæ nunc manifeſta ſunt ventura ſignificarentur. Sed quid dicturi „ ſunt adverſus Apoſtolum qui ait;* Hoc omnia in „ figura contingebant illis: Scripta ſunt autem „ propter nos, in quos finis ſæculorum obvenit? *Ecce ipſe aperuit cur illa littera accipiantur a nobis, & cur illa rerum ſigna jam neceſſe non ſit ut obſerventur a nobis. Cum enim dicit*, Scripta ſunt propter nos: *Proculdubio demonſtrat quanta nobis cura legenda & intelligenda, & in quanta auctoritate habenda ſint: Quia propter nos utique ſcripta ſunt. Cum vero dicit*, Figuræ noſtri fuerunt, & in figura contingebant illis; *Oſtendit jam non opus eſſe, ut cum res ipſas manifeſtatas agimus, figurarum prænuntiantium celebrationi ſerviamus....* Et ut idem S. Doctor alibi ait: *Auctoritatem tenemus Veteris Teſtamenti, non ad Judaicæ ſervitutis imitationem, ſed ad Chriſtianæ libertatis teſtificationem. Non in ſervitute facimus quæ juſſa ſunt ad nos prænuntiandos, ſed in libertate legimus quæ ſcripta ſunt ad nos confirmandos.*

Objiciebat *Fauſtus*, Libros illos divinos non eſſe, in quibus terrena dumtaxat & temporalia bona Dei ſervis promittuntur. In Veteris porro Teſtamenti Libris promitti ſolum corporalem, & longe ab animæ commodis hereditatem.

Reſpondet *S. Auguſtinus Libro 4. contra Fauſtum*, In illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum, quæ implerentur in nobis. Nos ergo Vetus Teſtamentum non accipere ad conſequendas illas temporalium rerum promiſſiones, *Sed ad intelligendas in eis Novi Teſtamenti prænuntiationes: Veteris quippe teſtificatio fidem Novo conciliat.... Non itaque ſpes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa eſt, quandoquidem nec ipſos illius temporis ſanctos & ſpiritales viros Patriarchas & Prophetas his terrenis rebus fuiſſe deditos credimus: Intelligebant enim revelante ſibi Spiritu Dei, quod tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res geſtas & dictas futura figuranda & prænuntianda decerneret, magiſque deſiderium eorum de Novo Teſtamento erat.* Adde, Deum coli voluiſſe, non ſolum propter æterna, ſed etiam propter temporalia beneficia, ut illorum etiam largitor crederetur, ab illoque uno iſta etiam expectarentur & poſtularentur, ut ratiocinatur S. *Auguſtinus* Libro 10. *De Civitate Dei*, Cap. 14. *Sicut autem*, inquit, *unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei Populum pertinet, recta eruditio per quoſdam articulos temporum, tanquam ætatum profecit acceſſibus, ut a temporalibus ad æterna capienda, & a viſibilibus ad inviſibilia ſurgeretur; ita ſane ut etiam illo tempore quo viſibilia promittebantur divinitus præmia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipſis terrenis vitæ tranſitoriæ beneficiis cuiquam, niſi vero Animæ Creatori ac Domino ſubderetur. Omnia quippe quæ præſtare hominibus vel Angeli vel homines poſſunt, in unius eſſe Omnipotentis poteſtate quiſquis diffitetur, inſanit.... Optime igitur anima humana adhuc terrenis deſideriis infirma, ea ipſa quæ temporaliter exoptat bona infima atque terrena, vitæ huic tranſitoriæ neceſſaria, & præ illius vitæ ſempiternis beneficiis contemnenda, non tamen niſi ab uno Deo expectare conſueſcit, ut ab illius cultu etiam in iſtorum deſiderio non recedat, ad quem contemptu eorum & ab eis averſione perveniat.*

Obii-

Obiiciebat *Fauſtus*, In Libris Moſaicis, Chriſtum qui noſtræ ſalutis cauſa pependit in ligno, diris devoveri, & conviciis laceſſiri, Deuteronomii 21. 23. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Hoc convitium omnes etiam tangere Juſtos & Martyres, quotquot ſimili paſſionis exitu defuncti hinc vita, ut *Petrum*, *Andream*, ac reliquos ejuſdem ſortis. Nec ſceleratos quidem omnes qui pendent in ligno, maledictos eſſe, cum Latronem Chriſtus de ligno ſecum introduxerit in Regnum Patris ſui. Similiter diris devoventur Virgines & Cœlibes *Deuteronomii* 25. 7. ubi dicitur, *Maledictum eſſe omnem, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſrael.* Quod convitium & Jeſum & Apoſtolos tangit, qui ex Judæis orti, nullam tamen ſobolem procrearunt. Libri igitur *Moyſis* ſacri non ſunt ac divini.

Reſpondet *S. Auguſtinus Libro* 14. *contra Fauſtum*, Cap. 3. & ſeq. Chriſtum maledictum pro nobis factum, non ratione peccati quod commiſerit, ſed ob pœnam peccati noſtri, ſcilicet mortem quam in ſe ſuſcepit pro nobis. Sicut autem lingua dicitur non ſolum membrum illud quo ſermonem formamus, ſed ipſa locutio & ſermo, & manus dicitur non ſolum membrum quo ſcribimus, ſed ipſa Scriptura quæ manu exaratur: Ita peccatum dicitur non ſolum ipſum opus malum quod pœna dignum eſt, ſed etiam ipſa mors, quæ peccato facta eſt. *Illud itaque peccatum, quo reus eſſet mortis, non commiſit Chriſtus: Illud autem alterum, id eſt mortem, quæ peccato inflicta eſt humanæ naturæ, ſuſcepit pro nobis. Hoc ſuſpendit in ligno, hoc maledictum eſt per Moyſen: Ibi mors damnata eſt, ne regnaret, & maledicta eſt ut periret ..... Quid ergo miratur Fauſtus maledictum eſſe peccatum, maledictam eſſe mortem, maledictam eſſe mortalitatem carnis, ſine peccato Chriſti, ex peccato tamen hominis etiam in Chriſto factam? Ex Adam quippe corpus aſſumpſit, quia ex Adam Virgo Maria, quæ peperit Chriſtum. Dixerat autem Deus in Paradiſo,* Qua die tetigeritis, morte moriemini. *Hoc eſt maledictum, quod pependit in ligno. Ille neget Chriſtum maledictum; qui negat & mortuum: Qui autem confitetur mortuum, & negare non poteſt mortem de peccato eſſe, & ob hoc etiam ipſum peccatum vocari,*

Rom. 6. 6. ,, *audiat Apoſtolum dicentem*, Quoniam vetus ,, homo noſter ſimul cum illo crucifixus eſt, *& intelligat quem maledictum Moyſes dixerit. Ideoque ſecutus Apoſtolus ait de Chriſto*, Factus eſt pro nobis maledictum: *Sicut non timuit dicere*, Pro omnibus mortuus eſt. *Hoc eſt enim* mortuus eſt, *quod*

Gal. 3. 13.
2. Cor. 5. 21.

maledictus. *Quoniam mors ipſa ex maledicto eſt, & maledictum eſt omne peccatum, ſive ipſum quod fit, ut ſequatur ſupplicium, quod alio modo vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Suſcepit autem Chriſtus ſine reatu ſupplicium noſtrum, ut inde ſolveret reatum noſtrum, & finiret etiam ſupplicium noſtrum. Ex ingenio meo iſta dixerim, ſi non Apoſtolus toties hoc inculcat, ut & dormientes excitet, & calumniantes ſufficet:* Miſit, *inquit*, Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. *Non erat ergo illa caro peccati, quia non de traduce mortalitatis in Mariam per maſculum venerat; Sed tamen quia de peccato eſt mors, illa autem caro quamvis ex Virgine, tamen mortalis fuit, eo ipſo quo mortalis erat, ſimilitudinem habebat carnis peccati. Hoc appellat etiam peccatum, conſequenter dicens*, Ut de peccato damnaret peccatum in carne. *Item alio loco*: Eum, *inquit*, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos ſimus juſtitia Dei in ipſo. *Cur ergo timeret Moyſes dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum? Plane hoc Propheta & prævidere debuit, & prædicere, paratus ab Hæreticis cum Apoſtolo reprehendi. Quiſquis enim reprehenderit Prophetam dixiſſe*, Maledictum, *cogitur reprehendere Apoſtolum dixiſſe*, Peccatum: *Nam utique maledictum comes peccati eſt. Nec ideo major invidia eſt, quod addiderit, Deo: Ut diceret.* Maledictus Deo omnis qui pependerit in ligno. *Niſi enim Deus odiſſet peccatum, & mortem noſtram, non ad eam ſuſcipiendam atque delendam Filium ſuum mitteret. Quid ergo mirum, ſi maledictum eſt Deo, quod odit Deus? Tanto enim libentius nobis donat immortalitatem, quæ futura eſt,*

12. Cor. 5.

Chriſto veniente, quanto miſericordius odit mortem noſtram quæ in ligno pependit Chriſto moriente. Quod autem additum eſt, omnis, ut diceretur, Maledictus omnis qui in ligno pependerit: *Non ſane Moyſes minus prævidit Juſtos in Cruce futuros, ſed bene prævidit Hæreticos veram mortem Domini negaturos: Et ideo volentes ab hoc maledicto Chriſtum ſejungere, ut a mortis etiam veritate ſejungerent ... ... Qui autem ex Veritate Evangelica fidelis eſt, intelligit tam non eſſe contumeliam Chriſti ex ore Moyſis, cum dixit maledictum, non ex divinitate Majeſtatis ſuæ, ſed ex conditione pœnæ noſtræ, ex qua in ligno ſuſpenſus eſt, quam non eſt laus Chriſti ex ore Manichæorum, cum eum negant carnem habuiſſe mortalem, in qua veram mortem pateretur: Quia in illo prophetico maledicto laus intelligitur humilitatis: In iſto hæretico quaſi honore crimen obiicitur falſitatis.*

Omnis abeſt ab Hebræo, & Vulgata noſtra.

Quod ſpectat maledictionem alteram; Falſum eſſe reſpondet *S. Auguſtinus* quod Virgines & continentes feriat, ſiquidem *Iſaias* clamat: *Non dicat Eunuchus: Ecce lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Porro unus Deus & per *Moyſem*, & per *Iſaiam* locutus eſt. Quod ergo *Moyſes* ſcripſit, *Maledictum eſſe omnem, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſrael*, ad tempus Veteris Teſtamenti reſtringendum eſt, *cum Populo ſerundum carnem propagando, etiam carnalis prolis operatio in conjugali caſtitate ad officium conjugum pertinebat.* Vel, ſi ad tempus Novi Teſtamenti extendatur, ita intelligendum eſt, *Ne quiſquam ſpiritaliter natus, putet ſibi debere ſufficere, nec inſtet Dominicis lucris, quibus quiſque pro modulo ſuo prædicando Chriſtum, debet generare Chriſtianos.*

Iſai. 56. 4.

Obiiciebat *Adimantus* Manichæus, Legem & Prophetas Evangelicis & Apoſtolicis Scriptis adverſari, adeoque Moyſis & Prophetarum Libros divinos non eſſe. Primo, locum illum Geneſeos, *In principio fecit Deus Cælum & terram* pugnare cum illo Joannis 1. 10. *Et Mundus per ipſum factus eſt, & Mundus eum non cognovit.*

Adimanti Manichæi argumentis reſpondetur.

Reſpondet *S. Auguſtinus* Libro contra *Adimantum*, Primo cum dicitur, *In principio fecit Deus Cælum & terram*, Dei nomine Trinitatem intelligi, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum. Deinde ubi dicitur, *Dixit Deus, Fiat & factum eſt*, ibi neceſſario intelligi per Verbum eum feciſſe quod fecit. Verbum autem Patris eſſe Filium: Adeoque hæc loca non pugnare. Tertio, tam non pugnat locus ille Geneſis cum Evangelio, quam non pugnat Apoſtolus cum ſe ipſo, qui ad Romanos 2. *Unum dicit, Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, & Filium non nominat: In alio autem loco de Domino noſtro Jeſu Chriſto ait, *Ipſe eſt primogenitus totius creaturæ, & omnia per ipſum facta ſunt in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia.*

Obiiciebat ſecundo *Adimantus*, Novo Teſtamento adverſari illud Geneſis 2. 2. *Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat*: Pugnare ſcilicet cum illo Joannis 5. 17. *Pater meus uſque modo operatur & ego operor.*

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Hæc minime pugnare, quia locus Geneſeos ſignificat tantum *Deum ab inſtituendis rerum naturis poſt earum rerum perfectionem ceſſaſſe, quamvis uſque adhuc in adminiſtrandis operetur.*

Obiiciebat tertio *Adimantus*, cum Evangelio collidi hunc locum Geneſis 2. 21. 22. 23. 24. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: Cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus .... Et ædificavit Deus coſtam quam tulerat de Adamo in Mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam; Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. ... Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ &. erunt duo in carne una. Hæc autem adverſari ſententia Chriſti dicentis.* Matthæi 19. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

Re-

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Hanc Veteris Teſtamenti ſententiam cum verbis Chriſti non pugnare, niſi Chriſtus ſecum ipſe pugnare impie fingatur: Siquidem hunc ipſum Geneſeos locum laudavit & confirmavit, *Matthæi* 19. & *Marci* 10. ubi Phariſæis interrogantibus an liceret homini uxorem dimittere quacumque ex cauſa, reſpondit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio maſculum & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii & dimittere? Ait illis quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras. Ab initio autem non fuit ſic.* Apoſtolus etiam *ad Epheſios* 5. Viros ad diligendum uxores hortatus, prolato eodem Geneſeos loco: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret .... Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit: Sed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.... Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ.* Fides ergo vera & Eccleſiæ Catholicæ diſciplina utrumque verum, & a Domino dictum eſſe confirmat, & nullo modo eſſe contrarium: *Quia & conjunctio mariti & uxoris a Domino eſt, & relictio uxoris propter Regnum cælorum eſt a Domino. Non enim quia ſuſcitavit Jeſus Chriſtus mortuos, & dedit eis vitam, propterea ipſa vita non eſt relinquenda propter Regnum cælorum. Sic ergo quamvis Dominus dederit uxorem viro, relinquenda eſt tamen, ſi opus eſt propter Regnum cælorum. Non enim hoc ſemper neceſſe eſt, ſicut Apoſtolus dicit,* Si „ quis fidelis habet uxorem infidelem, & hæc con- „ ſentit habitare cum illo, non dimittat eam. *Significat utique quod ſi non conſentit habitare cum illo, id eſt, ſi execratur in illo fidem Chriſti, & non eum patitur quod Chriſtianus eſt relinquenda eſt propter Regnum cælorum; Sicut idem Apoſtolus in ſequentibus „ dicit:* Quod ſi Infidelis diſcedit, diſcedat: Non „ eſt enim ſubjectus ſervituti frater aut ſoror in hujuſ- „ modi. *Si quis ergo relinquit Regnum cælorum, dum non vult relinquere uxorem non ferentem Chriſtianum virum, improbatur a Domino. Et item ſi quis vir relinquit uxorem dato libello repudii, cum cauſa non exiſtat aut fornicationis, aut obtinendi Regnum cælorum, ſimiliter improbatur a Domino. Ita nec iſta Capitula Evangelica inveniuntur ſibi eſſe contraria, nec Evangelium Veteri Teſtamento: Quia ibi uxor conjungitur viro ut ſimul mereantur Regnum cælorum: Et ita uxor relinquenda eſſe præcipitur, ſi virum impediat ad poſſidendum Regnum cælorum.*

Objiciebat *Adimantus*, hæc verba Dei Geneſis 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, pugnare cum illis Joannis 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri facere vultis*: Et cum altero loco ubi Judæi *Genimina viperarum appellantur*, Matthæi 23. 33.

Reſpondet *S. Auguſtinus*. Hominem factum dici ad imaginem & ſimilitudinem Dei, antequam peccaret. Quod autem dicitur in Evangelio, *Vos ex patre diabolo eſtis*, peccatoribus & infidelibus dici qui filii Diaboli vocantur, vel quod ab ipſo impietatem didicerunt, vel quod illum imitantur, quod magis pertinet ad id quod de illo dictum eſt: *Et in veritate non ſtetit*: Quia & ipſi Judæi in veritate Legis quæ ſibi data eſt, non ſteterunt, Domino atteſtante & dicente: *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi: De me enim ille ſcripſit*. Apoſtolus etiam hominem ad imaginem Dei factum clamat 1. ad Corinthios 11. 7. *Vir quidem non debet velare caput, cum ſit imago & gloria Dei, mulier autem gloria viri.* Et ut manifeſte intelligatur, *Non ſecundum vetuſtatem peccati, quæ corrumpitur, ſed ſecundum ſpiritalem conformationem factum eſſe hominem ad imaginem Dei, idem Apoſtolus monet ut exuti conſuetudine peccatorum, id eſt, veteri homine, induamur nova vita Chriſti, quam novum hominem appellat. Et ut doceat hoc nos aliquando amiſiſſe, renovationem illam vocat; Nam ita loquitur:* Expo- „ liantes veterem hominem cum actibus ſuis, induite *Coloſſ.* 3. 10.
„ novum qui renovatur in agnitionem Dei, ſecundum
„ imaginem ejus qui creavit eum .... *Quod in poteſtate noſtra ab ipſo Deo eſſe poſitum doceat Scriptura, cum dicit*: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Filii autem Diaboli dicuntur homines, cum imitantur ejus impiam ſuperbiam, & a luce atque celſitudine decidunt ſapientiæ, & non credunt veritati.*

Objiciebat *Adimantus*, Quod ſcriptum eſt Exodi 20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, contrarium eſſe Evangelii loco (*Matthæi* 8. 22.) ubi Dominus cuidam dicenti: *Permitte me primum ire & ſepelire patrem meum*; Reſpondit: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.*

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Id ſolvi eodem modo quo illud ſuperius, ubi de uxore propter Regnum cœlorum relinquenda dictum eſt: *Quia & parentes honorare debemus, & eos tamen propter annuntiationem Regni Dei nulla impietate contemnimus. Nam ſi veteri Teſtamento contrarium eſt Evangelium propter iſtam ſententiam, incipit etiam Apoſtolo eſſe contrarium, qui & filios monet ut honorent parentes, & parentes ut diligant filios. Non ſolum autem ſed & Dominus ſibi ipſi videbitur contrarius, quod credere nefas eſt, quia loco alio dicit homini quærenti vi- „ tam æternam*, Si vis venire ad vitam, ſerva man- „ data. *In quibus etiam illud commemorat*, Honora „ patrem & matrem .... *Ex quo manifeſtum eſt & honorem parentum in gradu ſuo eſſe ſervandum, & eos tamen in divini amoris comparatione, præſertim ſi impedimento ſunt, nulla dubitatione oportere contemni. „ Nam & in Scripturis Veteribus habes poſitum*, Qui „ dicit patri & matri, Non novi vos, & qui filios „ ſuos non agnoſcit, ipſe autem cognovit Teſtamen- „ tum tuum. *Ergo ſi & in novo Teſtamento commendatur parentum dilectio, & in Veteri commendatur parentum contemptus, ex utroque capite duo ſibi Teſtamenta conſentiunt.* *Epheſ.* 6. 2. *Coloſſ.* 3. 20. *Matth.* 19. 20. *Deuteron.* 33. 9.

Objiciebat *Adimantus*, cum Evangelio pugnare hunc locum Exodi 20. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Opponi quippe ſententiæ Chriſti Matthæi 5. 45. *Benefacite his qui oderunt vos .... Ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt: Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos*: Et illi, *Matthæi* 23. 22. ubi Dominus ait, non ſolum *ſepties* peccanti fratri dimittendum, ſed etiam *ſeptuagies ſepties*.

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Illud rectum eſſe, quod Deus retribuit parentum peccata filiis qui eum oderunt. Ex eo enim quod addidit, *qui me oderunt*, intelligitur *eos punire peccatis parentum, qui in eadem perverſitate parentum perſeverare voluerunt. Tales enim non ſævitia, ſed potius juſtitia Dei, & ſua iniquitate puniuntur, ſicut Propheta ait*; Sanctus e- *Sap.* 1. 5.
„ nim Spiritus diſciplinæ effugiet fictum & auferet
„ ſe a cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu &
„ corripietur a ſuperveniente iniquitate: *Id eſt, corripitur homo ſuperveniente ſibi iniquitate ſua, cum ab eo receſſerit Spiritus Sanctus. Et alio loco*: Hæc
„ cogitaverunt & erraverunt, excæcavit enim illos *Sap.* 2. 21.
„ malitia eorum. *Et alio loco*: Funiculis peccato- *Proverb.* 5. 22.
„ rum ſuorum unuſquiſque conſtringitur: *Quibus Teſtimoniis Veteris Teſtamenti de novo conſentit Apoſtolus* *Rom.* 1. 24.
„ *dicens*; Tradidit illos Deus in concupiſcentias cor-
„ dis eorum. *Qua concordia utriuſque Teſtamenti ſatis oſtenditur non eſſe ſævum Deum, ſed unumquemque in ſe ſævire peccando.* In tertiam autem & quartam generationem peccata parentum redditurum filiis Deum intelligendum eſt: *His utique legitime atque debite, qui parentum peccata perſeveranter tenere, quam Dei juſtitiam ſequi maluerunt. Nam non pertinere patris peccata ad filium juſte viventem Propheta Ezechiel apertiſſime oſtendit.* Quod autem dicitur *Ezech.* 18. 24.
in Evangelio, *Benefacite his qui oderunt vos*, quemadmodum Pater veſter cœleſtis, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*: Non eſt *Veteri Teſtamento contrarium. Hoc enim facit Deus ut invitet ad pœnitentiam, ſicut dicit Apoſtolus.* Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te invitat: *Nec tamen* *Rom.* 2. 4.
ideo credendum eſt non puniturum Deum eos qui, ut di-

dicit Apoſtolus, theſaurizant ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Namque iſtam Dei patientiam & bonitatem etiam Propheta prædicat dicens: Parcis au-
Sap. 11. tem omnibus, quoniam tua ſunt omnia, qui animas
27. amas: *Et cætera innumerabilia, quibus intelligitur, & in bonitate & in ſeveritate miſericordiam & juſtitiam Dei Teſtamentum utrumque prædicare.* Illud „ vero quod dimittendum eſſe dicit fratri non ſolum „ ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties, *pœnitenti uſ-*
Ezech. 33. *que dicit. Deus autem illis ſe dicit retribuere pec-*
11. *cata, qui eum oderunt, non qui ei per pœnitentiam reconciliantur. Nam & apud Prophetam Dominus di-* „ *cit,* Nolo mortem peccatoris, tantum ut rever- „ tatur & vivat. *Ex quo facile apparet, & in ea patientia quæ invitat ad pœnitentiam, & in ea indulgentia quæ ignoſcit pœnitentibus; & in ea juſtitia qua punit eos qui corrigi nolunt utrumque Teſtamentum convenire atque congruere, tanquam ab uno Deo utrumque conſcriptum.*
2. Cor. Non eſt autem cur quis moveatur his verbis, *Ego*
11. *ſum Deus zelotes,* cum & Apoſtolus dicat, *Æmulor enim vos Dei æmulatione, &c. Sancta enim Scriptura verbis noſtris loquens, etiam per hæc verba demonſtrat nihil digne de Deo poſſe dici . . . . Nam quoniam zelando ſolent mariti uxorum pudicitiam cuſtodire, poteſtatem & diſciplinam Dei, quæ fornicari animum impune non ſinit, zelum Dei Scriptura vocaverunt. Eſt autem animæ fornicatio averſio a fœcunditate ſapientiæ, & ad conceptum temporalium illecebrarum corruptionumque conſenſio . . . . Tolle de zelo errorem & dolorem, quid remanebit aliud niſi voluntas cuſtodiens caſtitatem, & corruptionem vindicans conjugalem? Quo igitur verbo niſi zelo Dei melius poſſet inſinuari, quo vocamur ad conjugium Dei, & non vult nos turpi amore corrumpi, & punit impudicitiam noſtram, & diligit caſtitatem? Non etiam fruſtra vulgo dici ſolet: Qui non zelat, non amat.*

Obiiciebat *Adimantus*, illud Exodi 21. 24. *Oculum pro oculo, dentem pro dente,* &c. adverſari præcepto Evangelico de remittendis *injuriis*, ipſo Chriſto teſte, Matthæi 5. 33. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, Oculum pro oculo & dentem pro dente: Ego autem dico vobis non reſiſtere malo: Sed ſi quis te percuſſerit in maxillam, præbe illi & alteram,* &c.

Reſpondet *S. Auguſtinus*, In his duabus ſententiis revera duorum Teſtamentorum differentiam demonſtrari, ſed amborum tamen ab uno Deo conſtitutorum. *Nam quoniam primo carnales homines ardebant multo amplius ſe vindicare, quam erat illa injuria de qua querebantur, conſtitutus eſt eis primus lenitatis gradus, ut injuriæ acceptæ menſuram nullo modo dolor vindicantis excederet. Sic enim & donare aliquando poſſet injuriam, qui eam primo non ſuperare didiciſſet. Unde Dominus jam per Evangelii gratiam ad ſummam pacem Populum deducens, huic gradui ſuperædificavit alterum; Ut qui jam audierat non ampliorem vindictam, quam quiſque læſus eſſet, reddere, placata mente totum ſe donare gauderet: Quod*
Pſ. 7. 4. *etiam illis Veteribus Libris Propheta prædicat, dicens:* „ Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniqui- „ tas in manibus meis, reddidi retribuentibus mi- „ hi mala. *Et alius Propheta dicit de hujuſmodi*
Thren. 3. „ *viro patiente injurias & leniſſime tolerante:* Dabit
30. „ percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. *Ex quo intelligitur & menſuram vindicandi eſſe carnalibus conſtitutam, & omnimodam injuriæ remiſſionem non tantum in Novo Teſtamento eſſe præceptum, ſed longe ante in Veteri prænuntiatum.*

Geneſ. 3. Obiiciebat *Adimantus*, Quod ſcriptum eſt, Deum
10. 13. 15. locutum cum Adamo, & cum Eva, cum Serpente,
& 4. 6. cum *Caino*, & cæteris Antiquis, inter quos etiam nonnullis apparuiſſe, & ab eis viſos eſſe ſcribitur: contrarium eſſe Novo Teſtamento, ubi Dominus di-
Joan. 1. cit: *Deum Nemo vidit unquam: Unigenitus qui eſt*
18. *in ſinu Patris ipſe enarravit.* Et iterum ubi dicit Judæis: *Neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis: & verbum ejus non habetis in*
Joan. 5. *vobis manens.*
38. Reſpondet *S. Auguſtinus*, Evangelica ipſa ſententia ex *S. Joannis* 1. laudata totam ſolvi poſſe quæſtionem; *Quia ipſe Filius qui eſt Verbum Dei, non ſolum noviſſimis temporibus, cum in carne apparere dignatus eſt, ſed etiam prius a conſtitutione Mundi, cui voluit de Patre annuntiavit, ſive loquendo, ſive apparendo, vel per Angelicam aliquam Poteſtatem, vel per quamlibet creaturam. Quia ipſe eſt in omnibus veritas, & omnia illi conſtant, & omnia illi ad nutum ſerviunt, atque ſubjecta ſunt: Ut etiam oculis per viſibilem creaturam, qui vult, quando dignatur, appareat; Cum ipſe tamen ſecundum divinitatem ſuam, & ſecundum id quod Verbum eſt Patris, coæternum Patri & incommutabile, per quod facta ſunt omnia, nonniſi puriſſimo & ſimpliciſſimo corde videatur. Et ideo quibuſdam locis etiam Scriptura ipſa teſtatur Angelum viſum, ubi dicit Deum viſum . . . . . Quapropter ſi non eſt mirandum quod Verbum Dei, id eſt, unus Filius Dei, qui de Patre annuntiat, cui vult per ſe ipſum, cui vult per aliquam creaturam manifeſtatur; vel ſonando, vel apparendo, cum tamen ipſe per ſe ipſum mundo corde videatur, & per illum Pa-* „ *ter;* Beati enim mundi corde, quia ipſi Deum „ videbunt: *Non eſt mirandum ex utroque Teſtamento iſta omnia teſtimonia conſonare.*

Obiiciebat *Adimantus*, Illi quod ſcriptum eſt *Deuteronomii* 12. Non eſſe manducandum ſanguinem, *quod anima ſit carnis ſanguis*, opponi verba illa Chriſti in Evangelio, Matthæi 10. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Si enim ſanguis eſt anima: quomodo in eam poteſtatem non habent, cum ſanguinem effundant? Addebat illud Apoſtoli 1. ad Corinthios 15. *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt.* Si ergo ſanguis eſt anima, ſicut Moyſes dicit, nulla anima Regnum Dei poſſidebit.

Reſpondet *S. Auguſtinus* primo, De anima pecoris, non de anima hominis, dictum eſſe, quod anima ſit carnis ſanguis. Secundo, *Præceptum illud in ſigno eſſe poſitum*, id eſt, animam dici carnis ſanguinem, quia ſanguis animæ præſentia & vivificantis ſignum eſt. Quod autem ait Apoſtolus, *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*, de carne & ſanguine in ſtatu corruptionis & mortalitatis intelligitur, non de carne immutata & incorruptione donata. *Seminatur* enim *in corruptione, ſurget in incorruptione: Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute: Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale:* (Inquit Apoſtolus.) Quibus ſubjungit: *Hoc autem dico fratres: Quia caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt: Neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Ecce Myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.*

Obiiciebat *Adimantus*, Evangelio repugnare hunc locum Deuteronomii 12. 20. *Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, ſicut locutus eſt tibi, & volueris veſci carnibus, quas deſiderat anima tua, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.* Iſta enim repugnare his Apoſtoli verbis ad Romanos 14. 21. *Bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinum.*

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Apoſtolum tunc tantum eſum carnis, & potum vini prohibere, cum abſque proximi offenſione manducari & bibi non poteſt, ſcilicet cum aliquis infirmus putat ſibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam: Et ideo eum qui manducat, poteſt arbitrari in honorem idolorum id facere, & ex eo graviter offendi; cum ipſa immolatitia caro, ſi ex fide a neſciente accipiatur, neminem maculet, ut docet idem Apoſtolus 1. *ad Corinthios* 10. 25. Hunc eſſe ſenſum Apoſtoli, tota capitis ſeries oſtendit, ſed illa maxime verba: *Non ergo amplius invicem judicemus: Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Scio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: Jam non ſecundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt enim Regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto . . . .*

Ita-

Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: Et quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: Sed malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? Penes temetipſum habe coram Deo. Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducaverit, damnatus eſt; Quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Obiiciebat *Adimantus*, Loca illa *Levitici* 11. & *Deuteronomii* 14. 3. ubi abſtinentia ab certorum animalium carnibus præcipitur, contraria eſſe verbis Chriſti, *Matthæi* 15. 2. dicentis: *Non quod intrat in os coinquinat hominem: Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*.

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Chriſti verbis explicari præceptum illud Veteris Legis, quod ſcilicet nullæ carnes, nulla animalia, per ſe & natura ſua immunda ſint, ſiquidem *Non coinquinant hominem*: Sed ſignificatione. Quæ igitur de quorumdam carnibus animalium non comedendis Populo adhuc carnali præcepta ſunt, *Ad ſignificationem poſita ſunt humanorum morum: Quos Eccleſia, quæ corpus eſt Domini, in ſua unitatis vinculum ſtabile & ſempiternum recipere non poteſt, tanquam immundas eſcas reſpuens, & in ſua viſcera non convertens; Ut omnia illa præcepta carnali Populo impoſita futuram diſciplinam ſpiritalis Populi prophetarent. Et ideo non ea repugnant ſententiæ Domini, qua veriſſime dicit, non coinquinari hominem iis quæ per eſcam ingrediuntur in eum. Illa enim ſententia ſervis onera imponit, iſta vero liberis jugum excutit ſervitutis. Et illa tamen ſic dicta eſt ut ſervorum onera fidem prænuntient liberorum.* Omnia enim, *ſicut dicit Apoſtolus*, in figuram contingebant illis: Scripta ſunt autem propter nos, in quos fines ſæculorum obvenit. *Si ergo in figuram contingebant quæ patiebantur, in figuram accipiebant quæ monebantur.*

Obiiciebat *Adimantus*, Præcepta de Circumciſione & de obſervatione Sabbati, in Libris Moyſis ſcripta, ſententiis illis Apoſtolicis adverſari, 1. ad Corinthios 7. 18. *Circumciſus aliquis vocatus eſt? Non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? Non circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt; Sed obſervatio mandatorum Dei.* Et ad Galatas 4. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis.*

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Circumciſionem, & obſervationem Sabbati, aliaque Præcepta Ritualia Veteris Legis contraria non eſſe Evangelio, ſed illud Evangelio repugnare, ut quiſque res deſerens, quæ per illas umbras figurantur, ipſius umbræ ſequatur inanitatem; quod volebant, qui Gentibus in Chriſtum credentibus jugum Circumciſionis imponebant quaſi ad ſalutem neceſſarium; *Cum jam non eſſet umbra in corpore figuranda, ſed res ipſa corde geſtanda.* Præcipiebat igitur Apoſtolus 1. ad Corinthios 7. 18. Ut unuſquiſque ſicut vocatus erat, ſic maneret. *Advenientibus enim rebus, quarum erant umbra illæ obſervationes, id actum eſt ut oſtenderetur in ipſis umbris non eſſe ſpem ponendam, ſed in ipſis rebus, quas illa umbra ſignificabant eſſe venturas, id eſt, Chriſtum & Eccleſiam. Et propterea illa jam omnia inania erant: Nec tamen ea tanquam noxia removenda, ſed tanquam ſuperflua contemnenda. Apoſtolus præcepit: Ut ſi quis Judæus Chriſto credidiſſet, propter offenſionem ſuorum non prohiberetur in ipſis ſuperfluis remanere, nec tamen in eis ſalutem ſuam conſtitutam putaret; Non enim ſigna illa, ſed ea quæ his ſignificantur, in ſalutem introducunt. Ideoque Præputium nihil eſt, & Circumciſio nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* Similiter Sabbatum obſervari Apoſtolus non vetat loco laudato Epiſtolæ ad *Galatas*, ſed non obſervanda eſſe tempora docet, quo modo ea obſervabant Judæi, *Serviliter, non intelligentes ad quarum rerum ſignificationem, & prænunciationem pertinerent. Nam nos quoque & Dominicum diem, & Paſcha ſolemniter celebramus, & quaſlibet alias Chriſtianas dierum Feſtivitates; Sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora obſervamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus.* Itaque Circumciſionem carnis & recte impoſitam ſervis, & recte a liberis repudiatam eſſe, manifeſtum eſt. *Repudiamus ergo eam carnalem cum Apoſtolo; & approbamus eam ſpiritalem cum Apoſtolo; & Sabbati quietem non obſervamus in tempore: ſed ſignum temporale intelligimus, & ad æternam quietem, quæ illo ſigno ſignificatur, aciem mentis intendimus. Repudiamus itaque temporum obſervationem cum Apoſtolo, & temporalium ſignorum intelligentiam tenemus cum Apoſtolo, duorumque Teſtamentorum differentiam ſic probamus, ut in illo ſint onera ſervorum, in iſto gloria liberorum: In illo cognoſcatur præfiguratio poſſeſſionis noſtræ, in iſto teneatur ipſa poſſeſſio. Interpretatur Apoſtolus Sabbatum ad Hebræos (4. 9.) cum dicit:* Remanet igitur Sabbatiſmus Populo Dei. *Interpretatur etiam Circumciſionem, cum dicit de Abraham:* Et ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei. Rom. 4. 2.
Apoſtolicam itaque interpretationem ſpiritaliter teneo; Carnalem ſervitutis obſervationem libertate contemno; utriuſque Teſtamenti auctorem Deum venerans, qui & veteri homini fugienti tanquam Dominus appoſuit quod timeret, & novo ſedenti tanquam pater apposuit quod amaret.

Obiiciebat *Adimantus*, Quod *Exodi* 23. 22. de Amorræis, Pherezæis, Chananæis, Jebuſæis, & Gergeſæis delendis & occidendis mandatur, opponi præcepto Chriſti in Evangelio dicentis: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui vos oderunt*, &c.

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Quod de hoſtibus occidendis in Veteribus Libris illi Populo dictum eſt, contrarium non eſſe Præcepto Evangelico de inimicorum dilectione: *Quandoquidem illa inimicorum interfectio carnali adhuc Populo congruebat, cui lex tanquam Pædagogus data erat, ſicut Apoſtolus dicit. Hi vero qui tunc in illo Populo ſancti & ſpiritales homines erant pauciſſimi, ſicut Moyſes, ſicut Prophetæ, quo animo facerent illam inimicorum interfectionem, & utrum eos, quos interficiebant, diligerent, multum latet indoctas & impias, qui diligunt cæcitatem ſuam, qui quoniam non ſunt idonei videre iſta, mole potius auctoritatis urgendi ſunt.* Certe cum Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium judicavit *tradendum Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini Jeſu*: Satis declaravit, *In aliquem inimicum vindictam cum charitate poſſe procedere .... Si ergo tempore Novi Teſtamenti quo maxime charitas commendatur, de pœnis viſibilibus divinitus injectus eſt carnalis timor, quanto magis tempore Veteris Teſtamenti hoc congruit? Sed illi Populo intelligendum eſt, quem timor Legis tanquam Pædagogi coercebat. Nam hæc breviſſima & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, timor & amor: Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet; utrumque tamen unius Dei miſericordiſſima diſpenſatione prolatum atque conjunctum. Et in Veteri Scriptura tacetur animus vindicantium, quia pauciſſimi ſpiritales divinis revelationibus quid facerent, noverant, ut Populus cui terror utilis erat, ſeveriſſimo imperio domaretur: & quemadmodum videbant dari in manus ſuas interficiendos inimicos impios, cultoreſque ſimulacrorum, ſic ipſi formidarent in manus inimicorum ſuorum dari, ſi Dei veri juſſa contemnerent, & ad culturam Idolorum, atque impietates Gentium laberentur. Nam & in ipſos ſimiliter peccantes non diſſimiliter vindicatum eſt. Sed omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos terret, ut enutritos ſub diſciplina erudiat, & a ſempiternis atque ineffabilibus ſuppliciis poſſit avertere: Quia plus timent carnales homines quod in præſenti Deus vindicat, quam illud quod futurum minatur. Poteſt ergo eſſe dilectio in vindicante.* Adde, miſericordiam & ſeveritatem Dei utriuſque Teſtamenti literis prædicari. *Nam de inimici dilectione ut non reddatur malum pro malo, in Veteribus Libris legitur:* Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. *Quis hoc diceret, niſi qui ſciret hoc Deo placere, ut malum pro malo nemo reddat? Sed hoc perfectorum eſt, ut non oderint in peccatoribus*

niſi

niſi peccata; ipſos autem homines diligant, & cum vindicant, non ardeant acerbitate ſævitiæ, ſed moderatione juſtitiæ: Ne ipſa relaxatio peccati plus noceat peccatori, quam pœna vindictæ. Nec tamen hoc fecerunt juſti homines, niſi auctoritate divina, ne quis arbitretur paſſim ſibi eſſe permiſſum necare quem velit, aut judicio perſequi, aut pœnis quibuſlibet affligere. Aliquando autem aperte ponitur in Scripturis ipſa divina auctoritas, aliquando autem occultatur, ut & manifeſtis lector inſtruatur, & exerceatur obſcuris.

Obiiciebat *Adimantus*, Quod in Lege ſcriptum eſt, *Ego ſum qui divitias do amicis meis, & paupertatem inimicis meis*, opponi verbis Chriſti Matthæi 5. & Lucæ 6. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.* Et, *Væ vobis divitibus, quia percepiſtis conſolationem veſtram.*

Reſpondet *S. Auguſtinus*, Hæc nequaquam eſſe contraria, ſiquidem & in Evangelio amici Dei hereditate terræ divites fiunt, dicente Chriſto; *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Et Dominus iiſdem, quos vult eſſe rerum temporalium contemptores, ut in Evangelio ſibi ſerviant, promittit *centuplum* in hoc ſæculo, & in futuro *vitam æternam*. *Si ergo in Novo Teſtamento, præter æternam poſſeſſionem, quæ promittitur Sanctis, hujus quoque poſſeſſionis, quæ tranſitura eſt, multiplicatio non ſubtrahitur, & tanto fit uberior, quanto contemptius poſſidetur: Quanto magis in Veteri Teſtamento carnalis Populi præmia talia eſſe debuerunt, ipſo tamen uno & vero Deo gubernatore omnium temporum, omnia pro tempore moderante & adminiſtrante!* Inimicis tamen ſuis non quamcumque paupertatem Deus comminatur, ſed illam perfectam, ad quam Dives ille impius redactus eſt, ut a paupere *Lazaro*, quem neglexerat, guttulam aquæ ad linguæ ſuæ refrigerium in flammis inferni deprecaretur. Denique non ſolum in Evangelio, ſed etiam in Veteri Teſtamento docetur divitiarum contemptus Pſalmo 143. *Erue me de manu filiorum alienorum: Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filii ſicut novellæ plantationes, in juventute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boves eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt Populum cui hæc ſunt: beatus Populus cujus Dominus Deus ejus.* Pſalm. 36. 16. *Melius eſt modicum juſto, ſuper divitias peccatorum multas.* Pſalmo 118. *Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.* Pſalm. 18. 10. *Judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa; Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum.* Proverbiorum 3. 13. *Beatus homo qui invenit ſapientiam & qui affluit prudentia; Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione argenti & auri primi: & puriſſimi fructus ejus: Pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari.* Sap. 7. 7. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ. Et præpoſui illam Regnis & ſedibus: & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum: Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.*

Obiiciebat *Adimantus*, Repugnare Evangelio illud Amos 3. 7. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: & illud Iſaiæ 45. 7. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Siquidem Matthæi 7. 17. dicit Chriſtus: *Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.*

Reſpondet *S. Auguſtinus*, malum in illis Prophetarum locis, non peccatum, ſed pœnam intelligendam eſſe. *Divina enim providentia ſancte moderante & gubernante, ita homo male facit quod vult, ut male patiatur quod non vult. Deus ergo malum facit, quod non ipſi Deo malum eſt, ſed iis in quos vindicat. Itaque ipſe, quantum ad ſe pertinet, bonum facit, quia omne juſtum bonum eſt, & juſta eſt illa vindicta. Et ideo non eſt contrarium quod Adimantus objicit dixiſſe Dominum:* „ Arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. *Quamvis enim malum ſit gehenna damnato, juſtitia tamen Dei bona eſt, & ipſe fructus eſt ex arbore bona. Ille autem malus peccatorum fructum theſaurizat ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Quanquam duæ iſtæ arbores manifeſtiſſime in ſimilitudine duorum hominum poſitæ ſint, id eſt, juſti & injuſti: Quia niſi quiſque voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt. Quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum, alio loco docet, ubi ait:* Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: Aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.

Obiiciebat Anonymus Hæreticus Moſaicam Legem Veteriſque Teſtamentum fuiſſe miniſtrationem mortis, teſte Apoſtolo 2. ad Corinthios 3. 7. *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur; Quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Vetus igitur Teſtamentum jure merito divinum dici non poteſt.

Reſpondet *S. Auguſtinus Libro 2. contra Adverſarium, Legis & Prophetarum*, Cap. 7. Legem dictam eſſe ab Apoſtolo miniſtrationem mortis, non per ſe, ſed ex occaſione; Lex enim ad peccatum non impellebat: ſed cupiditas, occaſione accepta ex Lege oſtendente malitiam peccati, magis excitabatur, & irritabatur: Sicut aquæ impetus fit vehementior obice oppoſito, cujus molem cum vicerit, majore cumulo præcipitatus, violentius per prona provolvitur. Eodem igitur ſenſu Apoſtolus hic appellavit Legem *miniſtrationem mortis*, quo ad *Romanos* 7. 12. dixit: *Littera occidit, ſpiritus autem vivificat.* Lex enim quamvis juſta & ſancta, & bona, prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adjuvit ad juſtitiam Legis implendam. *Oportebat enim ut in Teſtamento Veteri Lex imponeretur ſuperbis, & de ſua voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret juſtitiam, ſed juberet. Ac ſi morte prævaricationis implicitis ad gratiam confugerent, non jubentem tantummodo, ſed juvantem, quæ Novo Teſtamento eſt revelata.* Non eſt itaque exiſtimandum malam fuiſſe Legem quæ data eſt per *Moyſen*, quia dicta eſt *miniſtratio mortis in litteris figurata lapidibus*. Id enim propter eos dictum eſt, *Qui ſuo libero arbitrio Legem ſufficere arbitrabantur, & Spiritu Gratiæ non adjuti, rei prævaricationis ſub ejuſdem Legis littera tenebantur.* Unde ad *Romanos* 4. 15. ait: *Lex iram operatur. Ubi enim Lex non eſt, nec prævaricatio.* Hinc oſtendens unde dixerit, *Lex iram operatur*. Neque enim ejus prævaricatio mala eſſet, niſi Lex ipſa bona eſſet. Operoſum nimis eſt cuncta colligere, quæ in hanc ſententiam Apoſtolus habet, Legem diſtinguens a Gratia. *Et quod ſub illa eliduntur elati, ſub iſta eriguntur eliſi: & quod illa in tantum bona ſit, ut bona jubeat; hæc in tantum ut bona conferat; illa juſtitiæ facit auditorem, iſta factorem. Et ideo ſub illa peccator, inſuper etiam prævaricator, amiſſa excuſatione ignorantiæ convictus jacet: ſub iſta vero & parcente & opitulante, nec quia mala eſt operatus extinguitur, & ut bona operetur accenditur. Quid ergo mirum ſi illa dicta eſt miniſtratio mortis, ubi littera occidit, malum prohibendo quod fit, & bonum imperando quod non fit? Iſta vero dicta eſt miniſtratio Spiritus utique vivificantis, ut prævaricationis morte ſurgamus, & juſtitiam non vel legamus in tabulis, ſed liberi in cordibus & moribus habeamus? Hoc eſt Teſtamentum Novum diſtans a Vetere, quia ibi vetus homo formidinis coarctatur anguſtiis, hic novus homo ſpatiatur latitudine charitatis.* Atque ut omnes auferantur ambages, quonam modo & Lex miniſtratio mortis recte dicta ſit, & tamen ſancta, & juſta, & bona ſit; illud recolamus, quod Apoſtolus ſcribit ad *Romanos* 7. Cum enim dixiſſet: *Ita ut ſerviamus in novitate Spiritus, & non in vetuſtate Litteræ*; continuo ſubjunxit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per Legem; Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, Non concupiſces. Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine Lege enim peccatum mor-*

mortuum erat. Ego autem vivebam ſine Lege aliquando. Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus ſum: & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Itaque Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem. Ecce quid eſt *miniſtratio mortis*: Ecce quid eſt, *Litera occidit*: Ecce quemadmodum Lex *non eſt peccatum: & mandatum in vitam: & Lex ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum, & tamen quia de ipſo bono interficitur inobediens anima, ubi Dei non adjuvet gratia, miniſtratio mortis facta eſt Lex in Veteri Teſtamento propter occidentem literam; & miniſtratio vitæ facta eſt Gratia* in *Novo Teſtamento propter vivificantem Spiritum.* Quod eſt autem, *miniſtratio damnationis*: Hoc eſt, *Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*: Hoc eſt, *Cum veniſſet mandatum, peccatum revixit*: Hoc eſt, *Inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe in mortem*: Hoc eſt, *Occaſione accepta peccatum per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit*: Hoc eſt, *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*: Hoc eſt, *Lex iram operatur*: Hoc eſt, *Virtus peccati Lex. Prohibitio enim peccati, quod eſt Lex, auget profecto deſiderium peccandi; Quod non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ut fides per dilectionem operetur. Hoc autem non præſtat Litera jubens, ſed Spiritus juvans; non Lex ergo, ſed Gratia: Non Vetus Teſtamentum in ſervitutem generans, quod eſt Agar, ſed novum, in quo non ſunt ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.*

DISSERTATIO XII.

DE JURATA GABAONITIS AB Joſue, & Iſraelitarum Principibus ſecuritate.

CUm Terræ promiſſæ Reges univerſi, Genteſque, Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Hevæi, & Jebuſæi, contra *Joſue* & Iſraelitas uno animo eademque ſententia arma ſumpſiſſent, a Patriæ libertatis, avitæque ſuperſtitionis defenſionem, Gabaonitæ abjecto belli conſilio de deditione cogitarunt; utque ad fœdus facilius admitterentur, ac ſalvam vitam reciperent, e regione longinqua ſe venire finxere. *Joſue* & Primores Iſraelitarum, non conſulto Domino, ut in re tanti momenti par erat, cum ipſis fœdus inierunt, illiſque ſecuritatem juraverunt; Tum animadverſa fraude, ſalvos quidem eſſe juſſerunt propter religionem juramenti, ſed perpetuo famulitio in pœnam fraudis addixerunt. Hæc Hiſtoria legitur *Joſue* Cap. 9. Circa quam quæritur, utrum *Joſue* & Iſraelitarum Principes juratam Gabaonitis ſecuritatem præſtare tenerentur?

PROPOSITIO UNICA.

Licet Joſue, & Iſraelitarum Principes juratam Gabaonitis ſecuritatem præſtare non tenerentur; ob religionem tamen juramenti, volente & approbante Deo, pie & laudabiliter præſtiterunt, clementiaque erga ipſos utendum merito cenſuere.

PRobatur prima pars Propoſitionis. Jusjurandum fraude elicitum non obligat; cum nempe eum qui juravit, factum aliquod ſuppoſuiſſe certum eſt, quod revera ita ſe non habeat, & niſi id crediſſet, non fuiſſe juraturum: Sed *Joſue* & Iſraelitarum Principes Gabaonitis ſecuritatem jurarunt, ipſorum fraude decepti, ac ſupponentes ipſos Chananitidis indigenas non eſſe, ſed exteros, alioqui fœdus cum ipſis non inituri, nec ſecuritatem juraturi: Itaque juratam ſecuritatem præſtare non tenebantur.

Major perſpicua eſt. Unde ad illud *Sophoclis* in Oedipode Coloneo:

Fraus ad fraudem ſuperaccedens,
Non beneficiis, ſed atroci ſolet
Clade rependi.

Vetus Scholiaſtes ait: *Putant Thebani ſe ſuſcepta Oedipodi promiſiſſe incolumitatem, cauſa ab ipſo data, cum non ante didiciſſent piaculo eum domeſtico teneri.* Tale & illud:

Jurata lingua eſt, mente juravi nihil,
Namque & Hippolytus deceptus juraverat.

Minor probatur ex Cap. 9. Libri Joſue 5. 6. 7. *Perrexeruntque ad Joſue, qui tunc morabatur in caſtris Galgala, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntque Viri Iſrael ad eos, atque dixerunt: Ne forte in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſimus fœdus inire vobiſcum. At illi ad Joſue: Servi, inquiunt, tui ſumus. Quibus Joſue ait: Quinam eſtis vos? Et unde veniſtis? Reſponderunt: De terra longinqua valde venerunt ſervi tui in nomine Domini Dei tui*, &c. *Fecitque Joſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt quod non occiderentur: Principes quoque multitudinis juraverunt eis. Poſt dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos futuri eſſent.* Igitur Iſraelitæ Gabaonitarum fraude decepti, fœdus cum ipſis inierunt, arbitrati ipſos alienigenas eſſe, non Chananitidis incolas: Alioqui fœdus cum ipſis non pepigiſſent, nec ad vitam illis ſervandam juramento ſe obſtrinxiſſent: Id enim ſibi non licere ſunt conteſtati. Et ſi licuiſſet, tantam cautionem non adhibuiſſent Iſraelitæ, ut explorarent an Chananitidis incolæ eſſent, an exteri, ſolicite interrogando. *Quinam eſtis vos? & unde veniſtis?* Nec opus fuiſſet ut Gabaonitæ exteros ſe ſimularent, cum pacem etiam ultro oblaturi veniſſent, non expectaſſent, ut compellerentur. Sed ad fraudem componendam inducti ſunt, quod audiviſſent Iſraelitas mandatum a Deo ſibi datum prædicare, de incolis omnibus Chananæarum Civitatum delendis & occidendis, ac de pace alienigenis dumtaxat concedenda ſub conditione deditionis & tributi. Deuteronomii 20. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui eſt in ea, ſalvabitur, & ſerviet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladii, abſque mulieribus & infantibus, jumentis & cæteris quæ in civitate ſunt .... Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde ſunt, & non ſunt de his Urbibus quas in poſſeſſionem accepturus es. De his autem Civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere: Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet & Amorrhæum, & Chananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebuſæum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes quas ipſi operati ſunt Diis ſuis, & peccetis in Dominum Deum veſtrum.*

Confirmatur ex verbis quibus *Joſue* Gabaonitas caſtigavit, ex pœna perpetuæ ſervitutis ob fraudem illis inflicta, & ex ipſorum excuſatione, Joſue 9. 22. *Vocavit Gabaonitas Joſue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluiſtis, ut diceretis; Procul valde habitamus a vobis, cum in medio noſtri ſitis? Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in Domum Dei mei. Qui reſponderunt: Nuntiatum eſt nobis ſervis tuis, quod promiſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſervo ſuo, ut traderet vobis omnem Terram, & diſperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, & providimus animabus noſtris, veſtro terrore compulſi, & hoc conſilium inivimus. Nunc autem in manu tua ſumus; Quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Joſue ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Iſrael, ut non occiderentur. Decrevitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti Populi, & Altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes uſque in præſens tempus, in loco quem Dominus elegiſſet.* Porro niſi utrique intellexiſſent, vitioſum eſſe

ſa-

Digitized by Google

ſacramentum, quod per fraudem datum acceptumque fuerat, nec *Joſue* caſtigaſſet dolum, nec Gabaonitæ pœnam metus excuſatione ſic deprecati fuiſſent, ut interim quavis ſe dignos faterentur, & ab una Ducis clementia vitam ſperare ſe poſſe palam declararent. Merito itaque *Maſius* Eruditus Libri *Joſue* Commentator ait: *Statuendum puto abſque ulla dubitatione, ſi ſumma agatur jure, ipſaque ſtipulationum verba ſpectentur, non magis obligatos fuiſſe Iſraelitas Gabaonitis, qui ſe alienigenas ſimulabant, indigenæ cum eſſent; quam ſi quis cui venditu pretium ei ſe numeraturum per errorem promittat, quod ſibi nihil vendidit.*

Secunda pars propoſitionis probatur ex facto & reſponſo Principum Iſrael, qui ſibi integrum non eſſe exiſtimarent, fœdus juramento firmatum violare, quamvis dolo elicitum eſſet, conditionemque ſupponeret, quæ aberat. Tanta namque erat apud priſcos homines juramenti religio, ut promiſſa quorum ſemel Deum ſuum ſponſorem nuncupaſſent, ſervare ſe debere ob Dei reverentiam, & ad Genium offenſionem vitandam arbitrarentur, quamvis ad ea præſtanda ſummo jure alias non tenerentur, ob fraudem, vel alicujus conditionis defectum, Joſue 9. 17. 18. *Moveruntque caſtra filii Iſrael, & venerunt in Civitates eorum die tertio.... Et non percuſſerunt eos, eo quod juraſſent eis Principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael. Murmuravit itaque omne vulgus contra Principes. Qui reſponderunt eis: Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis: Reſerventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi pejeraverimus: Sed ſic vivant, ut in uſus univerſæ multitudini ligna cædant, aquaſque comportent.*

Quod autem auctore & approbante Deo juratam ſecuritatem Gabaonitis præſtiterint Iſraelitæ, probatur ex eo quod poſtmodum ſpretam a *Saule* juramenti iſtius religionem Deus graviter vindicaverit, 2. Regum 21. *Facta eſt quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: Et conſuluit David Oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis Rex, dixit ad eos. (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum: Filii quippe Iſrael juraverant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quaſi pro filiis Iſrael & Juda.) Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? Et quod erit veſtri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non eſt nobis ſuper argento & auro quæſtio, ſed contra Saul, & contra domum ejus: Neque volumus ut interficiatur homo de Iſrael. Ad quos Rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis? Qui dixerunt Regi: Virum qui attrivit nos & oppreſſit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem reſiduus ſit de Stirpe ejus in cunctis finibus Iſrael. Dentur nobis ſeptem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul quondam electi Domini. Et ait Rex: Ego dabo. Tulit itaque Rex duos filios Reſpha filiæ Aja, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboſeth: & quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, & dedit eos in manus Gabaonitarum: Qui crucifixerunt eos in Monte coram Domino.*

Quod denique clementia erga Gabaonitas utendum *Joſue* & Iſraelitarum Primores merito cenſuerint, ex eo probatur, quod illos deditione ſpontanea clementiam meruiſſe Spiritus Sanctus ſignificet Joſue 11. 19. 20. *Non fuit Civitas quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Hevæum qui habitabat in Gabaon: Omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi.* Similem clementiam erga Chananæorum reliquias exercuit *Salomon*, quo tempore ob egregiam pietatem Deo familiariſſimus erat 3. *Regum* 9. 20.

Ex his colligitur, Mandatum Iſraelitis datum de Chananæis omnibus ad internecionem cædendis, æquitate quadam interpretandum fuiſſe de iis qui civitates ſuas expugnari finerent, & Iſraelitis reſiſterent, bellique impetum ſuſtinerent: Non vero de illis qui pacem rogarent, & ſpontanea deditione, imo & Judaicæ Religionis amplexu, aut certe Idololatriæ abdicatione & unius veri Dei cultu ſecundum Iſraelitarum ritus ac leges, obſidionem ſuarum urbium, & Iſraelitarum impetum anteverterent. Id
„ ut intelligatur, in memoriam revocandum, eſt,
„ *Noachum*, ſive dira devotione ſive vaticinatione ex
„ arcanis Dei conſiliis profecta, execratum eſſe filii
„ ſui *Cham* progeniem eam, quæ ex *Chanaan* eſſet naſcitura:
„ Ea autem fuit, quæ loca iſta trans Jordanem
„ Iſraelitis a Deo hæreditatis loco aſſignata occupavit:
„ Quam Gentem Sacra Hiſtoria ſæpe Chananæos,
„ interdum Amorrhæos, nonnunquam diverſis ſeptem
„ nominibus, aliquando pluribus, aliquando paucioribus
„ vocat. Cum ergo Iſraelitæ progeniti ex
„ *Sem* eſſent, cujus olim nepotibus illos ſervituros
„ *Noachus* prædixerat: Conſentaneum profecto fuit,
„ ut ne prorſus omnes Chananæi ab his internecione
„ exſcinderentur. Nam ſi armatos in bello, inermes
„ ſupplicesque in pace occidiſſent, quibus tandem
„ potuiſſent pro ſervis uti? Conficitur ergo
„ Leges illas, quæ aliis atque aliis locis ſcriptæ, &
„ animis Iſraelitarum veluti inculcatæ, jubent illam
„ Nationem internecino bello funditus delere, neque
„ ulli aut ætati, aut ſexui parcere, plane aliqua
„ eſſe æquitate temperandas. Quæ æquitas qualis
„ ſit, ipſa nos ratio Divinæ illius Conſtitutionis
„ optime doceat. Eſt enim ratio, ut Juriſperiti aiunt,
„ Legis anima. Erat autem in ſanguinaria illa
„ Lege inſtituenda hoc Dei propoſitum, quod ipſe
„ patefecit: Ne facer Populus, cui loca iſta pro Exod. 23.
„ habitatione fuerant data, a pura Religione abdu- 33.
„ ceretur ad iſtarum Gentium ſuperſtitiones, ſi ſimul Deutor. 7.
„ habitarent. Quis ergo non intelligat, ubi nul- 4.
„ lum eſſet a tali contagio periculum, ibi neque illi
„ Sanctioni locum eſſe? Quæ autem potuit eſſe me-
„ tuenda contagio ab illis Chananæis, qui Majo-
„ rum ſuorum fœdam cum pura Iſraelitarum Reli-
„ gione commutaverant; & Sacrorum, cæterorum-
„ que Jurium communione ſe Iſraelitis junxerant;
„ ac plane adſcriptitii Iſraelitæ facti fuerant? Ita
„ ratiocinatur *Andreas Maſius* in Caput 9. *Joſue*:
Quod maxime obſervandum eſt ad objectiones diluendas, quæ contra Propoſitionem noſtram fieri poſſunt.

Accedit, quod de *Joſue* Spiritus Sanctus teſtatur, ipſum Legem accuratiſſime obſervaſſe, nihilque non feciſſe ex iis quæ *Moyſes* juſſerat. Joſue 11. 15. *Sicut præceperat Dominus Moyſi, ita præcepit Moyſes Joſue, & ille univerſa complevit: Non præteriit de univerſis Mandatis, nec unum quidem verbum quod juſſerat Dominus Moyſi.* Nec igitur *Joſue*, nec Primores Iſraelitici Populi, Dei Legem violarunt, cum ſecuritatem Gabaonitis juratam præſtiterunt, illoſque non ſolum ſervarunt incolumes, ſed illos defenderunt adverſus quinque Reges Chananæorum fœderatos.

Probatur ſecundo Propoſitio noſtra SS. Patrum ſuffragiis. S. *Ambroſii*, Libro 3. *De Officiis*, Cap. 10. *Non ſolum*, inquit, *in contractibus, (in quibus etiam vitia eorum quæ veneunt prodi jubentur, ac niſi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris tranſcripſerit, doli actione vacuantur) ſed etiam generaliter in omnibus dolus abeſſe debet: Aperienda ſimplicitas, intimanda veritas eſt. Veterem autem iſtam de dolo non Juriſperitorum formulam, ſed Patriarcharum ſententiam Scriptura Divina evidenter expreſſit in Libro Teſtamenti Veteris, qui JESU NAVE inſcribitur. Nam cum exiſſet fama per Populos, ſiccatum eſſe Mare in Hebræorum tranſitu, fluxiſſe aquam de petra, de cœlo diurnam miniſtrari alimoniam tot Populi millibus abundantem; concidiſſe Muros Hiericho, ſacro tubarum ſono iſtos, & ululatu plebis arietatos, Gethæorum quoque Regem victum & ſuſpenſum in ligno uſque ad veſperam: Gabaonitæ metuentes validam manum, venerunt cum verſutia, ſimulantes ſe de terra longinqua eſſe, diuque peregrinantes dirupiſſe calceamenta, detriviſſe amictus veſtium, quarum veternoſitatis indicia monſtrarent. Cauſſam autem tanti laboris, expetenda pacis, & ineunda cum Hebræis amicitiæ eſſe cupiditatem: Et coeperunt ab Jeſu Nave poſcere, ut ſecum firmaret ſocietatem. Et quia adhuc ignarus locorum, atque in-*

colarum inſolae, non cognovit fraudes eorum, neque Deum interrogavit, ſed cito credidit. Adeo ſancta erat illis temporibus fides, ut fallere aliquos poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui caeteros de ſuo affectu aeſtimabunt? . . . Hac igitur mentis ſua devotione inclinatus ut crederet, Teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, confirmavit ſocietatem. Sed ubi in terris eorum ventum eſt, deprehenſa fraude, quod cum eſſent finitimi, advenas ſe eſſe ſimulaverunt, circumſcriptum ſe Populus Patrum indignari coepit. Joſue tamen pacem quam dederat, revocandam non cenſuit, quia firmata erat ſacramenti religione: Ne dum alienam perfidiam arguit, ſuam fidem ſolveret. Multavit tamen eos vilioris obſequio miniſterii. Clementior ſententia, ſed diuturnior. Manet enim officiis poena veteris aſtutia, hereditario in hanc diem miniſterio deputata.

Secundo, *S. Auguſtini* Quaeſtiona 13. in Joſue.
,, Quaeri poteſt, *inquit*, Quomodo Jurationem ſer-
,, vandam eſſe crediderint Hebraei Gabaonitis, qui-
,, bus ita juravarant, tanquam de longinqua terra
,, venientibus, ſicut illi mentiti fuerant. Sciebant
,, enim ſe debellandos, ſi cognitum eſſet Hebraeis in
,, aa tarra eos habitare, quam promiſſam fuerant
,, interfectis habitantibus retunturi. Mentientibus er-
,, go quod de longinqua terra ad eos veniſſent, ju-
,, raverunt Iſraelitae. Poſteaquam vero cognoverunt
,, ibi eos habitara, ubi omnes quos invenerant, ſe-
,, cundum Dei praeceptum debellare oportebat, no-
,, luerunt tamen frangere jurationem; & licet eos
,, mentitos eſſu didiciſſent, parcere maluerunt jura-
,, tionis cauſſa; cum poſſent utique dicere ſe tantum
,, illis juraſſe, quos eos eſſe crediduraot, id eſt,
,, de longinquo venientes. Cum vero aliud cogno-
,, vurunt, praeceptum circa eos Domini implendum
,, erat, ut ſicuti caeteri eapugnarentur. Deus autem
,, hoc approbavit, nec parcentibus ſuccenſuit: Quam-
,, vis eum non interrogaſſent quinam illi eſſent,
,, & ideo eos illi fallere voluiſſent. Undu non im-
,, portune utique credendi ſunt, & etſi fallera ho-
,, mines pro ſua ſaluta voluerunt, non tamen fal-
,, laciter Deum timuiſſe in Populo ejus: Propterea
,, nec ſuccunſoit Dominus jurantibus aut parcenti-
,, bus, adeo ut poſtea Gabaoniras ipſos tanquam
,, Popoli ſui homines du domo Saul vindicaverit,
,, ſicut Regnorum oſtendit Hiſtoria. Et quoniam ju-
,, ratio ſic ſervata eſt, quamvis in hominibus qui
,, mentiti ſunt, ut ad clementiam ſententia flecteretur
2.Reg.21. ,, non diſplienit Deo. Nam ſi e contrario juraſſent,
,, aliquos ſe interſecturos, quos Gabaonitas in Ter-
,, ra promiſſionis eſſe putaviſſent, & poſtea didiciſ-
,, ſent eos eſſu ab illa Terra uatraneos, & de lon-
,, ginquo ad ſu veniſſe, nullo modo arbitrandum uſt
,, quod aos eſſent debellatori cauſſa jurationis im-
,, plendae: Cum propter ipſam parcendi clementi-
,, am ſanctus David, etiam poſt verba quibus ſe
,, Nabal interfecturam eſſe juraverat, utique ſciens
,, quam fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in
1.Reg.25. 22. ,, re duriore implere juramentum; magis Deo pla-
,, cere exiſtimans, ſi quod ira perturbatus ad no-
,, cendum juraverat, non feciſſet, quam ſi perfe-
,, ciſſet.

Et Quaeſtione 24. loquens de praeſidio Gabaonitis obſeſſis a *Joſue* lato, & de victoria adverſus Reges Amorrhaeorum, ipſi a Deo praenuntiata, *Joſue* 10. 7. 8. haec habet: *Ubi neque conſultus eſt Dominus, utrum eundum ad eos eſſet: Sed ultro ſuis ceſſo ſubvenire volentibus, futuram victoriam pronuntiavit. Sic ergo poſſet, quamvis non conſultus, de ipſis Gabaonitis admonere qui eſſent, cum ſe longinquos eſſe mentirentur, niſi ei placuiſſet illa juratio, qua ſubjectis parcere coegit. Crediderant enim Deo, quem audierant ſuo Populo promiſiſſe quod illas Gentes ſubverteret, eorumque Terram obtineret, & hanc eorum fidem non eos prodendo remuneravit quodam modo.*

Tertio, *Theodoreti* Quaeſtione 13. in *Joſue*, ubi quaerit, *Quare damnavit Gabaonitas ad ligna cadenda & aquam ferendam*: Et hoc modo reſpondet: *Fefellerant tam habitu, quam verborum mendacio. Et cum oporteret conſulere Dominum Deum, tum ſoli ea cum illis inire foedera, credentes eorum verbis mendacibus perſuaſi ſunt. & foedera cum illis inita jurejurando firmaverunt. Atqui praeceperat univerſorum Deus omnes illos interfici. Medius igitur Joſue conſtitutus inter praeceptum divinum & jusjurandum, eos Miniſtros efficit ſancti Sacrificii. Non eſt autem contumelioſum ſervire Deo, ſed valde honorificum. Oportebat autem praedictum*
,, *etiam Noe finem accipere. Ait enim*, Maledi-
,, ctus Chanaan puer, ſervus erit fratrum ſuorum.
Quae Prophetia impleta eſt in Gabaonitis.

Nemo vero adverſus Propoſitionem noſtram inde argumentum trahat, quod *Murmuravit omne vulgus adverſus Principes*, ob ſecuritatem Gabaonitis praeſtitam, vitamque ipſis (ut juratum fuerat) donatam; *Joſue* 9. 18. Non enim attendendum eſt quid vulgus vindictae & praedae avidum, ſed quid prudentiſſimi Principes, & Sanctus imprimis Dux *Joſue* Spiritus Sancti lumine illuſtratus cenſuerit, quid Deus de illius facto judicaverit. Nam in omni hominum coetu plerumque fieri aſſolet, ut quo quiſqua a Magiſtratus dignitate conſiliiſque abeſt longius, eo ſit ad huic obtrectandum propenſior: Nimirum cum ajus ordinis homines fere non ratione, non judicio, quo non pollent, ſed ſolis ſuis affectionibus ducantur; atqua ad praeſentem ſe fortunam ſemper accommodare cupiant; non poſſunt non ferre moleſta aa quae hiſce ſuis cupiditatibus, adverſantur imperia. Quamvis autem fatendum eſt in eo quoque ordine viros multos eſſu, aut indole ipſa aut educatione probos; tamen iſti aliorum clamoribus, tanquam flabellis, facile ad temeritatem inflammantur.

SCHOLION.

Peccatores, quorum figura Gabaonitae fuerunt, ad Jeſum, cujus Joſue typus fuit, ſalutari judiciorum Dei timore percuſſi confugiant, pacem ab ejus clementia poſtulaturi: Gabaonitarum fraudem ac dolum *Joſue* 9.
non imitentur, ſinceram poenitentiam agant, veteris hominis exuvias ferentes, vitae veteris ac peccati odium & deteſtationem profeſſi, novaeque vitae inchoationem, ſincere dicant: *De terra longinqua venimus.* Abierunt quippe in regionem a Deo remotiſſimam, in regionem diſſimilitudinis, non greſſibus corporis, ſed affectibus mentis. Se Chriſto Jeſu totos devovaant amore poenitente, dicentes; *Nunc in manu tua ſumus; quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis.* Mortem aeturnam Dei miſericordia evadent, ſed ea Lege, ut laborioſis poenitentiae operibus capient peccata, & cunctis vitae ſuae diebus in ſervitute Domini perſeverent. *Decrevitque eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & Altaris Domini caedentes ligna, & aquas comportantes, in loco quem Dominus elegiſſet.* Fideliter ac religioſe Domino ſerviant, aquam lacrymarum ſuarum comportantes, crucem ſuam ferentes, ſeque omnium poſtremos in domo Domini exiſtimantes Chriſtianae humilitatis ſenſu & affectu.

DISSERTATIO XIII.

DE ADMIRABILI STATIONE Solis, imperante Joſue.

CUm Gabaonitae ab *Adoniſedeho* Hieroſolymorum Rege, & foedaratis Amorrhaeorum Regibus obſeſſi, auxilium a *Joſue* & Iſraelitis poſtulaſſent; ille Exercitu propere traducto hoſtes palantes adorſus, phalangibus expugnatis, caeteros in fugam dedit, ad Azecam uſque & Macedam proſecutus. Multis millibus ad internecionem caeſis, Deo pro Iſraelitis pugnante & lapidea grandine hoſtes contarente, cum Sol in occaſum vergeret, *Joſue* proſpiciens noctem praeſidio victis fore, fuſis ad Deum precibus, & fiducia incredibili in ſolis & Lunae Creatorem animatus, coram univerſo Iſraelitarum Exercitu Solem in Gabaona, & Lunam in Ajalonis Valle juſſit conſiſtere. *Sol*, inquit, *contra Gabaon ne movearis, & Luna contra Vallem Ajalon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*, &c. Legitur haec hiſtoria *Joſue* 10. Quaeritur, an revera Sol & Luna interrupta converſione interquieverint, ibi-

ibique Miraculum agnoſcendum ſit? *R. Levi F. Gerſonis*, & *Maimonides* in *More Nevochim* p. 2. Cap. 35. uſitatum atque conſuetum Solis & Lunæ motum reipſa fuiſſe interruptum, aut impeditum negant. Sed ideo viſam in cœlo mutationem aſſerunt, quod *Joſue* in terris tantas res tanta celeritate geſſerit, ut dies potius producta, & Sol ac Luna ſteriſſe videantur, quam magnus ille Dux tam celeriter illas geſſiſſe. Hoc itaque *Joſue* votum fuiſſe putant, ut unicus ille dies & nox profligandis hoſtibus ſatis eſſent: Perinde ac ſi his verbis uſus eſſet: Da Domine, ut prius quam Sol & Luna occidant, populus tuus a ſui hoſtibus pœnas ſumere poſſit. Hocque Miraculi ſolum habuiſſe eum diem, quod ad hominis preces tantam ſtragem tam parvo temporis ſpatio Deus ediderit. *Sem Tob* Judæus, & *David Kimchi* volunt, Deum poſt Solis occaſum novi generis corpus in cœlo condidiſſe, quod Solem repræſentaret, & ejus vice orbem terrarum illuſtraret, dum hoſtium ſtrages ab Iſraelitis confecta eſſet, plenaque reportata victoria. *Grotius* Annot. in *Joſue* hæc Hebræorum commenta probat. *Maimonides*, inquit, *& Hebræi, quos citat Maſius, nullum hic Miraculum agnoſcunt, ſed phraſim poeticam, quaſi Sol expectaſſet, donec occiſio hoſtium perfecta foret, cum potius Iſraelitæ non deſtiterint inſiſtere hoſtibus, quamdiu aut Sol aut Luna lumen præbebant: Sicut ſæpe in Hiſtoriis inſequendi finem nox affert. Scriptor ad Hebræos fidei præmia ingentia referens Cap. 11. dejectæ Hierichuntis meminit: Mutati cœleſtis curſus quod multo majus fuerat, non meminit. Et jam ſequetur, Deum voci hominis ſe accommodaſſe, non quidem Solem ſiſtendo, ſed pugnando, id eſt pugnantibus vires & invictum contra labores animum ſubminiſtrando, immittendo præterea lapides pro grandine. Hæc ita non improbabiliter dici poſſunt: Quanquam impoſſibile Deo non eſt Solis curſum morari, aut etiam poſt ſolis occaſum ſpeciem ejus in nube ſupra horizontem extanti per repercuſſum oſtendere.*

PROPOSITIO UNICA.

Sol & Luna curſu ſteterunt, Deo ad votum Joſue Miraculum operante: Nec audiendi ſunt qui Solis & Lunæ motum interruptum aut impeditum negant.

PRobatur Propoſitio ex Scriptura Sacra id clariſſimis verbis referente & aſſerente Joſue 10. 12. 13. 14. *Tunc locutus eſt Joſue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra Vallem Ajalon. Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum? Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea nec poſtea tam longa dies obediente Domino voci hominis & pugnante pro Iſrael.* Qui Solem curſum dumtaxat ſuum retardaſſe volunt, aut novum corpus vicarium ſolis Deum ſupra horizontem creaſſe, quod poſt illius occaſum orbem illuſtraret, nova fingunt Miracula, dum illud impudenter ac temere negant, quod Scriptura Sacra diſerte commemorat ut ſapere imperitis videantur. Qui vero Phraſim Poeticam eſſe cenſent, tantamque *Joſue* tantis in rebus conficiendis innui celeritatem, ut ad diem facta videretur acceſſio, ii turpiter hallucinantur. Quis enim Auctor aut ſacer aut profanus ita unquam celeritatem deſcripſit? Quis Orator vel Poeta, nedum Hiſtoricus hujuſmodi metaphora vel hyperbole uſus unquam eſt, ad alicujus Imperatoris velocitatem in bellicis Expeditionibus exprimendam? E contrario cum res alicui moleſtæ ſunt, earum toleratione ac patientia dies vel noctes quæ alioqui breves, ſolent videri longiores, ut apud *Plautum Amphit.* Act. 1. & *Horatium* Epiſtola 2.

Ut nox longa, quibus mentitur amica, dieſque
Longa videtur opus debentibus: Ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia Matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quæ ſpem
Conſiliumque morantur agendi.

At, inquiunt Hebræi ſupra nominati, Solem non ſubſtitiſſe, colligi poteſt ex ipſis ſacris verbis hiſce, *Et non feſtinavit occumbere.* Properantiam enim illa, non motum tollunt. Neque vero *Joſue* juſſit Solem niſi in Gabaone morari. Et qui in Urbe quapiam manere aliquem jubet; non quovis illi progreſſu interdicit.

Fruſtra id opponunt diſertis Scripturæ verbis quæ Solem re vera ſtetiſſe ſignificant. *Steteruntque Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque Sol in medio cœli.* Addit autem Hiſtoricus Sacer, *Et non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei*: Quod Soli ad occaſum vergenti *Joſue* imperavit ut ſtaret, cujus imperiali verbo, Deo volente, obediens, in medio cœli ſtetit immotus unius diei ſpatio. Verba certe Scripturæ Sacræ in ſenſu proprio & literali accipienda & explicanda ſunt, cum nihil ex illis ſequitur contra veritatem fidei, aut finem charitatis. Quod autem Sol re ipſa ſteterit inaudito antea Miraculo, non pugnat contra veritatem fidei, aut finem charitatis. Illa igitur ſtatio Solis proprie accipienda eſt, & Miraculo tribuenda. Atque ita accepit *Habacuch* Propheta Capit. 3. ubi inter alia divina Miracula, quæ orans enumerat, iſtud commemoraſſe videtur his verbis: *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Sic accepit & Jeſus Sirach, Eccleſiaſtici 46. 5. *An non iracundia ejus impeditus eſt Sol, & una dies facta eſt quaſi duo? Invocavit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus in ſaxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra Gentem hoſtilem, & in deſcenſu perdidit contrarios, ut cognoſcant Gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non eſt facile.* Quamquam vero Miraculum illud non commemoret Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, ejus ſilentium tam non probat id factum non fuiſſe, quam unius Evangeliſtæ ſilentium non probat falſum eſſe, quod ab altero narratur: Maxime cum Apoſtolus Hiſtoricum non agat, ſed fidei vim & triumphos ex actis Patrum a Mundi exordio uſque ad *Davidem* & Prophetas ſummatim commendet, aliaque plurima & Moyſis, & Joſue Miracula prætermittat, quæ tamen in dubium revocari non poſſunt.

Probatur ſecundo ex Patribus, ſcilicet ex S. *Juſtino* Martyre in Dialogo cum *Tryphone* Judæo p. 361. *Terra*, inquit, *vobis tradita eſt cum virtute tanta, ut Sol etiam ſpectandis vobis intentus eſſet, in cœlo conſiſtens, & ante horas triginta ſex non occideret viri ejus juſſu, qui cohoneſtatus eſt Jeſu cognomine.* Cenſet *S. Juſtinus* Solem ſtetiſſe perfecti, hoc eſt naturalis diei mora, id eſt, horis viginti quatuor; quibus ſi addideris horas duodecim, quas ab ortu ad occaſum motum tranſegit, confeceris horas triginta ſex. Verum de die artificiali, quæ duodecim vel quatuordecim horarum eſſe ſolet, vulgo explicant interpretes. Hæc enim ſola lucem præbet, ad pugnandum & proſequendum hoſtes neceſſariam. Idque innuit *Eccleſiaſticus*, dicens; *Una dies facta eſt quaſi duo.* Cum itaque hæc pugna ſub Solſtitium Æſtivum contigerit, quo tempore dies in Palæſtina quatuordecim horarum eſt, diem hunc Gabaoniticum horarum viginti octo fuiſſe eſt veriſimilius.

Item ex *Tertulliano Libro De Jejuniis* Cap. 10. *Jeſum Nave debellantem Amorrhæos, prandiſſe illa die exiſtimamus, qui ipſis elementis ſtationem imperavit? Stetit Sol in Gabaon, & Luna in Ajalon: Stetit Sol & Luna in ſtatione, donec ultus eſt Populus de inimicis ſuis, & ſtetit Sol medio cœlo, & non accedebat in occaſum, & in finem diei unius. Non fuit dies talis retro & in noviſſimo, utique tam prolixus; Ut*, inquit, *exaudiret Deus hominem, parem ſcilicet Solis, inſtantem tamdiu in officio, ſtationem etiam ſera longiorem.*

Ex *S. Joanne Chryſoſtomo* Homilia 27. in Epiſtolam ad Hebræos. *Cogita*, inquit, *quanta res ſit Vir & Juſtus. Dixit Jeſus Nave: Stet Sol contra Gabaon & Luna contra Vallem Ajalon & factum eſt. Veniat ergo univerſus orbis terræ, immo vero duo, & tres etiam & qua-*

Digitized by Google

& quatuor & viginti orbes Terræ, & dicant & hoc faciant. Sed non potuerunt. Dei autem amicus amici imperabat creaturis; imo vero amicum ſuum rogavit, & cedebant quæ ſerviebant, & inferior imperabat ſuperiori. Vides quod ea facta ſint in ſervitutem, curſum conſtitutum implentia. Hoc eſt majus, quam quæ facta ſunt a Moyſe. Quare? Non ſunt enim paria, imperare Mari, & iis quæ ſunt in cœlo. Nam illud quoque eſt magnum, & valde magnum, ſed non par. Jeſu nomen erat typus. Propterea ergo, & Propter ipſam appellationem verita eſt creatura .... Hoc etiam factum eſt in Ezechia, Sol retroceſſit. Sed hoc eſt illo admirabilius, nempe contraria via rurſus ingredi, cum curſum ſuum nondum confeciſſet. Sed hic majora aſſequemur, ſi velimus. Nam quænam nobis promiſit Chriſtus? Non fore ut Solem ſiſtamus, neque Lunam, neque Solis retrogradationem. Sed quid? Veniemus, inquit ad ipſum Ego & Pater meus, & manſionem apud eum faciemus. Quid mihi opus Sole eſt & Luna & his Miraculis cum Ipſe Dominus omnium ad me deſcendat, & apud me firmus maneat & ſtabilis. Ipſe erit mihi in Solem & lucem. Nam dic mihi quid malles Regiam in greſſus, an aliquid tranſmutare rerum quæ fixa ſunt, an Regem tibi tanta conjungeres familiaritate, ut ei perſuadeas ut ad te deveniat? Multo magis hoc quam illud.

Ex *S. Hieronymo* Libro 2. contra *Jovinianum* ſcribente: *Jeſus filius Nave ſtationem imperavit Soli & Lunæ, & inediam plus quam unius diei, victoriæ exercitus protelavit.*

Ex *S. Auguſtino* Libro 21. *De Civitate Dei*, Cap. 8. *Eſt*, inquit, *in Marci Varronis Libris, quorum deſcriptio eſt, De Gente Populi Romani, quod eiſdem*
„ *verbis quibus ibi legitur, & hic ponam:* In cœ-
„ lo, inquit, mirabile extitit portentum: Nam
„ in ſtella Veneris nobiliſſima, quam *Plautus* Veſ-
„ peruginem, *Homerus* Heſperon appellat, pulcher-
„ rimam dicens, *Caſtor* ſcribit tantum portentum
„ extitiſſe, ut mutaret colorem, magnitudinem,
„ figuram, curſum; Quod factum ita neque antea,
„ neque poſtea ſit. Hoc factum Ogyge Rege dice-
„ bant *Adraſtus Cyzicenus & Dion Neapolites*, Ma-
„ thematici nobiles. *Hoc certe Varro tantus Auctor portentum non appellaret, niſi eſſe contra Naturam videretur. Omnia quippe portenta contra Naturam dicimus eſſe, ſed non ſunt. Quomodo eſt enim contra Naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti atque Conditoris condita rei cujuſque natura ſit? Portentum ergo fit, non contra Naturam, ſed contra quam eſt nota Natura. Quis autem portentorum numerat multitudinem, quæ Hiſtoria Gentium continetur? Sed nunc in hoc uno attendamus, quod ad rem, de qua agimus, pertinet. Quid ita diſpoſitum eſt ab Auctore Naturæ cœli & terræ, quemadmodum curſus ordinatiſſimus ſiderum? Quid tam ratis legibus finiſque firmatum? Et tamen quando ille voluit qui ſummo regit imperio ac poteſtate quod condidit, ſtella præ cæteris magnitudine atque ſplendore notiſſima, colorem, magnitudinem, figuram, & (quod eſt mirabilius) ſui curſus ordinem legemque mutavit. Turbavit profecto tunc, ſi ulli jam fuerunt Canones Aſtrologorum, quos velut inenarrabili computatione de præteritis ac futuris Aſtrorum motibus conſcriptos habent, quos Canones ſequendo auſi ſunt dicere hoc quod de Lucifero contigit, nec antea, nec poſtea contigiſſe. Nos autem in Divinis Libris legimus, etiam Solem ipſum & ſtetiſſe, cum hoc a Domino Deo petiviſſet Vir Sanctus Jeſus Nave, donec cœptum prælium victoria terminaret, & retrorſum rediiſſe, ut Regi Ezechiæ quindecim annis ad vivendum additis, hoc etiam prodigio promiſſioni Dei ſignificaretur adjuncto. Sed iſta quoque Miracula, quæ meritis ſunt conceſſa Sanctorum, quando credunt iſti facta, magicis artibus tribuunt. Unde illud eſt quod ſuperius commemoravi dixiſſe Virgilium:*

Siſtere aquam fluviis, & vertere Sidera retro.

Similia occurrunt apud alios Poetas, præcipue apud *Lucanum* Lib. 6. de *Eriſichto* canentem

Ceſſavere vices rerum, dilataque longa
Hæſit nocte dies: Legi non paruit æther:
Torpuit & præceps, audito carmine Mundus:
Axibus & rapidis impulſos Juppiter urgens
Miratur non ire polos.

Ex *Theodoreto Quæſtione* 14. in *Joſue*, ubi expendens hæc verba, *Nonne ſcriptum eſt hoc in Libro juſtorum?* ait: *Cum docuiſſet nos Auctor Prophetæ virtutem, nempe quod ſolo verbo progreſſum Luminarium Magnorum cohibuiſſet, donec omnino viciſſet, ſuſpicatus ne quis verbis non adhiberet fidem, dixit hoc inveniri in antiquo Commentario. Quare conſtat ex hoc loco, poſteriorum quempiam alium, Librum hunc conſcripſiſſe, ex alio Libro capta occaſione. Iſtud porro præfigurat etiam prodigioſum facinus Salvatoris. Sicut enim pugnante Propheta Sol ſtetit, ita dum Salvator noſter morte ſua mortem diſſolveret, Sol continuit radios ſuos, & in Meridie tenebris replevit terram.*

Obiiciunt Hebræi, quorum ſuperius memini, *Moyſem* perpetuæ orbium cœleſtium Legi vim nunquam attuliſſe; quem tamen Miraculorum gloria cæteros viros divinos omnes antecelluiſſe Sacra teſtatur Hiſtoria.

Reſpondetur, *Moyſem* & plura, & diuturniora feciſſe Miracula; nec tamen Scripturam Sacram uſpiam aſſerere quod Prophetarum nemo tanta Miracula fecerit. *Moyſem* mortuos ſuſcitaſſe non legimus, quod ab aliis factum. *Deuteronomii* poſtremo Capite legimus, *Non ſurrexiſſe ultra Prophetam in Iſrael, ſicut Moyſem, quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, ut faceret in Terra Ægypti Pharaoni & omnibus ſervis ejus, univerſæque Terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram univerſo Iſrael.* Sed hæc ſolum probant, quod nemine mortalium vel ante vel poſt, ad Chriſtum uſque Dei Filium tam ſit familiariter uſus Deus, atque illo uſus eſt; quod nemo tot & tam terribilia Miracula patraverit, quot & quam terribilia ille patravit in Ægypto, & coram univerſo Iſraele; non autem quod nemo majora & admirabiliora fecerit. Quanquam majus non ſit Solem & Lunam ſiſtere, quam Mare dividere, & per medium illius, ſtantibus hinc & inde murorum inſtar aquis, Populum ſicco itinere traducere, & aquas in priſtinum fluxum reducere ad obruendum, ſepeliendumque hoſtes, qui Populum perſequebantur; & Terræ aperire viſcera ut perduelles & Schiſmaticos abſorbeat. Præterea, negari non poteſt quin *Iſaias* Propheta juſſerit Solis umbram retrogedi decem gradibus in horologio *Achaz* Regis *Ezechiæ* gratia, 4. *Regum* 20. & *Iſaiæ* 38. cum tamen ſimile Miraculum non fecerit *Moyſes*. Negat *R. Levi* illam umbram ob retroactum Solem, propriæ ab ultima horologii linea ad primam eſſe rejectam: Sed illius Sideris radiorum lumen ſic fuiſſe nubium obſtaculo repercuſſum ait. At 2. *Paralipomenon* 32. 31. legimus Babylonios ad *Ezechiam* viros de illo oſtento interrogatum allegiſſe, quod in terris acciderat. Certum eſt igitur rem inuſitatam, præter naturæ leges, Miraculum (ut uno verbo dicam) in ipſa Cœli converſione obſervaſſe Chaldæos, quippe Aſtrologiæ peritiſſimos, & Siderum inſpectioni, atque contemplationi maxime intentos. Denique cum Chriſtus dixerit, Eos qui in ipſum crediderint, virtute fidei ſimilia facturos Miracula his quæ ipſe fecit, & his *majora*; quid mirum ſi *Joſue* majus Miraculum patraverit quam *Moyſes*.

Obiiciunt, Rem tantam, & prorſus tanta admirabilitate ſpectabilem Gentium literis proditam iri memoriæ, ſi Sol & Luna interrupta converſione reipſa interquieviſſent, & unius diei ſpatio ſtetiſſent.

Reſpondetur, Nil omnium quæ ante Bellum Trojanum acciderunt, a profanis Auctoribus commemorari, præter pauca, quæ ipſa cum ex Sacris Hiſtoriis perceepiſſent, interpolaverunt, & ſua conſpurcarunt vanitate. At Bello Trojano vetuſtiores ſunt res a *Joſue* geſtæ, annis circiter mille, ſi *Theophilo Alexandrino* ad *Autolycum* ſcribenti credimus. Et illa tamen ſtatione Solis imperante *Joſue*, vel ex retroceſſione Solis tempore *Ezechiæ*, deſumptum videtur quod finxerunt Poetæ, de nocte a *Jove* duplicata, ut diutius frueretur *Alcmena*. Ortum enim Solis in alio hemiſphærio tamdiu differri neceſſe fuit, quamdiu Sol in iſto ſtetit ac morabatur.

Quæres, Quomodo ſtare poſſit quod Sacer Hiſtoricus commemorat, *Non fuit antea nec poſtea tam longa dies?* Siquidem dies *Ezechiæ* Regis longior fuit, quip-

Digitized by Google

quippe horarum triginta duarum. Sol enim retroceſſit decem gradibus: Decem ergo horæ conſumptæ ſunt in retroceſſione, & totidem in reverſione ad priorem locum.

Reſpondent vulgo Interpretes, Certum non eſſe quod Sol ſenſim regreſſurus ſit, & in illa reciprocatione qua a linea decima ad primam revocabatur, decem ſolidas horas conſumpſerit. Potuit enim, ita volente Deo, uno quaſi momento tranſilire, ac deinde a prima linea ſenſim ad duodecimam alias horas duodecim conficere. Sicque totus ille dies horis viginti duabus fuerit abſolutus, cum Joſuanus minimum viginti quatuor duraverit. Secundo non agitur comparatio de Joſuanæ diei duratione, ſed in eo ſolum anteſertur quibuſvis diebus, quod nullum alium diem ad ullius hominis preces, interrupto Solis motu, cædendorum hoſtium gratia Deus produxerit, ut hunc produxit. Denique negat Hiſtoricus Sacer ullam diem tam longam vel antea vel poſtea fuiſſe: At non negat poſt ſua tempora futuram.

SCHOLION.

Origenes Hom. 11. in Joſue. „ Cum Anima humana Verbo Dei ſe ſociaverit,
„ dubitare non debet, ſtatim ſe inimicos habituram,
„ & eos quos habuerat ante amicos, in adverſarios
„ eſſe vertendos; idque non ſolum pati ſe ab ho-
„ minibus ſperet, verum etiam de contrariis vir-
„ tutibus & ſpiritalibus nequitiis id ſibi imminere
„ certo ſciat. Et ita fit ut qui amicitias expetit Je-
2. Theſſal. 3. „ ſu, multorum ſciat ſibi inimicitias tolerandas.
„ *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecu-*
Eccli. 2. „ *tionem patiuntur*. Sed & Salomon ſimilia dicit:
„ *Fili*, inquit, *accedens ad ſervitutem Domini præ-*
„ *para animam tuam ad tentationem*. Oppugnantur
„ ergo etiam nunc Gabaonitæ cujuſcumque modi ſint,
„ propter amicitias Jeſu, & ligni licet ſint cæſo-
„ res, & aquæ geſtatores, id eſt, licet ultimi ſint me-
„ riti in Eccleſia, tamen hoc ipſo quia ad Jeſum
„ pertines impugnaberis a quinque Regibus. Sed
„ tamen nec Gabaonitæ derelinquuntur, vel ſper-
„ nuntur a Jeſu, vel a Ducibus ac Presbyteris I-
„ ſraelitarum, ſed infirmitati eorum auxilium fe-
„ runt. *Conſolamini puſillanimes* (inquit Apoſtolus)
1. Theſſal. 5. „ *ſuſtinete ergo infirmos, patientes eſtote ad omnes*. Hoc
„ modo Jeſus cum Ducibus & Principibus ſuis adeſt
„ iis qui pro nomine ſuo a contrariis virtutibus op-
„ pugnantur, & non ſolum auxilium præſtat in bel-
„ lo, verum & producit tempus diei, & ſpatia lucis
„ protelans, adventum diſcutit noctis. Ex quo ad-
„ venit Salvator, finis erat jam mundi: Ipſe dice-
„ bat, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Re-*
Matth. 4. „ *gnum cœlorum*. Sed retinuit & repreſſit diem con-
„ ſummationis, & adeſſe prohibuit. Videns enim
„ Deus Pater ſalutem gentium per ipſum poſſe con-
Pſal. 2. „ ſtare, dicit ad eum: *Poſtula a me & dabo tibi*
Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam termi-
„ *nos terræ*. Donec ergo paterna pollicitatio com-
„ pleatur, & Eccleſiæ ex diverſis nationibus creſcant,
„ atque introeat tota Gentium plenitudo, & tunc
„ demum omnis Iſrael ſalvetur, dies producitur,
„ differtur occaſus, nec unquam Sol occumbit, ſed
„ ſemper exoritur, dum credentium cordibus Sol ju-
„ ſtitiæ veritatis lumen infundit. Cum vero re-
„ pleta fuerit menſura credentium, & deterior jam
„ ac decolor ætas ultimæ generationis advenerit,
„ cum increſcente iniquitate refrigeſcet caritas multo-
„ rum, & perpauci remanſerint in quibus fides in-
„ veniatur, tunc jam abbreviabuntur dies. Domi-
„ nus igitur novit & extendere diem, cum ſalu-
„ tis eſt tempus; & breviare diem, cum tribu-
„ lationis & perſecutionis eſt tempus. *Nos autem*
dum habemus diem & producitur nobis ſpatium lu-
cis, ſicut in die honeſte ambulemus, & opera lucis
operemur.

DISSERTATIO XIV.

DE ANNIS SABBATICIS, & Jubilæis.

I. ANnos *Sabbaticus*, alias Annus *Remiſſionis*, apud Hebræos dicebatur ſeptimus quiſque, ut dies ſeptimus Sabbatum. Indicebatur ex præcepto divino Menſe ſacro ſeptimo ſeu *Tiſri*. Hæc illius erant privilegia, Primum, quies toto anno agris & vineis induita: Eorum vero quæ ſponte naſcebantur, in communes uſus deſtinatio: Unde vocatur *Sabbatum* terræ. Interdictum ergo eo anno arare, ſerere, plantare, aut quidquam facere ad agriculturam pertinens, metere, racemare, &c. Rationes quietis terræ erant. 1. Ut Judæi divinæ providentiæ confidere aſſueſcerent, atque a nimia terrenorum ſolicitudine abducerentur, æterni Sabbati memores, Heb. 4. 9. 10. 11. *Itaque relinquitur Sabbatiſmus Populo Dei*, &c. 2. Ut terra quieſcens feracior redderetur. 3. Ut eſſet ſymbolum ceſſationis Dei ab opere creationis die ſeptimo. 4. Ut recrearentur pauperes, ſervi, peregrini, provento terræ ſpontaneo. 5. Ut ipſa vacatio terræ velut merces habitationis aut redemptio a Deo eſſet, cujus erat ſupremum illius dominium, & cujus beneficio Iſraelitæ velut coloni illam poſſidebant, ut explicat *S. Auguſtinus* Quæſtione 91. *in Leviticum* 6. Ut præfiguraretur quies ſpiritualis per Chriſtum Eccleſiæ parta. Hinc *Annus placabilis* & acceptus *Domino*, Iſaiæ 61. 2. Lucæ 4. 19. 11. ad Corinthios 6. 2. Secundum Anni Sabbatici privilegium erat remiſſio, ſeu perfecta extinctio omnium debitorum, quæ ex mutuo aut vendito Iſraelitæ contraxerant, ſi præ egeſtatem ea ſolvere non liceret. Quæ figura erat remiſſionis debitorum a Chriſto factæ veris Iſraelitis, id eſt, Fidelibus. Tertium Anni Sabbatici privilegium erat manumiſſio ſervorum Hebræorum, quorum nullus retineri poterat invitus, idque in figuram libertatis per Chriſtum pariendæ liberationis, inquam, a peccato & Diaboli ſervitute. Quartum Anni Sabbatici privilegium erat lectio Legis coram toto Populo in Feſto Tabernaculorum, quæ figura erat Chriſti Legem impleturi, unde *Finis Legis* dicitur ad *Romanos* 10. eamdemque in cordibus ſcripturi. *Jeremiæ* 31. 33. Quintum Anni Sabbatici privilegium erat abundantia rerum omnium ad vitam, etiam ſine cultura & ſatione, eaque ex præcedenti anno ſexto feraci ad totum triennium. Qui typus æterni Sabbati, ubi panis ſine labore, *Sapientiæ* 16. 20. Sicut ſex anni figura hujus vitæ, quæ vere tempus eſt ſationis, id eſt, laboris ſudoriſque; *Pſalmo* 125. 5. 6. 7. Omnium vero quæ ex terra proveniebant, communio, figura erat communionis Sancti Spiritus, gratiæ, fidei, ſpei, caritatis, Sacramentorum, ſpiritualium donorum, ſalutis inter fideles, nullo pauperis & divitis, peregrini & indigenæ diſcrimine, ut Sacri Interpretes exponunt.

II. De Anno Sabbatico Lex extat Exodi 23. 10. 11. *Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes Populi tui: & quicquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri; Ita facies in vinea & in oliveto tuo*. Et Levitici 25. 1. & ſeq. *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in Monte Sinai dicens: Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Quando ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, ſabbatizet Sabbatum Domino. Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus ejus: Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini: Agrum non ſeres, & vineam non putabis. Quæ ſponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam. Annus enim requietionis terræ eſt: Sed erunt vobis in cibum, tibi & ſervo tuo ancillæ & mercenario tuo, & advenæ qui peregrinatur apud te; jumentis tuis & pecoribus, omnia quæ naſcuntur, præbebunt cibum .... Quod ſi dixeritis: Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: Seretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſ-*

que

que ad novum annum. Donec nova naſcantur, edetis vetera. Et Deuteronomii 15. v. 1. 2. 9. 10. 12. *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre ſuo, repetere non poterit, quia Annus remiſſionis eſt Domini. A peregrino & advena exiges: Civem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem .... Cave ne forte ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo: Appropinquat ſeptimus Annus remiſſionis; & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod poſtulat mutuum commodare. Ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei: Nec ages quippiam callide in ejus neceſſitatibus ſublevandis: Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miſeris .... Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſervierit tibi, in ſeptimo Anno dimittes eum liberum.* Lege ſanctum Cyrillum Alexandrinum Libro 17. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, in fine, *Theodoretum* Quæſtione 35. in *Leviticum*, & ex Hebræis *Joſephum* Libro 3. *Antiquitatum*, Cap. 10. & *Philonem* Libro *De Hypotheticis*, cujus fragmentum exhibet *Euſebius* Libro 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 7.

III. *Annus Jubilæus*, alias Annus *Reſtitutionis* fuit quinquageſimus quiſque. Jubilæi nomen derivatur vel a *Jabal* primo inventore Muſices, Geneſis 4. 21. unde *Jobel* & *jubilandi* voces, vel a *Jobel* quod ſignificat cornu vel buccinam, cujus clangor Jubilæo ineunte in omni Judæa reſonabat; vel a voce *Jobal* quæ reductionem ſignificat, quia is Annus reductionis tum ſervorum, tum poſſeſſionum. *Remiſſionem* ſeu *Dimiſſionem* S. Hieronymus interpretatur in Cap. 3. *Iſaiæ* poſt Septuaginta Interpretes. *Joſephus* Libro 3. *Antiquitatum*, Cap. 10. id nominis *Libertatem* ſignificare docet. Anni Jubilæi privilegia duplicis fuere generis, alia communia cum Anno Sabbatico, ſcilicet quies terræ, remiſſio debitorum, manumiſſio ſervorum: Alia vero huic anno propria, ſcilicet 1. Manumiſſio ſervorum omnium Hebræorum, qui detenti anno Sabbatico fuerant, *Exodi* 21. 6. vel deinceps defectu pretii quo redimerentur *Levitici* 26. 48. 49. Quæ figura fuit plenariæ per Chriſtum manumiſſionis ex ſervitute peccati, & mortis. Anno vere Jubilæo: Iſaiæ 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: Ad annuntiandum manſuetis miſit me: ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam & clauſis apertionem: Ut prædicarem Annum placabilem Domino.* Secundum Anni Jubilæi privilegium erat reditus avitarum poſſeſſionum, quæ venditæ & alienatæ fuerant, ad heredes priſtinos & legitimos, idque ſine pretio & compenſatione prorſus ulla: Unde vendebantur agri & vineæ eo auctiori pretio, quo ab Anno Jubilæo plus diſtarent, & vice verſa. Alia tamen ratio domorum intra Civitatum mœnia, & agrorum. Illæ enim, niſi primo venditionis anno redemptæ eſſent, ipſo anno Jubilæo redimi non poterant, exceptis tamen Levitarum Urbibus. Id inſtitutum, ne confunderentur Tribus & Familiæ ſucceſſione temporum; Idcirco autem diſtinctas manere Tribus & Familias intererat, ut Meſſiæ venturi Tribus & Familia, illa ex Juda, hæc ex *Davide* ſuo tempore conſtaret. Figura hæc erat reditus noſtri, ſeu reductionis per Chriſtum ad regnum cœlorum, tanquam ad avitam poſſeſſionem, qua per peccatum excidimus. Tertium Anni Jubilæi privilegium erat clangor tubarum in univerſa Terra Iſrael, a decima die Menſis. Qui typus fuit clangoris Tubæ Evangelicæ per orbem univerſum, nec non futuri clangoris tubarum, ineunte æterno Jubilæo. 1. *ad Corinthios* 15. 52. & 1. *ad Theſſalonicenſes* 4. 15.

IV. De anno Jubilæo Lex lata legitur *Levitici* 25. 8. & *ſeq. Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſeptiea ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem, & clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore in univerſa terra veſtra. Sanctificabiſque Annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: Ipſe eſt enim Jubilæus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam: Quia Jubilæus eſt & quinquageſimus Annus. Non ſeretis, neque metetis ſponte in agro naſcentia, & primitias vindemiæ non colligetis, ob ſanctificationem Jubilæi, ſed ſtatim oblata comedetis. Anno Jubilæi redient omnes ad poſſeſſiones ſuas. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contriſtes fratrem tuum, ſed juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo, & juxta ſupputationem frugum vendet tibi. Quanto plures anni remanſerint poſt Jubilæum, tanto creſcet & pretium: & quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris & emptio conſtabit. Tempus enim frugum vendet tibi.... Terra quoque non vendetur in perpetuum quia mea eſt, & vos advenæ & coloni mei eſtis.... Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit; Uſque ad Annum Jubilæum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & revertetur ad cognationem & ad poſſeſſionem patrum ſuorum; Mei enim ſervi ſunt, & ego eduxi eos de Terra Ægypti.* De Anno Jubilæo legi poteſt *Maimonides* in ſingulari Tractatu.

PROPOSITIO I.

Annorum Sabbaticorum & Jubilæorum Epocha deducenda eſt ab anno primo culturæ Terræ promiſſionis: Iique ab Autumno ducebant initium.

PRobatur prima pars Propoſitionis, ex verbis Legis de Annis Sabbaticis latæ, *Quando ingreſſi fueritis Terram, quam ego dabo vobis, ſabbatizet Sabbatum Domino. Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus ejus: Septimo autem Anno Sabbatum erit terræ requietionis Domini.* Annus igitur ſeptimus ab anno primo τῆς γεωργίας fuit Sabbaticus primus. Atqui *Joſue* tranſivit Jordanem Menſe primo anni quadrageſimi primi ab exitu ex Ægypto, qui Mundi erat bis milleſimus quingenteſimus, quinquageſimus tertius, *Joſue* 3. Et autumno ſequentis anni terram colere, ac ſemina mandare cœperunt, poſtquam Manna depluere ceſſaſſet. Ibi ergo figenda eſt radix Annorum Sabbaticorum, ut primus Annus Sabbaticus ſeptimus ab eo fuerit, hoc eſt bis milleſimus quingenteſimus ſexageſimus, quo primum quievit Terra a bello, cum a Jeſu typice requies Iſraelitis procurata eſſet, quæ Sabbatiſmi Populi Dei per verum Jeſum acquirendi umbra erat & figura. Quare hinc quoque annorum Jubilæorum epocha deducenda eſt, qui ſeptem Hebdomadibus annorum enumeratis, id eſt, annis quadraginta novem recurrebant, ita ut Jubilæus Annus quinquageſimus vocaretur.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis. Si Annus Sabbaticus, aut Jubilæus a Vere duxiſſet initium; cum eo anno nec ſerere, nec metere licuiſſet, ſexti anni meſſis, quæ nonniſi extremo menſe Niſan, id eſt, Martio noſtro, ut quam celerrime contingebat, aut potius Menſe tertio, circa Pentecoſten colligebatur, Judæis perpetuo periiſſet. Deinde cum nihil eo anno ſereretur, nihil etiam octavo anno meti potuiſſet, ſed tantum ſeri, quæ anno tandem nono colligerentur. At hæc aperte pugnant cum Scriptura Sacra & intentione Legis. Non igitur a Vere, ſed ab Autumno Anni Sabbatici & Jubilæi ducebant initium. Tertio, Annus Sabbaticus a Deo inſtitutus eſt ut terra quieſceret ab agricolarum operibus atque laboribus; In ducendo itaque ejus initio ratio haberi debuit ejus tempeſtatis, qua ſuos illi labores circa terram renovant. Hæc porro eſt, Autumnus, & ſeptimus Menſis. Qui contrariam opinionem ſecutus eſt unus *Toſtatus* Abulenſis Epiſc. nullis ipſam argumentis firmavit, nulla noſtræ communiſque ſententiæ incommoda oſtendit.

PRO-

PROPOSITIO II.

Utrum Annus Jubilæus quolibet anno quadrageſimo nono celebraretur, an vero anno quinquageſimo, Quæſtio Problematica. Prior ſententia argumentorum pondere, poſterior Patronorum numero & auctoritate vinceret.

PRobatur primo ex Scriptura Sacra, quæ ſpatium Jubilæi, ſeu ſacrum illum Cyclum per ſeptem Sabbata annorum definit *Levitici* 25. Atqui ſeptem Sabbata annorum conficiunt annos ſolidos quadraginta novem: Jubilæus itaque anno quadrageſimo nono celebrabatur.

Probatur major ex Lege de Jubilæis lata Levitici 25. 8. *Numerabis quoque tibi ſeptem Hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem, & clanges buccina Menſe ſeptimo, &c.* Sicut ergo Annus Sabbaticus erat ſeptimus quiſque, ita Jubilæus erat quiſque ſepties ſeptimus. Idque convenientiſſime, quemadmodum enim Deus quievit die ſeptimo, ita ſeptimum diem quieti hominis, ſeptimum Menſem ſacrum perpetuis feſtis, ſeptimum Annum agrorum quieti, ſepties ſeptimum eidem quieti, rerum alienatarum reſtitutioni, & ſervorum manumiſſioni deſtinavit.

Præterea, ſi Jubilæus anno quinquageſimo celebratus fuiſſet, Terra quieviſſet duobus annis continuis, anno nempe quadrageſimo nono, utpote Sabbatico, & anno quinquageſimo ſequente, utpote Jubilæo, ex Lege, *Levitici* 25. 2. At nullum in Sacris Literis vel Hiſtoria Judæorum datur veſtigium vel exemplum quod duobus annis ſolidis immediate ſibi ſuccedentibus ab agricultura ceſſatum ſit. Immo anno octavo, qui Sabbaticum proxime ſequebatur, ſemina terræ mandari, fruges meſſis tempore, & uvas vindemiarum tempeſtate colligi ſolitas, conſtat ex *Levitici* 25. 22. Cum ergo annus quadrageſimus nonus Sabbaticus fuerit, anno quinquageſimo ferebatur ager, fruges adulta meſſe colligebantur: Adeoque Jubilæus Annus ille non erat. Accedit quod annonæ difficultas extitiſſet, cum nulla benedictio ſingularis anno quadrageſimo octavo data legatur in tres annos ſequentes ob biennium integrum ceſſationis.

Tertio, ſi poſt annum quadrageſimum nonum Annus Jubilæus celebratus eſſet, ipſeque fuiſſet quinquageſimus, turbatus fuiſſet ordo Annorum Sabbaticorum. Vel enim Annus Jubilæus fuiſſet unus ex Sabbaticis, & ab ipſo initum dixiſſet ſeptenarium ſequens, vel non, ſed ab anno quinquageſimo primo. Si poſtremum admittas, en turbatum Annorum Sabbaticorum ordinem, & ab uno Sabbatico ad alterum non jam ſeptem annos, ſed octo in ea hypotheſi numerabis. Si primum, ſequitur agros ſex annis poſt ultimum Annum Sabbaticum coli & conſeri non potuiſſe, ſecundum Legem, *Levit.* 25. 3. ſed quinque tantum; neque ſex annis ſerviendum tunc fuiſſe ſervo Hebræo, qui non redimeretur, ex Lege, *Deuteronomii* 15. 12. ſed quinque dumtaxat annis.

Quarto, idem probat Kalendarium Hebræorum circa tempora *Conſtantini Magni* Imperatoris adornatum, in quo hunc Canonem Annorum Sabbaticorum, quos appellant *Annos ſemita*, condiderunt. *Abiice*, inquiunt, *omnia ſeptenaria ab Æra Mundi, reſiduum eſt annus ſemita, in quo es*: Hoc eſt, reſiduum oſtendet quotus annus agatur a proximo celebrato Sabbatico. Turbari ergo non potuit ille ordo per annum quemque quinquageſimum interſerendum poſt Annos Sabbaticos.

Magna pro altera ſententia, quæ Jubilæum annis quinquaginta circumſcribit, nomina laudantur. *Philo Hebræus* Libro De Charitate: *Quid Lex illa*, inquit, *de Anno quinquageſimo, nonne quamvis aliam obſervantia ſpem ſuperat?*

Joſephus Libro 3. *Antiquitatum*, Cap. 10. *Septimo*, inquit, *anno remiſſionem agris dedit, intactoſque aratro & plantatione eſſe juſſit quemadmodum jam ante Populo ſeptimo quoque die remiſſionem a laboribus dederat: Quæ vero per hunc annum ſponte ſua terra protulerit, publica eſſe, & promiſcui uſus juſſit. Idemque obſervari poſt ſeptimam annorum ſeptimanam, qui numerus quinquaginta conficit, Vocaturque Hebrais quinquageſimus quiſque annus Jobelus.*

Euſebius in Chronico, ad Annum *Abrahami* quinquageſimum primum: *Principium*, inquit, 41. *Jubilæi ſecundum Hebræos. Jobel autem apud eos quinquageſimus annus vocatur.*

S. Hieronymus Epiſtola 127. ad *Fabiolam*, de 42. Manſionibus, Manſione 12. *Supputamus quinquageſimo die egreſſionis Iſrael ex Ægypto in vertice Montis Sinai Legem datam. Unde & Pentecoſtes celebratur Solemnitas, & poſtea Evangelii Sacramentum in Spiritus Sancti deſcenſione completur: Ut ſicut priori Populo, quinquageſimo die, vero Jubilæo, & vero Anno remiſſionis, & veris quinquaginta & quingentis denariis, qui debitoribus dimittuntur, Lex data eſt; & in Apoſtolos quoque & qui cum eis erant, in centeſimo vigeſimo Moſaicæ ætatis numero conſtitutis, deſcenderit Spiritus Sanctus.* At Libro 2. Commentariorum in *Amos* Jubilæum ſeptem hebdomadibus annorum, id eſt, annis quadraginta novem conſtare aſſerit. *Septenarium*, inquit, *numerum eſſe ſanctum, etiam Sabbatum, probat* .... *Et ſeptem Hebdomadæ complent numerum ſanctæ Pentecoſtes, & Jubilæus Annus remiſſionis, tubarumque clangentium hoc numero ſenitur. In ſeptimo quoque Menſe figuntur Tabernacula, & Hebræus, cum ſex annis ſervierit, anno ſeptimo liberatur.*

Alii etiam Patres Annum Jubilæum quinquageſimum vocant *S. Auguſtinus* Quæſtione 92. in Leviticum, *S. Gregorius* Libro 1. *Moralium* Cap. 4. *S. Iſidorus* Libro 4. Originum, Cap. 8. & recentiorum Commentatorum turba. Scripturam Sacram opinioni ſuæ diſerte ſuffragari clamant, Levitici 25. 10. *Sanctificabiſque Annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: Ipſe eſt enim Jubilæus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibit ad familiam priſtinam: Quia Jubilæus eſt, & quinquageſimus Annus.*

Reſpondent prioris ſententiæ Vindices, Jubilæum in Scriptura Sacra, & a Patribus, Annum quinquageſimum dici, quia ab uno Jubilæo ad alterum ſunt anni quinquaginta, incluſo utroque termino. Nihil autem uſitatius eſt, quam ut certi dies, anni menſes numerentur, modo incluſive, modo excluſive. Sic Hebdomadem vocare ſolemus octiduum, quæ ſeptem tantum dies complectitur. Sic Olympiadem quinquennium vocant Auctores Græci & Latini, quæ nonniſi annos quatuor ſolidos continet. Sic quintum annum Biſſextilem dicimus, qui tamen revera quartus quiſque eſt. Sic Indictiones ſpatio ſexdecim annorum ab Auctoribus definiuntur, quia tot numerantur Anni ab Indictione ad Indictionem, quamvis revera Cyclus ille ſit annorum dumtaxat quindecim. Licet ergo Jubilæus anno quadrageſimo nono celebraretur, & cum Sabbatico concurreret, quinquageſimus tamen dictus eſt incluſo utroque termino. Nec mirum, cum Scriptura Sacra numeris rotundis uti ſoleat, & inchoatos annos pro abſolutis numerare.

Urgent poſterioris ſententiæ Patroni, Annum quadrageſimum nonum a quinquageſimo in Lege diſtingui; numeratis annis quadraginta novem, juberi ſanctificationem quinquageſimi, qui Jubilæus appellatur; tam abſurde exponi, Annus quinquageſimus erit Jubilæus, id eſt, quinquageſimus nonus, quam abſurde exponeretur, Hora duodecima eſt meridies, id eſt, undecima. Addunt, Annum quadrageſimum nonum dici non poſſe quinquageſimum utroque termino incluſo: Tum quia primus Jubilæus neque revera eſſet, neque dici poſſet quinquageſimus annus, ſed tantum quadrageſimus nonus, utpote nullum habens Jubilæum præcedentem; Tum quia in poſterioribus omnibus Jubilæis unus & idem annus bis numerari deberet, ſemel cum antecedente Jubilæo, & iterum cum ſequente, quod repugnat rationi numeri. Si enim eadem unitas ſumeretur, falſus eſſet numerus.

Reſpondent prioris ſententiæ Vindices, Has ratiunculas ſpeciei plus habere, quam ponderis: Communem loquendi & numerandi modum, & in Scriptura Sacra frequenter uſitatum iiſdem oppugnari poſſe. Primum Jubilæum, etſi nullum præcedentem habeat, nihilominus annum quinquageſimum recte dici, quo modo Dominica in Albis Octava Paſchæ appellatur, quamvis ſeptima ſit dumtaxat a Paſchate dies. Objectionem Adverſariorum non pluris facien-

aiendrm, quam ejnr qui pertinaciter contenderet, Hebdomadam octiduum perperam dici, utroque termino incluſo, id eſt utraque Dominica, quia onus & idem dies Dominicus bir numeraretur, ſemel cum antecedente Hebdomada, & iterum cum ſequente. His ergo arguiris contra cummunem loquendi modum, atqua uſitatam Scripturæ Sacræ phraſim præſcribi non poteſt.

Obiiciunt poſterioris ſententiæ Patroni: Si Jubilæos Annus ſit quadrageſimus nonus, fore ut perpetuo in Annum Sabbaticum incurrat, quo poſito fruſtra Scriptura veraret ſeri & meti anno Jubilæi: Satir enim erat id de Anno ſeptimo præcepiſſe.

Reſpondent, qui priorem opinionem propugnant, Scripturam hac iterata prohibitione ſignificaſſe Annum Jubilæum eſſe Sabbaticum, ſed ſolemniorem: Privilegia Anno Sabbatico & Jubilæo communia, & uni Jubilæo propria, illam recenſere; communem porro eſſe utrique ceſſationem ab agricultura, meſſe, & vindemia, remiſſionem debitorum, manumiſſionem ſervorum: Propria, quæ ſuperius explicata ſunt initio Diſſertationis.

SCHOLION.

S. Auguſtinus Quæſt. 92. in Levit.

Ipſa vacatio terra Anno Sabbatico & Jubilæo erat *velut merces habitationis aut redemptio ab illo cujus eſt, hoc eſt, ab ejus Creatore Deo.* Si Judæi anni ſabbatici & jubilæi obſervantiis ad fidem in divinam providentiam, ad bonorum temporalium contemptum, ad humanitatem in ſervos, ad caritatem & beneficentiam erga pauperes erudiebantur; quanto magis Chriſtiani, qui non in vetuſtate literæ, ſed in novitate ſpiritus ſe Deo ſervire profitentur, his figuris erudiri debent ad illas virtutes, quæ variis Iſraelitis ſunt propriæ?

DISSERTATIO XV.

DE TEMPORE PRINCIPATUS Joſue.

Circa annos Imperii *Joſue* variæ admodum fuerunt & diſcrepantes ſententiæ. *Joſephus*, *Zonaras*, *Beda*, *Freculphus*, ejus Imperium annis viginti quinque definiunt: Ipſi viginti ſeptem annos, Principatus tribuunt *Euſebius*, *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum, *Julius Africanus*, *S. Auguſtinus* Libro 18 *De Civitate Dei*, Cap. 11. *Sulpitius Severus* Libro 1. Hiſtoriæ Sacræ, hanc fuiſſe communem opinionem teſtatur. *De Imperii Joſue tempore*, inquit, *parum definio. Frequens tamen opinio eſt eum viginti ſeptem annis profuiſſe Hebræis.* Eamdem ſequuntur auctor Libri *De Vita & Morte Sanctorum* apud *S. Iſidorum Hiſpulenſem*, Cap. 7. *Nicephorus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Chronicon Alexandrinum. Ad hanc ſententiam proxime accedunt Hebræi, qui *Joſue* 28. annos Iſraelem rexiſſe aſſerunt. *Julius Hilario* annos 39. ejus Principatui adſcribit, *Genebrardus*, aliique Recentiores, annos dumtaxat 17.

PROPOSITIO UNICA.

Joſue ſeptemdecim dumtaxat annis Judæorum Reipublicæ præfuiſſe, opinio eſt Chronologiæ Scripturæ Sacræ magis conſona.

Probatur Propoſitio: Ex 3. *Regum* 6. Capite conſtat annos ab Exodo uſque ad jacta Templi Salomonici fundamenta quadringentos octoginta numerari; annumque quadringenteſimum octogeſimum eſſe annum quartum Regni Salomonis. *Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de Terra Ægypti, in anno quarto, Menſe Zio, (ipſe eſt Menſis ſecundus) Regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit Domus Domino.* At illa ſeries annorum conſtare non poteſt deducta Chronologia per annos Judicum, prout in Hebraico Textu & in Vulgata noſtra definiuntur, ſi *Joſue* plures aſſignentur anni quam ſeptemdecim. Aſſerendum igitur eſt *Joſue* ſeptemdecim dumtaxat annos Rempublicam Hebræorum fuiſſe moderatum.

Minoris Propoſitionis veritas oculis ſubiicitur ſequenti ſchemate.

Moſes rexit Populum in deſerto annis quadraginta. *Exodi* 16. 35. *Deuteronomii* 2. 7. verſ. 2. xxix. 5. *Joſue* 5. 6. *Pſalmo* 95. 10. *Actuum* 7. 36. & xiii. 18.

Joſue in terra Chananæorum annis ſeptemdecim.

Othoniel primus Judicum annis quadraginta. *Judicum* 3. 11.

Aod annis octoginta. *Judicum* 3. 30.

Samgar paucis menſibus.

Barac & Debbora annis quadraginta. *Judicum* 5. 12.

Gedeon annis quadraginta. *Judicum* 8. 28.

Abimelech filius Gedeonis regnavit ſuper Iſrael annis tribus. *Judicum* 9. 22.

Thola judicavit Populum Iſrael annis viginti tribus. *Judicum* 10. 2.

Jair annis viginti duobus. *Judicum* 10. 3.

Jephte annis ſex. *Judicum* 12. 7.

Abeſan annis ſeptem. *Judicum* 12. 9.

Ahialon annis decem. *Judicum* 12. 11.

Abdon annis octo. *Judicum* 12. 14.

Samſon annis viginti. *Judicum* 15. 20.

Heli Pontifex Maximus annis quadraginta. 1. *Regum* 4. 18.

Samuel, & Saul Rex annis quadraginta. *Actuum* 13. 21.

David Rex annis quadraginta. 2. *Regum* 5. 4. & 5.

Salomon iecit fundamenta Templi anno Regni ſui quarto. 3. *Regum* 6. 1.

Reſultat ſumma annorum quadringentorum & octoginta.

Obiicies; *Joſue* centum & decem annos vixiſſe, *Joſue* 24. 29. quadraginta tres annos circiter natum fuiſſe, quando miſit illum *Moyſes* cum *Calebo*, qui tum annum quadrageſimum agebat, & aliis exploratoribus, ad conſiderandam Terram Chanaam. Quadraginta annis peregrinatum fuiſſe in deſerto cum *Moyſe*, & cæteris Iſraelitis: Adeoque octoginta tres annos natum fuiſſe, cum Jordanem tranſiit, Populumque in Terram promiſſam introduxit. Quibus ſi viginti ſeptem annos Imperii addideris, fiunt anni centum & decem.

Reſpondetur. Certum non eſſe quot annos natus eſſet *Joſue*, cum ad Terram conſiderandam cum *Calebo* & aliis Exploratoribus miſſus eſt; gratis aſſeri quod annos 43. natus eſſet, cum Scriptura ejus ætatem eo tempore non definiat: Nec ſequitur *Joſue* tot annos tunc fuiſſe natum, quia quadraginta annos natus erat *Caleb*, cum omnes ſingularum Tribuum Principes a *Moyſe* ad id negotii ſelecti pares ætate non fuerint. Tunc itaque fuerit *Joſue* annos quinquaginta quinque natus, quæ ætas *Moyſis* in Republica gerenda Miniſtro, & belli Duci congruebat; his triginta & octo annos reliquos peregrinationis Iſraelitarum in deſerto ſi addideris, fient anni nonaginta tres, quibus ſi addantur anni ſeptemdecim Imperii, conſtat numerus annorum centum & decem, quibus vita *Joſue* in Scriptura definitur. Quod autem tot annos natus tantis rebus gerendis par fuerit adhuc *Joſue*, mirum nemini eſſe debet, cum *Caleb* prope nonagenarius æque vegetus & robuſtus eſſet ac erat anno ætatis ſuæ quadrageſimo, ut ipſe de ſe ait, Joſue 10. 10. *Quadraginta & quinque anni ſunt ex quo locutus eſt Dominus verbum illud ad Moyſem, quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem: Hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens ut eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: Illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum.*

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.

DE LIBRO JOSUE.

Librum *Joſue* Canonicum eſſe ac Sacrum ſoli illi negarunt Hæretici, qui Vetus omne Teſtamentum rejecerunt. Antiquiorem eſſe Libris Regum probat locus ille 3. Regum 14. 34. *In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel Jericho: In Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas ejus; juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Joſue filii Nun.* Quod ex *Joſue* Cap. 6. 25. 26. depromptum eſt: *In tempore illo imprecatus eſt Joſue dicens, Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit, & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus.* Idem confirmant verba illius Sirachidis Eccleſiaſtici 46. 2. *Et dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem, & uſque in ſenectutem permanſit illi virtus, ut aſcenderet in excelſum terræ locum.* Quæ ex *Joſue* 14. 10. 15. 10. ſumpta ſunt, ubi Caleb ait: *Hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens ut eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: Illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum; Da ergo mihi Montem iſtum.* De Libri iſtius Auctore etiam inter Catholicos diſputatur.

PROPOSITIO UNICA.

Liber Joſue incerti Auctoris & temporis eſt.

ID probat opinionum varietas ac diſſenſio, & infirmitas argumentorum quibus nituntur. Quidam *Eleazaro* Pontifici, alii *Samueli*, nonnulli *Iſaiæ*, alii *Eſdræ* illum tribuunt, aut tribuendum conjiciunt. Auctor Synopſeos Scripturæ Sacræ ſub *S. Athanaſii* nomine editæ hunc Librum a *Joſue* ſcriptum negat; cujus ſit Auctoris non affirmat. *Theodoretus* excerptum putat ex *Libro Juſtorum*, qui laudatus eſt Joſue 10. 13. *Auctor*, inquit, *ſuſpicatus ne quis verbis non adhiberet fidem, dixit hoc inveniri in antiquo Commentario. Quare conſtat ex hoc loco, poſteriorum quempiam alium Librum hunc conſcripſiſſe, ex alio Libro capta occaſione. Hæc ille Quæſtione* 24. in *Joſue*. Hunc Librum inſcribi *JOSUE* nomine, quia de ejus Imperio agit, non quod ille Scriptor ſit, cenſet *Andreas Maſius*, conjicitque *Eſdram* ſive ſolum ſive una cum æqualibus inſigni pietate & eruditione viris, cœleſti Spiritu afflatum, non ſolum hunc *Joſue*, verum etiam Judicum, Regum alios, quos in ſacris Bibliis legimus, Libros ex diverſis Annalibus apud Eccleſiam Dei conſervatis compilaſſe, in eumque ordinem qui jam olim habetur, redegiſſe atque diſpoſuiſſe. Heterodoxos non moror, qui hunc Librum *Joſue* recentiorem aſſerunt, *Grotium*, *Hobbeſium*, Auctorem Syſtematis Præadamitarum, & Diſputatorem *Theologo Politicum*. Infirmis certe ducuntur argumentis, quicumque certo definiunt hunc Librum a *Joſue* ſcriptum non eſſe.

Primum argumentum arceſſunt ex *Joſue* 10. 13. ubi citatur *Liber Juſtorum* Joſue recentior vel æqualis, ut qui pugnæ a *Joſue* commiſſæ contra Reges Amorrhæorum fœderatos, Gabaonitarum Hoſtes, & miraculoſæ Stationis Solis meminiſſet. Iſto argumento pugnant *Theodoretus*, *Maſius*, & alii.

Reſpondetur, *Librum Juſtorum*, quicumque tandem ille fuerit, ſive Annales rerum ab Iſraelitis geſtarum, ut cenſet *Maſius*, ſive Carmen Epinicium, ſtatim poſt reportatam de Amorrhæorum Regibus victoriam compoſitum, ut putat *Grotius*; ſive Liber Paræneticus ad pie ſancteque vivendum homines informans, ut aliis placet; ſtatim poſt Gabaonitarum prælium & celebrem illam victoriam Statione Solis admirabili procuratam & illuſtratam ſcribi potuiſſe, adeoque vel a *Joſue*, vel ab Auctore ipſi coævo citari, ut narrationi ſuæ fidem conciliaret Libri vulgo noti, & omnibus manibus triti teſtimonio. *Steteruntque*, inquit, *Sol, & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum?* Qui enim *Joſue* Libri ejus nomine inſcripti Auctorem eſſe aſſerunt, illum in ſumma ſenectute ſcripſiſſe volunt.

Alterum argumentum petunt *Maſius*, & alii ex frequenti hac temporis notatione, *uſque in præſentem diem*, quæ longi temporis intervallum ſignificat.

Reſponderi poteſt, Satis temporis interceſſiſſe a tempore quo res geſtæ ſunt, quæ hoc in Libro narrantur, ad extremam uſque *Joſue* ſenectutem, ut hanc loquendi formulam uſurpare poſſet, ſiquidem non multum temporis ad rerum humanarum mutationem opus eſt. Ita *S. Matthæus* non multis annis poſt Chriſti mortem ſcribens hanc temporis notam uſurpavit Cap. 27. 8. *Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt, Ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem.* Et Cap. 28. 15. *Et divulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem.*

Tertium argumentum ducunt ex *Joſue* 19. 27. ubi fit mentio Terræ *Chabul*, cui id nominis impoſitum eſt ab *Hiramo* Tyri Rege 3. *Regum* 9. 12. 13. *Et egreſſus eſt Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, & ait; Hæccine ſunt Civitates quas dediſti mihi, frater? Et appellavit eas Terram Chabul, uſque in diem hanc.*

Reſponderi poteſt, *Terram Chabul* in Libro *Joſue* memoratam, alteram eſſe a *Terra Chabul* cujus mentio fit Libro 3. *Regum*. Illa enim vicus eſt in confinis Ptolemaidis; iſta vero regiuncula eſt viginti conſtans oppidis. Illas diſtinxit *Joſephus*: Iſtam enim ab *Hiramo* ita nuncupatam a voce *Cabelon*, quæ Phœnicum lingua ſignificat *id quod diſplicet*, vocat γῆν Καβαλών. Libro 7. *Antiquitatum Judaicarum*. Alteram vero, de qua in Libro *Joſue*, vocat Καβαλὼν χώραν.

Quartum argumentum petit *Maſius* ex *Joſue* 19. 47. ubi quæ narratur Danitarum Expeditio adverſus *Leſem*, poſt mortem *Joſue* contigit, Judicum temporibus, ut conſtat ex Libro *Judicum* Cap. 18. 29.

Reſpondet Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius*, Id eſſe additum ab *Eſdra*, ad pleniorem rerum intelligentiam. Nam cum aſſignatam Danitis portionem *Joſue* deſcripſiſſet, aliamque deinceps armis ipſi quæſiſſent, merito id *Eſdram* ſupplendum duxiſſe. Clauſula hæc ſi detraharur, nihilominus conſtare ſententiam, neque laxarum orationis contextum aut pendulum deprehendi. Simili modo intruſos obſervat in Caput vigeſimum primum Verſus duos, qui in vetuſtis Hebræorum Codicibus non exſtant, teſte *R. Davide Kimchi*. Inſarta quoque Doctiſſimo Præſuli videtur clauſula, quæ Capite 15. Verſu 14. & ſequentibus habetur: Quia quicquid illic de Calebo, & extinctis ab eo tribus *Enaci* filiis dicitur, & de *Dabira* ab *Othoniele* expugnata, & nuptum ei data *Axa Calebi* filia, & addicta doti *Dabira* Urbe cum fundis irriguis, videtur poſt mortem *Joſue* contigiſſe, ut colligitur ex Cap. 1. Libri *Judicum*.

Aliis hæc reſponſio non placet, & Civitatem *Leſem*, quam Danitis expugnatam narrat Auctor Libri *Joſue*, eamdem eſſe negant cum Urbe *Lais*, quam *Judicum* 18. ſexcenti viri ex Tribu *Dan* occupaſſe memorantur. Id ex diverſa vocabuli inflexione probant. Addere potuiſſent quod omiſere, *Euſebii* in Libello *De Locis Hebraicis* a *S. Hieronymo* Latinitate donato teſtimonium. *Leſem* enim & *Laiſa* quaſi diſtinctas Urbes recenſet. *LESEM*: *Hanc filii Dan vi captam cognominaverunt Dan.... LAISA: Hanc filii Dan captam manu poſſederunt, cum eſſet procul a Sidone, & vocaverunt eam Dan. Fuit autem terminus Terræ Judæ contra Septentrionem a Dan uſque ad Berſabee ſe tendentis. Meminit hujus & Iſaias. Sita eſt autem juxta Paneadam, de qua Jordanis fluvius erumpit.*

Quintum argumentum ſumitur ex poſtremo Capite Libri *Joſue*, ubi ejus obitus & res poſt obitum geſtæ narrantur.

Reſpondetur hæc a *Samuele* vel ab *Eſdra*, vel alio Dei Spiritu afflato homine adtexta fuiſſe, ut de *Moyſis* morte ultimo *Deuteronomii* Capiti adſcripta diximus.

Quæ vero primo Capite Libri Judicum narrantur, *Recapitulationem eſſe quamdam præclare geſtorum ab*

Jeſu filio Nave, cenſet *Theodoretus* Quæſtione 2. in Libros *Judicum*. Probabile etiam eſſe ait, cædem filiorum *Enaci* in Libro *Joſue* fuiſſe prænuntiatam, poſtea vero prædictionem completam, remque geſtam ab Auctore Libri Judicum narrari.

Ex his patet quam infirma ſint eorum argumenta, qui hunc Librum a *Joſue* ſcriptum non eſſe, velut rem certiſſimam aſſerunt.

Nunc eorum expendenda ſententia eſt, qui a *Joſue* ſcriptum affirmant. His illis verbis poſtremi Capitis nituntur: *Scripſit quoque Joſue omnia verba hac in Volumine Legis Domini*. At hæc verba ad totum hunc Librum non referuntur, quaſi *Joſue* illum ſcripſerit in Volumine Legis, ſed ſolum ad formulas fœderis Deum inter & Populum initi, ut patet ex ſerie contextus. *Percuſſit ergo Joſue in die illo fœdus, & propoſuit Populo præcepta atque Judicia in Sichem. Scripſit quoque omnia verba hac in Volumine Legis Domini: Et tulit lapidem pregrandem, poſuitque eum ſubter quercum, qua erat in Sanctuario Domini: Et dixit ad omnem Populum: En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, qua locutus eſt vobis: Ne forte poſtea negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro.*

Opinionem ſuam hoc etiam *Siracbidis* teſtimonio confirmant, Eccleſiaſtici 46. 1. *Fortis in bello Jeſu Nave, ſucceſſor Moyſi in Prophetis*: Hoc eſt, ut ipſi interpretantur, in Librorum ſacrorum, qui divinitus inſpirati ſunt, ſcriptione. Verum hæc probant dumtaxat *Joſue* ſucceſſiſſe *Moyſi* in Munere Prophetico, non vero ſcripſiſſe Librum Sacrum, qui ejus nomine inſcribitur. Prophetavit autem geſtis potius quam verbis, ipſiumque ejus nomen propheticum fuit, ut *Origenes* & *S. Hieronymus* obſervarunt. Ille Homilia 1. in Joſue: *Hic Liber*, inquit, *non tam Geſta Jeſu Nave, quam Sacramenta Jeſu Domini noſtri depingit*. Iſte in Epiſtola ad Paulinum: *Veniam*, inquit, *ad Jeſum Nave, qui typum Domini non ſolum geſtis, verum etiam nomine præfert. Tranſit Jordanem, hoſtium regna ſubvertit, dividit Terram victori Populo, & per ſingulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia, Eccleſia cœleſtiſque Jeruſalem ſpiritualia Regna deſcribit.*

DISSERTATIO XVII.

DE ANNIS INTERREGNORUM Oppreſſionis, Servitutis, & Quietis. Utrum ſeorſim ab Annis Judicum numerandi ſint, an vero in iis includendi?

Annorum ſervitutis & quietis ſæpe fit mentio in Libro *Judicum*. Cap. 3. *Iratuſque contra Iſrael Dominus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamia, ſervieruntque ei octo annis. Et clamaverunt ad Dominum, qui ſuſcitavit eis Salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet.... Quievitque terra quadraginta annis, & mortuus eſt Othoniel.* Ibidem v. 14. *Servieruntque filii Iſrael Eglon Regi Moab decem & octo annis.... v. 30. Humiliatuſque eſt Moab in die illo ſub manu Iſrael: Et quievit terra octoginta annis.* Cap. 4. 1. 2. 3. *Addideruntque filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini poſt mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manus Jabin Regis Chanaan.... Et per viginti annos vehementer oppreſſerat eos.* Cap. 5. 32. *Quievitque Terra per quadraginta annos.* Cap. 6. *Fecerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde ab eis.* Cap. 8. 28. *Humiliatus eſt autem Madian coram filiis Iſrael, nec potuerunt ultra cervices elevare: Quievitque terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.* Cap. 10. 6. 7. *Filii autem Iſrael peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conſpectu Domini.... Afflictique ſunt & vehementer oppreſſi per annos decem & octo.* Cap. 13. *Rurſumque filii Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini, qui tradidit eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis*. Quæritur utrum illi anni ſeorſim ab annis Judicum numerandi ſint, an vero in iis includendi.

PROPOSITIO UNICA.

Anni interregnorum, oppreſſionis, Servitutis, & Quietis ſeorſim ab annis Judicum non ſunt numerandi, ſed in iis includendi.

Probatur ex Capite 15. Libri *Judicum* verſ. 20. ubi de *Samſone* dicitur: *Judicavitque Iſrael in diebus Philiſthiim viginti annis*. In annis igitur quadraginta, quibus Iſraelitæ a Philiſtinis oppreſſi ſunt, illiſque ſervierunt, anni viginti, quibus *Samſon* judicavit Iſraelem, includuntur.

Probatur ſecundo ex 3. *Regum* 6. Capite, verſ. 1. ubi ab egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto uſque ad annum quartum *Salomonis*, quo Templum ædificari cœptum eſt, anni octoginta ſupra quadringentos numerantur. Igitur anni ſervitutis, interregnorum, & oppreſſionis, ſeorſim ab annis Judicum non ſunt numerandi, ſed in illis includendi. Alioquin non quadringenti & octoginta, ſed quingenti nonaginta & unus anni ab Exitu Iſraelitarum ex Ægypto ad Templi Salomonici ſtructuram interceſſiſſent. Quod quam improbabiliter aſſerant noſter *Melchior Canus*, & alii, liquido conſtat ex Scripturæ Sacræ verbis. *Factum eſt ergo*, inquit, *quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de Terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio (ipſe eſt menſis ſecundus) Regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit domus Domino*. Quomodo autem per Judicum annos hæc temporum ſeries diſponenda ſit, oſtendimus Diſſertatione XV.

Probatur tertio teſtimoniis Veterum: *Euſebii* in *Chronico*, de prima oppreſſione loquentis: *Poſt mortem Jeſu*, inquit, *ſubjectos tenuerunt Hebræos Alienigenæ annis octo: Qui junguntur Gothonielis temporibus, ſecundum Judæorum Traditiones*.

S. Auguſtini Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 22. ubi tempora Judicum ſpatio trecentorum viginti novem annorum definit, ab *Othoniele* ſcilicet uſque ad *Samuelem*, omiſſis cum *Euſebio* decem annis *Ajalon*, quos quia Scriptura expreſſit, trecenti triginta novem anni Judicibus tribuendi ſunt: Quibus ſi quadraginta annos peregrinationis Iſraelitarum in Deſerto, ſeptemdecim annos *Joſue*, annos quadraginta *Samuelis* & *Saulis*, annos quadraginta *Davidis*, & annos quatuor *Salomonis* uſque ad fabricam Templi addideris, conflant anni quadringenti & octoginta.

Beda Libro de ſex Ætatibus Mundi: *Othoniel*, inquit, *annis 40. de Tribu Juda primus Iſraeli Judex jubente Domino conſtituitur. Hujus temporibus primis filii Iſrael ſervivere Chuſam Raſathaim Regi Meſopotamia octo annis.*

Aod annis octoginta. Cujus in principiis ſervivit Iſrael Eglon Regi Moab annis 18. donec eum ipſe percuſſo Eglon liberavit.

Debbora annis 40. cujus in initio Ducatus oppreſſit filios Iſrael Jabin Rex Chanaan viginti annis.

Gedeon annis 40. ſub quo ſervivit Iſrael Madianitis, & Amalecitis 7. annis; ſed Gedeon pugnante liberatus eſt.

Jephte Galaadites annis ſex. Philiſthæi & Ammonitæ deprimunt Iſrael, ex quibus Ammonitis debellatis ab Jephte; qui in Libro Judicum ab ætate Moyſis uſque ad ſemetipſum ait ſupputari annos trecentos.

Objicit *Melchior Canus* Libro 11. *De Locis Theologicis*, Cap. 5. Nihil abſurdius eſſe, quam ut Interregnorum anni in eos redigi dicantur & contrahi, quibus ſub Judicibus terra a prœliis dicitur quieviſſe: Cum in illis interregnis aut perpetuum Judæis bellum contra inimicos fuerit, aut ſervitus ſine Judice miſera, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies.

Reſpondetur, Belli quidem & ſervitutum tempora a pacis & quietis temporibus ſecernenda eſſe: Sed annorum notatione quieti terræ appoſita, quietis illius initium, non autem vel ipſius quietis, vel Præfecturæ Judicum durationem deſignari. To igitur

quie-

quievit, idem eſt ac, *quieſcere cœpit*. Certior vero nulla figi poteſt epocha, a qua primæ ſub *Othoniele* quietis terræ ſupputatio deducatur, quam celeberrima illa terræ quies, quam a *Joſue* devictis Chananææ Regibus conſtitutam, & partitioni terræ præviam Spiritus Sanctus memorat, *Joſue* 11. 23. & 14. 15. Superato igitur *Chuſane* Meſopotamiæ Rege, qui poſt Chananæos illos a *Joſue* profligatos primus univerſum Iſraelem bello laceſſivit, quies Populo Dei reddi cœpta eſt, annis poſt priorem illam a *Joſue* reſtitutam quadraginta; Victore deinceps *Othoniele* uſque ad mortem Rempublicam adminiſtrante. Sic *Judicum* 3. 30. habetur; *Et quievit terra octoginta annis*: Non quod per tot annos Iſraelitis *Aod* præfuerit, (quod ab omni veri ſpecie alienum eſt) ſed quod *Eglona* Moabitarum Rege, cui per annos octodecim Iſraelitæ ſervierant, per *Aodem* Judicem occiſo, quieſcere cœperit terra anno octogeſimo poſt priorem pacem ab *Othoniele* illi reſtitutam. Sic Cap. 5. 45. his verbis, *Et quievit terra quadraginta annis* ſimiliter ſignificatur, per *Debboram & Baracum* profligato *Jabine* Chananæorum Rege, qui per totos viginti annos Iſraelitas oppreſſerat; quieſcere cœpiſſe terram anno quadrageſimo poſt priorem quietem illi ab *Aode* redditam. Quod legitur Capite 8. 28. *Et quievit terra in diebus Gedeonis annis quadraginta*, hunc ſenſum reddit: Madianitis, quibus Iſraelitæ ſeptennio ſolido ſervierant, per *Gedeonem* debellatis, anno quadrageſimo poſt quietem a *Debbora & Barac* Hebræorum Reipublicæ redditam, tranquillam & pacatam denuo eſſe cœpiſſe ſub *Gedeonis* imperio. Videatur *Uſſerius* Chronologiæ Sacræ Cap. 12. & 13. ubi & annorum octodecim oppreſſionem Iſraelitarum a Philiſtæis ac Ammonitis, *Judicum* 10. 8. narratam, & ab *Euſebio* poſteriorum Judicum annis illigatam, ad *Jairis* tempora convenientius ac verius referri poſſe cenſet. Nam ſervitutis hujus anno decimo octavo & ultimo, Jephte Principatum nondum adepto, Iſraelitis reſipiſcentibus, & alienigenarum Idola de finibus ſuis projicientibus, miſertus eorum Deus fuiſſe legitur, *Judicum* 10. 16. Deinde, Ammonitis a *Jephte* debellatis, & viginti eorum Civitatibus expugnatis, Ammonitæ plaga magna percuſſi, & ab Iſraelitis humiliati dicuntur *Judicum* 11. 33. Unde manifeſtum eſt ad tempora Judicum *Jairo* poſteriorum octodecim illos Ammoniticæ oppreſſionis annos referri non poſſe. Denique ex diſſidio illo, quod profligatis & depreſſis Ammonitis Ephrathæos inter & *Jephte*, Capite 12. ortum narratur, in quo Ephratæorum quadraginta duo millia ad Jordanem jugulata ſunt a Galaaditis, quod *Scibboleth* pronuntiare non valerent, colligitur Iſraelitas tunc temporis tum Ammonitarum, tum Philiſtæorum jugum excuſſiſſe, priſtinamque recuperaſſe libertatem: Alias enim communes vires arma que in hoſtes convertiſſent, non ſe ipſos bello civili mutuo infeſtaſſent. Etſi vero ante Ammoniticam & Philiſtæam oppreſſionem mors *Jairis* commemoretur Capite 10. 5. 6. 7. non ſequitur quod poſtea contigerit, ſed per prolepſim narratur, ut deinceps ordine non interrupto, de cauſis duratione, & fine ſervitutis Ammoniticæ a *Jephte* demum ſublatæ ſimul ageretur; Cujuſmodi ὕστερα πρότερα non ſemel in Scripturis occurrunt.

Inſtabis; *Jephte* cum Ammonitis congreſſurum illis objeciſſe, Iſraelitas habitaſſe in Heſebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per annos trecentos, ipſis Ammonitis nihil contra illos ſentientibus. *Judicum* 11. 26. Cum igitur ab occupata per Iſraelitas Terra, anno poſt exitum ex Ægypto quadrageſimo, uſque ad hoc tempus, non plures quam ducenti ſexaginta quatuor anni interceſſerint, ſequitur annos ſervitutis in annis Judicum non eſſe includendos, ſed ſeorſim ab illis numerandos.

Reſpondetur *Jephte* de accurata numeri ratione non fuiſſe ſollicitum, ſed de jure ſuo tuendo contra Ammonitas. Solent autem homines cum temporis præſcriptione in poſſeſſionibus ſuis contra adverſarios tuendis utuntur, eam potius amplificare quam diminuere. Annos itaque trecentos dixit Jephte perfecto & rotundo numero uſus, quod magis ad trecentos quam ad ducentos is numerus accederet.

Objicit Auctor Eruditus Libri cui titulus eſt, *Antiquitas Temporum Reſtituta*, Cap. 8. Multas Anarchias ſeu Interregna præceſſiſſe ſervitutes Iſraelitarum, a quibus eos vindicarunt Judices, adeoque ſeorſim ab annis Judicum eſſe numerandas. Probat Antecedens ex *Judicum* Cap. 2. 7. ubi de Iſraelitis dicitur; *Servieruntque Domino cunctis diebus ejus & Seniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & noverunt omnia opera Domini quæ fecerat cum Iſrael*. Seniorum autem illorum Adminiſtrationi triginta annos aſſignavit *Julius Africanus*, referente *Georgio Syncello* in Chronographia: Sanctus vero *Maximus* in computo annos circiter quinquaginta. Subdit Scriptura ſacra: *Omnis illa generatio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexerunt alii qui non noverant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael feceruntque filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim, ac dimiſerunt Dominum Deum Patrum ſuorum, qui eduxerat eos de Terra Ægypti*. A morte igitur Seniorum ad primam uſque ſervitutem longa Anarchia interceſſit. Alias quoque ſervitutes Interregna ſimilia præceſſiſſe, colligitur ex his verbis Scripturæ in eodem Capite: *Poſtquam autem mortuus eſſet Judex, revertebantur, & multo faciebant pejora quam fecerant Patres eorum ſequentes Deos alienos, & ſervientes eis & adorantes illos*. Tempore primæ Anarchiæ, quæ Caleb & Seniorum mortem conſecuta eſt, flebilis illa infelicis Levitæ contigit Hiſtoria, quæ Judicum 19. narratur, necnon illa Micha & Danitarum, de qua Capite 17. & 18. Primam illam Anarchiam deſcribit *Joſephus* Libro 5. *Antiquitatum* Cap. 2. *Omiſſo deinde bello, Iſraelitæ omnes agriculturæ tantum operam dabant: Atque ita pace longa emolliti, voluptati magis quam honeſtati ſtudebant, Diſciplinæ ac Legum divinarum immemores. Qua injuria Deus commotus, per Vatem admonet eos non e ſua ſententia belli Chananæis pepercere, quam ob rem fore ut aliquando per occaſionem pro intempeſtiva clementia crudelitatem eis rependerent. At illis tametſi territis oraculo, bellum tamen non libebat ſuſcipere, tum quod multa e Chananæis perciperent commoda, tum quod ob luxum ad laborem non eſſent idonei: Depravata jam Reipublicæ forma & Auctoritate Optimatum invalida, dum nec Senatus ut ante legitur, nec Magiſtratus ſolemnes creantur; dumque relicta cura ſtatus publici, omnes privatis tantum lucris ſunt dediti. In tanta licentia perturbatio gravis incidit, ex qua mox bellum civile exortum eſt*, &c.

Reſpondetur, Anarchias quidem aliquas interceſſiſſe, quarum tempus cum Scriptura Sacra non definiat, nec nos definire audemus. Sed hujuſmodi Anarchiæ illo temporis intervallo concludendæ ſunt, quod terræ quieti, ſeu Judicibus aſſignatur. Prima verbi gratia Anarchia, & quæ ſub illa contigerunt, nec non Seniorum poſt *Joſue* ſuperſtitum Adminiſtratio, includitur illo quadraginta annorum ſpatio, quo terra dicitur quieviſſe ante mortem Othonielis, *Judicum* 3. 2. Id ut aſſeramus, cogit Scripturæ Sacræ Auctoritas, quæ conſtituit Epocham Quartæ Mundi Ætatis, ab Exitu nempe filiorum Iſrael ex Ægypto ad fabricam Templi Salomonici; a qua nobis recedere non licet, cum eumdem annorum numerum habeant Codices omnes, Hebræi, Græci, Latini, Syriaci, Arabici. Illo autem annorum numero conſtituto neceſſe eſt Anarchias illas ut & ſervitutis annos in annis Judicum includere, ſeu in annis quietis, qui a parta per poſtremum Ducem ſeu Judicem quiete, ad quietem per alterum Judicem reſtitutam congrue numerantur, ut explicuimus.

Objicies, *Actuum* 13. 20. ſecundum Textum Græcum, & Syriacam Verſionem legi; *Et poſt hæc quaſi annis quadringentis & quinquaginta dedit Judices uſque ad Samuel Prophetam*. Porro Judicum tempus annis quadringentis & quinquaginta, ibi non definiretur, ſed trecentis & quinquaginta, niſi numeri annorum in Libro Judicum expreſſi longius quam quadringentorum & octoginta annorum intervallum inter Exitum ex Ægypto & poſita Templi fundamenta neceſſario poſtularent. Si enim illis quadringentis & quinquaginta annis Actorum addideris ſeptendecim annos Joſue, & quadraginta peregrinationis Iſraelitarum in deſerto, fiunt anni quingenti & ſe-

Digitized by Google

& ſeptem. Ex his itaque colligitur, Annos Interregnorum & Oppreſſionem ſeorſum ab annis Judicum eſſe numerandos.

Reſpondetur annos illos quadringentos & quinquaginta in Actis Apoſtolorum, non ad Judicum durationem, ſed ad tempus partitionis Terræ manifeſte referri ſecundum Vulgatam Editionem Latinam, & Codices Græcos melioris notæ; quamvis numeri illius locus & ordo in aliis Editionibus varius ſit ac diverſus. Ita enim habet Vulgata noſtra: *Et deſtruens Gentes ſeptem in Terra Chanaan ſorte diſtribuit eis Terram eorum, quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos: Et poſt hæc dedit Judices uſque ad Samuel Prophetam.* Quomodo & in quibuſdam Manoſcriptis Græcis Codicibus ſe ſcriptum inveniſſe *Joannes Mariana* teſtatur Libri pro Editione Vulgata, Cap. 15. κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡσει μετὰ τετρακόσια καὶ πεντήκοντα ἔτη, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτάς. Sic etiam habet Alexandrinum Exemplar, quod extat in Anglia majuſculis literis exaratum, *Uſſerio* teſte, κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις, καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτάς. Quod ipſum quoque inter diverſas illas lectiones reperitur, quas Novo Teſtamento Pariſiis anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo Græce a ſe excuſo *Robertus Stephanus* ſubiiciendas curavit, conſentiente etiam quodam alio Codice Græco Pariſiis item edito, & a *Beza* in Annotationibus ad hunc locum laudato, necnon Manuſcripto altero Exemplari Novi Collegii apud Oxonienſes, ut refert *Uſſerius*.

DISSERTATIO XVIII.

DE DEBBORA,
Utrum in numero Judicum collocanda ſit?

PROPOSITIO UNICA.

Debbora vere & proprie Judex Hebræorum ac Propheteſs fuit, & inter Sanctos Iſraelis Judices merito numeratur.

PRobatur contra *Toſtatum*, *Genebrardum*, *Cajetanum*, *Serrarium*, *Cornelium a Lapide*, & alios Recentiores; primo ex Scriptura Sacra, Judicum 4. 4. *Erat autem Debbora Propheteſs uxor Lapidoth, quæ judicabat Populum in illo tempore. Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in Monte Ephraim: Aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne Judicium.*

Reſpondent contrariæ ſententiæ Patroni, *Debboram* quidem jus Populo dixiſſe, ſed abſque Principatu & Juriſdictione ſive Poteſtate Judiciaria, nulla alia Auctoritate præter illam quam ipſi pariebant ſapientia & Prophetia, Populique voluntas controverſias ſuas ejus arbitrio judicandas permittentis: Sicut *Dejoces* initio, antequam Rex fieret, ex ſola ſapientia, & auctoritate hinc ſubſecuta Judicem apud Medos egit, ut narrat *Herodotus* Lib. 1. & ſicut de occultis dubiiſque rebus, iis qui eum conſulerent, reſpondebat Samuel, 1. *Regum* 9.

Contra Nihil vetat ut Scripturæ Sacræ verba proprie intelligantur: Cum itaque dicat de *Debbora* ſicut de aliis Judicibus illam judicaſſe Populum, & Iſraelitas univerſos cauſſas ſuas ad ejus Tribunal detuliſſe, ipſam proprie Judicem fuiſſe aſſerendum eſt. Secundo, belli, paciſque temporibus Rempublicam Hebræorum rexit, ſuſtentavit.

Tertio, Patres *Debboram* inter Judices Iſraeli numerandam cenſuerunt, *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum: *Mortuo*, inquit, *Aod cum rurſus peccaſſent, traditi ſunt Jabin Regi Chanaan viginti annis. Ejus tempore fuit Propheteſſa Debbora uxor Lapidoth ex Tribu Ephraim. Cum per eam Exercitum duxiſſet Barac filius Abinoem, ex Tribu Nephtalim, acie congreſſus cum Siſara Principe Exercitus Jabin, potitus eſt victoria. Atque hinc quidem Populo præfuit Debbora eum judicans.*

S. Ambroſius Libro de Viduis: *Denique*, inquit, *cum Judæi Judicum regerentur arbitrio, qui viris non poterant vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Debboram ſibi, cujus regerentur judicio, cooptarunt. Itaque multa millia virorum una Vidua, & in pace rexit, & ab hoſte defendit. Multi Judices in Iſrael, ſed nulla ante Judex femina: Multi Judices poſt Joſuam, ſed nullus Propheta. Et ideo lectum illius puto eſſe judicium: & geſta ejus arbitror eſſe deſcripta, ne Mulieres a virtutis officio muliebris ſexus infirmitate revocentur. Vidua Populus regit, Vidua ducit Exercitus, Vidua Duces eligit, Vidua bella diſponit, mandat triumphos.*

S. Hieronymus Epiſtola 10. ad *Furiam*, De Viduitate ſervanda: *Quidam imperite & Debboram inter Viduas numerant, Ducemque Barac arbitrantur Debboræ filium; cum aliud Scriptura commemoret. Nobis ad hoc nominabitur quod Propheteſſa fuerit, & in ordine Judicum ſupputetur. Et quia dicere poterat, Quam dulcia gutturi meo eloquia tua: Super mel & favum ori meo: Apis nomen accepit, Scripturarum floribus paſta, Spiritus Sancti odore perfuſa, & dulces ambroſiæ ſuccos prophetali ore componens.* Et in prologo Commentarii in *Sophoniam* Prophetam, ait, *Debboram Judicem pariter & Prophetam, hoſtes Iſrael Barac timento ſuperaſſe.*

Severus Sulpitius Libro 1. Hiſtoriæ: *Adeo*, inquit, *nihil ſpei in eorum Ducibus erat, ut muliebri auxilio defenderetur. Sub hac Duce vel Judice quadraginta annis Hebræi fuerunt.*

S. Auguſtinus Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 15. *Exortum eſt*, inquit, *Regnum Laurentum, ubi Saturni filius Picus Regnum primus accepit, judicante apud Hebræos femina Debbora; Sed per illam Dei Spiritus id agebat: Nam etiam Propheteſſa erat, cujus Prophetia minus aperta eſt, quam ut poſſimus eam ſine diuturna expoſitione de Chriſto demonſtrare prolatam.*

Theodoretus Quæſtione 12. in Judices: *Exiſtimo autem*, inquit, *etiam Debboram in contumeliam virorum Prophetiæ donum adeptam eſſe. Nam cum ex viris nullus inveniretur dignus, qui gratiam promereretur, hæc donum Sanctiſſimi Spiritus eſt conſecuta. Atque tam clare conſtabat eam nactam eſſe ſupernam gratiam, ut Barac abſque ea progredi non auderet in aciem. Quod*
„ *quidem ipſa in Cantico etiam ſuo dicit*: Defecerunt
„ Potentes in Iſrael donec ſurrexit Debbora Mater
„ in Iſrael. *Declaratque contribulium quoque ſuorum impietatem*, &c.

Alcimus Avitus in Conſolatoria de Laude Virginitatis ad *Fuſcinam* Sororem:

Et memori nunc mente tenes, ut Debbora quondam
Duceret inſtructas poſt fortia claſſica turmas,
Et Mulier ſumpto præcederet agmina ſigno,
Mirantes hortata viros, quos Ipſa furorem,
Exemplo verboque monens, accendit in hoſtem.
Quas poſtquam ducens Princeps animoſa catervas
Impulit, accendens vegetata furoribus arma,
Barbarica cecidere manus, diſſolvitur omnis
Hoſtilis virtus: Tum quæ ſe femina monſtrat,
Palantes dant terga viri, latebramque petentes,
Se vivunt, viciſſe putant.

Obiciunt contrariæ Sententiæ Patroni: *Jabin* & *Siſara* qui tyrannidem exercebant in Hebræos, paſſi non fuiſſent *Debboræ* Principatum: Igitur ante Bellum Chananæum *Debbora* vere & proprie Judex non fuit. Poſt Bellum vero *Barac* Judex erat, quem, non *Debboram*, celebrat Apoſtolus ad *Hebræos* 11.

Præterea, quod primum & præcipuum erat Judicis Munus, ſcilicet Populum defendere, & in Bello Ducem agere, *Debbora* non præſtitit.

Tertio, ſi pro poteſtate ſuperaſſet, imperio ſuo Exercitum coegiſſet: At contra, ex ſpontaneis Militibus eum coegit, *Judicum* 5. 2. 9. Neque ex omnibus quidem Tribubus: Unde liquet conſilio magis quam poteſtate rem Populi geſſiſſe.

Quarto, ſe vocat *Matrem in Iſrael*, non Principem, aut Dominam. Judex itaque vere & proprie non fuit.

Reſpondetur, *Jabinum* & *Siſaram* id vel invitos toleraſſe, Deo ita volente. Nec eſt quod leviſſima rationis humanæ conjectura nos impediat ne fidem ad-

Digitized by Google

adhibeamus Scripturæ Sacræ tam diſerte aſſerenti *Debboram* Judicem fuiſſe in Iſrael, & Sanctis Patribus Scripturæ verba in propria ſignificatione tam concordi ſententia exponentibus. *Barac* quidem Judex fuit, ſed conſors fuit Principatus *Debbora*. Quidni enim duo ſimul Judices fuerint, ſicut duo Pontifices *Sadoc* & *Abiathar*? Quamquam non abſque veriſimilitudine dici poſſet *Debboram*, quæ ad tempus Principatum Deo auctore ſuſceperat, ut Rempublicam Hebræorum erigeret, Populumque ſuum a graviſſima Chananæorum ſervitute vindicaret, profligatis Hoſtibus, paceque reddita, Principato & judicandi Munere abſtinuiſſe, & conſilio dumtaxat *Baraca* adfuiſſe.

Ad ſecundum & tertium reſpondeo, Etſi Dux in Bello non fuerit, quia id minus decebat, belli tamen fuit auctor & ſocia, Ducemque conſtituit *Baracum*. Non decuit vero ab ea cogi Exercitum pro imperio, cum Ducem Exercitui ipſa non ageret, ſed executionem rei *Baraco* reliquit, cui ſpontaneos Milites ſufficienti numero ad hanc Expeditionem adhæſuros prophetico lumine prænoverat. Judicum 4. 6. *Quæ miſit & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali: Dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael: vade, & duc Exercitum in Montem Tabor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon; Ego autem adducam ad te in loco Torrentis Ciſon, Siſaram Principem Exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam; Si nolueris venire mecum, non pergam. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu Mulieris tradetur Siſara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes. Qui, accitis Zabulon & Nephtali, aſcendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu ſuo .... Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: En ipſe ductor eſt tuus.* Et Cap. 5. 15. *Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti.*

Ad quartum reſpondeo, *Debboram Matris in Iſrael* nomine vocatam ab amore & ſolicitudine boni publici, ſicut Imperatores & Reges plerique *Patres Patriæ* vocati ſunt, & hoc nomine magis quam imperatorio gloriabantur.

DISSERTATIO XIX.

DE VOTO JEPHTE.

REi geſtæ Hiſtoria literis mandata eſt Judicum 11. *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & tranſiens ad filios Ammon, votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. Tranſivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus ejus .... Revertente autem Jephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis & choris .... Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me, filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es: Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi ultione atque victoria de hoſtibus tuis. Dixitque ad Patrem: Hoc ſolum mihi præſta quod deprecor: Dimitte me ut duobus menſibus circumeam Montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Cui ille reſpondit: Vade; Et dimiſit eam duobus menſibus. Cumque abiiſſet cum ſociis ac ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in Montibus. Expletiſque duobus menſibus, reverſa eſt ad Patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Iſrael, & conſuetudo ſervata eſt: Ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſrael, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.* De voto illo quæritur, an legitimum fuerit, & quomodo illud impleverit *Jephte*, an filiæ cæde, an conſecratione.

PROPOSITIO UNICA.

Jephte votum imprudenter emiſit, crudeliter implevit in filia, non virginitatis conſecratione, ſed mactatione cruenta. Inſignis tamen fuit Chriſti Domini typus.

PRobatur prima pars Propoſitionis. Votum illud imprudens ac illegitimum fuit, quod iis verbis conceptum eſt, quibus pollicebatur *Jephte* ſe immolaturum Deo quicquid primum occurriſſet: Siquidem occurrere primum poterant animalia immunda, inepta ſacrificio, & quæ Lex arcebat ab Altari; vel homo, quem Deo immolare nefas erat. Humanas enim victimas adverſatus eſt Deus: Illas vero diabolus exegit. Hinc *Molocho* filios ſuos & filias Ammonitæ devovebant; eorumque olim imitatione Iſraelitæ. Pſalmo 105. 37. 38. *Et immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis. Et effuderunt ſanguinem innocentem: Sanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan.* Atqui votum *Jephte* iis verbis conceptum eſt, quibus polliceretur Deo ſe immolaturum quicquid primum occurriſſet, abſque ullo diſcrimine: *Si tradideris*, inquit, *filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino*. Votum ergo *Jephte* imprudens & illegitimum fuit.

Reſpondent aliqui contrariæ ſententiæ Patroni, licuiſſe cuique Deo devovere quæ ſui juris erant, modo rebus oblatis congruo, Legique conſentaneo. Porro Legem hominum etiam devotionem approbare; Ita tamen ut in votis ſimplicibus, redimenda eſſet victima, quam Lex arceret ab Altari; in Anathemate vero nullus eſſet redemptioni locus, ſed pecus vel homo devotus pariter cædi deberent. Id confirmari volunt ex *Levitici* 27. ubi de primo votorum genere ita ſancitum eſt: *Homo qui votum fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium*, &c. *Animal immundum, quod immolari Domino non poteſt, ſi quis voverit, adducetur ante Sacerdotem, qui judicans utrum bonum an malum ſit, ſtatuet pretium*, &c. De ſecundo vero votorum genere ibidem Lex extat: *Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quicquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. Et omnis conſecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur.*

Verum illi de hominibus Anathemata in hoſtibus tantum, non in aliis locum habuiſſe, Auctores illi non advertunt. Exempla extant Numerorum 21. 2. 3. *At Iſrael voto ſe Domino obligans, ait: Si tradideris Populum iſtum in manu mea, delebo Urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubverſis Urbibus ejus; & vocavit nomen loci illius Horma, id eſt Anathema.* Et Joſue 6. 17. *Tradidit vobis Dominus civitatem:* (Jericho) *Sitque civitas hæc Anathema; & omnia quæ in ea ſunt Domino.* Homines autem, & præcipue filios a parentibus, Deo in holocauſtum offerri potuiſſe, ac interfici, Lex nuſquam innuit, immo id prohibet ac damnat. *Deuteronomii* 12. 31. ubi Iſraelitis vetat ne Chananæorum ritus & mores imitentur. *Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus fecerunt Diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: Nec addas quidquam, nec minuas.* Ideo primogenitos redimi Deus juſſit. *Exodi* 13. 13. Et immolationem *Iſaaci*, quam *Abrahamo* imperaverat, prohibuit, ſola Patriarchæ obedientia contentus; multo minus ergo votivum hujuſmodi ſacrificium ipſi gratum erat. Porro *Jephte* non ſolum Deo devovit ut Anathema quicquid ipſi poſt victoriam occurreret, ſed vovit ſe illud oblaturum Domino in holocauſtum,

ne-

Digitized by Google

neque exceptionem aliquam adhibuit; Immo homines quoque voto ſuo illum comprehendiſſe, verba ipſius indicant: *Quicumque*, inquit, *primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino*. In occurſum autem Victorum pergere proprie dicuntur homines, non pecudes.

Probatur ſecundo ex Auctore antiquo Carminum contra *Marcionem*, ſub *Tertulliani* nomine editorum, Libro 3. ubi de *Jephte* ſcribit:

His quia, quæ non vult Dominus, promiſerat amens.
Occurrit prima obvium ſibi pectore pignus
Nulli ſperata cecidit quod ſorte repente,
Promiſſum ut fuerat, ſolvit pia juſſa parentis?
Peccati votum violenta morte operuit
Immanis timor, orbata ſolatia vitæ,
Pro ſcelere obtinuit ſummum, pro crimine laudem.

Ex *S. Ambroſio* Libro 3. *De officiis*, Cap. 12. Neque unquam, inquit, *adducar ut credam non incaute Principem promiſiſſe Jephte, ut immolaret Deo quidquid ſibi revertenti intra limen domus ſuæ occurreret, cum & ipſum voti pœnituerit ſui, poſtquam filia occurrit ſibi. Denique conſcidit veſtimenta ſua, & dixit*: Heu me, filia mea, decepiſti me, impedimentum in oculis meis, in ſtimulum dolorum ſacta mihi. *Qui licet pio metu ac formidine acerbitatem duræ ſolutionis impleverit, tamen luctum annuum etiam poſteris deplorandum ſtatuit ac dereliquit. Dura promiſſio, acerbior ſolutio, quam neceſſe habuit lugere etiam ipſe qui fecit. Denique factum eſt præceptum & decretum in Iſrael ex diebus in dies*: Ambulabant, *inquit*, filiæ Populi Iſrael, lugentes filiam Jephte Galaaditæ quatuor diebus in anno. *Non poſſum accuſare virum, qui neceſſe habuit implere quæ voverat: Sed tamen miſerabilis neceſſitas, quæ ſolvitur parricidio. Melius eſt non vovere, quam vovere id, quod ſibi, cui promittitur, nolit exſolvi. Denique in Iſaac habemus exemplum, pro quo arietem Deus ſtatuit immolari ſibi. Non ſemper igitur promiſſa ſolvenda omnia ſunt.*

Ex *S. Hieronymo* Libro 1. contra Jovinianum, *A pleriſque*, inquit, *Hebræorum reprehenditur Jephte voti temerarii, quia dixerit*: Si tradens tradideris filios Ammon in manibus meis, quicumque exierit de domo mea in occurſum mihi cum reverti cœpero in pace a filiis Ammon, erit Domino, & offeram illum in holocauſtum. *Si canis, inquiunt, ſi aſinus occurriſſet, quid faceret? Ex quo volunt Dei diſpenſatione eſſe factum, ut qui inproſpecte voverat, errorem votorum in filiæ morte ſentiret.* Et Commentar. in Caput 7. Jeremiæ: *Quod ſi Jephte obtulit filiam ſuam virginem Deo, non ſacrificium placet, ſed animus afferentis. Neque enim ſi canis, aut aſinus, aut immundum quodlibet animal primum occurriſſet patri a cæde hoſtium revertenti, Deo illud afferre debuerat.* Et in Cap. 6. *Michææ*: Numquid (ait) dabo primogenitum meum pro ſcelere meo? *Sicuti Rex Moab feciſſe deſcribitur*: Aut fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? *Quod fecit Jephte, pro temeritate voti afferens filiam.*

Ex *S. Auguſtino Quæſtione* 49. *in Judices*: De filia Jephte, *inquit*, quod eam pater in holocauſtoma obtulit Deo; quoniam in Bello voverat, ſi viciſſet, eum ſe holocauſtoma oblaturum, qui ſibi de domo exiens occurriſſet; quod cum voviſſet, vicit; & occurrente ſibi filia, quod voverat reddidit; ſolet eſſe magna & ad dijudicandum difficillima quæſtio, quibuſdam quid ſibi hoc velit noſſe cupientibus & pie quærentibus: quibuſdam vero qui Scripturis his Sanctis imperita impietate adverſantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod Legis Prophetarum Deus etiam humanis Sacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumniis ſic primitus reſpondemus, ut Deum Legis & Prophetarum, atque ut expreſſius dicam, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob nec illa ſacrificia delectaverint ubi pecorum holocauſta offerebantur; ſed quod ſignificativa fuerint, & quædam umbræ futurorum, res ipſas nobis quæ his ſacrificiis ſignificabantur commendare voluiſſe: Fuiſſe autem etiam iſtam utilem cauſſam cur illa mutarentur, nec modo juberentur, immo prohiberentur offerri, ne vere ſecundum carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus. Sed utrum etiam humanis ſacrificiis ſignificari futura oportuerit, merito quæritur: Non quod mortes hominum quandoque moriturorum in hac cauſa exhorreſcere & formidare deberemus, ſi illi qui hæc de ſe fieri gratanter acciperent, in æternam remunerationem commendarentur Deo: Sed ſi hoc verum eſſet, hoc genus Sacrificiorum Deo non diſpliceret: Diſplicere autem Deo ſatis evidenter eadem Scriptura teſtatur. Nam cum omnia primogenita ſibi dicari, & ſua eſſe voluerit, atque præceperit; redimi tamen a ſe voluit primogenita hominum, ne immolandos Deo crederent filios ſuos, quos natos primitus ſuſcepiſſent. Deinde hoc apertius ita loquitur, quod humana holocauſta ſic Deus improbet, ut prohibeat, deteſtans ea in aliis gentibus, Populo ſuo præcipiens ne audeat imitari: *Si autem*, inquit, *exterminaverit Dominus Deus tuus gentes, in quas tu intras hereditare terram eorum a conſpectu tuo, & hereditabis eos, & habitabis in terra eorum; attende tibi ipſi ne exquiras ſequi eos, poſtquam exterminati fuerint a facie tua, ne exquiras Deos eorum dicens, Quemadmodum faciunt gentes Diis ſuis, faciam & ego. Non facies ita Domino Deo tuo. Abominamenta enim quæ Dominus odit, fecerunt Diis ſuis; quoniam & filios ſuos & filias ſuas comburunt igni Diis ſuis.* Quid evidentius oſtendi poteſt his Sanctæ Scripturæ teſtimoniis, ut alia hujuſcemodi omittam, quam Deum a quo hæc Scriptura humano generi contributa eſt, non ſolum non diligere, verum etiam odiſſe talia ſacrificia, in quibus homines immolantur? Illa plane diligit & coronat, cum quiſque juſtus iniquitatem patiens uſque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis, quos pro juſtitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id eſt, pro odio dilectionem ... Sed non ſic Jephte de filia fecit holocauſtoma Domino; ſed ſicut præceptum fuerat pecora offerri, & prohibitum fuerat homines immolari: Magis hoc illi ſimile videtur quod fecit Abraham, quod Dominus ſpecialiter fieri præcepit, non generali Lege ut talia ſibi ſacrificia fierent aliquando mandavit, immo etiam fieri omnino prohibuit. Diſtat itaque hoc quod Jephte fecit a facto Abrahæ, quoniam ipſe juſſus obtulit filium: Iſte autem fecit quod & Lege vetabatur, & nullo ſpeciali jubebatur imperio. Deinde non ſolum in ſua Lege poſtea, verum etiam tunc Deus in ipſo Abrahæ filio talibus ſacrificiis quam non delectaretur, oſtendit; cum Patrem cujus fidem jubendo probaverat, a filii tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo Sacrificium licite ſecundum Veterum congruam temporibus conſuetudinem compleretur appoſuit. Si autem hoc quemquam movet, quomodo pie crediderit Abraham Deum Sacrificiis talibus delectari, ſi hæc illicite offerantur Deo; & ideo putat recte crediſſe etiam Jephte quod tale Sacrificium Deo poſſet eſſe acceptum: Primo conſideret, Aliud eſſe ultro vovere, aliud jubenti obtemperare. Non enim ſi aliquid præter morem in domo a Domino inſtitutum ſervo jubetur, atque id laudabili obedientia facit, ideo non eſt plectendus, ſi hoc facere ſponte præmiſerit. Deinde habebat quod crederet Abraham, ut propter divinum imperium non parceret filio, non credens Deum tales victimas libenter accipere, ſed hoc eum propterea juſſiſſe, ut reſuſcitaret occiſum, & hinc aliquid tanquam Deus ſapiens demonſtraret. Nam hoc de illo etiam in Epiſtola legitur, quæ inſcribitur ad Hebræos; & fides ejus quia hoc de Deo crediderit, quod poſſet filium ejus ſuſcitare laudatur. Iſte vero & Deo non jubente neque poſcente, & contra legitimum ejus præceptum, ultro Sacrificium vovit humanum. Sic enim ſcriptum eſt: *Et vovit Jephte votum Domino, & dixit: Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, & erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi*

bi, in revertendo me in pace a filiis Ammon, & o-
,, *rit, Domino offeram eum holocauſtoma.* Non uti-
,, que his verbis pecus aliquod vovit, quod ſecun-
,, dum Legem Holocauſtoma poſſet offerre. Neque
,, enim eſt aut fuit conſuetudinis, ut redeuntibus
,, cum victoria de bello Ducibus pecora occurrerent.
,, Quantum autem attinet ad muta animalia, canes
,, ſolent dominis blando famulatu alludentes currere
,, in obviam, de quibus ille in ſuo voto cogitare
,, non poſſet, ne in injuriam Dei aliquid, non ſo-
,, lum illicitum, verum etiam contemptibile, & ſecun-
,, dum Legem immundum voviſſe videretur. Nec ait,
,, Quodcumque exierit de januis domus meæ in ob-
,, viam mihi, offeram illud holocauſtoma; ſed ait,
,, *Quicumque exierit, offeram eum;* Ubi procul du-
,, bio nihil aliud quam hominem cogitavit... Quia
,, ergo de iſto Jephte facto in neutram partem ſenten-
,, tiam Scriptura Dei protulit, ut noſter intellectus
,, in judicando exerceretur, poſſemus jam dicere,
,, Deo diſplicuiſſe tale votum, & ad illam perdo-
,, ctum eſſe vindictam, ut Patri potiſſimum filia u-
,, nica occurreret, quod ſi ſperaſſet atque voluiſſet,
,, non continuo, ut eam vidit, ſcidiſſet veſtimen-
,, ta ſua, & dixiſſet: *Heu me, filia mea, impediſti*
,, *me, in offendiculum facta es in oculis meis.* Dein-
,, de ſexaginta dierum tam longa dilatione data fi-
,, liæ ſuæ Dominus ab Unicæ cariſſimæ nece eum
,, eum non prohibuerit, ſicut prohibuit Abraham,
,, donec perficiendo quod voverat, ſeipſum percute-
,, ret orbitate graviſſima, Deum autem nequaquam
,, hominis immolatione placaret: Et ideo hujuſcemo-
,, di Patri pœnam fuiſſe retributam, ne impunitum
,, talis voti relinqueretur exemplum, ut aut ma-
,, gnum aliquid ſe vovere Deo putarent homines,
,, cum victimas humanas voverent, & quod eſt hor-
,, ribilius filiorum; aut non vera, ſed potius ſimu-
,, lata eadem vota eſſent, cum velut exemplo A-
,, brahæ ſperarent qui voviſſent, Deum prohibitu-
,, rum talia vota compleri.

Theodoretus Quæſtione 20. in *Judices*, cujus titulus eſt, *Quamobrem permiſit Dominus Deus mactari filiam Jephte?* Reſpondet: *Stolida nimium erat Jephte polliſitatio. Animadvertere enim debebat, ut fieri poterat, canem vel aſinum illi primum occurrere poſſe, quæ tamen ex Lege immunda ſunt animalia. Dominus igitur Deus per illum erudiens cæteros, ut prudenter & diſcrete promiſſiones ſuas emittant, eadem hanc non cohibuit. Quod tamen hujuſmodi victimas*
Pſ. 105. ,, *damnet, teſtis eſt beatus David clamans:* Et immo-
,, laverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmoniis: Et
,, effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem fi-
,, liorum ſuorum & filiarum, quas ſacrificaverunt
,, ſculptilibus Chanaam. *Ipſe quoque Dominus Deus*
,, *per Ezechielem Prophetam ait:* Et accepiſti filios
Ezech. 16. 36. ,, tuos, & filias tuas, quos genuiſti mihi, & ob-
,, tuliſti illos amatoribus tuis: Hoc ſupra omnem
,, fornicationem tuam. *Atque ut indicaret impieta-*
Geneſ. 22. ,, *tis exceſſum, addidit:* Quod non cogitaram, nec
,, aſcenderat in cor meum. *Quin etiam Abrahæ dilectionem erga Deum cum exercere vellet, præcepit ut ſacrificaret filium: Cumque ipſius Juſti demonſtraſſet animum, ne mactaretur, inhibuit. Reliqua declarant ipſius Jephte imperfectionem. Nam cum promiſiſſet ſe oblaturum in ſacrificium quicquid primum occurreret, ut vidit filiam hoc feciſſe, & veſtem ſcidit, & acerbe deflevit, eique ſpatio primum ad lugendum conceſſo, tunc eam immolavit. Longe autem illo melior filia:*
Judic. 11. ,, Si enim, *inquit*, de me os tuum aperuiſti ad Do-
,, minum, fac mihi ſicut exiit ab ore tuo, pro eo
,, quod tibi fecit Dominus ultionem de hoſtibus tuis,
,, de filiis Ammon. *Ut ergo doceret Dominus Deus, quo pacto emittendæ ſint erga eum promiſſiones, immolationem non compeſcuit.*

Cum his Patribus ſentit *S. Thomas Secunda Secundæ, Quæſtione* 88. *Articulo* 2. In Reſponſione ad ſecundam Objectionem. *Quædam ſunt* (inquit) *quæ in omnem eventum ſunt bona, ſicut opera virtutis, & alia bona, quæ poſſunt abſolute cadere ſub voto. Quædam vero in omnem eventum ſunt mala, ſicut ea quæ ſecundum ſe ſunt peccata: Et hæc nullo modo poſſunt ſub voto cadere. Quædam vero ſunt quidem in ſe conſiderata bona; (& ſecundum hoc poſſunt cadere ſub voto;) poſſunt tamen habere malum eventum, in quo non ſunt obſervanda. Et ſic accidit in voto*
,, *Jephte, qui, ut dicitur Judicum* 11. Votum vo-
,, vit Domino dicens, Si tradideris filios Ammon
,, in manus meas, quicumque primus egreſſus fuerit
,, de foribus domus meæ, mihique occurrerit rever-
,, tenti in pace, eum offeram holocauſtum Domino.
Hoc autem poterat malum eventum habere, ſi occurreret ei aliquod animal non immolandum, ſicut aſinus, vel homo: Quod etiam accidit. Unde Hieronymus dicit: In vovendo fuit ſtultus; quia diſcretionem non habuit, & in reddendo impius. Apud *S. Hieronymum* non occurrit quod ipſi tribuit *S. Thomas*.

Secunda pars Propoſitionis probatur: Crudeliter occiditur innocens, crudelius filius a patre, quæcunque ſupponatur voti religio. Implere enim non licet, quod vovere illicitum eſt. *Jephte* ergo votum crudeliter implevit in filia. Unde factum ejus a *S. Ambroſio*, loco ſupra laudato, parricidium vocatur. *Miſerabilis*, inquit, *neceſſitas, quæ ſolvitur parricidio. Melius eſt non vovere, quam vovere id, quod ſibi, cui promittitur, nolit exſolvi.*

Probatur tertia pars Propoſitionis. Cum filia *Jephte* poſt duos menſes reverſa eſſet ad Patrem, *fecit ei ſicut voverat.* Atqui non voverat conſecrationem victimæ, & immolationem ſpiritualem quæ tum inuſitata erat, & quæ a Deipara Virgine *Maria* duxit initium; ſed realem & cruentam. Voverat enim ſe oblaturum in *holocauſtum* quod ipſi primum occurriſſet, id eſt, mactaturum, & in Dei honorem totum igne conſumpturum. Votum itaque *Jephte* implevit in filia, non conſecratione dumtaxat virginitatis, ſed mactatione cruenta. Præterea, ſi ſpiritualiter dumtaxat immolanda fuiſſet puella, *Jephte* ubi filiam vidit, non prorupiſſet in miſerabiles ejulatus, nec veſtimenta ſua ſcidiſſet; nec Virgo poſtulaſſet bimeſtre tempus ad plangendam cum ſodalibus virginitatem ſuam, quam toto vitæ decurſu plangere potuiſſet. Nec etiam quotannis conveniſſent filiæ Iſrael ad planctum ſolemnem ſuper filia *Jephte* quatuor dierum ſpatio, niſi vere fuiſſet immolata & mactata.

Probatur ſecundo ex *Joſepho* Libro 5. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap. 10. *Jephte*, inquit, *fortunatior militia quam domi. Redeunti enim obviam facta eſt filia Virgo, præter quam nullos alios liberos habuit. Ingemuit pater, ictus dolore nimio: Deis conqueſtus de opportuno officio, indicavit victimam eſſe Deo deſtinatam. At illa non illibenter accepit gratulatoriam ſe fore pro victoria patris, & civium libertate hoſtiam. Unum rogavit, ut ſibi liceret juventutem ſuam cum æqualibus per bimeſtre tempus deplorare, atque ita voto patrem ſolvere. Quo impetrato, ad præſtitutum terminum pater mactatam holocauſtoma obtulit, neque legitimum, neque Deo gratum Sacrum faciens, nec quidquam penſi habens quid fama de hoc facto locutura eſſet.*

Probatur tertio ex laudatis *SS. Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Theodoreti, & Thomæ* teſtimoniis, quibus addendus eſt inſignis *S. Joannis Chryſoſtomi* locus, Homilia 14. ad Populum Antiochenum: *Jephte* (inquit) *Deo pollicitus ſe primum ſibi occurſurum poſt Belli victoriam jugulaturum, in filiæ necem incidit. Filiolam enim primam ſibi occurrentem immolavit, & Deus non prohibuit. Et novi quidem quod Infidelium multi crudelitatem & inhumanitatem nobis improperant propter hoc Sacrificium: Ego vero multa providentia & clementia demonſtratione permiſſionem in hoc Sacrificio factam eſſe dicerem: Et quod generis noſtri curam gerens, eadem illam non prohibuit. Si enim poſt votum & promiſſionem illam Sacrificium prohibuiſſet, multi etiam poſt Jephte Deum ſperantes non ſuſcepturum, multa voviſſent hujuſmodi vota, & ſenſim progredientes in filiorum necem incidiſſent: Nunc vero illud opere permittens impleri, poſteros omnes prohibuit. Et quod hoc ſit verum, poſtquam Jephte filiola fuit jugulata, ut ſempiterna memoria calamitas eſſet, neu malum oblivioni traderetur, apud Judæos Lex eſt lata, Virgines illo tempore convenientes quadraginta diebus commiſſam cædem deplorarent, ut cædis memoriam renovantes, poſteros omnes prudentiores faciant, & diſcant quod de mente Dei non erat ut hoc fieret: Neque enim lugere & plorare Virgines permiſiſſet. Et quod non conjectura ſit quod dicitur, finis demonſtravit. Poſt*

Tom. II. G il-

illud enim Sacrificium, nemo tale Deo votum vovit, propterea hoc non prohibuit; Quod autem ipſe mandavit in Iſaac, vetuit: Per ambo demonſtrans, quod non gaudet hujuſmodi Sacrificiis.

Probatur quarto ex Auctore *Quaſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos* apud *S. Juſtinum Martyrem*, Quæſtione 99. *Diabolus vero*, inquit, *ubi votum ita indefinite conceptum eſſe accepit, machinatus eſt Jephte per inſidias tranſgreſſionis nectere laqueum; Et filiam ejus unicam commovit, ut cum cithara a domo ad occurrendum patri prodiret: Quo filia Jephte parcendo, voti religionem violare cogeretur. Sed enim ne inſidiis quidem ita ſtructis, laqueoque poſito, Diabolo machinatio conatuſque ſuus ſucceſſit; quod antiquius filia ſalute & vita voti reddendi Jephte habuerit ſacramentum. Permiſit autem Deus illam in ſacrificio victimam offerri, non quod humano delectaretur ſanguine, verum ut homines poſteri documentum haberent, ne unquam vota ſua Deo indefinite nuncuparent. Multa enim abſurda ſunt per hujuſcemodi generale votum eventura, quæ ne acciderent providens Deus, permiſit ut Jephte filia victima Sacrificii fieret. Quod ſane quidem minime delictum aut inſtituti principaliter fuit, neque Jephte ipſius, ſed fortuito quodammodo eventus, qui votum indefinitum eſt conſecutus.*

Objicies: votum ſingulari Spiritus Sancti impulſu emiſſum legitimum eſt, nec temerarium, imprudens, & crudele dicendum: Atqui *Jephte* votum illud ſuum emiſit ſingulari Spiritus Sancti impulſu: Legitimum ergo ac pium fuit.

Probatur Minor ex Scripturæ Sacræ verbis: *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad & inde tranſiens ad filios Ammon, votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. Tranſivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus.* Tam inſignis victoria de Hoſtibus Iſraelis ſtatim poſt votum reportata, illud fuiſſe Deo gratum probat.

Confirmatur ex Apoſtolo ad Hebræos 11. 32. 33. *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones:* Atqui *Jephte*, non recenſeretur inter ſanctos, ſi fuiſſet in voto nuncupando imprudens, in reddendo crudelis: Ejus itaque votum legitimum fuit, pietatemque ſuam illud implendo probavit. Quam ob rem *S. Hieronymus* hunc locum Apoſtoli ſpectans Epiſtola 24. ad *Julianum*, ait: *Jephte obtulit filiam virginem & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apoſtolo ponitur.* Et Auctor Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos, apud *S. Juſtinum*, Quæſtione 99. *Quapropter*, inquit, *cum Jephte pietatis erga Deum ſua obſervationem filia ſua pro hoſtia mactanda declaraverit, non immerito memoria ejus in Juſtorum nomenclaturam eſt inſerta.* Sanctus etiam *Iſidorus Hiſpalenſis*, ſeu quiſquis eſt Auctor Libri *De Vita & Morte Sanctorum*, Cap. 30. *Jephte* votum velut pium commendat. *Jephte*, inquit, *felix in prœliis, fidelis in promiſſis, affectum pietatis exſuperans tolerantia mentis, rediens ex Hoſtibus triumphator, ne pollueretur labe perjurii, pollicitam ſponſionem complevit, ac filiam, quæ prima victori occurrerat, immolavit.*

Denique Scriptura Sacra votum, factumque *Jephte* nullibi improbat: Cur ergo illud improbemus ac damnemus?

Reſpondetur ad primum argumentum, Spiritum Domini, qui factus dicitur ſuper *Jephte*, fuiſſe Spiritum fortitudinis ac roboris quo Hoſtes debellaret, non Spiritum conſilii ac pietatis, quo prudens legitimumque votum nuncuparet. Donum itaque Dei fuiſſe heroicam illam fortitudinem, qua in Ammonitas inſiluit, ipſoſque debellavit, Scriptura Sacra ſignificat; non autem votum fuiſſe ex afflatu Spiritus Sancti conceptum ac impletum. Unde *S. Auguſtinus Quæſtione 49. in Judices*, ait: *Utrum autem quia po-*
„ *ſtea quam dictum eſt*, Factus eſt ſuper Jephte Spi-
„ ritus Domini, *ea ſecuta ſunt ut votum illud vove-*
ret, atque Hoſtes vinceret, & quod voverat redderet, Spiritui Domini omnia deputanda ſint, ut proinde habeatur & hoc Sacrificium, tanquam id Dominus ſicut Abraham fieri juſſerit, non facile dixerim: Cum utique de Gedeon poſſit hæc afferri differentia, quia poſt peccatum quod fecit, quando fecit Ephod poſt quod univerſus Populus fornicatus eſt, nulla eſt ejus commemorata proſperitas: poſtea vero quam Jephte votum vovit, illa eſt inſignis ejus victoria conſecuta, propter quam adipiſcendam voverat, & qua adepta quod voverat ſolvit. Rurſus enim conſiderandum eſt, quia Gedeon, & ſi non poſtea quam fecit Ephod, tamen poſtea quam tentavit Dominum, quod utique peccatum eſt, magna ſtrage Hoſtibus cæſis atque ſuperatis Populo acquiſivit ſalutem. Sic enim ſcriptum eſt,
„ Et dixit Gedeon ad Dominum, Non iraſcatur in-
„ dignatio tua in me, & loquar adhuc ſemel, &
„ tentabo adhuc ſemel in vellere, *&c. Iram quippe Dei metuebat, quia noverat tentando ſe peccare quod Deus in Lege ſua manifeſtiſſime prohibet. Hoc tamen peccatum ejus & mirabilis ſigni evidentia & magna victoria proſperitas liberationiſque Populi conſecuta eſt. Jam enim Deus ſtatuerat afflicto Populo ſubvenire, atque hujus Ducis quem ad hoc opus aſſumpſerat, utebatur animo non ſolum fideli & pio, verum etiam ſubdeficiente & delinquente, & ad prænuntianda quæ volebat, & complenda quæ dixerat.* Sicut ergo *Gedeonem* a peccato penitus excuſari non poſſe quod ex auro prædæ fabricatus ſit Ephod, poſt quod fornicatus eſt omnis Iſrael. & factum eſt domui ejus in ſcandalum, vel quod Dominum tentavit petendo ſignum in vellere; cenſet *S. Auguſtinus*, quamvis de eo dicatur Judicum 6. *Spiritus Domini induit Gedeon*, ut hoſtes nimirum facile debellaret: ita de *Jephte* votum emittente & implente dicendum. *Non enim per iſtos tantum, qui etiamſi peccaverunt, inter juſtos tamen narrantur, ſed etiam per ipſum Saulem omni modo reprobatum, multa Deus Populo ſuo præſtitit, in quem inſiluit etiam Spiritus Dei, & prophetavit; non cum juſte ageret, ſed cum in virum Sanctum David, innocentemque ſæviret. Agit enim Spiritus Domini & per bonos & per malos, & per ſcientes & per neſcientes, quod agendum novit & ſtatuit: Qui etiam per Caipham acerrimum Domini perſecutorem, neſcientem quid diceret, inſignem protulit Prophetiam, Quod oportet Chriſtum mori pro gente. Quis enim egit, niſi Spiritus Domini, ut ea prænuntiaret ventura, ut Judici Gedeon tentare volenti Dominum, & non credenti quod ei fuerat per nuntium ejus de ſalute Populi jam locutus, hoc potiſſimum de vellere primo complutο, poſtmodum ſicco, & de area primum ſicca, poſtea rigata veniret in mentem? Ut quod ſubdefecit a fide, infirmitati ejus delictoque deputetur; quod vero etiam tali ejus animo ad hoc quod generi humano ſignificari oportebat, uſus eſt Deus, ad ejus intelligatur miſericordiam & mirabilem providentiam pertinere.* Et infra: *Seu ergo per ſcientes, ſeu per neſcientes, præfigurationem prædicationemque futurorum Spiritus Domini propheticis temporibus operatus eſt: Nec ideo peccata eorum dicendum eſt non fuiſſe peccata; quia & Deus, qui & malis noſtris bene uti novit, etiam ipſis eorum peccatis uſus eſt ad ſignificanda quæ voluit. Proinde ſi propterea peccatum non fuit, ſive cujuſlibet necis humanæ, ſive etiam parricidale Sacrificium vel vovere, vel reddere, quia magnum aliquid & ſpiritale ſignificavit, fruſtra Deus talia prohibuit, & ſe odiſſe teſtatus eſt; quoniam & illa quæ fieri juſſit, utique ad aliquam ſignificationem rerum ſpiritualium magnarumque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quando quidem poterant propter eamdem rerum earumdem ſignificationem, propter quam & illa licite fiebant, nihilominus licite fieri? Niſi quia nos tale aliquid ſignificantia quale expedit credere, humana Deo Sacrificia placuerunt, quando non pro juſtitia quiſque ab inimicis, quia recte vivere voluit aut peccare noluit, interimitur, ſed homo ab homine tanquam electa hoſtia more pecoris immolatur?*

Ad confirmationem Reſpondeo, *Jephte* & alios ab Apoſtolo inter Sanctos recenſeri, non quod nuſquam peccaverint, omniaque facta ipſorum laudanda ſint; ſed quia fidei merito conſpicui, in juſtitia & ſanctitate defuncti ſunt, & repromiſſiones adepti. Hanc

Re-

Reſponſionem ſuggerit *S. Auguſtinus*, & exemplo *Gedeonis* confirmat. *Sed primo*, inquit, *illud quod ex Epiſtola, quæ ad Hebræos eſt, commemoravi, inter illos laudabiles viros qui ibidem recoluntur, non ſolum eſt Jephte, verum etiam Gedeon, de quo ſimiliter* „ *Scriptura dicit*, Spiritus Domini confortavit Ge„ deon; *& tamen ejus factum, quod de illo auro præda operatus eſt Ephod, & fornicatus eſt poſt illud omnis Iſrael, & factum eſt domui Gedeon in ſcandalum, non ſolum laudare non poſſumus, verum etiam quia Scriptura hic apertiſſime judicavit, reprobare minime dubitamus: Nec tamen ex hoc ulla fit injuria Spiritui Domini, qui eum confortavit, ut Hoſtes Populi ejus tanta facilitate ſuperaret. Cur ergo inter illos commemoratur, qui per fidem vicerunt regna, operantes juſtitiam, niſi quia Sancta Scriptura, quorum fidem atque juſtitiam veraciter laudat, non bene impeditur eorum etiam peccata, ſi qua novit, & oportere judicat, nuntiare veraciter? .... Nec tamen fruſtra inter fideles & operantes juſtitiam, propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum eſt eſſe defunctum, tale meruit teſtimonium.*

Ad loca *S. Hieronymi*, aliorumque Auctorum Eccleſiaſticorum in objectione laudata, Reſpondeo, Illos in *Jephte* laudare animum voventis, ſeu rationem quæ ipſum movit ad vovendum, ſcilicet fidem ac religionem, non vero votum ipſum ſpectatum ex parte objecti & circumſtantiarum, quæ ipſum contaminarunt. Non aliam fuiſſe *S. Hieronymi* mentem probant loca inter probationes Propoſitionis allata. Hanc Reſponſionem confirmat *S. Auguſtinus* loco mox laudato. *Sed alia quæſtio eſt*, inquit, *de animo voventis, alia de providentia Dei qualicumque animo ejus optime utentis. Quapropter ſi Spiritus Domini qui factus eſt ſuper Jephte, ut hoc voveret omnino præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit, tamen ſi hoc ille præcepit, cujus non licet juſſa contemnere, non ſolum inſipientia culpanda non eſt, verum etiam laudanda obedientia eſt. Hoc enim etiamſi ſe homo ipſe interimat, quod utique humana voluntate atque conſilio facere nefas eſt, profecto intelligendum eſt obedienter ſieri potius quam ſcelerate, ſi divinitus juſſum eſt. Si autem Jephte humanum ſecutus errorem, humanum Sacrificium vovendum putavit, ejus quidem peccatum de unica filia jure punitum eſt, quod etiam ipſe verbis* „ *ſuis ſatis videtur oſtendere, ubi ait*, Heu me, fi„ lia mea, impediſti me, in offendiculum facta es „ in oculis meis: *Diſcidit etiam veſtimenta ſua. Veruntamen hic ejus error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, ut quod voverat redderet, nec divini in ſe judicii ſententiam declinavit, ſive ſperans Deum prohibiturum, ſicut fecit Abrahæ, ſive etiam voluntatem non prohibentis intellectam facere potius quam contemnere ſtatuens.*

Hanc reſponſionem calculo ſuo probat *S. Thomas* Secunda Secundæ, Quæſtione 88. Articulo 2. ad ſecundum: *Præmittitur tamen ibidem*, inquit, *quod factus eſt ſuper eum Spiritus Domini: Quia fides & devotio ipſius, ex qua motus eſt ad vovendum, fuit a Spiritu Sancto. Propter quod ponitur in catalogo Sanctorum; & propter victoriam quam obtinuit; & quia probabile eſt eum pœnituiſſe de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.* Et Commentario in Epiſtolam ad Hebræos, idem *S. Thomas* (ſive quiſquis alius eſt Auctor) ait: *In facto Jephte fuit aliquid a Spiritu Sancto, ſcilicet motus ad vovendum in generali, quod ſcilicet immolaret quidquid occurreret ſibi immolabile: Aliquid autem ex proprio ſuo ſpiritu, ſcilicet quod immolavit quod non debuit, & in hoc peccavit, ſed poſt pœnituit.*

Ad poſtremum reſpondeo, Scripturam Sacram de voto & facto *Jephte* in neutram partem ſententiam protuliſſe, ut noſter intellectus in judicando exerceretur; ſed juſtitia & Lege Dei conſulta æſtimandum reliquiſſe. Lex autem Dei & ipſa Scriptura hoc Sacrificiorum genus Deo diſplicere ſatis evidenter teſtatur. Hæc Reſponſio *S. Auguſtini* eſt.

Objicies: Non eſt veriſimile *Jephte*, prudentem hominem, ſermonem non habuiſſe de voto ſuo cum *Phinees* Summo Sacerdote, aliiſque Sapientibus in Lege: Nullus autem horum ipſi Auctor fuiſſet ut filiam innocentem mactaret. Præterea petiit illa bimeſtre tempus ut plangeret, non mortem, ſed virginitatem ſuam. Denique, ubi dixit Sacer Hiſtoricus, *Expletiſque duobus menſibus reverſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat*, ſubdit, *Quæ non noverat virum*: id eſt, virginitatem perpetuam ſervabat. *Jephte* igitur votum non implevit in filia ipſam more pecoris mactando, ſed virginitatem ejus Deo conſecrando. Quod ipſa votum ratum habuit, ſeque Deo lubentiſſime devovit. Unde *S. Ambroſius* loco ſupra laudato ait: *Rediit ad patrem, quaſi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu ſpontaneo, ut quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis Sacrificium.*

Reſpondetur, *Jephte* conſilium a Sapientibus non petiiſſe circa executionem voti ſui, quia humanum & militarem ſecutus errorem, minime dubitavit, quin illud implere deberet; vel Sapientes, ſi quos interrogavit, ſatis peritos Legis non fuiſſe, ut huic Quæſtioni, quod rectum erat, reſponderent. In Chaldaica Paraphraſi legitur: *Et non conſuluit Pinhhas Sacerdotem: Et ſi conſuluiſſet Pinhhas Sacerdotem, redemiſſet eam pecuniis.* Petiit autem illa bimeſtre tempus ad plangendam virginitatem ſuam, id eſt, virginalem ætatem, quod ſcilicet eo tempore quo triſtis erat & indecora virginitas, ſterilitaſque, ob ſpem Meſſiæ e Judæis naſcituri, moritura eſſet nullo relicto herede. Quod autem ſubdit ſacer Hiſtoricus, *Quæ non noverat Virum*, circumſtantia eſt ad ſubſtantiam voti minime pertinens, quæ tamen tacenda non fuit, ſive ut paterni juris adhuc fuiſſe ſignificaretur, ſive ut ratio redderetur cur inducias ad plangendam virginitatem ſuam a Patre poſtulaſſet; ſive ob myſterium, quia ipſa Eccleſiæ, quemadmodum *Jephte* Chriſti figuram gerebat.

S. Auguſtinum ea de re diſſerentem audiamus, & probata manebit poſtrema pars Propoſitionis noſtræ. *Admonet nos*, inquit, *& urget quodam modo iſte Sanctarum Scripturarum locus cogitare quemdam potentem virtute. Tale enim dicitur Jephte, quod nomen interpretatur, Aperiens. Dominus autem Chriſtus, ſicut indicat Evangelium, Diſcipulis ſuis aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Hunc Jephte fratres ejus reprobaverunt, & de paterna domo expulerunt: objicientes ei quod eſſet filius fornicariæ, tanquam ipſi eſſent de uxore legitima nati. Hoc etiam egerunt adverſus Dominum Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Phariſæi, qui de Legis obſervatione gloriari videbantur, tanquam ille ſolveret Legem, & ideo veluti non eſſet legitimus filius. Et quamquam de Sancta quidem Virgine corpus aſſumpſerat; tamen ejus Mater quantum ad Gentem pertinet, etiam illa Judæica Synagoga dici poteſt. Revolvat qui voluerit Propheticos Libros, & videat quotiens & quanta verbi ſeveritate atque indignatione Domini, illa Gens velut impudica mulier de ſuis fornicationibus arguatur.... Sed numquid non ex eadem Gente Iſrael etiam illi nati erant Sacerdotes, & Scribæ, & Phariſæi, quos in eis diximus fuiſſe præfiguratos, qui Jephte, tanquam iſti Dominum Chriſtum, veluti non legitimum filium perſecuti expulerunt? Sed in eo ſimilitudo adumbrata eſt, quod iſti, ut dixi, veluti Legis obſervatores, eum qui contra Præcepta Legis facere videbatur, tanquam legitimi non legitimum, jure ſibi viſi ſunt ejeciſſe. Secundum hoc enim plebs illa dicta eſt fornicari, quod Legis Præcepta non ſervans, tanquam viro non exhibebat fidem. Sic autem ſcriptum eſt de Jephte.* Judic. 11. 2.
Et creverunt filii uxoris, & ejecerunt Jephte. *Verbum quod poſitum eſt*, creverunt, *ſignificat in figura, prævaluerunt: Quod in Judæis impletum eſt, qui prævaluerunt infirmitati Chriſti, quia ita voluit, ut ab eis quam oportebat Paſſionem perferret, ſicut hoc idem ſignificans Jacob prævaluit Angelo, cum quo ut idipſum portenderet, luctabatur. Dixerunt ergo ad Jephte*, „ Non hereditabis in domo Patris noſtri, quoniam „ filius mulieris fornicariæ tu. *Tanquam dicerent quod Evangelium loquitur: Non eſt iſte homo a Deo qui ſic ſolvit Sabbatum. Se autem velut jactantes legitimos filios Domino dixerunt:* Nos ex fornicatione non ſumus Joan. 8.
„ *nati, unum Patrem habemus Deum.* Et fugit Jephte 41.
„ a facie fratrum ſuorum. & habitavit in terra Tob. 1. Cor. 3.
Fugit quoniam ſe quantus eſſet abſcondit: Fugit quoniam eos ſævitates latuit: Si enim cognoviſſent, nun- 8.

Margin note: *Jephte Chriſti Domini typus.*

quam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem reſurgentis non viderunt. Habitavit autem in terra bona, vel ut expreſſius dicamus, opima. Id autem interpretatur Tob. Ubi mihi videtur intelligenda ejus a mortuis Reſurrectio. Nam quæ terra magis opima, quam terrenum corpus excellentia immortalitatis & incorruptionis indutum? Quod autem dicitur de Jephte quia poſtea quam fugiens a facie fratrum ſuorum habitavit in Terra Tob, colligebantur ad eum viri latrones, & obambulabant cum ipſo: Quamquam &
Matt. 9. 11. *ante Paſſionem objectum fuerit Domino, quod cum Publicanis & Peccatoribus manducaret, quando reſpondit,*
Iſai. 53. 12. *Non eſſe neceſſarium ſanis medicum, ſed ægrotis; & inter iniquos deputatus eſt, quando inter Latrones*
Luc. 23. 33. *crucifixus eſt, & unum ex eis de Cruce in Paradiſum tranſtulit: Tamen poſtea quam reſurrexit, & eſſe cœpit in terra Tob, collecti ſunt ad illum ſcelerati homines propter remiſſionem peccatorum, qui cum illo ambulabant, quia ſecundum ejus præcepta vivebant. Neque hoc fieri deſinit uſque nunc, & deinceps quo uſque ad eum confugiunt mali, ut juſtificet impius qui ad eum convertuntur, & diſcant iniqui vias ejus.*

Jam illud, quod hi qui abjecerant Jephte, (erat enim Galaadites) converſi ſunt ad eum, & quæſierunt eum, per quem liberarentur ab inimicis ſuis, quam clara præfiguratione ſignificat, quod hi qui abjecerunt Chriſtum, ad eum rurſus converſi in illo reperiunt ſalutem. Sive illi intelligantur quos Petrus Apoſtolus, cum de ipſo ſcelere arguiſſet, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, & hortatus eſſet ut ad eum converterentur, quem fuerant perſecuti, compuncti ſunt corde, & ab eo, quem a ſe alienaverant, de-
Act. 2. 38. *ſideraverunt ſalutem: (Quid eſt autem liberari ab inimicis niſi a peccatis? Sic enim illis ait, Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti, & remittentur vobis peccata veſtra:) Sive illa potius ſignificetur, quæ in fine ſperatur vocatio gentis Iſrael. Magis quippe ipſa videtur apparere in eo, quod dicitur,* Et factum eſt poſt dies: *Quod utique poſt tempus ſignificat: & per hoc inſinuat non illud intelligendum quod recenti Domini Paſſione, eſt, ſed quod poſtea futurum eſt. Quo videtur etiam id pertinere, quod Seniores Galaad venerunt ad Jephte, ut per ætatem ſenilem poſteriora & noviſſima tempora accipienda ſint. Interpretatur autem Galaad, Abiiciens, ſive revelatio. Quorum utrumque ſatis apte huic rei congruit, quia primo Dominum Chriſtum abjecerunt, atque poſtea revelabitur.*

Quod vero contra filios Ammon Dux quærebatur Jephte, quibus victis liberarentur, qui eo Duce adverſus illos bellare cupiebant, quoniam interpretatur Ammon Filius Populi mei: ſive Populus mœroris, profecto aut illi ſignificentur inimici, qui ex ipſa Gente perſeverantes in infidelitate prædicti ſunt; aut omnino omnes gehennæ prædeſtinati, ubi erit ille fletus & ſtridor dentium, tamquam Populo mœroris. Quamquam Populus mœroris, etiam Diabolus & Angeli ejus non inconvenienter intelliguntur; ſive quia æternam miſeriam iis, quos decipiunt, acquirunt, ſive quia & ipſi æterna miſeria deputati ſunt.

Eleganter ſane ad exprimendam multo evidentius Prophetiam Jephte reſpondit Senioribus Galaad: „Nonne „ vos odio habuiſtis me, & ejeciſtis me de domo „ Patris mei, & emiſiſtis me a vobis? Et quid eſt „ quod veniſtis, quando tribulati eſtis? *Tale aliquid figuratum eſt in Joſeph, quem fratres vendentes abjecerunt, & cum fame tribularentur, ad ejus opem miſericordiamque converſi ſunt. Hic vero multo amplius eluxet ſignificatio futurorum, quod non ipſi prorſus fratres, qui ejecerunt Jephte, ad eum venerunt; ſed Galaad Seniores pro univerſo illo Populo eidem ſupplicantes. Sicut eadem Gens dicitur Iſrael, ſive in iis qui tunc fuerunt, Chriſtumque reprobaverunt, ſive in iis qui ad ejus opem poſtea reverſi ſunt. Populo enim dicitur inimico, ſive in majoribus ſive in poſteris ſuis longa odia trahenti atque ſervanti, tandemque converſo in iis qui erunt convertendi ſunt,* „ Nonne vos odio habuiſtis me, & ejeciſtis me de „ de domo Patris mei? *Hoc enim iis viſum eſt, qui perſecuti ſunt, quod ejecerunt Chriſtum de domo David, in qua Regni ejus non erit finis.*

Et dixerunt Seniores Galaad ad Jephte: Non ſic modo venimus ad te. *Tanquam dicerent Judæi converſi ad Chriſtum, Tunc venimus ut perſequeremur, modo venimus ut ſequamur. Profitentur etiam adverſus inimicos eum futurum ſibi caput. Reſpondet ille, ſi eorum vicerit inimicos, quod erit eis in Principem: Quod Gedeon noluit, cum id Iſraelitæ voluiſſent. Reſpondit quippe illis, Princeps veſter Dominus erit.... Sed quia Jephte illum figurabat qui verus eſt Rex, quod etiam in titulo ſcriptum fuit, Qui Cruci ejus affixus eſt, quem Pilatus delere vel emendare non ausus eſt, ideo credendum eſt eſſe dictum:* „ Ero vobis
„ in Principem. *Illi autem dixerunt,* Eris nobis in 1. Cor. 11.
„ Caput: *Quoniam Caput viri Chriſtus, & ipſe eſt* 3.
Caput corporis Eccleſiæ. Denique poſteaquam eos libe- Epheſ. 5.
ravit Jephte ab omnibus inimicis, non eis factus eſt 23.
Rex, ut intelligeremus, illud quod dictum eſt, ad Prophetiam potius pertinuiſſe de Chriſto, quam ad ipſum proprie Jephte.

Jam vero quod poſtea quam eis idem Jephte Dux conſtitutus eſt, miſit nuntios ad Hoſtes prius verba pacis portantes, illud oſtenditur quod ait Apoſtolus, in
quo Chriſtus loquebatur: Si fieri poteſt, quod ex vo- Rom. 12.
bis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Ver- 18.
ba porro ipſa quæ mandavit Jephte, omnia pertractare nimis longum eſt feſtinantibus nobis: videatur tamen mihi ſic intelligenda, quantum attinet ad ſignificationem futurorum, ut in iis advertatur doctrina Chriſti, admonens nos quemadmodum ſit ambulandum, hoc eſt vivendum inter eos, qui non ſecundum propoſitum vocati ſunt. Novit enim Dominus qui ſunt ejus. Jam vero quod cum eſſet debellaturus inimicos, factus eſt ſuper eum Spiritus Domini, ſignificatur Spiritus Sanctus impertitus membris Chriſti. Quod autem pertranſit Galaad, & Manaſſe, & tranſit ſpeculam Galaad, & a ſpecula Galaad ad filios Ammon, proficientia ſignificantur membra Chriſti ad victoriam de inimicis reportandam. *Galaad quippe interpretatur Abiiciens, Manaſſe neceſſitas. Tranſeundi ſunt ergo a præſidentibus abiicientes, id eſt contemnentes: Tranſeunda & neceſſitas; ne forte eum tranſierit, qui profecit, contemnentes, cedat terrentibus. Tranſeunda etiam ſpecula Galaad, quoniam Galaad etiam Revelatio interpretatur. Eſt autem ſpecula altitudo ad proſpiciendum, vel deſpiciendum, id eſt, deſuper aſpiciendum. Specula itaque Galaad congruenter mihi videtur ſignificare ſuperbiam revelationis. Unde dicit Apoſtolus: Et in magnitudine revelationum ne extollar. Ergo & ipſa tranſeunda eſt, id eſt, non eſt in ea manendum propter cadendi periculum. His pertranſitis facile ſuperantur inimici, quod ſignificat dicendo: Et a ſpecula Galaad tranſit ad filios Ammon.*

„ Et vovit Jephte votum, & dixit: Si traditione „ tradiderit mihi filios Ammon in manu mea, „ & erit quicumque exierit de januis domus meæ „ in obviam mihi in revertendo me in pace a filiis „ Ammon, & erit Domino, & offeram eum holo„ cauſtoma. *Quemlibet in hoc loco cogitaverit Jephte ſecundum cogitationem humanam, non videtur unicam filiam cogitaſſe, alioquin non diceret, cum illam cerneret occurriſſe:* „ Heu me filia mea, im„ pediſti me, in offenſionem facta es in oculis meis. „ Impediſti, *enim ita dictum eſt, tanquam ad hoc ſe impeditum judicaverit, ne illud quod cogitarat impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? An conjugem cogitavit, & hoc ut fieret Deus noluit, & ut non relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet: & ut magna providentia ex hoc quoque ipſo quod accidit, Sacramentum Eccleſiæ figuraret? Ex utroque igitur prophetia cœptata eſt, & ex eo quod vovent cogitavit, conjux Chriſti Eccleſia eſt. Propterea relin-* Geneſ. 2.
quet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori 24.
ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc Epheſ. 5.
magnum eſt (inquit Apoſtolus) ego autem dico in 32.
Chriſto & in Eccleſia. Sed quia hujus Jephte conjux virgo eſſe non potuit, in eo quod filia potius occurrit, & inulta non remanſit, prohibitum ſacrificium voventis audacia, & virginitas Eccleſiæ figurata eſt..... Holocauſtoma ergo erit Eccleſia, quam virginem caſtam Beatus Apoſtolus appellat, quando in reſurrectione mortuorum fiet in univerſa quod ſcriptum eſt, abſorpta

eſt

eſt mors in victoriam. Tunc tradet Regnum Deo & Patri. Quod Regnum ipſa Eccleſia eſt, Rex ipſe cujus figuram vovens ille gerebat. Sed quoniam tunc fiet cum completa fuerit ſextuatas ſeculi, ideo ſexaginta dierum a virginitate dilatio poſtulata eſt. Ex omnibus quippe ætatibus eccleſia congregatur .... per quas ſex ætates, tanquam per ſexaginta dies flevit ſancta virgo Eccleſia virginalia ſua; Quia licet virginalia, tamen fuerant peremta deflenda, propter quæ univerſa ipſa Virgo toto orbe diffuſa quotidie dicit, Dimitte nobis debita noſtra. Eoſdem autem ſexaginta dies duos menſes voluit appellare, quantum exiſtimo, propter duos homines; unum per quem mors, alterum per quem reſurrectio mortuorum, propter quod etiam Teſtamenta dicantur.

„ Quod vero factum eſt in præceptum in Iſrael, „ ex diebus in dies conveniebant lamentari filiam „ Jephte quatuor dies in anno: *Non puto ſignificare aliquid poſt impletum holocauſtoma, quod erit in vitam æternam; ſed præteritum tempus Eccleſiæ, in quibus erant Beati lugentes. Quatriduo autem figurata eſt ejus univerſitas, propter quatuor partes orbis, per quas longe lateque diffuſa eſt. Ad Hiſtoriæ vero proprietatem non arbitror hoc decreviſſe Iſraelitas, niſi quia intelligebant in ea re judicium Dei magis ad percutiendum Patrem fuiſſe depromptum, ne tale vovere Sacrificium deinceps ullus auderet. Nam quare luctus & lamentatio decernerentur, ſi votum illud lætitia fuit? Sic autem & illud quod Populus Ephrem poſtea ab eodem Jephte debellatus eſt, ad judicium Dei, quod erit in fine, referendum eſt, ſicut ipſe Dominus dicit, Eos qui noluerunt me regnare ſibi, adducite, & interficite coram me.*

DISSERTATIO XX.

DE SAMSONIS POENITENTIA Et Morte.

PROPOSITIO UNICA.

Samſon Scorti Gazæi conſuetudinem, & Dalilæ meretricios amores, Pœnitentiæ lacrymis, & morte fortiter ac ſancte oppetita expiavit. In eoque egregium Chriſti typum ſuſpicimus.

I. DE *Samſonis* peccatis, quam de Pœnitentia prius agendum. Primum ejus crimen indicatur Judicum 16. 1. *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.* Licet enim quidam *Samſonem* excuſent, nec ullam cum iſta meretrice conſuetudinem illum habuiſſe contendant, ſed aliorum negotiorum cauſa ad eam diverti ſſe, tamen Scripturæ verba, quæ ipſum ad meretricem ingreſſum ferunt, honeſte rem exprimunt inhoneſtam. Hæc enim phraſis ſolemnis eſt Scripturæ ad ſignificandum rem uxoriam vel meretriciam, Sic Geneſis 15. *Ecce concluſit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.* Geneſis 38. *Et accepta uxore ingreſſus eſt ad eam, quæ concepit, & peperit filium.* *Et Judas* videns *Thamarem* in bivio itineris ſedentem, ſuſpicatus eſſe meretricem, *Ingrediens ad eam*, &c. 2. Regum 3. 8. *Quare ingreſſus es ad concubinam patris mei?* Cap. 16. 22. *Abſalom ingreſſus eſt ad concubinam patris ſui.* Idem conſtat ex titulo Pſal. 50. qui ſic inſcribitur: *Pſalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Berſabee.* Scripturæ igitur phraſis probat *Samſonem* ſcorti Gazæi conſuetudine ſe contaminaſſe.

II. Alterum *Samſonis* crimen fuit amor impudicus *Dalilæ* de quo Judicum 16. 4. *Poſt hæc amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila. Veneruntque ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Hanc autem etſi quidam Patres uxorem fuiſſe *Samſoni* exiſtimaverint, ut *Severus Sulpitius* in *Hiſtoria Sacra*, *S. Joannes Chryſoſtomus* Homilia 17. de variis *S. Matthæi* locis, *S. Ephrem* Sermone adverſus improbas mulieres, Auctor Libri *De Promiſſionibus Dei*, ſub nomine *S. Proſperi* Aquitani editi; Veriſimilius tamen & Hiſtoriæ Sacræ magis conſonum videtur, Meretricem fuiſſe. Philiſthæorum namque Primores ad eam cum fiducia venerunt, & primo ſtatim congreſſu de proditione egerunt, mercede propoſita. Nemo certe facile credet ipſos cum uxore ita fuiſſe acturos tanti præſertim viri, qui & fortitudinis gloria, & auctoritate apud Iſraelitas Princeps eſſet. Secundo, ſi maritus *Dalilæ* fuiſſet *Samſon*, quomodo aliquis locus in domo ipſi fuiſſet occluſus in quo inſidiæ parari, & milites abſcondi poſſent? Quomodo nullum ibi ex Gente ſua famulum habuit, qui latentes inſidias aperiret? Tertio, Dalilam in domum ſuam abduxiſſet *Samſon*, ſi ipſi conjugali vinculo fuiſſet adſtricta, non ad eam ventitaſſet. Quarto, meretricium indicant ingenium illius mulierculæ, blanditiæ, *Quæ dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput.* Meretriciam indolem pariter prodit effrons illa inſolentia, qua detonſum *Samſonem cœpit abigere & a ſe repellere*, ut Scriptura loquitur. Quinto. *Joſephus* Libro 5. *Antiquitatum*, Cap. 10. *Dalilam* meretricem vocat. *Samſon*, inquit, *a patriis inſtitutis deſciſcere, & in peregrinos mores degenerare incœpit, quod ei omnium malorum fuit principium. Cum enim meretricem quamdam Palæſtinam adamaſſet nomine Dalalen, conſuetudine ejus delectabatur*, &c. Sexto, *S. Hieronymus*, Epiſtola 126. ad Evagrium, *Samſon quoque*, inquit, *amatoe meretricis & pauperis Dalilæ multo plures Hoſtium mortuus quam vivus occidit, ut Chriſti exprimeret paſſionem.* Septimo, *S. Ambroſius* Epiſtola 24. Libri 3. quæ eſt ad Vigilium: *Parum fidus*, inquit, *expertus alienigenæ uxoris prima connubia, qui debuiſſet cavere vel poſtea, mulieris fornicatæ copulam non declinavit: Et cum eam diligeret, tentandi ſe cauſam dolis hoſtilibus præſtitit.* Idem *S. Ambroſius*, ſeu quiſquis eſt Auctor alterius Apologiæ pro Davide: *Samſon*, inquit, *validus & fortis leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit; Vincula ſolvit Hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum: Meſſes incendit alienas & unius ipſe Mulieris accenſus igniculo meſſem ſuæ virtutis amiſit.*

III. Quod vero *Samſon* Pœnitentia, & morte fortiter & ſancte pro Dei honore vindicando, Populique ſui liberatione, oppetita, peccata eluerit, probatur ex Apoſtolo ipſum inter Sanctos numerante & laudante in Epiſtola ad *Hebræos* Cap. 11. 32. 33. *Deficiet me tempus*, inquit, *enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel & Prophetis. Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.*

Secundo, probatur ex *S. Epiphanio* Hæreſi 30. quæ eſt Ebionitarum. *Clemens*, inquit, *Eliam, Davidem, & Samſonem, omneſque Prophetas commendat: Ebionita deteſtantur.*

Tertio, ex *S. Paulino* Epiſtola 23. aſſerente *Samſonem*, corpore licet cæcum, oculos mentis habuiſſe incolumes. *Quamobrem*, inquit, *non ſolum morte Samſonis commori dico Hoſtibus meis, hoc eſt, mortificando carnem meam ſimul interficere peccatum, ut ſuperſtite ſpiritu victor ſalutis triumphem .... Sed & cæcitate Samſonis, qua corporis tantum captus oculis ſpiritales non amiſit, illuminor ad intellectum bonum, ut exemplo illius ſciam quos magis debeam oculos habere. Non enim invenuſſet, ille vir Dominum in ſua virtute auxilium, niſi mentis oculos habuiſſet incolumes, quibus lumen eſt Chriſtus, in cujus lumine videbimus lumen.*

Quarto, ex *Bachiario* in Epiſtola ad *Januarium*, De recipiendis Lapſis ubi *Samſonem* velut Martyrem prædicat. *In fine*, inquit, *obitus ſui ſub Martyrii paſſione, majorem inimicorum numerum proſtraviſſe, quam ante, quando Nazaræus, hoc eſt immaculatus fuerat, reperitur.*

Quinto ex *S. Ambroſio*, qui morientem *Samſonem* magnis laudibus exornat, Epiſtola 24. *In morte*, inquit, *ſe ipſum vicit, & inſuperabilem geſſit animum,*

at

Digitized by Google

ut contemneret & quaſi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidoloſum. Virtutis igitur fuit, quod victoriarum numero diem clauſit, nec captivum exitum, ſed triumphalem invenit . . . . Cadaveribus Hoſtium humatus eſt, proprio tectus triumpho, claram inſigne relinquens poſteris, eo quod Populum, quem captivum invenerat, viginti annis in libertate judicio ſuo rexit, & ſepultus in patrio ſolo, libertatis heredem dimiſit.

IV. Obiicies: Ille mortuus eſt impœnitens immo & deſperans, qui mortem ſibi intulit. Sed *Samſon* mortem ſibi ipſi intulit: Igitur obiit impœnitens.

Reſpondeo, diſtinguo majorem: Si id fecerit directe, & propriam necem intendens, concedo: Si id præſtiterit indirecte, & Hoſtium cædem per ſe intendens, mortem autem ſuam certo & ineluctabili eventu inde futuram pati fortiter eligens, nego. Rurſus diſtinguo: Qui mortem ſibi ipſi intulit humani furoris aut deſperationis impetu, concedo: Sancti Spiritus impulſu, nego. Porro *Samſon* Spiritu Sancto impellente columnas domus concuſſit, domumque evertit qua ſe oppreſſum iri certo prævidebat, ut Dei, & Iſraelitici Populi hoſtes iiſdem ruinis involveret. Hæc Reſponſio eſt Sancti *Auguſtini* pluribus in locis, ſcilicet Libro 1. *De Civitate Dei*, Cap. 21. *Nec Samſon*, inquit, *aliter excuſatur, quod ſe ipſum cum Hoſtibus ruina domus oppreſſerit; niſi quia Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum Miracula faciebat*. Et Cap. 26. ejuſdem Libri. *Sed quædam*, inquiunt, *Sanctæ feminæ tempore perſecutionis ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum ſe fluvium proiicierant, eoque modo defunctæ ſunt, earumque Martyria in Eccleſia Catholica veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Eccleſia aliquibus fide dignis teſtificationibus ut earum memoriam ſic honoret, divinitus perſuaſerit Auctoritas, neſcio: Et fieri poteſt ut ita ſit. Quid ſi enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ, nec errantes: ſed obedientes: Sicut de Samſone aliud nobis fas non eſt credere? Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obſequium pietatis accuſet?* Et Libro 1. *contra Gaudentium*, Cap. 31. *Quod cum inimicis occidit ſeipſum* (SAMSON) *quando ſuper ſe atque illos evertit domum: Mortem, quam ab eis fuerat perpeſſurus, communem voluit cum illis habere, quam non poſſet evadere. Quando quidem non ſua ſponte fecit, ſed hoc Spiritui Dei tribuendum eſt, qui uſus eſt eo ut faceret, quando illi adfuit, quod facere non poterat, quando idem Spiritus defuit. Sicut Abrahæ factum, quando filium voluit immolare, quod Deo jubente fuit obedientia, Deo non jubente quid fuit niſi dementia?* Dei autem impulſu heroicum illud facinus aggreſſum *Samſonem*, probat oratio qua divinum auxilium ad illud exequendum invocavit: *At ille*, inquit Scriptura, *invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, Deus meus, ut ulciſcar me de Hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum unam ultionem accipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læva tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim. Concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat: Multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.*

Obiicies Revelationes Sanctæ *Mechtildis* Lib. 5. Cap. 6. ubi dicitur, Deum voluiſſe hominibus eſſe ignotum quid liberalitas ſua præſtiterit Animabus *Samſonis*, *Salomonis*, & *Origenis*. Dubia eſt igitur *Samſonis* ſalus.

Reſpondetur, Nullius apud Theologos auctoritatis eſſe privatas hujuſmodi revelationes, maxime cum Scripturæ Sacræ adverſantur. At ex Scriptura Sacra, *Epiſtola ad Hebræos* 11. certum eſt Sanctum eſſe *Samſonem*. Deinde in hiſce Revelationibus alia ſunt abſurda & inepta: Unde nec Revelationum nomine dignæ ſunt, & ſancto *Mechtildis* nomini falſo adſcriptæ, judice Cardinali *Baronio* ad annum ſexcenteſimum quartum Tom. 8. Annalium.

V. Supereſt ut *Samſonem* Chriſti typum fuiſſe oſtendamus. *Samſon* matre ſterili natus eſt: Chriſtus Jeſus Virgine Matre. *Samſonis matri apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam, Sterilis es, & abſque liberis, ſed concipies, & paries filium; Cave ergo ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas.* Mariæ Virgini dixit Angelus: *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Pergit Angelus ad *Samſonis* Matrem: *Erit enim Nazaræus Dei.* De Jeſu dicitur Matthæi 2. 23. *Et veniens habitavit in Civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas. Quoniam Nazaræus vocabitur.* Angelus ait de Samſone: *Ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.* Angelus de Chriſto Jeſu ait Matthæi 1. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet Populum ſuum a peccatis eorum.* Manue *Samſonis* patri de filii orta dubitanti viſus eſt Angelus: *Joſepho* patri Jeſu putatitio caſtiſſimæ Conjugis pudicitiam ſuſpectam habenti, Angelus pariter apparuit. De *Samſone* ſcriptum eſt: *Crevitque puer, & benedixit ei Dominus*: De Chriſto Jeſu ſcriptum eſt Lucæ 2. 40. *Puer autem creſcebat, & confortabatur plenus ſapientia: Et gratia Dei erat in illo.* Et Matthæi 3. 16. *Baptizatus autem Jeſus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Samſon, interprete S. Hieronymo, *Solem* ſignificat: Chriſtus Sol Juſtitiæ, de quo Malachiæ 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ.* Uxorem Philiſtæam duxit *Samſon*, eique ænigma ſuum aperuit: Chriſtus Eccleſiam ex Gentibus collectam ſibi conjunxit, eique ænigmata Sapientiæ ſuæ, & Myſteria Divinitatis, triginta juvenibus honorariis Philiſtæorum ignota pateſecit: *Sapientiam*, inquam, *Dei abſconditam in Myſterio, quam nemo Principum hujus ſæculi novit.* Uxor *Samſonis* commiſſa ſibi a Sponſo ſecreta Popularibus ſuis revelavit, ut duplicem veſtem conſequerentur: Eccleſia Myſteria Chriſti Gentibus prædicando declaravit, ut duplicem veſtem, gratiam ſcilicet & gloriam, eorum confeſſione obtinerent. *Samſon* ad uxorem inviſendam veniens leonem interfecit, in cujus ore poſt aliquot dies favum mellis reperit: Jeſus Eccleſiam conſtituens Mundum vicit. *Confidite*, inquit, *ego vici Mundum.* Atque hic ipſe Mundus prior ferox, a Chriſto domitus, ſuave ipſius jugum ſuſcepit, melleamque Evangelii dulcedinem deguſtavit. Vel, ipſum Samſonis problema pertinet ad Chriſtum, interprete *S. Auguſtino* Sermone 364. noviſſimæ Editionis. *Quæſtio ipſa*, inquit, *quæ continet*, De edente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo: *Quid aliud ſignificat quam Chriſtum a mortuis reſurgentem? De edente utique, id eſt, de morte quæ cuncta devorat atque conſumit, exivit cibus ille qui dixit:* Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. *Quem humana exacerbavit iniquitas, & ſui aceti & fellis amaritudinem propinavit, ab eo plebs Gentium vitæ dulcedinem converſa ſuſcepit. Ac ſic de mortui Leonis ore, id eſt, de Chriſti morte, qui accubans dormivit ut leo, apum, id eſt Chriſtianorum proceſſit examen.* Quod autem dicit: Non inveniſſetis Parabolam meam, niſi araſſetis in vitula mea: *Vitula hæc Eccleſia eſt, quæ fidei Myſteria, Trinitatis, Reſurrectionis, Judicii pariter & Regni, in fines terræ per Apoſtolorum & Sanctorum doctrinam ac prædicationem vulgavit, & intelligentibus atque cognoſcentibus æternæ vitæ præmia repromiſit.* Iratus eſt *Samſon*, quia duxit ſodalis ejus uxorem ejus. *Sodalis iſte omnium Hæreticorum figuram geſſit. Nam Hæretici, qui Eccleſiam diviſerunt, uxorem Domini ſui ducere & abducere voluerunt. De Eccleſia enim & de Evangeliis exierunt, qui per impietatis adulterium Eccleſiam, id eſt, Chriſti corpus in partem ſuam conantur invadere. Unde fidelis ille ſervus & amicus „ dominicæ Sponſæ loquitur dicens*: & deſpondi enim vos „ uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. *Et de-* 2. Cor. 11.
pravati Sodalis tangit fideli zelo & inceptione per-„ ſonam: Et timeo, *inquit*, ne ſicut Serpens Evam „ ſeduxit, ita & ſenſus veſtri corrumpantur a ve-„ ritate quæ eſt in Chriſto Jeſu. *Qui autem ſunt Sodales, id eſt, Hæretici deſertores, qui Sponſam Domini invadere voluerunt, niſi Donatus, Arius, Manichæus, & cætera vaſa erroris & perditionis? Vi-*

dea-

Samſon egregius Chriſti typus.

Digitized by Google

Videamus igitur Myſticus iſte Samſon quid fecerit offenſus in uxore ab alieno. Cepit enim vulpes, id eſt adulterantes Sodales, de quibus dicitur in Cantico Canticorum. Capite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas. *Quid eſt*, Capite? *Id eſt, comprehendite, convincite, confutate; ne exterminetur Eccleſiaſtica vinea. Quid eſt aliud vulpes capere, niſi Hæreticos Divinæ Legis auctoritate revincere, & Sanctarum Scripturarum teſtimoniis velut quibuſdam vinculis alligare atque conſtringere? Vulpes capit, ligatis ignem caudis apponit. Quid ſibi volunt caudæ vulpium colligatæ? Caudæ vulpium quid ſunt, niſi poſteriora Hæreticorum, qui primo habent blanda & deceptoria; ligata, id eſt damnata, & ignem in fine trahentia; ut eorum fructus & opera conſumant, qui ſuis ſeductionibus adquieſcunt?* De Samſone Sacer Hiſtoricus ait Judicum 15. 18. *Sitienſque valde clamavit ad Dominum, &c.* De Chriſto moriente S. Joannes Cap. 19. 28. *Poſtea ſciens Jeſus, quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.* Samſon Gazæ dormivit ad mediam noctem; tum experrectus apprehendit ambas portæ Civitatis fores, impoſitaſque humeris tulit ad verticem Montis: Jeſus de ſomno mortis excitatus, ex illius poteſtate exivit. Unde *David* Pſalmo 67. 21. ait: *Domini, Domini exitus mortis.* Et *S. Petrus* (ut Actuum 2. 24. refertur), *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Samſon portas civitatis, quibus ad meretricem intravit, abſtulit, & in Montem levavit. *Quid eſt hoc?* inquit S. Auguſtinus. *Infernum & amorem mulieris, utramque Scriptura conjungit. Inferni imaginem tenebat domus meretricis. Recte pro inferis ponitur: Quia neminem repellit, & omnem intrantem ad ſe trahit. Agnoſcimus hoc loco Redemptoris noſtri opera, poſtquam Synagoga, ad quam venerat, a ſe per Diabolum ſeparata eſt, poſtea quam derelinquit eum, id eſt, in loco Calvariæ crucifixus, ad inferna deſcendit: & inimici cuſtodiebant locum dormientis, id eſt ſepulcrum, & capere volebant quem videre non poterant. Ille autem dormiebat ibi. Quod dictum eſt,* Media nocte ſurrexit; *Hoc ſignificat quia in ſecreto ſurrexit. Aperte enim paſſus eſt; ſolis autem diſcipulis, & certis quibuſcumque, cum ſurrexit, manifeſtatus eſt. Ergo quod intravit, omnes viderunt; quod ſurrexit, pauci cognoverunt, tenuerunt, & palpaverunt. Tollit tamen portas civitatis, id eſt aufert portas inferni. Quid eſt portas inferni tollere, niſi mortis imperium removere? Recipiebat enim, & non remittebat. Quid autem fecit Dominus noſter Jeſus Chriſtus? Ablatis portis mortis, aſcendit in cacumen Montis. Novimus enim eum & reſurrexiſſe, & in Cœlos aſcendiſſe.* Samſon a Philiſtæis illuſus, typus eſt Chriſti in paſſione ſua a Judæis & Gentibus ludibrio habiti. *Samſon* inter duas columnas manus expanſas habens, Chriſtum repræſentat expanſas in Cruce manus habentem. Samſon heroicæ fortitudinis opus impleturus Deum invocat: Chriſtus ſalutem noſtram procuraturus Patrem orat. *Samſon* moriens Templum Dagonis evertit: Chriſtus Idololatriam deſtruxit. *Samſon multo plures interfecit moriens, quam vivus occiderat*: Chriſtus peccatum, mortem, mundum, dæmonem morte ſua devicit, *Expolianſque Principatus & Poteſtates traduxit, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Samſon Iſraelitas in libertatem aſſeruit; Chriſtus Fideles ſuos a ſervitute peccati, & Dæmonis liberavit, atque Legis etiam Moſaicæ jugo exemit.

DISSERTATIO XXI.

DE LIBRO JUDICUM.

Librum Judicum inter Canonicos primi ordinis habuit ſemper Eccleſia: Ex eo deſumptum eſſe conſtat Cap. 13. 5. quod per Prophetas dictum ſcripſit *S. Matthæus* Cap. 2. *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Ejus Auctor incertus. Quidam ſingulos Judices geſta ſua hoc in Libro ſcripſiſſe ſenſerunt. Quæ certe minus probabilis eſt opinio, cum ſtylus tenorque Operis Auctoris unitatem prodat: Nec veriſimile ſit *Samſonem* ea de ſe ſcribere potuiſſe, quæ toto Cap. 16. leguntur. Auctor Synopſeos *De Vita & Morte Prophetarum* adſcriptæ *S. Dorotheo*, ſcriptum fuiſſe ait in Tabernaculo a Scribis Sacris. Quidam *Ezechiæ*, alii *Eſdræ* illum tribuunt: Sed *Eſdra* & *Ezechia* vetuſtiorem probant ejus verba in Pſalmis, & in ſecundo Regum expreſſa. *Samueli* adſcribunt *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Libro 6. *Originum*, Cap. 2. Thalmudici Scriptores, Cap. 1. *Baba Batra*, & *R. Moſes Kimchi* Davidis frater. Verum cum id nullo argumento probent, præſtat rem in medio relinquere, & aſſerere illum eſſe incerti Auctoris & temporis. Unum duntaxat certo videtur aſſerendum ſequenti Propoſitione.

PROPOSITIO UNICA.

Librum Judicum recentiorem eſſe, & poſt Captivitatem decem Tribuum ſcriptum, quidam falſo ſuſpicantur.

Majorem enimvero illius antiquitatem probant quædam in *Pſalmis* & Libro 2. Regum ex eo delibata; ut illud Pſalmi 67. *Deus cum egredereris in conſpectu Populi tui, cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt, etenim cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai: a facie Dei Iſrael.* Deſumptum eſt ex Judicum 5. 4. *Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœlique ac nubes diſtillaverunt aquis.* Pſal. 96. 5. dicitur, *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra.* Id verbis illis *Judicum* loco mox laudato geminum eſt: *Montes fluxerunt a facie Domini; & Sinai a facie Domini Dei Iſrael.* Libro 2. Regum 11. 21. ſcriptum eſt: *Quis percuſſit Abimelech filium Jerobaal? Nonne mulier miſit ſuper eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes?* Id ex *Judicum* 9. 53. hauſtum eſt, ubi legitur: *Et ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Liber itaque Judicum Auctorem habet captivitate decem Tribuum antiquiorem.

Objiciunt verba illa Judicum 18. 30. 31. *Poſueruntque ſibi ſculptile, & Jonatham filium Gerſam filii Moyſi, ac filios ejus Sacerdotes in Tribu Dan, uſque ad diem captivitatis ſuæ. Manſitque apud eos Idolum Michæ omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo. In diebus illis non erat Rex in Iſrael.* Ex quibus colligunt, jam creatos fuiſſe Reges in Iſrael, & Tribus decem captivas a *Salmanazare* abductas fuiſſe, cum hæc ſcriberentur.

Reſpondetur. His verbis evidenter indicari captivitatem quæ contigit antequam Reges Iſraelitis Deus præfeciſſet: Illam nempe qua plurimi tum ex Tribu *Dan*, tum ex aliis Tribubus abducti ſunt a Philiſtæis, cum Arca de Silo ablata eſt, ut in prælium adverſus hoſtes produceretur, & ab ipſis Philiſtæis capta ſub *Heli* Pontifice, 1. Regum 4. De qua Pſalmo 77. 60. 61. *Et repulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus; & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Tunc temporis & *Michæ* Idolum, & Sacerdos ejus ſublatus eſt, & a Philiſtæis etiam captus. Sane Idolum iſtud non fuiſſe in Tribu *Dan* uſque ad *Salmanazarem* inde conſtat, quod *Samuel* Propheta & Judex, quod David Rex piiſſimus & potentiſſimus, *Joſaphat*, *Aza*, *Ezechias* religioſiſſimi Principes id paſſi non fuiſſent. Denique ſi in Tribu *Dan* fuiſſet Idolum *Michæ* Regum temporibus, *Jeroboam* Vitulos ſuos aureos ibi non collocaſſet: Satis enim fuiſſet Idolum *Michæ* ad Populum Hieroſolymis in *Dan* abſtrahendum.

Objiciunt; ea in Libro mentionem fieri Jeruſalem, quod nomen illi civitati poſteriori ævo inditum eſt, adeoque hunc Librum eſſe recentiorem. Atque iſto argumento uſus eſt *Theodoretus* Quæſtione 2. in Judices. *Porro*, inquit, *Librum hunc poſterius ſcriptum fuiſſe arbitror, argumentum ex eo ſumens, quod Hiſtoria civitatem vocet Jeruſalem, quod nomen illi poſtea inditum eſt, cum Jebus antea diceretur.*

Re-

Reſpondetur, Temporibus *Judicum* hanc Urbem ita nominatam probabiliter dici poſſe, aut certe tempore *Samuelis*: Vel ab *Eſdra* priſcum nomen cum recentiori fuiſſe commutatum. Ut ut eſt, ante Captivitatem decem Tribuum hoc nomine vocabatur illa Civitas. Nullius itaque roboris eſt quod inde petitur argumentum.

DISSERTATIO XXII.

DE HISTORIA RUTH.

QUO TEMPORE CONTIGERIT.

Et an plures Boozi admittendi ſint?

Historiam RUTH *In diebus unius Judicis* contigiſſe Scriptura docet *Ruth* 1. 5. 1. Sub quo vero Judice, incertum. Illam ad tempus *Heli* referunt *Joſephus*, *Zonaras*, & Auctor *Hiſtoria Scholaſtica*. Sed hæc ſententia ſtare non poteſt, cum generationum tempora nimis coarctet. Principatui enim *Heli* tribuuntur anni quadraginta (1. Regum 4. 18.) *Samuelis* & *Saulis* Præfecturæ totidem anni (*Actuum* 13. 21.) Fames, (quam cœpiſſe ſupponamus initio Principatus *Heli*,) duravit decem annos: (*Ruth* 1. 4.) quibus exactis *Booz* Rutham duxerit. Ita ab ortu *Obed* avi *Davidis* ad ipſius *Davidis* ortum anni dumtaxat triginta novem interceſſiſſent; quod incredibile eſt, maxime cum *David* fratrum ſuorum natu minimus eſſet (1. *Regum* 16. 10. 11.) & *Iſai* Senex eſſet in diebus *Saulis* (1. *Regum* 17. 12.) Alii, ut *Lyranus*, hanc Hiſtoriam referunt ad tempora *Abeſan* Judicis, quem alio nomine *Boozum* appellatum fuiſſe fingunt. Sed obſtat primo ratio temporis: Tunc enim fuiſſet *Booz* annorum circiter ducentorum ſeptuaginta duorum. Nam *Abeſan* Judex creatus eſt anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo ab excidio Jericho. (*Joſue* 6.) quo tempore, vel paulo poſt *Salmon* duxit *Rahab*, ex eaque genuit *Booz*. Secundo. quod *Abeſan* habuit triginta filios, quos inter nullus *Obed* memoratur. Tertio, hunc Judicem *Booz* appellatum fuiſſe gratis aſſeritur. Alii ſub *Gedeone* vel ſub *Abimelecho* hæc geſta volunt: Conjugium vero *Booz* cum *Ruth* ſub ejus ſucceſſore *Thola*, ut *Salianus*, & *Cornelius a Lapide*. Nonnulli ſub *Barac*, ut *Toſtatus* & *Torniellus*. Quidam ſub *Aod*, ut Hebræi in *Seder Olam*, vel *Samgara* potius, ut *Uſſerio* placet. Verum id ea ſententia fert incommodi, quod quatuor generationes a *Salmone* uſque ad *Davidem* numeratæ illud temporis intervallum implere non poſſint. Cum enim ineunte anno ab Exitu ex Ægypto quadringenteſimo octogeſimo, & Regni *Salomonis* quarto, jacta Templi fundamenta fuerint, (1. *Regum* 6. 1.) Demptis inde quadraginta annis in Deſerto peractis, annis ſeptuaginta vitæ *Davidis*, & tribus Regni *Salomonis*; reliqui erunt ab ingreſſu in Terram ad nativitatem *Davidis* anni trecenti ſexaginta ſex. Ponamus itaque *Rahab* vicenariam fuiſſe cum in Chananæam ingreſſi ſunt Iſraelitæ, & poſt quadraginta deinde annos *Boozum* peperiſſe, ſequitur ipſam annos ſexaginta duos natam fuiſſe cum *Boozum* peperit; *Boozum* vero annum centeſimum ſecundum egiſſe, cum genuit *Obed*; hunc anno ætatis undecimo ſupra centeſimum genuiſſe *Jeſſe*: & hunc æque affecta ætate & decrepita ſenectute genuiſſe *Davidem*, ut fatetur *Uſſerius*. Abſurdum porro eſt tam tardas in una eademque familia ponere generationes, iis prope temporibus, quibus dies annorum hominis ſeptuaginta anni: Si autem in potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor & dolor. Ad miraculum autem & quidem quater in eadem familia iteratum quidam abſque fundamento confugiunt.

Alii ut hæc vitent incommoda, tres *Boozos* comminiſcuntur, quorum duo propter nominum ſimilitudinem exciderint, aut ſub communi nomine fuerint comprehenſi. Quemadmodum *Jechonias* in Genealogia Chriſti ſecundum *Matthæum* pro duabus perſonis ponitur patre ſcilicet ac filio, ut docet *S. Auguſtinus* Libro 2. *De Conſenſu Evangeliſtarum*, Capit. 4. Verum hæc hypotheſis nullo Scripturæ teſtimonio nititur, quæ & *Ruth*, 4. 20. 21. & 1. *Paralipomenon* 2. 11. 12. & *Matthæi* 1. 5. & *Lucæ* 3. 32. eaſdem generationes recenſens, unius *Boozi* conſtanter meminit. Et *Matthæi* 1. 17. omnes generationes inter *Abrahamum* & *Davidem* quatuordecim fuiſſe dicuntur. At ſi tres *Boozi* admittantur, ſexdecim generationes ſtatuendæ ſunt.

Solidior ergo conjectura videtur, nonnullas generationes hic forte prætermiſſas myſterii cauſa, quod nobis abſconditum Deus eſſe voluit. Quod ſi hæc conjectura non placeat, ignorantiam noſtram humiliter fateri ſatius ducimus in re obſcuriſſima, & quæ neque ex Scriptura, neque ex Traditione explicari poteſt, quam audacter ariolari.

II. Liber *Ruth* pars eſt & velut Appendix Libri *Judicum*, ſecundum Hebræos. In unum enim Librum utramque compingunt Hiſtoriam, ut teſtantur *Origenes* apud *Euſebium* Libro 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 25. & *S. Hieronymus* in Prologo Galeato. Æque incerti Auctoris eſt ac Liber Judicum, pleriſque ad *Eſdram* a nonnullis ad *Ezechiam*, quibuſdam ad Scribas Tabernaculi, aliis ad *Samuelem* illum referentibus.

III. Scriptus eſt hic Liber, ut Chriſtus, quem velut ſcopum & finem tota Scriptura Sacra reſpicit ex *Juda* natus oſtendatur ſecundum Vaticinium *Jacob* eidem *Juda* filio ſuo benedicentis, *Geneſis* 49. 10. Ideo hic texitur Genealogia Judæ Patriarchæ a *Phares* filio ejus uſque ad *Davidem*, ex cujus domo & familia Chriſtus natus eſt. Ruth. 4. 18. 19. 20. 21. 22. *Hæ ſunt generationes Phares: Phares genuit Eſron, Eſron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Nahaſſon. Nahaſſon genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed genuit Iſai, Iſai genuit David*: Quæ verba deſcribens *S. Matthæus* in Genealogia Chriſti, addit *Boozum genuiſſe Obed ex Ruth*. ut alienigenæ mulieris inſertionem in Populum Dei, & in Chriſti Jeſu Genealogiam, inſigne præludium vocationis Gentium, & Eccleſiæ a Chriſto Domino ex iis colligendæ eſſe indicaret, ut obſervant *S. Ambroſius* in Caput 3. *S. Lucæ* & Libro 3. *De Fide*, Cap. 5. *S. Hieronymus* in Cap. 2. *S. Matthæi*, *& Theodoretus Quæſtione* 1. *in Ruth*, his concepta verbis: *Cur ſcripta eſt de Ruth Hiſtoria?* Ad quam reſpondet: *Primum propter Chriſtum Dominum. Ex ea enim ortus eſt ſecundum carnem. Et ideo divinus quoque Matthæus conſcribens Genealogiam virtute quidem inſignes ac celebres prætermiſit Mulieres, Saram & Rebeccam, & alias: Thamar autem & Raab meminit, & Ruth, & uxoris Uriæ, docens quod propter omnes homines unigenitus Dei Filius homo factus eſt, & Judæos, & alios Gentes, & Peccatores, & Juſtos.*

SCHOLION.

„ Moſaica Lege proximo defuncti vel fratri copo- *S. Ambroſius Lib.* 3.
„ la deferebatur ejus uxoris, ut ſemen fratris vel *De Fide*,
„ proximi reſuſcitaret. Unde quod Ruth. licet ipſa *cap.* 20.
„ alienigena; tamen quia maritum habuerat ex Ju-
„ dæis qui reliquerat ſuperſtitem proximum, eam-
„ que colligentem manipulos ſuæ meſſis quibus ale-
„ bat & ſe & ſocrum, Booz vidit, & amavit: Non
„ aliter eam accipit uxorem, niſi calceamentum e-
„ jus ante ſolviſſet, cui uxor debebatur ex Lege.
Hiſtoria ſimplex, ſed alta myſteria, aliud enim gere-
„ *batur, aliud figurabatur*. Nam ſi ſecundum literam
„ ſenſum torqueamus, prope quidam pudor & hor-
„ ror in verbo eſt, ſi ad commixtionis corporeæ
„ conſuetudinem ſententiam intellectumque referamus.
Deſignabatur autem futurus ex Judæis, ex quibus Chri-
ſtus ſecundum carnem, qui proximi ſui, hoc eſt popu- *Exod.*
li mortui ſemen doctrinæ cœleſtis ſemine ſuſcitaret, cui 3. 5.
calceamentum nuptiale Eccleſiæ copulandæ preſcripta Le-
gis ſpiritalia deferebant. Non Moyſes ſponſus, illi e- *Joſue* 5.
„ *nim dicitur*, Solve calceamentum pedum tuorum; 16.
Non Jeſus Nave filius ſponſus; nam & ipſi dicitur,
„ Solve calceamentum pedum tuorum; *Ne ex ſimi-* *Joan.* 3.
litudine nominis ſponſus Eccleſiæ crederetur. Non a- 29.
lius ſponſus, ſed ſolus Chriſtus eſt ſponſus, de quo di-
„ *xit Joannes*; Qui habet ſponſam, ſponſus eſt. *Il-* *Joann.* 1.
le igitur calceamentum ſolvitur, huic ſolvi non poteſt, 27.
„ *ſicut dixit Joannes*: Non ſum dignus ſolvere cor-

„ ri-

Digitized by Google

„ tigiam calceamenti ejus. *Solum ergo Chriſtus eſt ſponſus, cui illa veniens ex gentibus ſponſa, ante inops atque jejuna, ſed jam Chriſti meſſe dives, innabat; qua manipulos ſuemda ſegetis, verbique reliquias gremio legat mentis interno; ut exhauſtam illam viduam morte filii, atque inopem defuncti filii matrem novis paſcat alimentis, non relinquens deſtitutam viduam, & novos quærens. Solus ergo Chriſtus eſt ſponſus, qui nec Synagoga ipſi manipulos ſua meſſis invident. Utinam ſe non ipſa excluderet! Habuit quos per ſe colligeret: Sed quia populus ejus eſt mortuus, quaſi filia egens defuncto per Eccleſiam manipulos, quibus viveret, colligebat; quos venientes in ex-* Pſ. 125. 6.
„ *ultatione, portabunt, ſicut ſcriptum eſt:* Venientes
„ autem venient cum exultatione, portantes mani-
„ pulos ſuos.

DISSERTATIO XXIII.

DE SAMUELIS APPARITIONE Sauli facta, cum Pythoniſſam Mulierem conſuluit.

HIſtoria refertur 1. Regum 28. *Congregati ſunt Philiſthiim, & venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam: Congregavit autem & Saul univerſum Iſrael, & venit in Gelboe. Et vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis. Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per prophetas. Dixitque Saul ſervis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem Pythonem, & vadam ad eam & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſervi ejus ad eum: Eſt mulier Pythonem habens in Endor. Mutavit ergo habitum ſuum veſtitusque eſt aliis veſtimentis & abiit ipſe, & duo viri cum eo, veneruntque ad Mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in Pythone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi. Et ait Mulier ad eum: Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quo modo eraſerit Magos & Arioles de terra: Quare ergo inſidiaris animæ meæ ut occidar? Et juravit ei Saul in Domino dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. Dixitque ei mulier: Quem ſuſcitabo tibi? Qui ait, Samuelem mihi ſuſcita. Cum autem vidiſſet Mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare impoſuiſti mihi? Tu es enim Saul: Dixitque ei Rex: Noli timere, quid vidiſti? Et ait Mulier ad Saul: Deos vidi aſcendentes de terra. Dixitque ei: Qualis eſt forma ejus? Quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit Saul quod Samuel eſſet, & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terram, & adoravit. Dixitque autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer? Et ait Saul: Coarctor nimis: Siquidem Philiſthiim pugnant adverſum me, & Deus receſſit a me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per ſomnia; Vocavi ergo te, ut oſtenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te, & tranſierit ad Æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David: Quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec. Idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim: Cras autem tu & filii tui mecum eritis: Sed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manu Philiſthiim.*

Quæſtio eſt eruditorum hominum Diſſertationibus a primis Eccleſiæ ſæculis acriter agitata, utrum Pythoniſſa veram *Samuelis* Animam incantationibus ſuis evocaverit, an vero Phaſma aliquod *Samuelis* a Dæmone ſuppoſitum, ut *Saulem*, Deo permittente, deciperet. *Origenes* Samuelis animam *Sauli* vere apparuiſſe aſſerit Commentario in 1. *Regum* Cap. 28. & a Pythoniſſa ex inferis evocatam. *S. Methodius* Martyr, & *S. Euſtathius* Antiochenus Epiſcopus *Origenis* opinionem ſingularibus Libris confutarunt. *Methodii* Liber periit injuria temporum, Librum *Euſtathii* de *Engaſtrimytho* contra *Origenem* edidit *Allatius* vir doctiſſimus. Cæteri Patres, vel *Origenis* vel *Euſtathii* ſententiæ ſuffragantur. *Theodoretus Quæſtione* 63. *in Librum* 1. *Regum* cenſet Deum figura *Samuelis*, ut libuit, efformata, vel per Angelum ſub illa forma *Sauli* reſpondiſſe. Quidam Patres, & Auctores plerique Eccleſiaſtici, cenſent verum quidem, Samuelem *Sauli* viſum, ipſi futuram cladem prædixiſſe: non tamen magicis Pythoniſſæ artibus evocatam Prophetæ Animam, ſed Dei voluntate & imperio. Quid nobis de hacce Quæſtione videatur, ſequens Propoſitio explicabit.

PROPOSITIO UNICA.

Saul Pythoniſſam conſulens, a vero Samuele ſuam ſuorumque proximam cladem didicit: Quamquam ſancta Prophetæ Anima Pythonicis artibus evocata non fuerit, ſed Dei providentia & imperio. Probabilis nihilominus eorum ſententia, qui Dæmonem ſub Samuelis Phaſmate apparuiſſe & Sauli reſpondiſſe cenſent.

PRobatur prima pars Propoſitionis: Scripturæ Sacræ verba in propria & ſimplici ſignificatione ſunt accipienda & exponenda, niſi ſequatur abſurdum contra fidem, aut charitatem Dei vel proximi. At Scriptura Sacra 1. *Regum* 28. Cap. ſexies eum, qui *Sauli* Pythoniſſam conſulenti viſus eſt, *Samuelem* vocat; & ex eo quod verus *Samuel* exiſtimetur nihil ſequitur abſurdi contra fidem, aut charitatem Dei vel proximi. Aſſerendum ergo eſt verum *Samuelem* viſum eſſe *Sauli* Pythoniſſam conſulenti, eique proximam cladem prænunciaſſe.

Probatur Minor ex Scripturæ Sacræ verbis: *Et intellexit Saul quod Samuel eſſet; & inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra & adoravit. Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer? ..... Ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit a te? .... Statimque Saul cecidit porrectus in terram: Extimuerat enim verba Samuelis.*

Confirmatur ex Capite 46. *Eccleſiaſtici*, ubi Scriptura *Samuelem* commendans, ait: *Et poſt hoc dormivit & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra in Prophetia delere impietatem Gentis.* Idem ille *Samuel* qui dormivit, ſeu qui defunctus eſt, notum fecit Regi finem vitæ ſuæ. Cui porro Regi, niſi *Sauli*? Quando vero, niſi cum Pythoniſſam adiit & conſuluit; ab eoque præter maleficæ mulieris expectationem, & nondum abſolutis artis Diabolicæ ritibus, terribile illud oraculum audivit: *Cras tu, & filii tui, mecum eritis*, Et quomodo exaltavit vocem ſuam de terra in Prophetia, niſi cum viſus eſt Pythoniſſæ aſcendere de terra, & dixit Mulier, *Deos vidi aſcendentes de terra?* Denique de impietate Gentis Iſraeliticæ per Philiſtæos plectenda prophetavit, cum dixit Sauli; *Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim*. Hinc S. *Thomas* 1. p. *Quæſtione* 89. *Articulo* 8. *ad Secundum*. Aſſerendum eſſe ait, verum *Samuelem* apparuiſſe *Sauli*, ſi liber *Eccleſiaſtici* inter Canonicas Scripturas recipiatur, ſicut omnino recipiendus eſt. *Quod Mortui*, inquit, *viventibus apparent qualitercumque, vel contingit per ſpecialem Dei diſpenſationem, ut Animæ mortuorum rebus viventium interſint; & eſt inter divina Miracula computandum; Vel hujuſmodi operationes fiunt per operationes Angelorum bonorum vel malorum, etiam ignorantibus Mortuis, ſicut etiam vivi ignorantes aliis viventibus apparent in ſomnis, ut Auguſtinus dicit. Unde & de Samuele dici poteſt quod ipſe apparuit per revelationem divinam, ſecundum hoc quod dicitur Eccleſiaſtici* 46.
„ *quod* Dormivit & notum fecit Regi finem vitæ ſuæ. *Vel illa apparitio fuit procurata per Dæmones; ſi tamen Eccleſiaſtici Auctoritas non recipiatur, propter hoc quod inter Canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur.*

Probatur, ſecondo ex *S. Juſtino* Martyre in Dialogo cum Tryphone Judæo, p. 333. *Animas*, inquit, *ſuperſtites manere, etiam vo demonſtraveram, quod & Samuelis Animam ventriloqua Pythoniſſa ita ut Saul petierat, evocavit.* Petierat autem *Saul* ut verus *Samuel* evocaretur, non Dæmon ſub phaſmate &

 ſpe-

ſpectro *Samuelis*, quod ſi factum eſſet, inde non probaretur Animæ immortalitas. Non aſſentimur tamen *S. Juſtino*, quatenus aſſerit ſanctam illam Animam Pythoniſſæ malis artibus evocatam, & *omnes Animas virorum juſtorum & Prophetarum ſub poteſtatem ejuſmodi Virtutum cadere, qualem & in Ventriloqua illa fuiſſe, rebus ipſis declaratur.*

Tertio probatur ex *Origene* Commentatio in Lib. 1. *Regum* Cap. 28. Probat autem *Samuelem vere eſſe adductum* his argumentis: Primo, quod *Spiritus Sanctus, a quo Divinas Literas ſcriptas eſſe credimus*, dicat: *Et vidit Mulier Samuelem; & clamavit voce magna, dicens*, &c. Deinde quod *Saul* cognoverit illum eſſe *Samuelem*, & procubuerit in terram ſuper faciem ſuam, & adoraverit. Tum quod Sacer Auctor *Samuelem*, non Dæmonem cum *Saule* collocutum teſtetur. Secundo, quod ille qui *Sauli* apparuit, futura ipſi prædixerit, ſcilicet mortem imminentem, proximam cladem, & Iſraelis traditionem in manus alienigenarum, tranſlationem Regni ad *Davidem*, eo quod *Saul* voluntatem Domini in *Amalec* non fuerit executus. *Dæmonium vero Regnum Davidi nequit habere compertum, quod a Deo decretum erat.* Nec ſcire poteſt *Regem Chriſmate Prophetico declaratum, Saulem cras e vita migraturum, & filios ejus una cum eo.* Abſurdum autem non eſſe ait *Origenes*, Samuelem apud inferos fuiſſe, indeque aſcendiſſe, cum alii Patriarchæ, & Prophetæ Juſtique omnes Veteris Teſtamenti, & ipſe Chriſtus Jeſus eos ex Limbo educturus, illuc deſcenderint. Sed, inquit, inferius quidem erant loco, non erant inferius voluntate. Idem aſſerit *Origenes* Tom. 27. in Joannem.

Probatur quarto, ex *S. Ambroſio* in Cap. 2. S. Lucæ: *Alius eſt*, inquit, *Spiritus vitæ hujus, alius gratiæ: Ille naſcendo ſumit exordium, moriendo defectum: Iſte non temporibus, non ætatibus coercetur, non obitu extinguitur, non alvo matris excluditur. Denique & Sancta Maria plena Sancto Spiritu prophetavit: & Eliſæus mortuus defunctum cadaver hominis tactu ſui corporis ſuſcitavit: & Samuel poſt mortem ſecundum Scripturæ teſtimonium, futura non tacuit.*

Probatur quinto, ex *S. Auguſtino* Libro *De Cura pro Mortuis gerenda*, Cap. 15. *Mitti quoque ad vivos*, inquit, *aliquos ex mortuis, ſicut e contrario Paulus ex vivis in Paradiſum raptus eſt, Divina Scriptura teſtatur. Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit: quamvis nonnulli non ipſum fuiſſe qui potuiſſet magicis artibus evocari, ſed aliquem Spiritum tam malis operibus congruentem illius exiſtiment ſimilitudinem figuraſſe: Cum Liber Eccleſiaſticus, quem Jeſus filius Sirach ſcripſiſſe traditur, & propter eloquii nonnullam ſimilitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetaverit. Sed ſi huic Libro ex Hebræorum (quia in eorum non eſt) Canone contradicitur: Quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia qui mortuus non eſt legitur apparuiſſe viventibus?*

Probatur ſexto, ex *Severo Sulpitio* Libro 1. Hiſtoriæ Sacræ: *Saul*, inquit, *per mulierem, cujus viſcera Spiritus erroris impleverat, Samuelem evocatum conſuluit.*

Probatur ſeptimo, ex *S. Zenone* Veronenſi, ſeu alio antiquo Auctore Sermonis De Reſurrectione: *Samuel*, inquit, *egregius ille Sacerdos mortis jam Lege diſpunctus, Sauli Regi deſideranti ſine ambiguitate, non tantum ſuam præſentiam exhibet, ſed etiam ad conſulta reſpondet, liberiuſque canit mortuus, quam canere conſueverat vivus. Unde libet exclamare: Profectus potius eſt, quam mortuus.*

Probatur octavo, ex antiquo Auctore Carminum contra *Marcionem*, ſub *Tertulliani* nomine editorum, Libro 3.

Mirificus Samuel, cui Reges ungere primum,
Præceptum dare Chriſma, vivus oſtendere Chriſtos,
Talibus in vita ſpatio laudabilis exit,
Ut quoque poſt requiem prophetica jura teneret.

Probatur nono, ex *S. Thoma Secunda Secundæ, Quæſtione centeſima ſeptuageſima quarta, Articulo 5. ad quartam*, ubi quamvis probabilem eſſe innuat opinionem negantium verum *Samuelem* apparuiſſe *Sauli*, probabiliorem tamen cenſet contrariam ſententiam, quam priore loco proponit, & cui ſe adhærere ſignificat: *Samuel*, inquit, *nondum pervenerat ad ſtatum beatitudinis. Unde etſi voluntate Dei ipſa Anima Samuelis Sauli eventum belli prænuntiavit, Deo ſibi hoc revelante, pertinet ad rationem Prophetiæ. Non autem eſt eadem ratio de Sanctis qui ſunt modo in patria. Nec obſtat quod arte Dæmonum hoc dicitur factum. Quia etſi Dæmones Animam alicujus Sancti evocare non poſſunt, neque cogere ad aliquid agendum, poteſt tamen hoc fieri divina virtute; ut dum Dæmon conſulitur, ipſe Deus per ſuum Nuntium veritatem enuntiet. Sicut per Eliam veritatem reſpondit Nuntiis Regis qui mittebantur ad conſulendum Deum Accaron, ut habetur Regum 1. Quamvis etiam dici poſſit, quod non fuerit Anima Samuelis, ſed Dæmon ex perſona ejus loquens: Quem Sapiens Samuelem nominat, & ejus prænuntiationem propheticam, ſecundum opinionem Saulis & adſtantium, qui ita opinabantur.*

Probatur ſecunda pars propoſitionis, ſcilicet Prophetæ Animam Pythonicis artibus evocatam non fuiſſe; ex *S. Pionio* Presbytero & Martyre contra Judæos ita diſſerente, ut refert *Simeon Metaphraſtes* in ejus Vita: *Quomodo potuit impius Dæmon, qui in illius Mulieris ventre loquebatur, Sancti Prophetæ Animam, in ſinu Abrahæ quieſcentem, in hanc vitam revocare? Quod enim inferius eſt, ſuperioris imperio paret. Non igitur, ut iſti ſuſpicantur, Samuel fuit ab illa Muliere Pythonem habente in hanc vitam revocatus. Sed ita ſe ſe res habet: Angeli deſertores ſequuntur eos qui a Deo deficiunt: & omnibus maleficis, & magis, & præſtigiatoribus, & vatibus inſerviunt Angeli Diabolici. Idque mirum non eſt, cum ipſe Satanas, ut ait Apoſtolus, transfigurat ſe in Angelum lucis. Quamobrem Miniſtros ejus ſpeciem Miniſtrorum juſtitiæ ſuſcipere eſt conſentaneum. Alioquin quomodo Antichriſtus Chriſti perſonam indueret? Non igitur Samuelem in hanc lucem reduxit Mulier illa Ventriloqua, ſed tartarei Dæmones Samuelis perſonam atque ſimilitudinem induentes, ſe ſe Mulieri Ventriloquæ, & Sauli, qui a Deo defecerat, conſpicuos præbuerunt.*

Probatur ſecundo, ex *Tertulliano* Libro *De Anima*, Cap. 57. *Ecce hodie*, inquit, *ejuſdem Simonis Hæreticos tanta præſumptio artis extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere ſe ſpondeant. Et credo quia mendacio poſſunt. Nec enim Pythonico tunc Spiritui minus licuit Animam Samuelis effingere, poſt Deum mortuos conſulente Saule. Abſit alioqui ut Animam cujuſlibet Sancti, nedum Prophetæ, a Dæmonio credamus extractam, edocti quod ipſe Satanas transfiguretur in Angelum lucis, etiam Deum ſe aſſeveraturus in fine, ſignaque portentoſiora editurus, ad evertendos, ſi fieri poſſit electos. Dubitavit ſi forte tunc Prophetam ſe Dei aſſeverare, & utique Sauli in quo jam ipſe morabatur? Ne putes alium fuiſſe qui phantaſma adminiſtrabat, alium qui commendabat: ſed eumdem Spiritum in Pſeudoprophetide, & in Apoſtata facile mentiri, quod fecerat, credi, per quem Saulis theſaurus illic erat ubi & cor ipſius, ubi ſcilicet Deus non erat. Et ideo per quem viſurum ſe crediderat, vidit: quia per quem vidit, & credidit.* Aſſentimus *Pionio Martyri* & *Tertulliano*, quatenus negant *Samuelis* Animam a Dæmone fuiſſe extractam, ſeu præſtigiis Pythoniſſæ evocatam, non quatenus verum *Samuelis* Animam *Sauli* apparuiſſe negant, & totum id a Dæmone fallaciter geſtum eſſe cenſent.

Probatur tertio, ex *S. Euſtathio* Antiocheno Epiſcopo in Diſſertatione De Engaſtrimytho contra Origenem. *Quæ, qualiſque erat*, inquit, *hæc futilis ugicata Anus, ut Samuelem a mortuis evocaturam promitteret? Et ſane dignitatis inſignibus omiſſis, fatendum eſt eam non potuiſſe Propheticam Animam evocare, ſed nec alterius ullius omnino .... Quippe in poteſtate Dæmonum non ſunt, ſive Spiritus, ſive Anima, ſed in ſolius Dei manu, qui omnium Rector omnibus imperat. Quare ab inferis animas revocandi accerſendique facultas ſoli Divinæ Naturæ tribuenda eſt .... Manifeſtum itaque eſt, nullibi omnino Sacrarum Literarum ſeriem affirmaſſe, per Mulierem il-*

lam

lam Engaſtrimythum Samuelem evocatam fuiſſe. Sed illa quidem in primis per incitantem ipſam Dæmonem dicit, illum evocandum, deinde & Deos aſcendentes videre gloriata, fraudulenter ſigna hominis tradebat, ut ex inſidiis occuparet. Et demens Saul ex his quæ audiverat, intellexit, quod ille ipſe eſſet Samuel. An ergo fides adhibenda ſit vel a Dæmone vexato Sauli, quaſi veram exactamque cognitionem haberet, vel Dæmoni de ſemet glorioſe loquenti, promittentique ab inferis Juſtorum Animas eductarum, inter nos ipſos dijudicemus.

Probatur quarto, ex *S. Baſilio* in Cap. 8. *Iſaiæ*. Tantum enim abeſt ut *Samuelis* Animam Pythoniſſæ incantationibus evocatam ſenſerit (quod ex Epiſtola 89. ad *Euſtathium* Medicum in mendo cubante, & male verſæ nonnulli colligunt,) ut nec verum *Samuelem* viſum eſſe *Sauli* aſſeruerit, ſed Dæmonem habitum & perſonam *Samuelis* indutum. *Dæmones*, inquit, *quæ ſententia ac decreto Dei conſtituta erant, jamque palam evulgata, ſæpenumero annunciaverunt his, qui facile in fraudem illiciuntur, ſicuti fuit Pythonicus ille Spiritus, quem conſuluit Saul per Divinatricem, futuram ſtragem annuntiavit miniſterio Dæmonum. Erant enim Dæmones qui ſe ipſos transformarent in habitum & perſonam Samuelis, qui quod audiſſent ſententiam condemnationis adverſus Saulem prolatam; quæ a Deo prodierat, exponunt & promulgant uti propriam.*

Probatur quinto, ex *S. Gregorio Niſſeno* Epiſtola ad *Theodoſium* Epiſcopum. *Quibuſdam*, inquit, *ante, nec placuit, veram arbitrari Præſtigiatricis illius in Samuele Animarum evocationem, atque ad opinionis ſuæ patrocinium ejuſmodi rationem quamdam afferunt. Quod cum propter Saulis rejectionem triſtitia affectus eſſet Samuel, ſemperque Deo proponeret, Saulem præſtigias ventriloquorum, quibus homines in fraudem illiciebant, de Populo eraſiſſe, ideoque ægre ferret Propheta, quod a ſe rejecto placari nollet, permiſiſſe Deum (inquiunt) ut per hujuſmodi magicas artes Prophetæ Anima evocaretur, ut videret Samuel falſa ſe Deo in ipſius defenſionem allegaſſe; cum eum diceret inſenſum ventriloquis atque hoſtem fuiſſe, qui tum temporis, dum Oraculum conſulit, in cauſa fuerat ut ejus Anima evocaretur. Ego vero dum mihi in mentem venit Evangelicum illud Chaos quod in medio malorum bonorumque firmatum eſt, inquit Patriarcha, vel potius Patriarchæ Dominus, ita ut neque poſſint damnati ad Sanctorum quietem aſcendere, neque Sancti ad improborum cœtum penetrare; veras eſſe ſentias ejuſmodi non admitto: Utpote qui ſolum verum credere Evangelium ſum edoctus. Quando igitur magnus inter Sanctos erat Samuel, res autem mala eſt magia & incantatio, cum tantis Samuel in deliciis verſaretus, neque volentem eum neque invitum profundum illum hiatum, verſus impios, & chaos imperviam arbitror trajeciſſe. Nam invitus quidem id non ſuſtinuiſſet, quod hiatum Dæmon pertranſire non poſſet, atque ex medio Beatorum cœtu Verum Sanctum alio transferre: Volens autem id non feciſſet, quod neque cum improbis commiſceri vellet, neque poſſet.* Hucuſque nobis ſuffragatur *S. Gregorius Nyſſenus*. Deinceps vero nobis adverſatur, & cum *Euſtathio Antiocheno* ſentit, Dœmonem qui Ventriloquæ inſidebat, *Samuelis* perſonam induiſſe, ut *Sauli* imponeret. *Poſtquam enim dixit illa ſe Deos aſcendentes videre, & virum erectum amictum pallio, quo pacto ſtabilient. quod ad Hiſtoriam attinet, qui ſervi ſunt litera? Si enim vere Samuel eſt ille qui viſus eſt, plane igitur veri ſunt etiam Dii, qui a Veneſica ſunt viſi: Nam & Dæmonia Deos, dicit Scriptura*, Omnes enim Dii gentium Dœmonia. *Num igitur cum Dæmonibus erit & Anima Samuelis? Abſit. Verum illud quod ſemper Veneſica obſequebatur, Dæmonium aſſumpſit ſecum & alia Dæmonia, ut cum, Mulierem falleret, tum eum qui ab ipſa fallebatur, Saulem: Atque efficit quidem ut Dæmonia Dii a Ventriloqua cenſerentur; ipſum autem illa ſe ſpecie induit quæ requirebatur, & vocem illius ſimulavit, & quantum licebat veriſimili aſſequi conjectura ex iis quæ apparebant, conformate in ſpeciem Prophetia reſponſo, quæ ex conſequenti eventura putabuntur, denuntiavit. Porro ſe ipſum volens nolens arguit Dæmon veritate prolata, dum dixit*, Cras tu & Jonathas mecum. *Si enim vere Samuel erat, quomodo fieri poterat, ut is qui omnium ſcelerum reus erat, cum illo eſſet? Verum hinc liquet Samuelis loco Dæmonium illud improbum viſum, cum ſocium futurum Saulem dixit, mentitum non eſſe. Etſi autem Scriptura dicat etiam*, Samuel hoc dixit, *ne commoveant hæc verba peritum lectorem, ſed additum exiſtimet, Qui putabatur eſſe Samuel. Hanc enim conſuetudinem eſſe Scripturæ comperimus, ut ſæpe vero ejus loco id quod apparet enarret, ut in Hiſtoria Balaam nunc quidem dicente ipſo:* Audiam quid loquatur in me Deus: *Deinde vero cum noviſſet Balaam, quod placeret Deo ut non malediceretur Iſraeli nequaquam abiit, ſicut conſuetum ei erat, in occurſum auſpiciis. Qui enim inconſideratus fuerit, ibi quoque verum Deum cum Balaam colloqui arbitrabitur. Sane quidem quod ſubjicitur argumento eſt, eum qui Balaamo putabatur, Deum ſic appellaſſe Scripturam, non eum qui vere Deus eſſet. Sic igitur hic quoque is qui Samuel eſſe videbatur, verba veri Samuelis ſimulabat: Dum ingenioſe Dæmon, ea ex quæ probabile erat eventura, Prophetiam imitatur.*

Probatur quinto, ex *S. Hieronymo* ſcribente, Pythoniſſam viſam eſſe evocaſſe Animam *Samuelis*, quaſi dicat, non revera id ab ipſa factum. Sic enim in Caput 7. Iſaiæ: *Plerique putant Saulem ſignum accepiſſe de terra, & de profundo inferni, quando Samuelem per incantationes & artes magicas viſus eſt ſuſcitaſſe*. Et in Caput 13. *Ezechielis*, loquens de Pſeudo-propheteſſis Dœmoniaco Spiritu inſpiratis, ait: *Has autem dicunt Hebræi maleficis artibus eruditas per Necromantias & Pythycum Spiritum; qualis fuit illa quæ viſa eſt ſuſcitaſſe Animam Samuelis*. Et in Cap. 6. S. Matthæi: *In Samuelis phantaſmate Pythoniſſa loquitur ad Saulem, Cras eris mecum.*

Probatur ſexto, ex *S. Cyrillo Alexandrino* Lib. 6. *De Adoratione in Spiritu & Veritate*, ubi cum abſurdum eſſe præmiſiſſet, Sanctorum Animas Spiritibus nequam ſubjectas eſſe, & invitas ſequi eos quocumque illi voluerint, cum Deo Sanctorum protectori velut fidele depoſitum ſint commendatæ, ſubdit: *Deliramenta igitur ſunt hæc, imo vero ſtupor immanis, putare Prophetæ Animam revera frigidis ſceleſtiſſimæ Muliercula carminibus ex attributis ſibi ſedibus eſſe detractam*. Propoſitis deinde Scripturæ Sacræ verbis de *Saule* & Pythoniſſa ait: *Itaque ad Mulierem Necromantia operam dantem pergit. Deinde, inquit, Excita mihi Samuelem; non quod ea vis carminum vel magicæ artis eſſet, ut Sancti Viri Animam evocare poſſet: Sed quod ſemper divinantes hujuſmodi voce utantur. Audivi autem eos occultis quibuſdam verbis illicere Dæmonia, & aqua incantanda, ſimulacra & umbras, & tanquam in ſpeculo formas quaſdam conſpicari, Dæmoniis videlicet eorum figuras apte fingentibus, qui evocari dicuntur.*
„ *Itaque dixit primum illa Mulier*. Video Deos aſ-
„ cendentes e terra: *Deinde*: Et vidit, *inquit*, mu-
„ lier Samuelem. *Nihil vero prohibet umbram viſam fuiſſe atque ſimulacrum perſimile Beato Samueli figura Dæmoniorum opera efformatum. Quod ſi quis putet evocatam revera fuiſſe Prophetæ Animam, & mulieris verbis tribuerit veritatem; ergo quia eadem dixit, Deos a terra aſcendentes ſe vidiſſe, non divinandi conſuetudinis tenderet falſitatem, ſed revera Deos eſſe putet quoſdam ejuſmodi ordinis, qui exiſtant e terra; cum ille, qui ſecundum naturam Deus eſt, unus ſit ac ſolus*. Objicienti autem *Palladio*, Eum qui apparuit, futura prædixiſſe ſciſcitante *Saule*: Non eſſe autem in Spiritibus impuris veritatem; *S. Cyrillus* reſpondet: *Irritantibus ac ſæpe offendentibus revelat futura Deus, interdum etiam per quos minime convenit, inſonantibus humano animo Sanctis Angelis ea quæ ſi illi didicerint, qui curioſe ſciſcitantur, admodum contabeſcunt: eaque prænotione veluti quibuſdam tormentis pœnarum ſibi imminentium primitus torquebantur.*

Probatur ſeptimo, ex *Theodoreto*, *Quæſtione* 63. in *Librum* 1. *Regum* his concepta verbis: *Quomodo intelligere oportet de Ventriloqua?* Ad quam ſic reſpondet; *Nonnulli dicunt eam vere excitaſſe Samuelem. Nonnulli autem hoc quidem refellerunt; Dixerunt autem quemdam Dæmonem Populi deceptorem oſtendiſſe figuram Samuelis, & dixiſſe quæ ſæpe audierat dicentem Samuelem, ignoraſſe autem tempus mortis Saulis.*

Ego autem primum quidem exiſtimo eſſe nefarium & impium. Nec enim credo mulieres Necromanticas vel quamlibet reducere Animam, tantum abeſt ut Prophetæ, & ſancti Prophetæ. Eſt enim perſpicuum quod in aliquo alio degunt Animæ, expectantes reſurrectionem corporum. Quare valde impium eſt credere Ventriloquas habere vim tantam. Secundum autem eſt amentiæ potius quam impietatis. Tentantes enim evertere impiam illam opinionem, exiſtimaverunt falſam fuiſſe prædictionem, & ideo eam attribuerunt mendacii magiſtris Dæmonibus. Ego autem legens Librum Paralipomenon, inveni eum ſic dixiſſe qui ſcripſit Hiſtoriam. „Et mortuus eſt Saul in ſuis iniquitatibus, in quibus prævaricatus eſt Domino ſecundum eloquium Domini: Propterea quod ipſum non obſervavit, & quod interrogavit Saul in Ventriloqua ut exquireret. Et reſpondit ei Samuel Propheta: Et non exquiſivit in Domino, & occidit eum. Hinc eſt ergo perſpicuum, quod ipſe Deus univerſorum efformata, ut voluit, ſpecie Samuelis, protulit ſententiam, cum hoc non potuiſſet facere Ventriloqua, ſed Deus qui etiam per adverſarios ſententiam protulit. Audimus enim eum dicentem: „Et ſi abierit ad Pſeudoprophetam, ego Dominus reſpondebo ei. Ita etiam per Balaam benedixit Populo, & per impiam Vatem prædixit futura, & orbis terræ pronuntiavit ſalutem, non execrando eloquente Spiritu, ſed Sanctiſſimo Spiritu operante. Licet autem veram prædictionem fuiſſe cenſeat Theodoretus, verum tamen Samuelem apparuiſſe negat. Vera ergo fuit prædictio, inquit, fuit enim divina; non per Samuelem, ut arbitror facta. Nam illa quidem dixit quam viderat figuram, Saul autem ex figura conjecit eſſe Samuelem. Hiſtoria autem eum qui viſus eſt nominat Samuelem, propterea quod ille ſic crediderit. Ita etiam Angelos qui Abrahæ apparuerunt, & illorum Dominum, viros nominavit, quandoquidem id arbitratus Patriarcha menſam appoſuit. Sic etiam eos qui non ſunt Dii, Deos nominat etiam Dominus noſter qui eſt ſuper omnes Deos. Ita etiam hic eum qui viſus eſt in figura Samuelis, ſive Angelum, ſive ſpectrum Samuelis figuram præ ſe ferens, Samuelem vocavit, ut fideliter accepta ſententia gemens excederet e vita.

Probatur octavo, ex Philaſtrio Brixienſi Epiſcopo Libro De Hæreſibus, Cap. 26. Alia, inquit, eſt Hæreſis de Pythoniſſa, quæ reoperientes veſtimentis mulierem, ab ea quædam reſponſa ſperabant poſſe conſequi: Unde & ajunt, Pythoniſſam illam Beati Samuelis Animam ab inferis excitaſſe: Atque inde maxime credi poſſe homines uſque hodie plurimi ſuſpicantur, quoque dixerat Regi Sauli ſuperſtes Propheta Beatiſſimus, ea etiam in executione, quaſi ei iterum reſponſa dixiſſe, cognoſcitur vera. Cumque plurimi huic acquieſcere mendacio moliti, in perpetuum deſcendunt incertitum; cum Propheta dicat: „Juſtorum animæ in manu Domini, & non tanget eas mors. Quomodo itaque anima impia piam ſanctamque Animam & Prophetam maxime poterat ab inferis excitare?

Sap. 3.

Probatur nono, ex Procopio Gazæo in Cap. 28. Libri 2. Regum. Quidam, inquit, dicunt Samuelem vere revocatum eſſe. Cæterum quid magis impium eſt, quam ſi dicamus, Dæmones incantamentis curioſorum in Animas poteſtatem habere, in quas, quoad homines vixerunt, poteſtatem nullam habuerunt? Igitur vel Spiritus impoſtor formam Samuelis ſimulat, & illa dicit, quæ ſæpe numero ex Samuele audivit, tempus quidem Saulicæ mortis ignorans: Vel Angelus Dei, ſicuti voluit, formam Samuelis adſcripſit, Domino ſententiam per contrarium efferente: Qui inquit, „Si acceſſerit Pſeudoprophetam, ego Dominus reſpondebo ei. Sic per Balaam Spiritu Dei in ipſo operante, benedixit Populo, & urbis ſalutem prædixit. Atqui nunc etiam effecit ut appareret forma Samuelis, quam Scriptura Samuelem appellavit. Sic Angelos etiam, qui Abrahamo apparuerunt, & Dominum eorum, viros appellavit. Viros enim ſe videre Patriarcha exiſtimabat, quare menſam eis apponebat. Sic qui Dii non ſunt, Deos appellat Scriptura, quemadmodum nunc etiam Samuelem, ut Saul, cui hoc videbatur, ſententiam ex eo audiret, & cum gemitu a vita excederet. Etenim ſi hanc ob cauſam quod nomen ipſius exprimitur, Samuelem fuiſſe putabimus, oportebit illos etiam, quod Deus ſe vidiſſe dicit, veros Deos putare, cum tamen unus tantum natura Deus exiſtat. Nonnulli tamen dicunt, re vera quidem Samuelem apparuiſſe; ſed Deo hanc Animam revocante, non ſaga. Scriptura enim tantum dicit hanc vidiſſe Samuelem, non autem revocaſſe. Solent autem in Necromantiis Dæmonum fraudibus umbroſas ſpecies videre. Hoc autem quod vocem edit, ſpecies Dæmonis eſt. Obiicere aliquis poſſet ignorantiam mortis Saulis: Non enim poſtero die, ſed diebus aliquot interjectis videtur obiiſſe. Niſi dicamus, per diem craſtinum interitum imminentem ſignificari. Aut certe Scriptura per anticipationem res Davidis & Amalechi recenſuit ante Saulis obitum: quemadmodum dicere poſſent qui revera Samuelem dicunt apparuiſſe, aut per divinam virtutem ſpeciem non diſſimilem. Et in Cap. 10. Libri 2. Paralipomenon: Item de Ventriloqua. Reſpondit enim (inquit) Samuel Propheta. Manifeſtum eſt, Deo ita pronunciante id factum eſſe, quod Saul per præſtigias quæſivit. Talem igitur viſionem Samuelem appellavit Scriptura, ex qua cognoſcere futura cupivit Saul: Sive quidem Angelus formam illam oſtenderit, ſive Deus per Animam Prophetæ Ventriloqua res futuras aperuit, quemadmodum Pharaoni fertilitatem, & Nabucodonoſori ſucceſſionem Imperiorum Mundi. In Caput vero 8. Iſaiæ, ait, Dæmonem, aſſumpta Samuelis perſona, tanquam propria Decreta narraſſe, quæ de Saule rata erant, Deique ſententia publicata.

Probatur decimo, ex Anaſtaſio Sinaita Quæſtione 39. in qua Theodoreti Sententiam ſuam facit, iiſdemque pene verbis exprimit.

Probatur denique, ex Auctore Quæſtionum ad Orthodoxos ſub S. Juſtini Martyris nomine editarum, Quæſtione 52. ex Auctore Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti inter S. Auguſtini Opera extantium, Quæſtione 26. & ex S. Iſidoro Hiſpalenſi Libro 8. Originum, Cap. 9. dicente: Quid plura? Si credere fas eſt de Pythoniſſa, ut Prophetæ Samuelis Animam de inferni abditis evocaret, & viverum præſentaret conſpectibus, ſi tamen Animam Prophetæ fuiſſe credamus, & non aliquam phantaſticam illuſionem Satanæ fallacia factam. His adde Rupertum Abbatem Lib. 2. in Librum 1. Regum, Cap. 17. & Joannem Saresberienſem Libro 2. Polycratici, Cap. 27.

Probatur tertia pars Propoſitionis: Ea Sententia probabilis eſt, quam veterum Patrum pars maxima propugnat argumentis non contemnendis: Atqui veterum Patrum pars maxima negat verum Samuelem viſum Sauli Pythoniſſam conſulenti, ſcilicet Tertullianus, SS. Baſilius Magnus & Gregorius Nyſſenus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Philaſtrius, Procopius, Gazæus, Anaſtaſius Sinaita, & Iſidorus Hiſpalenſis: Nec eorum argumenta contemnenda ſunt, ex eorum Propoſitione mox patebit. Itaque probabilis eſt Sententia negans verum Samuelem viſum eſſe Sauli Pythoniſſam conſulenti, propugnanſque Dæmonem Samuelis perſonam induiſſe, & Sauli reſpondiſſe: His autem nititur argumentis.

Primum, quod Dæmon nullam Animam, hominum præſertim Sanctorum, evocandi poteſtatem habeat. Quod eorum argumentum adverſus eos quidem validum eſt, qui Samuelis Animam a Pythoniſſa magicis artibus evocatam cenſent, ſed eos non ferit qui Dei Providentia, & imperio cenſent eductam.

Quamquam nec abſurdum eſt, ut Pythoniſſa, vel Dæmon, permittente Deo, Animam juſti evocaverit. Audiatur S. Auguſtinus ea de re Simpliciano reſpondens Libro 2. De diverſis Quæſtionibus, ab ipſo propoſitis, Quæſtione 4. Item quæris utrum Spiritus immundus, qui erat in Pythoniſſa potuerit agere ut Samuel a Saule videretur & loqueretur cum eo. Sed multo majoris miraculi eſt quod ipſe Satanas Princeps omnium immundorum Spirituum potuit loqui cum Deo, & petere tentandum Job juſtiſſimum virum, qui etiam tentandos Apoſtolos petiit. Aut ſi hoc non ideo habet difficilem Quæſtionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, ubique præſens Veritas loquitur, nec propterea magni meriti eſt cui loquitur Deus: Intereſt enim quid loquatur, quia & Imperator multis innocentibus non loquitur, quibus providentiſſime conſulit ad ſalutem; & cum multis

tis vocantibus loquitur quos jubet interfici: Si ergo hinc propterea nulla quæſtio eſt, nulla ſit quæſtio quomodo etiam immundus Spiritus nam animo Sancti Viri loqui potuerit. Omnibus enim Sanctis Deus creator & Sanctificator longe utique major eſt. Quod ſi hoc movet quod licuerit maligno Spiritui excitare Animam juſti & tanquam de abditis Mortuorum receptaculis evocare; nonne magis mirandum eſt quod Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnam Templi! Qualibet enim modo fecerit, illo etiam modus quo Samueli factum eſt ut excitaretur, ſimiliter latet. Niſi forte quis dixerit, faciliorem Diabolo fuiſſe licentiam ad Dominum vivum unde voluit aſſumendum, & ubi voluit conſtituendum, quam ad Samuelis defuncti Spiritum a ſuis ſedibus excitandum. Quod ſi illud in Evangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permiſit nulla diminutione ſuæ poteſtatis & divinitatis id fieri; ſicut ab ipſis Judæis quamquam perverſis atque immundis & facta Diaboli facientibus & teneri ſe, & vinciri, & illudi, & crucifigi, atque interfici paſſus eſt: Non eſt abſurdum credere ex aliqua diſpenſatione Divinæ voluntatis permiſſum fuiſſe, ut non invitus, nec dominante atque ſubjugante magica potentia, ſed volens atque obtemperans occultæ diſpenſationi Dei, quæ & Pythoniſſam illam & Saulem latebat, conſentiret Spiritus Prophetæ Sancti oſtendi ſe adſpectibus Regis, divina eum ſententia percuſſurus. Cur enim Anima boni hominis, a malis vivis evocata ſi venerit, amittere videatur dignitatem ſuam cum & vivi plerumque boni vocati ad malos veniant, & agant cum eis quod officium poſtulat æquitatis, ſervato atque inconcuſſo decore virtutis ſuæ, & illorum vitiis pro rerum præſentium vel uſu vel neceſſitate tractatis?

Alterum argumentum eſt, quod prædictio illa falſa ſit, *Cras tu & filii tui mecum eritis: Sed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſtim.* Hoc enim die proxime ſequenti non evenit. Quæcumque ſcilicet in Scriptura narrantur a profectione *Saulis* in Endor ad ejus mortem unius diei ſpatio peragi non potuere, ſed quinque ut minimum dierum intervallum poſtulant. Rerum geſtarum dierumque ſeriem deſcribit *Leo Allatius* in Syntagmate *De Engaſtrimytho* Cap. 19. Prima die congregant Philiſtæi agmina ad bellum contra Iſrael (*1. Regum 28. 1.*) & caſtrametati ſunt in Sunam. Ex altera parte *Saul* congregata Iſraelitica manu in Gelboe caſtrametatus eſt. *Verſ. 5.* Ubi vidiſſet hoſtium copias, *Saul* expavit, & conſuluit Dominum, qui non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas. *Verſ. 6.* Inde reverſus ad malas artes, quas prius de medio tulerat, a ſervis ſuis Pythoniſſam inquirit, quam cum comperiſſet, ſed in Endor commorantem, mutatis veſtimentis cum duobus ſervis iter ingreditur. Nocte Endor appellit, & Pythoniſſam alloquitur. (*Verſ. 7. 8.*) Achis *David* Cuſtodem Capitis ſui creat. Minis Philiſthiim dimittitur *Verſ. 29.* Nocte proxima reſponſo *Samuelis*, ſeu Dæmonis, qui *Samuelem* ſe ſimulabat, *Saul* accepto, jacet in Terra perterritus & tota nocte illa non capit cibum (*V. 20.*) Eadem nocte *David* ſurrexit ut quemadmodum in mandatis habuerat, ab *Achis* ſummo mane proficiſceretur. *Cap. 29. V. 11.* Secundo die ſummo mane mulier de periculo vitæ *Saulis* ſollicita ipſum excitat, ut cibum capiat. Capto quievit (*Cap. 28 V. 22. 23. 24.*) Tertio die *David* adhuc in via Siceleg. Quæ Urbs ſuccenſa ab Amalecitis, qui omnibus captivis ductis, etiam uxoribus *David*, pergunt itinere ſuo (*Cap. 30. V. 1. & ſeq.*) Quarto die *David* venit in Siceleg, invenitque illam ſuccenſam (*Cap. 30. V. 3.*) Confortatus a Domino perſecutus eſt hoſtes cum ſexcentis viris uſque ad torrentem Beſor, quem ubi pertranſiit cum quadringentis: (quippe cæteri labore fracti ſubſtiterant) a viro Ægyptio fere mortuo, qui tribus diebus & tribus noctibus panem non comederat, neque biberat aquam, cibo propinato, refocillato, hoſtium tabernacula didicit, in quos impetu facto eos maxima clade affecit. (*Cap. 30.*) Quinto die *David* in pugna ad veſperam perſeverat. Amalecitis fere internecione deletis prædam recuperat & uxores (*Cap. 30. 17. & ſeq.*) Venit in Siceleg, unde miſit dona de præda Senioribus Juda proximis ſuis: (*Cap. 30. 26.*) Hoc die Philiſtæi pugnarunt adverſus Iſrael, & Iſrael cecidit interfectus in Monte Gelboe (*Cap. 31. 1.*) Et percuſſus eſt *Saul*, & tres filii ejus (*Ibidem, v. 2.*) Prædictio ergo falſa fuit, *Cras tu & filii tui mecum eritis.* At Anima Prophetica non poteſt falſa prædicere neque mentiri. Illa ergo prædictio non fuit *Samuelis*, neque alterius cujuſpiam divinioris naturæ, ſed Dæmonis.

Præterea hæc prædictio, *Cras tu & filii tui mecum*, ex alio capite falſa erit, ſi vero *Samueli* tribuatur. Nam *Saul* reprobus non erat futurus cum *Samuele* in loco quietis, nec æternam ſalutem conſequi debebat.

Huic nihilominus argumento reſpondetur, Adverbium *Cras*, in Sacris Literis non ſemper diem craſtinum, & qui jam currentem proxime excipiat, notare, ſed ſæpius rem imminentem, & tempus futurum ſignificare ut *S. Hieronymus*, *Theodoretus*, & *Procopius* obſervant, Unius *S. Hieronymi* verba exhibeo in *S. Matthæi* Caput ſextum: *Cras in Scripturis futurum tempus intelligitur dicente Jacob: Exaudiet me cras juſtitia mea. Et ubi Altare extruitur a duabus Tribubus Ruben & Gad, & dimidia Tribu Manaſſe, & a cuncto Iſraele ad eas legatio mittitur, cum Phinees Pontifici reſpondiſſet, idcirco ſe Altare feciſſe, ne cras filiis ſuis colendi Deum poſſibilitas denegaretur: Et multa iſtiuſmodi in Veteri reperies Teſtamento.* Præterea, quæ de rebus *Davidis* narrantur in Scriptura, non eo ordine quo geſta ſunt enarrantur, ſed dicta ſunt per anticipationem; & mors *Saulis* a *Samuele* prædicta, die poſt ejus Vaticinium proximo accidit. Ita reſpondet *Theodoretus* Quæſtione 63. in Librum 1. Regum. *Patet ergo*, inquit, *Saulem, cum Hebræi & alienigenæ caſtrametati eſſent, exquiſiviſſe Ventriloquam*: „ Vidit enim, *inquit*, caſtra alienigenarum, & timuit, & expavit cor ejus valde. *Cum autem abiiſſet ad Ventriloquam, & a Deo accepiſſet ſententiam, ſtatim cecidit, cum neque noctu comediſſet, quando clam relicto Exercitu, Ventriloquam ſciſcitaturus acceſſit, neque per totam diem illum. Mulieris demum hortatu cœnavit, & noctu pervenit ad Exercitum. Hoc enim docuit Hiſtoria*: „ Et appoſuit coram Saul & coram pueris ſuis, & comederunt & ſurgentes abierunt nocte illa. *Deinde orta luce commiſſum eſt prælium. Vera ergo fuit prædictio*, „ Craſtino die tu morieris, & Jonathan filius tuus tecum, & caſtra Iſraelis dabit Dominus in manus alienigenarum. *Eorum autem nihil prædixerat Samuel cum eſſet ſuperſtes, ſed ſolius Regni privationem: Jonathæ autem nullam fecerat mentionem. Hic autem & ipſius, & Jonathæ prædixit interitum, & ſtragem Populi, & victoriam alienigenarum. Sed ſuſpicantur plures interceſſiſſe dies, & Scriptorem juxta morem Scripturæ narrationem Belli reſumpſiſſe. Et volunt conſiderare, quod cum Samuelis quoque mortem ante dixiſſet Hiſtoriographus, dixit rurſus poſt multas narrationes*: Et Samuel eſt mortuus, & planxit eum totus Iſrael. Et ſepelierunt eum in Armathaim Civitate ejus. *Repetiit autem hanc narrationem, ut, ſicut dixi, narraret de Ventriloqua. Ita etiam de bello repetiit, ut doceret quomodo Satrapæ alienigenarum prohibuerunt, ne David ſimul cum eis deſcenderet in aciem: Et quomodo cum veniſſet Ceilam, eam invenit everſam, & quod perſecutus Amalecitas, eos expugnavit, & præter paucos omnes proſtravit, & prædam omnem reduxit, tam ſuam, quam illorum. Cum ergo hanc impleſſet narrationem, repetiit inſtitutam orationem de bello alienigenarum, & docuit quomodo Jonathan & Saul fuerunt interempti. Tempori autem* „ *fert teſtimonium & 2. Libri Regnorum initium*. Factum eſt, *inquit*, poſtquam mortuus eſt Saul, & David reverſus eſt percutiens Amalec, & ſedit David in Siceleg duos dies. Et factum eſt die tertio, & ecce vir venit ex caſtris Populi, qui erat cum Saule, & veſtes ejus erant laceratæ, & terra ſuper caput ejus. *Cæterum exiſtimo neceſſarium rurſus ſummatim verba ipſa perſtringere. Cum congregatus Exercitus alienigenarum, viderunt Satrapæ Davidem cum Anchus, & ægre ferentes perſuaſerant ut David dimitteret tanquam hoſtem. Reverſus autem invenit vaſtatam Ceilam: Statim ergo profectus, in-*

ven-

Digitized by Google

oratos ſpoliis inhiantes Amalecitas vi ſuperavit, & una cum ſuis opes illorum reportavit. His geſtis, Saul relictis caſtris abiit ad Ventriloquam. Accepta autem ſententia, poſtquam cum dolore cœnavit, per totam noctem iter fecit, mane autem pervenit ad Exercitum: Deinde commiſſo prælio fuit interfectus. Vera ergo fuit prædictio. Fuit enim divina.

Quod autem *Samuel* dixit Sauli, *Cras tu, & filii tui mecum eritis, ſe mecum* non refertur ad æqualitatem felicitatis, ſed parem conditionem mortis. Audiatur *S. Auguſtinus Libro* 2. *Quæſtionum ad Simplicianum*, *Quæſtione* 4. Jam vero, *inquit*, „ſi illud movet, quomodo & a maligno Spiritu Sauli vera prædicta ſunt: Poteſt & illud mirum videri, quomodo Dæmones agnoverint Chriſtum, quem Judæi non agnoſcebant. Cum enim vult Deus etiam per infimos infernoſque Spiritus aliquem vera cognoſcere, temporalia dumtaxat atque ad iſtam mortalitatem pertinentia, facile eſt, & non incongruum, ut omnipotens & juſtus ad eorum pœnam, quibus iſta prædicuntur, ut malum quod eis pendet antequam veniat prænoſcendo patiantur, occulto apparatu Miniſteriorum ſuorum etiam Spiritibus talibus aliquid divinitatis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque Moderator vel jubet vel ſinit. Unde etiam Spiritus Pythonis in Actibus Apoſtolorum atteſtatur Paulo Apoſtolo, & Evangeliſta
Act. 16. 17. eſſe conatur. Miſcent tamen iſti fallacias, & verum quod noſſe potuerint, non docendi, magis quam decipiendi ſine prænuntiant. Et forte hoc eſt, quod cum illa Imago Samuelis Saulem prædiceret moriturum, dixit etiam ſecum futurum: Quod utique falſum eſt. Magno quippe intervallo poſt mortem ſeparari bonos a malis in Evangelio legimus, cum Dominus inter ſuperbum illum divitem, cum jam apud inferos tormenta pateretur, & illum qui ad ejus januam ulceroſus jacebat, jam in requie conſtitutum, magnum Chaos interjectum eſſe teſtatur. Aut ſi propterea Samuel Sauli dixit, *Mecum eris*, ut non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referatur, quod uterque homo fuerit, & uterque mori potuerit, jamque mortuus mortem vivo prænuntiabat; perſpicit, quantum opinor, Prudentia tua, ſecundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem, qui non ſit contra fidem.“

Tertium argumentum petunt ex eo quod agnito *Samuele* Saul *inclinavit ſe ſuper faciem ſuam, & adoravit illum*. At vera *Samuelis* Anima nunquam a Rege paſſa fuiſſet ſe adorari.

Huic tamen argumento facile reſpondetur, Adorationis nomine latriæ cultum ibi non exprimi, ſed ſupplicem dumtaxat obſervantiam, quæ viris dignitate vel ſanctimonia excellentibus, eo ritu apud Hebræos exhibebatur. Sic 1. Regum 25. *Cum autem vidiſſet Abigail David, feſtinavit, & deſcendit de aſino, & procidit coram David ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram, & cecidit ad pedes ejus.* Sic David Saulem adoraſſe dicitur 1. Regum 24. *Et reſpexit Saul poſt ſe, & inclinans ſe David pronus in terram adoravit.* 3. Regum 1. 16. *Inclinavit ſe Bethſabee & adoravit Regem. V.* 23. *Et nuntiaverunt Regi, dicentes: Adeſt Nathan Propheta. Cumque introiſſet in conſpectu Regis, & adoraſſet eum pronus in terram, dixit Nathan*, &c. *V.* 31. *Summiſſoque Bethſabee in terram vultu adoravit Regem.* 4. Regum 4. 37. de Sunamitide coram *Eliſeo* procumbente dicitur: *Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit ſuper terram.*

Hæc igitur Argumenta, *S. Euſtathii Antiocheni, Gregorii Nyſſeni*, & aliorum negantium verum *Samuelem* Sauli viſum, ſpecioſa quidem, ſed inſolubilia non ſunt, imo facilis eſt ad illa Reſponſio. Nec tamen graviora ſunt ac magis convincentia *Origenis* Argumenta. Præcipuum illud eſt quod Scriptura Sacra eum qui *Sauli* apparuit *Samuelem* ſæpius appellet, non ſpectrum vel imaginem Samuelis.

Sed facile reſpondent alterius opinionis Vindices, Multa in Scripturis Sacris dici juxta opinionem temporis quo geſta referuntur, non juxta id quod veritas continebat. Sic *Ananias* apud *Jeremiam* dicitur Propheta, non qui eſſet, ſed qui crederetur. Et *S. Joſeph* in Evangelio Pater Domini, *Ecce pater tuus & ego* (inquit S. Virgo Deipara) *dolentes quærebamus te*. Sic 1. *ad Corinthios* 8. S. Paulus ait: *Si quidem ſunt Dii multi & Domini multi*. Sic de Prophetis *Baalis*, qui tamen falſi erant Prophetæ, ait Scriptura 3. Regum 18. *Et prophetabant quouſque præteriit veſpera.* Quia ergo Imago, quæ *Sauli* apparuit, *Samuelem* Prophetam referebat, & Pythoniſſæ ac Sauli *Samuel* videbatur, potuit *Samuelis* nomine in Scriptura Sacra deſignari. Sane, inquiunt, non magis concluditur verum fuiſſe *Samuelem* ex eo quod ita nominetur, quam recte colligeretur fuiſſe verum corpus *Samuelis* redivivum, verumque pallium, ex eo quod Pythoniſſa reſpondit Sauli a *Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio.* Aut veros fuiſſe Deos, qui de terra viſi ſunt aſcendiſſe, quia Mulier Sauli dixit: *Deos vidi aſcendentes de terra.* Hinc *S. Euſtathius* Antiochenus contra Origenem: *Mulier evocavitne Samuelem una cum corpore; an figura umbra tantum imagine obvolutum? Si corporeum illum evocavit, non ergo Samuelem, ſed Spiritus formam ſuſcitavit; ex anima enim & corpore compoſitus ipſe eſt Samuel, homo ex utriſque proportione quadam conſtat. Si vero una cum toto corpore viſum evocavit, quomodo non vidit illum Saul? Quippe ſi oculatus teſtis ipſe vidiſſet, non interrogaſſet mulierem ac ſi non videret, illa ipſa verba enuntians*, Quid vidiſti? *Itaque ſi oculorum effugit obtutum, abſque dubio & corporis expers erat. Si corporis expers figura apparebat, ut quid Pythomantis oppoſitum dicebat:* Vidiſſe *quidem* hominem rectum e terra ſalientem, pallio, *uti prius ab eo fieri conſueverat*, amictum? *Res itaque ipſa, Origenes, cum tuis ſermonibus pugnant. Et Saul ipſe, cum nihil omnino aſpexiſſet, tamquam de phantaſmate inviſibili ſermonem habens, interrogabat, inquiens*, Quid vidiſti? *Illa porro ac ſi hominem intuita fuiſſet, clamavit*, Virum ſtantem, aſcendentem de terra: *Ut autem illi ſuaderet hominem eſſe, notas illius enarrat, ſubdens:* Et hic pallio amictus ...... *Si igitur animam tantum evocatam, non ipſo corpore hominem decernis, quod etiam ſi volueris, Scriptura ſeries non concedet, ſibimetipſi pugnantia, contrariaque loqui non percipis? Hocque tibi ulique opponeret:* Quare *non dixit Mulier*, Propheticam Animam vidi: *ſed appoſitum*, Virum erectum? *& eandem, quam inanis rationem, quare Scriptura non ita effata eſt*, Vidit Mulier Dœmonium, quod fingebat ſe eſſe Samuelem? *Hac utique ratione ego tibi opponens obiicerem, Quare evocata Anima non dixit, Animam ſe vidiſſe, ſi res ita ſe haberet, quin contrarium*, Hominem, & hunc erectum, *quod habitudinis corporeæ, illiuſque certa ſignum eſt?* ... *Quid igitur quiſpiam hic dicere poſſet? Si vir ille prodiens ipſo emergeret corpore, nonne eum Saul vidiſſet, neque ab illo quis is eſſet, quaſi cæcitate perculſus, conaretur perdiſcere? Igitur res ipſa clamat, eum hominem non fuiſſe, ſed umbram, ut videtur, obſcuram & fallacem, neque enim oculos fugiſſet. Et ſi opinaris, Origenes, Animam Samuelis illic fuiſſe, quare umbra illa involuta diploide apparebat? Manifeſtum equidem eſt veſtes corporibus potius quam animabus convenire.*

Ea de re differentem *S. Auguſtinum* audire juvat *Libro* 2. De diverſis Quæſtionibus ad Simplicianum, „*Quæſtione* 4. Quamquam, *inquit*, in hoc facto poteſt eſſe alius facilior exitus & expeditior intellectus, ut non vere Spiritum Samuelis excitatum a requie ſua credamus, ſed aliquod Phantaſma, & imaginariam illuſionem Diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines ſunt. Sicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materia metalli aut ligni, vel cujuſque rei aptæ ad opera hujuſmodi, quæque etiam videntur in ſomnis, & omnes fere imagines, earum rerum quarum imagines ſunt, appellari nominibus ſolent. Quis eſt enim qui hominem pictum dubitet voca-

„re

re hominem? Quandoquidem & ſingulorum quorumque picturam cum aſpicimus, propria quoque nomina incunctanter adhibemus: Velut cum intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille Cicero eſt, ille Salluſtius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil ſint quam pictæ imagines. Unde Cherubim cum ſint cœleſtes Poteſtates, ficta tamen ex metallo, quod imperavit Deus, ſuper Arcam Teſtamenti, magnæ rei ſignificandæ gratia, non aliud quam Cherubim illa quoque figmenta vocitantur. Item quiſquis videt ſomnium, non dicit, Vidi imaginem Auguſtini aut Simpliciani; ſed Vidi Auguſtinum aut Simplicianum: Cum eo tempore, quo tale aliquid vidit, nos ignoraremus; uſque adeo manifeſtum eſt, non ipſos homines, ſed imagines eorum videri. Et Pharao ſpicas ſe dixit vidiſſe in ſomnis, & boves, non ſpicarum aut boum imagines. Si igitur liquido conſtat nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, eaſdem imagines appellari, non mirum eſt quod Scriptura dicit Samuelem viſum; etiamſi forte imago Samuelis apparuit, machinamento ejus qui transfigurat ſe velut Angelum lucis, & Miniſtros ſuos velut Miniſtros juſtitiæ.

Utramque ergo opinionem *S. Auguſtinus* probabilem hic judicavit, diligentiori tamen inquiſitioni non præſcribens. Perſpicit, *inquit*, quantum opinor, Prudentia tua, ſecundum utrumque intellectum habere exitum illam lectionem, qui non ſit contra fidem: Niſi forte profundiore & perplexiore inquiſitione, quæ vel virium mearum, vel temporis excedit anguſtias, inveniatur ad liquidum vel poſſe Animam humanam, cum ex hac vita emigraverit, magicis carminibus evocatam virorum apparere conſpectibus, etiam corporis lineamenta geſtantem, ut non ſolum videri valeat, ſed & agnoſci. Et ſi poteſt, utrum etiam Juſti Anima non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtendi occultioribus imperiis ſummæ Legis obtemperans; Ut ſi fieri non poſſe claruerit, non uterque ſenſus in hujus Scripturæ tractatione atque expoſitione admittatur, ſed illo excluſo, imaginaria ſimulatio Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniam ſive illud fieri poſſit, ſive non poſſit, tamen fallacia Satanæ atque imaginum ſimulandarum callida operatio decipiendis humanis ſenſibus multiformis invigilat, pedetentim quidem, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, ſed tamen potius exiſtimemus tale aliquid factum maligno Pythoniſſæ illius miniſterio, quando nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

Tandem tamen *S. Auguſtinus* auctoritate *Eccleſiaſtici* impulſus, in eam ſententiam inclinavit, quæ verum *Samuelem* viſum eſſe *Sauli* Pythoniſſam conſulenti aſſerit. Qua auctoritate & nos præſertim movemur, ut hanc ſententiam alteri præponamus. *S. Auguſtini* locus eſt Libro *De Octo Dulcitii Quæſtionibus*, Quæſtione 6. ubi repetitis iis, quæ ad *Simplicianum*, ea de Quæſtione ſcripſerat, ſic abſolvit: *Sed quam non fruſtra dixerim, pedetentim nos in hac re geſta ſimulatum Samuelis imaginem maligno Pythoniſſæ miniſterio præſentatam exiſtimare debere, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, mox poſterior inquiſitio declaravit, quando inveni in Libro Eccleſiaſtico, ubi Patres laudantur ex ordine, ipſum Samuelem ſic fuiſſe laudatum, ut prophetaſſe etiam mortuus diceretur. Sed ſi & huic Libro ex Hebræorum, quia in eorum non eſt, Canone contradicitur: Quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia, qui mortuus non eſt, legitur appariuſſe viventibus?*

DISSERTATIO XXIV.

DE PSALMIS DAVIDICIS.

QUÆSTIO I.

UTRUM DAVID SIT UNICUS omnium Pſalmorum Auctor.

NIcolaitæ, Gnoſtici, & Manichæi, teſte *Philaſtrio*, *Davidem* Chriſti Prophetam fuiſſe, & divinarum Scripturarum Auctorem, pertinaciter negarunt. *Paulus Samoſatenus Pſalmos in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti cani ſolitos, quaſi novellos & a recentioribus hominibus compoſitos abolevit. Mulieres autem magno Paſchæ die in Magna Eccleſia Pſalmos quoſdam canere ad ſui ipſius laudem inſtituit, quod quidem audientibus horrorem merito incuſſerit*: ut teſtantur Antiochenæ Synodi adverſus illum congregatæ Patres, apud *Euſebium* Libro 7. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 30. Editione *Valeſii*. Quidam etiam de grege Anabaptiſtarum eundem errorem propugnarunt. De Pſalmorum vero Auctore non eadem eſt Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum ſententia. Quidam Pſalmos omnes *Davidis* non eſſe aſſerunt, ſed eorum, quorum inſcribuntur nominibus. Alii unicum omnium Pſalmorum Auctorem *Davidem* agnoſcunt. Primam ſententiam propugnant Auctor Synopſeos Scripturæ Sacræ *S. Athanaſio* attributæ, *S. Hilarius* in Prologo Pſalmorum, *S. Hieronymus* Epiſtola 134. ad *Sophronium*, & Epiſtola 139. ad *Cyprianum*. Poſteriorem ſententiam tuentur *S. Joannes Chryſoſtomus*, Homilia in Pſalmum 50. *S. Ambroſius* Præfatione in Pſalmos, *S. Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 14. *Theodoretus*, *Caſſiodorus*, & *Euthymius* in Prologis Libri Pſalmorum, & *Philaſtrius* Hæreſi 79. ubi eos qui huic opinioni adverſantur inter Hæreticos numerare non dubitat.

PROPOSITIO I.

Liber Pſalmorum genuinus eſt & antiquiſſimus. An unius ſit Auctoris, incertum. Partem certe maximam Davidi tribuendam eſſe conſtat.

PRobatur prima pars Propoſitionis. Liber ille Scripturæ genuinus eſt & antiquus, cujus plures verſiculos deſcribunt Prophetæ, aliique Scriptores Canonici, & quem Chriſtus & Apoſtoli ut ſacrum laudant, ex eoque teſtimonia proferunt: Atqui Prophetæ, aliique Scriptores Sacri verſiculos integros ex Libro Pſalmorum deſcribunt, ex eoque teſtimonia deprompſerunt, Chriſtus, & Apoſtoli. Pſalmorum itaque Liber genuinus eſt & antiquus.

Probatur Minor. Totus Pſalmus decimus ſeptimus deſcribitur capite vigeſimo-ſecundo Libri ſecundi *Regum*. Pſalmi nonageſimus quintus & centeſimus quartus repetuntur, & in unum conjuncti leguntur Libro 1. *Paralipomenon*, Capite decimo ſexto, ut obſervat etiam *Origenes* in Prologo Commentarii in Canticum Canticorum, & in Epiſtola ad Africanum. Initium Pſalmi primi deſcripſit *Jeremias* Cap. 17. his verbis: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus. Et erit folium ejus viride; & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Illud Iſaiæ 38. 18. *Quoniam non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*; deſcriptum eſt ex Pſalmi ſexti verſu ſexto: *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Illud Libri 2. Regum 22. 43. *Delebo eos ut pulverem terræ, quaſi lutum platearum comminuam eos atque confringam*, geminum eſt huic verſui Pſalmi decimi-ſeptimi: *Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.* Pro-

ver-

Digitized by Google

verbiorum 16. 5. legitur: *Initium viæ bonæ facere juſtitiam, accepta eſt autem apud Deum magis quam immolare hoſtias*: Quod deſumptum ex Pſalmo 50. 18. *Quoniam ſi voluiſſes Sacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Illud Iſaiæ 52. 10. *Paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri*; manavit ex Pſalmi nonageſimi-ſeptimi verſiculis 1. & 3. *Salvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus. Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri*. Illud *Jeremiæ* Threnorum 5. 19. *Tu autem Domine in æternum permanebis, Solium tuum in generationem & generationem*, acceptum eſt ex his Pſalmi 101. 13. *Tu autem Domine, in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem*. Illud Threnorum 3. 6. *In tenebroſis collocavit me, quaſi mortuos ſempiternos*, expreſſum eſt ex hoc Pſalmi centeſimi quadrageſimi ſecundi commate; *Collocavit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi*. Illud Amos 9. 2. *Si deſcenderint uſque ad infernum, inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint uſque in cœlum, inde detraham eos*; germanum eſt illius e Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſecundo: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; Si deſcendero in infernum, ades*. Verba Pſalmi 77. 2. *Aperiam in Parabolis os meum; loquar Propoſitiones ab initio*; laudantur a *S. Matthæo* Cap. 13. 35. *Ut impleretur*, inquit, *quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in Parabolis os meum, eructabo abſcondita a conſtitutione Mundi*. Teſtimonium item ex Pſalmo 21. deſumptum pariter Propheticum appellat Cap. 27. 35. *Ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Chriſtus ipſe apud *S. Lucam* Evangelii 24. 44. *Neceſſe eſt*, inquit, *impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me*. S. Petrus Actuum 1. 20. *Scriptum eſt enim in Libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea, & Epiſcopatum ejus accipiat alter*. Capite ſequenti quatuor e Pſalmo decimo-quinto verſiculos profert, Capite 4. 25. duos e Pſalmo ſecundo, Capite 13. 33. unum ex eodem. *S. Paulus* ad Romanos 15. 9. teſtimonium profert ex Pſalmo ſexageſimo-octavo, & ad Hebræos 3. Pſalmum nonageſimum-quartum laudat in hunc modum: *Quapropter ſicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas, ſicut juravi in ira mea: ſi introibunt in requiem meam*.

Confirmatur ex Ethnicorum ſuffragiis, qui nonnulla e Pſalmis in Libros ſuos tranſtulerunt. Illud enim Pſalmi 4. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; & illud Pſalmi 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*, expreſſit *Plato* his verbis: *Nec enim uti reliqua diſciplinarum genera ſolent, ulla penitus exprimi verborum ſignificatione poteſt; Sed tantum poſt longam cum ea vita conſuetudinem, repente lumen aliquod, ſic tamquam exiliente igne ſuccenſum, ubi ſemel in animum incidit, ſe ipſo deinceps alitur & gliſcit*. Hanc obſervationem *Euſebio* debemus Libro 11. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 12. *Pſalmo* 103. hæc leguntur: *Quam magnificata ſunt opera tua, Domine? Omnia in ſapientia feciſti: Impleta eſt terra poſſeſſione tua. Omnia a te expectant, ut des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent: Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur: Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Quæ *Numenius* in Opere ſuo *De Bono* ſic expreſſit: *Id apud nos in confeſſo maneat, quo de prorſus qui audiat nemo merito dubitare poſſit, Deum primum & ab omni opere vacare, & Regem eſſe Univerſi: Aetificem vero Deum, cœlum permeando, cuncta moderari. Et ſane commeatus noſter atque apparatus omnis, ipſius beneficium eſt, dum certa progreſſione, hæc Mens ad eos omnes tranſmittitur, quos in ejus communionem vocari pro ſuo cujuſque gradu & conditione fas ſit. Itaque dum in quemque noſtrum convertſus intuetur Deus, tum enimvero ſuo corporibus vita, ſuus vigor ineſt, quod immiſſis divinitus radiis foveantur. Sin autem ad ſui ipſius contemplationem oculos revocaret, tum res inferiores extinguat ſubito, Mens autem ipſa non vivere modo, ſed etiam beate admodum vivere*. Hanc obſervationem debemus *Euſebio* Libro 11. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 18. *Ariſtoteles ut Lunari orbe Providentiam definiret, ex illo „ Pſalmo hauſit*, Domine in Cœlo miſericordia tua, „ & veritas tua uſque ad nubes, *Neque enim ante Domini adventum Prophetiarum adhuc Myſteriorum aperiebatur ſententia*, (inquit *Euſebius Libro* 13. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 13.) *Philopatridos* Auctor qui ſub *Luciani* larva deliteſcit, hæc verba Pſalmi 103. 3. *Extendens cœlum ſicut pellem*, ſuffuratus eſt. *Fidem habe*, inquit, *documentis, quibus ad Religionem Chriſtianam a me erudieris, ſiquidem vitam æternam concupiſcis: Si cœlum tamquam pellem expandit*. Illud Pſalmi quinquageſimi, *Quoniam ſi voluiſſes Sacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, ... Tunc acceptabis Sacrificium juſtitiæ*; Thuriorum Legiſlator *Charondas* imitatus eſt, cum ait, (apud *Porphyrium* Libro 2. De Abſtinentia) *Diis non gaudent improborum Sacrificiis & impenſis, ſed juſtis & rectis bonorum virorum inſtitutis*.

Secunda pars Propoſitionis probatur: Id Theologo incertum eſt, quod neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ulla ratione in iis fundata, vel Eccleſiæ judicio, quod iis duobus prioribus mediis innititur, probari poteſt: Sed unum eſſe Pſalmorum omnium Auctorem, neque ex Scriptura Sacra, neque ex Traditione, neque humana ratione in iis fundata, neque ex Eccleſiæ judicio ac definitione, quæ duobus illis prioribus mediis innititur, probari poteſt: Id igitur incertum eſt.

Minor evidens eſt de Scriptura Sacra, & Eccleſiæ judicio, ſiquidem nullus Scripturæ locus, nullum Concilium, nulla Conſtitutio Pontificia ab Eccleſia recepta proferri poteſt, quibus Pſalmi omnes uni & eidem Auctori vindicentur. De ratione in Scriptura fundata idem eſto judicium. Ubi enim fundamentum deficit, conſequens eſt ut & illud deficiat quod ei ſuperſtrueretur. De Traditione vero eadem Minor probatur. Illud ex Traditione probari non poteſt, circa quod Patres in diverſas abiere Sententias. Illud enim ſolum vere Catholicum dicimus, quod ſemper, ubique, & ab omnibus traditum eſt, ut ait *Vincentius* Lirinenſis in Commonitorio. Atqui de Pſalmorum Auctore variæ ſunt & diſcrepantes Patrum Sententiæ. Ex Traditione igitur probari non poteſt unum eſſe & eumdem Pſalmorum omnium Auctorem.

Probatur Minor. *S. Hilarius* Pſalmos omnes unius
„ Auctoris eſſe negat, Præfatione in Pſalmos. Varias
„ eſſe, *inquit*, plurimorum de Pſalmorum Libro o-
„ piniones. ex Libris ipſis, quos ſcriptos reliquere,
„ compertum habemus. Nam aliqui Hebræorum
„ eos in quinque Libros volunt eſſe diviſos: Ut ſit
„ uſque in quadrageſimum Pſalmum Liber primus,
„ & a quadrageſimo uſque ad ſeptuageſimum primum
„ Liber ſecundus, & uſque ad octogeſimum octavum
„ Liber tertius, & uſque in centeſimum quintum
„ Liber quartus; ob quod hi omnes Pſalmi in con-
„ ſummatione ſua habeant, *Fiat, fiat*. Concluda-
„ tur deinde in centeſimo quinquageſimo Liber quin-
„ tus. Alii vero ita ſcribendos Pſalmos exiſtima-
„ verunt, PSALMI DAVID: Quo titulo intelligi
„ volunt eos omnes a David fuiſſe conſcriptos. Sed
„ nos ſecundum Apoſtolicam Auctoritatem Librum
„ Pſalmorum & nuncupamus, & ſcribimus. Ita e-
„ nim in Actis Apoſtolorum ſcriptum meminimus.
„ Scriptum eſt enim in Libro Pſalmorum: *Fiat de-
mus ejus deſerta, & Epiſcopatum ejus accipiat alter*.
„ Ergo neque ſecundum quoſdam Hebræos, quin-
„ que Libri: Neque ſecundum plurimorum ſimpli-
„ citatem, Pſalmi David dicendi ſunt; ſed ſecundum
„ Apoſtolicam Auctoritatem, Liber Pſalmorum eſſe
„ noſcendus eſt. Sunt autem plures eorumdem Pſal-
„ morum Scriptores. Nam aliquibus David Auctor
„ præ-

præſcribitur; in aliquibus, Salomon; in aliquibus, Aſaph; in aliquibus, Idithum; in aliquibus, filiorum Core; in aliquo, Moyſi. Ex quo abſurdum eſt, Pſalmos David dicere vel nominare, cum ibi Auctores eorum ipſis inſcriptionum titulis commendantur.

S. Hieronymum eadem Sententia ſuffragatorem habuit Epiſtola 134. ad *Sophronium* data: Pſalmos omnes, *inquit*, eorum teſtamur Auctorum, qui ponuntur in titulis, David ſcilicet, Aſaph, & Idithum, filiorum Core, Eman Ezraitæ, Moyſi, & Salomonis, & reliquorum, quos Eſdras primo Volumine comprehendit. *Et Epiſtola 39. ad* Cyprianum *data*: Moyſes, *inquit*, non ſolum nobis quinque reliquit Libros, Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium, ſed undecim quoque Pſalmos, ab octogeſimo nono, cujus principium eſt, *Domine refugium factus es nobis*, uſque ad nonageſimum nonum, qui inſcribitur, *Pſalmus in confeſſione* .... Sciamus quoque errare eos, qui omnes Pſalmos David arbitrantur, & non eorum quorum nominibus inſcripti ſunt.

Hujus eſt etiam Sententiæ Athanaſianæ Synopſeos Auctor. Tametſi, *inquit*, hic Pſalmorum Liber ſolius habeat Davidis inſcriptionem, multorum tamen aliorum quoque in illo ſunt Pſalmi, utpote Aſaph, Idithum, filiorum Core, Aggæi, Zachariæ, & Eman Ezraitæ. Sunt etiam nonnulli, qui communiter ab omnibus ſemel ſunt dicti, quotquot videlicet Halleluja habent. Itaque Eſdras omnes hoſce Pſalmos, a quibuſcumque dictos, uno complexos eſt Libro; qui quidem, quaſi communes ſint Pſalmi omnium quos continet, Pſalmorum Liber vocatur. Soli vero Davidi inſcribitur, propterea quod ille primus ſpiritum pſallendi a Deo accepit, primoſque Pſalmos compoſuit & ſcripſit: & prædictos Pſalmiſtas ipſe ex Sacerdotibus ſelegit ac inſtituit.

Ejuſdem Sententiæ vindex laudatur *S. Auguſtinus* Adnotatione in Titulum Pſalmi 1. in qua hæc leguntur: *Non enim omnes Pſalmi a David editi ſunt. Ipſe enim David ex omni Populo quatuor Principes Spiritu Sancto mundatos elegit, quorum nomina ſunt, Aſaph, Eman, Idithum, & Ethan, ut in quemcumque Divinus Spiritus intraſſet, Hymnum Deo caneret. David ergo ſolus novem Pſalmos ore proprio cecinit. Reliqui autem ab illis quatuor Principibus, juxta titulorum inſcriptionem, ſunt dicti.* Verum hæc Adnotatio *S. Auguſtini* non eſt, cum nec in omnibus MSS. reperiatur, neque de Pſalmorum Auctore cum *S. Auguſtini* opinione conſentiat, Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 14. ut poſtea videbimus. Tum etiam quia novem tantum Pſalmos *Davidis* nomine inſcriptos ſupponere videtur hujus Adnotationis Auctor, cum *S. Auguſtinus* multo plures in ſuo Commentario agnoſcat.

Parum tamen firmum eſt, quod ex Pſalmorum titulis petitur argumentum ad Auctorum diverſitatem probandam. Primo, quia tituli humana tantum, non divina auctoritate ſunt inſtructi; utpote qui nec a *Davide*, nec ab alio Sacro Scriptore compoſiti fuerint, ſed a privatis hominibus, iiſque interdum parum antiquis appoſiti. Id vel unus probat Pſalmi nonageſimi titulus; qui cum ab Hebræis Codicibus & a *S. Auguſtini* Commentario abſit, ſuam ipſe prodit novitatem, quæ & *S. Hieronymi*, *Theodoreti*, & *Euthymii* teſtimonio confirmatur, aſſerentium hunc Pſalmum titulo carere. Adde quod *S. Auguſtinus* Pſalmorum octogeſimi noni & nonageſimi-quinti titulos literaliter ſumptos explodit: *Theodoretus* vero Pſalmorum ſexageſimi quarti, & centeſimi trigeſimi-ſexti titulos undequaque improbat. Præterea, nonnulli Pſalmi *Filiis Core* adſcribuntur: At unius ejuſdemque Pſalmi tres fuiſſe Auctores, non eſt veriſimile, ut obſervat *R. Kimchi*. Sic Pſalmus ſeptuageſimus-ſextus *Aſaphi*, & *Idithuni* nomen præfert.

Laudatis Patribus favere videtur illud primi Paralipomenon 25. 3. *De filiis Aſaph, Zacchur, & Joſeph, & Nathania, & Azarela filii Aſaph, ſub manu Aſaph, prophetantis juxta Regem. Porro Idithun, Godolias, Sori, Jeſeias, & Haſabias, & Mathathias, ſex ſub manu patris ſui Idithun, qui in cithara prophetabat ſuper confitentes & laudantes Dominum.* Verum ex his verbis colligi negarent alii, Pſalmos ab his Cantoribus compoſitos fuiſſe; ſed tantum Cantores illos Pſalmis quos *David* condiderat, modos adhibuiſſe; eoſque ad varia Inſtrumenta Muſica aptaſſe. Sic intelligendum & illud 2. Paralipomenon 29. 30. *Præcepitque Ezechias & Principes Levitis, ut laudarent Dominum ſermonibus David, & Aſaph Videntis.*

SS. Hilarii & Hieronymi Sententiæ favent magis Pſalmorum quorumdam argumenta, quæ *Davidis* temporibus non conveniunt, ſed potius tempori Babylonicæ Captivitatis, aut reditus Populi ex eadem Captivitate. Talis eſt Pſalmus centeſimus trigeſimus-ſextus *Jeremiæ* nomine inſcriptus: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cum recordaremur Sion.* Talis ſexageſimus quartus, hoc lemma præferens; *Canticum Jeremiæ & Ezechielis populo tranſmigrationis, cum inciperet exire:* Et his verbis incipiens, *Te decet hymnus Deus in Sion: Et tibi reddetur votum in Jeruſalem.* Mala apud Chaldæos tolerata queri videtur Pſalmus ſeptuageſimus. *In te Domine, ſperavi non confundar in æternum: In juſtitia tua libera me & eripe me.* Tales ſunt ſeptuageſimus-tertius: *Ut quid Deus repuliſti in finem? Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ.* Septuageſimus-octavus: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt Templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam.* Pſalmum vigeſimum quintum ſupra centeſimum poſt ſolutam captivitatem editum ſuadere videtur initium ejus ac ſeries: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.* Ad eadem tempora pertinere videtur Pſalmus centeſimus undecimus, cui titulus eſt, *Reverſionis Aggæi & Zachariæ.* Quin & Pſalmos reliquos ſequentes in gratiam reditus Iſraelitarum e Babylonico Exilio in patriam editos, nonnulli ſunt arbitrati.

Nihilominus, *S. Joannes Chryſoſtomus* Pſalmos omnes *Davidi* tribuit Homilia in Pſalmum quinquageſimum. *Neque enim*, loquit, *omnes Pſalmi de Davide dicti ſunt: Nam omnes quidem ab eo dicti ſunt, ſed non omnes de eo. Non enim ſuas tantummodo calamitates commemoravit, ſed alienas etiam miſerias tragica oratione complexus eſt: Velut cum ait Pſal.* 136. Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus; *Cuivis perſpicuum hunc Pſalmum de eo minime dictum fuiſſe. Nam nec in Babyloniam abiit, nec Barbarorum regionem vidit, nec in aliena terra conſedit & lacrymas fudit: Verum Judæorum calamitates exponit. Rurſum cum ait,* Foderunt manus meas, &c. *Non peculiares ſuos dolores recenſuit: Sed Crucem, ac Sacrificium illud, quod ſalutis noſtri generis cauſſa factum eſt, univerſo terrarum orbi prædicabat. Itaque nunc ſua, nunc aliena narrat.*

S. Ambroſius Pſalmos pariter omnes *Davidi* tribuiſſe videtur Præfatione in Pſalmi 1. Enarrationem. Licet, *inquit*, omnis Scriptura Divina Dei gratiam ſpiret, præcipue tamen dulcis Pſalmorum Liber .... David principaliter ad hoc munus electus eſt; ut quod in aliis rarum præeminere reliquo opere videtur, in hoc juge & continuum refulgeret .... De virtute autem Prophetiæ quid loquar? Quod alii annuntiaverunt per ænigmata huic ſoli palam atque aperte videtur eſſe promiſſum ut Dominus Jeſus ex ejus ſemine naſceretur, ſicut dixit ad eum Dominus: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. In Pſalmis itaque nobis non ſolum naſcitur Jeſus; ſed etiam ſalutarem illam ſuſcipit corporis Paſſionem, quieſcit, reſurgit, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Id quod nemo præſumpſerat hominum dicere, hoc ſolus hic propheta annuntiavit, poſtea ipſe Dominus in Evangelio prædicavit ..... Quid eſt quod non tibi occurrat Pſalmos legenti? In his lego canticum pro Dilecto, & ſacræ deſiderio caritatis inflammor: In his torcularia divini Myſterii recognoſco: In his revelationum gratiam, reſurrectionis recenſeo teſtimonia, repromiſſionis munera: In his diſco vitare peccatum, dediſco erubeſcere pœnitentiam delictorum.

„ Tantus Rex, tantus Propheta ſuo me provocavit exemplo, ut aut commiſſum ſtudeam extenuare peccatum, aut non commiſſum cavere. Quid igitur Pſalmus, niſi virtutum eſt organum, quod Sancti Spiritus plectro pingens Propheta venerabilis, cœleſtis ſonitus fecit in terris dulcedinem reſultare? . . . . Merito igitur tanti Miniſtrum muneris Dominus laudans, ait: *Inveni David ſecundum cor meum*. . . . Docuit ergo David intus nos canere oportere, intus pſallere, *&c.*

Eamdem ſententiam, propugnat *S. Auguſtinus* Lib. 17. *De Civitate Dei*, *Cap.* 14. „ Procurrente igitur, *inquit* per tempora Civitatis Dei, primo in umbra futuri, in terrena ſcilicet Jeruſalem regnavit David. Erat autem David vir in Canticis eruditus, qui harmoniam muſicam non vulgari voluptate, ſed fideli voluntate dilexerit, eaque Deo ſuo, qui verus eſt Deus, myſtica rei magnæ figuratione ſervierit. Diverſorum enim ſonorum rationabilis moderatuſque concentus concordi varietate compactam bene ordinatæ Civitatis inſinuat unitatem. Denique omnis fere Prophetia ejus in Pſalmis eſt, quos centum quinquaginta Liber continet, quem Pſalmorum vocamus. In quibus nonnulli volunt, Eos ſolos factos eſſe a David, qui ejus nomine inſcripti ſunt. Sunt autem, qui putant non ab eo factos, niſi qui prænotantur, Ipſius David: Qui vero habent in titulis, *Ipſi David*, ab aliis factos perſonæ ipſius fuiſſe coaptatos. Quæ opinio voce Evangelica Salvatoris i-

Matth. 22. 43. pſius refutatur ubi ait, quod ipſe David in Spiritu Chriſtum dixerit eſſe Dominum ſuum: Quoniam Pſalmus centeſimus nonus ſic incipit; *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, do-*

Pſ. 109. 1. *nec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Et certe idem Pſalmus non habet in titulo, *Ipſius David*; Sed *Ipſi David*, ſicut plurimi. Mihi autem credibilius videntur exiſtimare qui omnes illos centum & quinquaginta Pſalmos ejus Operi tribuunt, eumque aliquos prænotaſſe etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus, cæteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluiſſe: Sicut ei varietatis hujus diſpoſitionem, quamvis latebroſam, non tamen inanem Dominus inſpiravit. Nec movere debet ad hoc non credendum, quod nonnullorum nomina Prophetarum, qui longe poſt David Regis tempora fuerunt, quibuſdam Pſalmis in eo Libro leguntur inſcripta; & quæ ibi dicuntur velut ab eis dici videntur. Neque enim non potuit Propheticus Spiritus prophetanti Regi David hæc etiam futurorum Prophetarum omnia revelare. ut aliquid quod eorum perſonæ conveniret, prophetice cantaretur: ſicut Rex Joſias exorturus & regnaturus poſt annos amplius quam trecentos cuidam Prophetæ, qui etiam facta ejus futura præ-

3. Reg. 13. dixit, cum ſuo nomine revelatus eſt.

Theodoretus Præfatione in Pſalmos, eidem ſententiæ ſubſcribit. „ Mihi quidem, *inquit*, præ cæteris divinis oraculis optabile fuit magni Davidis Prophetiam interpretari: Quandoquidem Religionis alumni, tum qui Urbes, tum qui agros incolunt, præcipuam operam huic parti navant omnes. *Et infra, ubi nonnulla præmiſit de Moyſe, ſubdit*: Sic etiam divinus David qui primus poſt hunc Prophetiam conſcripſit, & beneficiorum univerſorum jam olim collatorum meminit, & longis poſt ſæculis futura præmonſtrat. Non ſolum autem verbis utitur hominis vaticinantis, ſed etiam admonentis & Legiſlatoris: Et modo moralem doctrinam affert, modo dogmaticam. Et Judæorum interdum calamitates deplorat: Interdum Gentium ſalutem præcinit. Paſſim vero Domini noſtri Jeſu Chriſti tum Paſſionem, tum Reſurrectionem vaticinatur: Et Prædictionis varietate iis qui attendere volunt plurimum affert voluptatis. Pſalmos autem non omnes ipſius David quidam eſſe dixerunt, ſed quoſdam aliorum. Unde & inſcriptiones ſic interpretati, alios Idithum adſcripſerunt, alios Ethan, nonnullos filiis Core, & aliquos Aſaph, quos etiam Prophetas fuiſſe ab Hiſtoria Paralipomenon didicerant. Ego autem de his ſane nihil affirmo. Quid enim mea refert, ſive hujus omnes, ſive illorum aliqui ſint, cum conſtet Divini Spiritus afflatu univerſos eſſe conſcriptos: Etenim non ignoramus & divinum Davidem Prophetam fuiſſe, & illos itidem Prophetas in Paralipomenon Hiſtoria nuncupari. Prophetæ autem eſt linguam præbere miniſtram gratiæ Sancti Spiritus, ut legitur in Pſalmis: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*. Vincat tamen plurium ſententia. Plures enim Scriptores Davidis aſſerunt eſſe.

Eandem ſententiam calculo ſuo comprobat *Caſſiodorus* in Prologo Pſalmorum, Cap. 2. *In primo Libro Paralipomenon legitur*, inquit, *cum Propheta David devotus Domino arcam reduxiſſet, quatuor millia hominum ex Iſraelitico Populo delegiſſe: Qui Pſalmos, quos ipſe Domini aſpiratione protulerat, organis, citharis, tympanis, cymbalis, tubis propriaque voce in magna jucunditate ſuperna gratia perſonarent . . . In quo numero quorum nomina frequenter in titulis invenimus, ut Idithum, Aſaph, filii Core, & hic Emulin. Non quod ipſi (ut quidam volunt,) Auctores fuere Pſalmorum: ſed quoniam prepoſiti artificibus, adminiſtratores eorum locum probabiles extiterunt: ut honorem de tali commemoratione ſumerent, quod officia ſancta devotis mentibus fervebant: Maxime quia & nomina eorum intellectus rerum congruos indicare noſcuntur. Non enim ſupradicti viri ad Pſalmos ſunt condendos electi ſunt; ſed eos congregatos tantum legimus ad canendum. Pſalmigraphos autem fuiſſe, Hiſtoria nulla teſtatur: Et præſumptuoſum eſt dicere, quod nulla poſſit auctoritate firmari. Pſalmos autem ad ſolum Prophetam David pertinere, certis declaratur indiciis. Denique in Apocalypſi volens ipſe illud intelligi, ſolius meminit David, dicens*: „ Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. *In Evangelio quoque Phariſæis Dominus dicit*: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis? *Unde probatur univerſos Pſalmos non multorum extitiſſe, ſed tantum ipſius, quem a Domino conſtat eſſe nominatum. Uſus quoque Eccleſiæ Catholicæ Spiritus Sancti inſpiratione generaliter & immobiliter tenet, ut quicumque eorum cantandus fuerit, qui diverſo nomine prænotantur, lector aliud prædicare non audeat, niſi Pſalmos David. Quod etiam ſecutus Pater Auguſtinus, dicit congruenter omnes Pſalmos eſſe Davidicos*.

Fatendum tamen eſt non multum eſſe roboris in iſto argumento, quod ex more nominandi *Davidicum Pſalterium*, petitur; Id enim non probat Pſalmos omnes eſſe *Davidis*, ſed Libri Pſalmorum partem maximam: Sicut Epiſtolarum *Ciceronis* Volumen illi tribuitur, etſi aliorum plurimorum Epiſtolis conſtet, quia ejus eſt Epiſtolarum maxima pars. Deinde *S. Petrus* in Actis Apoſtolorum, Cap. 1. 20. *Origenes*, *S. Hilarius*, *S. Gregorius Nazianzenus*, *S. Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Concilium Laodicenum*, *S. Epiphanius*, *S. Hieronymus*, *Innocentius I. S. Joannes Damaſcenus*, *Nicephorus* Patriarcha Conſtantinopolitanus Pſalterium non *Pſalmos Davidis*, ſed *Librum Pſalmorum* appellant. Uſus tamen Eccleſiæ obtinuit ut *Pſalterium Davidicum* appelletur, vel *Pſalmi Davidis*, ut a Melitone, ab Auctore Synopſeos Athanaſianæ, a *S. Auguſtino*, a Concilio Carthaginenſi 3. Canone 47. & a Concilio Tridentino vocantur; a majori (ut dixi) parte. Unde Athanaſianæ Synopſeos Auctor, & *S. Hieronymus* in Prologo Galeato, communem uſum, ac morem loquendi ſecuti, *Pſalmos Davidis*, ſeu *Davidicum Pſalterium* appellant, quamvis ſentiant Pſalmos omnes non eſſe *Davidis*.

Euthymius Præfatione in Pſalmos, poſtquam eorum opinionem recenſuit, qui Pſalmos non ſolius eſſe *David* opinantur, ſubdit: *Alii vero, quibus ego conſentio, aſſerunt Pſalmos omnes a David fuiſſe compoſitos. Et quemadmodum oltoneſimum eſimum Pſalmum qui Moyſi inſcribitur, dicunt Moyſis non eſſe: quia ſi ejus eſſet, ob illius antiquitatem primus in ordine legeretur, aut ſaltem haberetur inter Libros Moyſis, ſicuti habentur ejus Cantica; ita etiam exiſtimandum eſ-*

ſe

ſe aſſerunt de aliis Pſalmis, qui aliorum inſcriptiones pro ſe ferre videatur, quod ſcilicet ab alio compoſiti non ſint quam a Beato Davide. Eadem etiam dicunt de duobus Pſalmis, qui Salomonis inſcriptionem habent: Quod ſcilicet, ſi eſſent Salomonis, aut in extremo ordine collocari debuerant, aut in Libris Regum, aut Paralipomenon interſeri, aut ſaltem alicubi de iis memoria haberi, eo modo quo cæterorum omnium ejus Operum ratio habita eſt. Ceterum inſcriptiones Idithum, filiorum Core, Aſaph, Eman, & Ethan, hoc tantum valent ſignificare, quod his viris, quos Beatus David elegerat ex Tribu Levi in Duces ac Principes Cheruorum, quoſque inſtituerat ut variis organis Deum laudarent, unuſquiſque Pſalmorum, juxta nominum inſcriptionem, privatim ad pſallendum ſit traditus: cum alii Pſalmi ab univerſis Cantoribus, atque in commune canerentur. Illi igitur qui privatim ab aliquo eorum decantati ſunt, Cantoris ſui inſcriptionem retulerunt.

Adverſus hanc poſteriorem opinionem obiicitur, Pſalmum ſeptuageſimum primum in hacce clauſula deſinere. *Defecerunt Laudes David filii Jeſſe*: Quibus verbis ſignificatur, ſuperiores Pſalmos eſſe *Davidis*, ſequentes vero aliorum. Similis objectio petitur ex his verbis, quæ Capite vigeſimo-tertio Libri ſecundi *Regum* Pſalmum *Davidis* decimum-ſeptimum Capite præcedenti deſcriptum excipiunt: *Hæc autem ſunt verba David noviſſima*. Non ergo plures quam ſeptemdecim Pſalmos *David* edidit.

Verum facile retunduntur objectiones illæ: Licet enim Pſalmus ſeptuageſimus primus poſtremus omnium a *Davide* fuerit editus, cum Regnum *Salomoni* filio jam jam moriturus traderet, in Pſalmorum tamen ſerie hoc ordine collocatus eſt, immo extra ordinem. Nullam enim in collectione Pſalmorum habitam eſſe temporis rationem, viris eruditis perſuaſum eſt, ſed eo modo a Sapientibus poſt Captivitatem diſpoſitos fuiſſe, quo a ſanctis viris reperti ſunt, fortuito nempe & tumultuarie, cum Ethnici antea, dum rerum potirentur, conquiſitos cremaſſent, & funditus abolere tentaſſent. Hæc *Philaſtrii* Brixienſis Epiſcopi conjectura eſt Hæreſi 126. *Qui interpretati ſunt ſtudioſiſſimi*, inquit, *hoc dixerunt, quod ſupe exiſtente Captivitate in Judæorum Populo a Gentibus propter Idololatriam, (quia cum illis colebant Judæi & idola) itaque his etiam Scriptura divina inquirebantur & comburebantur a Gentibus: Si quis autem abſcondiſſet de Pſalmis aliquid exiſtente pace, poſtmodum requirebantur a paucis ſanctis eadem divinæ Scripturæ: Cumque invenirentur, accipientes poſtea qui erant illo tempore Sapientes, (quia non erant Prophetæ jam, ſed Sacerdotes timore deterriti) juxta quod accipiebant a quibuſdam, ita exponebant & textum Pſalmorum, & ita ordine exponi jubebant*. Hæc *Philaſtrii* conjectura ex *S. Hilario* confirmatur in Prologo Pſalmorum dicente: *Eſdras, ut antiquæ traditiones ferunt, Pſalmos incompoſitos, & pro Auctorum ac temporum diverſitate diſperſos, in Volumen unum collegit ac retulit.*

Secunda objectio haud majori negotio diluitur. Nam clauſula ipſa Pſalmi ſeptuageſimi primi, cuius antea meminimus, probat *Davidem* in decimo-ſeptimo loquendi finem non feciſſe. Sed majoris ponderis eſt Chriſti Domini teſtimonium, qui Pſalmum centeſimum nonum ut *Davidicum* laudavit (*Matthæi* 22. 41.) Illa itaque adnotatio, quæ Cap. 23. Libri 2. Regum Pſalmum *Davidis* decimum ſeptimum, Capite præcedenti deſcriptum excipit, *Hæc autem ſunt verba David noviſſima*, non ad antecedentia, ſed ad ſequentia pertinet; ad illa ſcilicet: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt fortis Iſrael, Dominator hominum, juſtus Dominator in timore Dei. Sicut lux Auroræ oriente Sole, mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluviis germinat herba de terra. Nec tanta eſt Domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas: Nec eſt quidquam ex ea quod non germinet. Prævaricatores autem quaſi ſpinæ evellentur univerſi, quæ non tolluntur manibus. Et ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque ſuccenſæ comburentur uſque ad nihilum. Hæc ſunt*, inquam, *verba David noviſſima.*

Tertia pars Propoſitionis probatur imprimis ex Libro 2. Regum Cap. 22. ubi Pſalmus 17. deſcribitur, ipſique præmittuntur hæc verba: *Locutus eſt autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul*. Et Cap. 23. vocatur *Egregius Pſaltes Iſrael*, per quem *Spiritus Domini locutus eſt*. Item ex Libro 2. Paralipomenon, Cap. 7. 6. *Sacerdotes autem ſtabant in officiis ſuis; & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum miſericordia ejus, hymnos David canentes per manus ſuas*. Pſalmus centeſimus-quintus ſpeciatim deſignatur, qui ſic incipit: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus*. Cujus meminit & Caput quintum ejuſdem Libri *V.* 13. & vigeſimum *V.* 21. & Liber primus *Eſdræ*, Cap. 3. *V.* 10. 11. *Fundato igitur*, inquit, *a cæmentariis Templo Domini, ſteterunt Sacerdotes in ornatu ſuo cum tubis: Et Levitæ filii Aſaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David Regis Iſrael. Et concinebant in hymnis & confeſſione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus ſuper Iſrael*. Item ex *Eccleſiaſtici* 47. 10. 11. 12. ubi de *Davide* dicitur: *De omni corde ſuo laudavit Dominum .... & ſtare fecit Cantores contra Altare, & in ſono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora uſque ad conſummationem vitæ, ut laudarent Nomen Sanctum Domini, & amplificarent mane Dei ſanctitatem*. 2. Macchabæorum 2. 13. *Inferebantur autem in Deſcriptionibus & Commentariis Nehemiæ hæc eadem: & ut conſtruens Bibliothecam congregavit de regionibus Libros, & Prophetarum, & David*. Quibus Pſalmi a *Davide* editi ſignificantur, & eo quidem numero ut juſtum Librum conficiant.

Probatur rurſus ex Oraculo Chriſti Domini Matthæi 22. 43. 44. *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Quæ Pſalmi centeſimi-noni verba ſunt, Marci 12. 36. & Lucæ 20. 41. *Davidi* pariter attributa, imo in hoc poſteriori loco non unus ille Pſalmus, ſed Pſalmorum Liber *Davidi* tribui videtur, quod ſaltem probat, partem hujus Libri maximam eſſe Davidis: *Et ipſe David dicit in Libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, &c.

Probatur tertio ex *S. Petro*, qui publice ad Judæos ſermonem habens de Jeſu Chriſto Salvatore noſtro, Actuum 2. ejus Reſurrectionem & Aſcenſionem in Pſalmis 15. 109. & 131. probat, eoſque *Davidi* tribuit. *David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper; Quoniam a dextris eſt mihi ne commovear: Propter hoc lætatum eſt cor* Pſ.15.
meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus .... Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia juriſjurando juraſſet illi Deus de Pſ.131.
fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus: Providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti, Quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Et infra: *Non enim David aſcendit in cœlum: Dixit autem ipſe; Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Diſcipuli Chriſti una cum SS. Pſ.109.
Apoſtolis *Petro & Joanne* Actuum 4. 24. 25. *Unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt: Qui Spiritu Sancto per os Patris noſtri David, pueri tui, dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & Populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*. Pſalm.2.
Quæ Pſalmi ſecundi verba ſunt. *S. Paulus* Epiſtolæ ad Romanos Cap. 11. Pſalmum ſexageſimum-octavum *Davidi* tribuit, ex eo teſtimonium proferens: *Et David dicit: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.*

lis. *Obſcurentur oculi eorum ne videant : Et dorſum eorum ſemper incurva.* Et ad Hebræos 3. 3. 5. 7. Pſalmum nonageſimum-quartum ceu Davidicum laudat : *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: Quemadmodum dixit : Sicut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam..... Iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis : Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

PROPOSITIO II.

Centum quinquaginta Pſalmos dumtaxat continet Pſalmorum Liber, adeoque Pſalmus Idiographus merito rejicitur.

PRobatur en Hebræis Codicibus univerſis, ex pleriſque Græcis, & Latinis Vulgatæ Editionis omnibus, a quibus abeſt; ex Eccleſiæ auctoritate, quæ hunc in Pſalterio nuſquam habuit; & ex Patribus, qui pſalmorum Librum interpretati, hunc prætermiſerunt ut ſpurium. Citatur quidem in ſuppoſititia *Mariæ Caſſobolenſis* ad *S. Ignatium* Epiſtola; & a *S. Joanne Chryſoſtomo* Homilia 17. ad Populum Antiochenum, & in Conflictu *Arnobii* & *Serapionis*, & in Sinopſi *S. Athanaſio* adſcripta. Sed horum Auctorum teſtimonium Canonicam Auctoritatem huic Pſalmo conferre non poteſt, Hebraica Veritate, & melioris notæ Codicibus tam Græcis quam Latinis repugnantibus, Patribuſque cæteris invitis, & Eccleſia contradicente, quæ centum quinquaginta Pſalmos dumtaxat recipit.

PROPOSITIO III.

Hebraica Pſalmorum in quinque Libros diviſio reſpuenda eſt, ut Neotericorum Hebræorum inventum.

PRobatur en ipſo Apoſtolorum, Patrum, & Eccleſiæ uſu, unicum Pſalmorum Librum agnoſcentium. Qua de re *S. Hilarius* in Prologo Pſalmorum ait : *Nos ſecundum Apoſtolicam Auctoritatem, Librum Pſalmorum & nuncupamus, & ſcribimus.* Et *S. Hieronymus* Epiſtola 134. *Scio (inquit) quoſdam putare Pſalterium in quinque Libros eſſe diviſum, ut ubicumque apud Septuaginta Interpretes ſcriptum eſt, γένοιτο, γένοιτο, id eſt, Fiat, Fiat, finis Librorum ſit, pro quo in Hebræo legitur, Amen, Amen. Nos autem Hebræorum auctoritatem ſecuti, & maxime Apoſtolorum, qui ſemper in Novo Teſtamento Pſalmorum librum nominant, unum aſſerimus Pſalmorum Volumen.... Si enim Amen in fine dumtaxat Librorum poneretur, & non interdum aut in exordio, aut in calce ſermonis ſive ſententiæ, nunquam Salvator in Evangelio loqueretur, Amen amen dico vobis : Nec Pauli Epiſtolæ in medio illud opere continerent. Moyſes quoque, & Jeremias, & cæteri hunc in modum multos haberent Libros, qui in mediis Voluminibus ſuis Amen interſerunt. Sed & numerus viginti duorum Librorum Hebraicorum & myſterium ejuſdem numeri commutabitur. Nam & titulus ipſe Hebraicus Sepher Thehillim,* quod *interpretatur,* Volumen Hymnorum. *Apoſtolica Auctoritati congruens, non plures Libros, ſed unum Volumen oſtendit.* Ab Hebræis quibuſdam Chriſto poſterioribus diviſionem illam Pſalterii in quinque Libros excogitatam, colligitur ex *S. Hilario*, & en *S. Epiphanio*, Libro *De Menſuris & Ponderibus*. Sed in omnes *Codices Hebræos* invectam non fuiſſe, conſtat ex *S. Hieronymo*, & en Codice Sacrorum Bibliorum Hebraico Memmianæ Bibliothecæ, aliiſque optimæ Notæ MSS.

PROPOSITIO IV.

Pſalmi oratione Poeticis numeris adſtricta ſcripti ſunt : Quo Metri genere, incertum.

PRobatur ex Patrum conſenſu. Sic enim *S. Cyrillus Hieroſolymitanus*, Catecheſi 4. ubi de Libris Sacris diſſerens, ait : *Scripti autem verſibus ſunt quinque, Job, Liber Pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum.*

Ita *S. Gregorius Nazianzenus* in Carmine ad *Seleucum* :

Tum quinque verſu conditos Libros habes :
Job cui palæſtra plurima cingunt caput :
Et mentis ægræ pharmacum Pſalmos ſuaves :
Salomonis etiam tres Libros, Paræmias,
Eccleſiaſten, Canticorum Cantica.

S. Epiphanius, Libro *De menſuris & Ponderibus*, Cap. 4. *Sequuntur (inquit) quinque alii Libri qui verſibus conſtant, Job, Pſalterium, Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum.*

Euſebius Libro 11. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 3. De Hebræis ſic loquitur : *Habent illi quoque Opera ſua verſuum numeris comprehenſa, cujuſmodi eſt magnum illud Moſis Carmen, Pſalmuſque Davidis centeſimus decimus octavus, quod utrumque eo verſuum, quod Heroicum Græci vocant, genere continetur. Quippe Hexametris ſyllabarum ſenderem ambo conſtare dicunt. Reliqua vero Carminum apud eos genera, ex trimetris ac tetrametris verſibus, pro lingua ſuæ proprietate conſtituta perhibentur. Et diſtinctum illi quidem habent cum differendi vim ac ſolertiam includentem.*

S. Hieronymus Epiſtola 103. ad Paulinum : *David Simonides noſter, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Chriſtum lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio ab inferis excitat reſurgentem.*

Idem Præfatione in Chronicon Euſebii. *Quid*, inquit, *Pſalterio canorius, quod in morem noſtri Flacci, & Græci Pindari, nunc Jambo currit, nunc Alcaico perſonat, nunc Sapphico tumet, nunc ſemipede ingreditur?* Et Præfatione in Job : *Quod ſi cui videtur incredulum metra ſcilicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamentationes Jeremiæ, vel omnia ferme Scripturæ Cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, & eorum teſtimonio me verum dicere comprobabit.*

Scaliger Animadverſionibus in Chronicon Euſebii, *S. Hieronymum* cenſoria virgula notat, negatque in Pſalterio ullum Canticum eſſe metricis Legibus adſtrictum; aut in Hebraico Idiomate ullam metri ſpeciem concipi poſſe, *quia id natura Sermonis non patitur.* Scaligerum Viri Eruditi pro meritis caſtigarunt, inter alios *Pfeiffrus*. Quid Hebraici idiomatis natura pateretur, *Joſepho* certe notum erat. Is autem *Moſis* Canticum *Hexametro verſu compoſitum* aſſerit. *Scaligero* prævit *Julianus Apoſtata*, cujus hæc verba ſunt apud *S. Cyrillum Alexandrinum* Libro 7. adverſus illum edito ; *At Reipublicæ Leges, & forma Judiciorum, ac Civitatum adminiſtratio, & honeſtus in diſciplinis progreſſus, & liberalium artium exercitatio non fuit apud Hebræos niſi miſera & barbarica : Tametſi nequam ille bubulcus velit apud ipſos eſſe quædam Hexametra ; contendatque Logicam eſſe, quamdam diſciplinam apud Hebræos, cujus nomen a Græcis audivit.*

Antiquos & Doctiſſimos Patres *Juliano* & *Scaligero* opponimus, & inter cæteros minime prætermittendum *S. Auguſtinum* Epiſtola centeſima prima, alias centeſima trigeſima prima ad *Memorium* Epiſcopum : *Quibus (inquit) numeris conſiſtant verſus Davidis, non ſcripſi, quia neſcio. Neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos conſtare numeris, credo illis qui eam linguam probe callent. Amavit enim Vir ille Sanctus Muſicam piam, & in ea ſtudia nos* ma-

magis ipſe quam ullus alius Auctor accendit. Unus a Veteribus in diverſam ſententiam abiiſſe videtur S. *Gregorius Nyſſenus* Tractatu 2. in Pſalmos. *Verum,* inquit, *neque hoc convenit citra conſiderationem prætercurrere, nempe has noſtras melodias non eſſe factas eo modo quo externorum & a noſtra diſciplina alienorum Carmina condita ſunt: Nam melos & modulus in dictionum ſonoru ſerie & connexione non conſiſtit, quemadmodum apud illos videre licet, quibus rithmus confectus ea mentium apta compoſitione, tono in ſonis nunc depreſſo, nunc breviato, nunc producto; ſed non exornatam nec exquiſitum divinis verbis innectendo melos, interpretari vult per melodiam ſenſum dictorum, certa quadam compoſitione, tono vocis ſenſum verbis inſitam, quoad fieri poteſt, revelanſ.* Verum ſic explicari poteſt & S. *Gregorius Nyſſenus*, ut Hebraicam Poeſim Græcæ & Latinæ ſimilem eſſe negaverit, non ut nullam apud Hebræos Poeticam, nullosque Libros Sacros numeris & modulis adſtrictos, præſertim vero Pſalmos *Davidis*, agnoverit.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE PROPHETICIS ORACULIS, Chriſtum & Eccleſiam in Libro Pſalmorum ſpectantibus.

PROPOSITIO UNICA.

Plurima ſunt, & quidem clariſſima, de Chriſto & Eccleſia in Libro Pſalmorum Vaticinia.

I. PRobatur imprimis ex Pſalmo ſecundo, cujus hæc verba ad Chriſtum pertinere manifeſtum eſt: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hæc ad Meſſiam dicta eſſe veteres Judæi palam confeſſi ſunt, ut conſtat ex Libro Thalmudis *Succah*, Cap. 5. ex R. *Salomoh Jarchi*, & ex *Bereſith Rabba*, ex R. *Aben Ezra*, ex R. *Davide Kimchi*, R. *Simeon in Jalcut*, ex *Tryphone* apud S. *Juſtinum*, & *Midraſch Thehillim*. Sed & Mahammedani in Jeſum ſpectare Pſalmum hunc convenire docent, teſte *Muhammedo Ebn Jacob Alfirauzabadio*, in Lexico quod *Camus*, ſive *Oceanum* inſcripſit. Hunc etiam Pſalmum ad Chriſtum Jeſum retulerunt Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti, Deum ſic orantes Actuum 4. 24. & ſeq. *Domine, qui Spiritu Sancto per os Patris noſtri David pueri tui dixiſti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Adſtiterunt Reges, & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Convenerunt enim vere in Civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & Populis Iſrael, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri.* Sic S. *Paulus* ad Judæos Piſidas publice ſermonem habens, ut refertur Actuum 13. 32. 33. *Nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus implevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum: ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt. Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et ad Hebræos Cap. 1. 4. 5. de Chriſto ſcribit: *Tanto melior Angelis factus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et Cap. 5. 5. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: Sed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sane *Davidem* terram ad extremos uſque fines in ſuam poteſtatem redegiſſe, nemo Judæorum tam pertinax eſt qui aſſerere audeat. In Chriſto autem Jeſu id impletum, ejuſque ſpirituale Regnum ad extremos uſque Mundi fines porrectum, diffuſa per totum orbem Eccleſia, evidens eſt. Hinc *Tertullianus* Libro *adverſus Judæos*, Cap. 12. *Aſpice* (inquit) *univerſas Nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum Creatorem, & ad Deum Chriſtum ejus. Et ſi negas, neque prophetatum; ſtatim tibi promiſſio Patris occurrit in Pſalmos dicens, „ Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, „ & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſio„ nem tuam terminos terræ. Nec poteris eum magis David filium dicere, quam Chriſtum; aut terminos terræ David potius promiſſos, qui intra unicam Judæam regnavit, quam Chriſto, qui totum jam orbem Evan„ gelii ſui fide cepit, ſicut per Iſaiam dicit: Ecce de„ di te in diſpoſitionem generis mei, in lucem gen„ tium, aperire oculos cæcorum, utque errant eos, „ exſolvere de vinculis vinctos, id eſt de delictis li„ berare, & de domo carceris, id eſt mortis, ſeden„ tes in tenebris, ignorantiæ ſcilicet.* Lege & *Euſebium* Libro 4. *Demonſtrationis Evangelicæ*, Cap. 16. ubi hujus Pſalmi Prophetiam nec in *Davide*, nec in aliquo ex illius Nepotibus Judaicæ Gentis, ſed in ſolo Jeſu Chriſto impletam oſtendit, totumque Caput concludit his verbis: *Sed attende quemadmodum unum & eumdem nominatim Chriſtum ſimul & Filium Dei, qui ab hominibus ſit circumveniendus, & ſortem Gentes accepturus, & fines terræ poſſeſſurus, Sacræ Literæ futurum canant, duobus ſignis illius inter homines diſpenſationem ſignificantes, & conſpirationem adverſus illum futuram, & Gentium ſub eumdem ſubjectione.* Legatur & *Theodoretus* in hujus Pſalmi interpretatione. *In ſecundo Pſalmo* (inquit) *Chriſti Domini humanas cruciatus, regnumque prædicit: Necnon Gentium vocationem vaticinatur, Judæorum incredulitatem deplorat. Hoc enim,* Quare fremuerunt gentes, *lugentis eſt atque accuſantis dementiam. Ad interpretationem vero hujus loci longa verborum enſeſtia non opus eſt nobis, cum divinus Petrus Apoſtolorum Princeps in Actibus eum enuclearit, atque Herodem & Pontium Pilatum, & Principes Sacerdotum, & Scribas, & Reges, ac Poteſtates nominavit. Hic enim a Romanorum Imperatore ut Provinciam guberna*ret, *miſſus fuerat, ille vero Judæorum Tetrarcha tunc temporis erat: & hic quidem ex Judæis ſubditos habebat, ille vero ex Gentibus Milites. Sed tamen cum in unum convenissent, ac Domini necem machinati eſſent, vana & inania conſultaverunt, quippe qui oblivione obſcurare quem ipſi crucifixerant non potuerint. Cum enim tertia die reſurrexiſſet, totius terræ poſitus eſt. Valde autem congruenter & merito proſus hæc verba,* meditati ſunt inania, *populi, perſonæ accommodavit. Judæi namque hoc pravum conſilium contra Salvatorem inierant: & teſtis eſt ſacrorum Evangelio„ rum vox, docens quod* Abeuntes Phariſæi conſilium „ cœperunt quomodo illum perderent. *Et Caiphas* Marc. 3.
„ *clamans.* Expedit ut unus homo moriatur, & non „ tota Gens pereat. *Illud vero,* fremuerunt, *in perſona gentium poſitum, facit ut intelligatur, cum Judæi ad Pilatum Jeſum ut quemdam tyrannum adduxiſ-* Joann. 2.
ſent, ac ſæpius illum occidendum eſſe dixiſſent, mortis ſententiam invitum illum pronuntiaſſe, veritum, ut veriſimile eſt, ne ſi eum dimiſiſſet, inde ab aliquibus accuſatio contra ipſum caperetur.

Probatur ſecundo ex Pſalmo tertio, quo Reſurrectio Chriſti prænuntiatur his verbis: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* In quæ ſic diſſerit S. *Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 18. *An forte quiſquam ita deſipit, ut credat velut aliquid magnum nobis indicare voluiſſe Prophetam, quod dormierit, & ſurrexerit, niſi ſomnus iſte mors eſſet, & evigilatio reſurrectio, quam de Chriſto ſic oportuit prophetari?* Idem Chriſti Myſterium Pſalmo 15. prædicitur his verbis: *Propter hoc lætatum eſt cor meum & exultavit lingua mea; Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua uſque in finem.* Quod Vaticinium Chriſto Jeſu convenire S. *Petrus* oſtendit Actuum 2. 24. & ſeq. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum, Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea: inſuper & caro mea re-*

Act. 4.

requieſcet in Spe. Quoniam non derelinques Animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ & replebis me jucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David: Quoniam defunctus eſt & ſepultus; & ſepulcrum ejus apud nos uſque in hodiernum diem. Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus providens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus; cujus omnes nos teſtes ſumus. Et Actuum 13. *Quod autem ſuſcitavit eum a mortuis, amplius jam non reverſurum in corruptionem ita dixit, Quia dabo vobis Sancta David fidelia; Ideoque & alias dicit, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in ſua generatione cum adminiſtraſſet voluntati Dei, dormivit, & appoſitus eſt ad Patres ſuos, & vidit corruptionem. Quem vero Deus ſuſcitavit a mortuis, non vidit corruptionem.*

Probatur tertio, ex Pſalmo octavo, in quo hæc verba ad Chriſtum pertinere manifeſtum eſt: *Quid eſt homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis; gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Hæc enim Chriſtu Jeſu S. Paulus accommodat Epiſtolæ ad Hebræos 2. 8. *In eo enim,* inquit, *quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum. Nunc autem nec videmus omnia ſubjecta ei. Eum autem qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum: Ut Gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Et primæ ad Corinthios 15. 56. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam.* Fruſtra ſunt autem Judæi, qui hunc Pſalmum ad *Adamum* referendum contendunt. *Adamus* enim filius hominis dici non potuit, qui non hominem, ſed Deum Patrem habuit: *Qui fuit Dei* (Lucæ 3. 38.) Cum Chriſtus e contrario hoc ſibi nomen aſſumpſerit. Præterea, hæc verba, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*, ſignificant & eum prius extitiſſe qui minutus eſt, quod Adamo non convenit, & ex celſiori meliorique ſtatu in humiliorem ac deteriorem deſcendiſſe: Quorum utrumque in Chriſtum egregie quadrat, qui Deo Patri coæternus, *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus*, & poſt paſſionem gloria & honore coronatus. *Adamus*, in animalia ſolum & fruges terræ imperium habuit, non in cœlum aut aſtra; At Chriſto *Data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra* (Matthæi 28. 18.) Denique hæc ejuſdem Pſalmi verba, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, ſibi adſcripſit Chriſtus, *Matthæi* 21. 16.

Probatur quarto, ex Pſalmo vigeſimo primo, quo Paſſio & Mors Chriſti, & vocatio Gentium per Chriſtum parta prænuntiantur. Nec enim *Davidi*, nec alii cuiquam præter *Jeſum*, hæc conveniunt: *Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti?... Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me; locuti ſunt labiis & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum: Salvum faciat eum, quoniam vult eum.... Quoniam circumdederunt me canes multi: Conſilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas, & pedes meos: Dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem: Narrabo nomen tuum fratribus meis: In medio Eccleſiæ laudabo te.... Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium: Quoniam Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur Gentium.* Cum hoc Pſalmo Evangelium *S. Matthæi* qui contulerit Cap. 27. hæc in Chriſto impleta fatebitur. *Poſtquam autem crucifixerunt eum* (inquit) *diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes. Ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas: Salva temetipſum: Si Filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult, eum; Dixit enim: Quia Filius Dei ſum...; Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, dicens: Eli, Eli, Lammoſabathani? Hoc eſt: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Hanc Prophetiam in ſolo Jeſu impletam probant *S. Juſtinus* Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, & Apologia 2. pro Chriſtiana Religione, *Tertullianus* Libro contra Judæos, Cap. 11, & Cap. 13. *S. Auguſtinus* Libro 17. *De civitate Dei*, Cap. 17. Illam etiam Vaticinii Davidici partem, *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te*, Chriſti Jeſu propriam eſſe docet *S. Paulus* in Epiſtola ad *Hebræos* Cap. 2. 2. 11. *Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Quod denique ait, *Reminiſcentur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ Gentium*, &c. In Davidem aut Davidis ætatem quadrare non poteſt, ſed vocationem Gentium ad fidem, cultum, & obedientiam Chriſti ſpectat. Unde *S. Aug ſtinus* loco mox laudato ait: *Hæc non jam tranſacta credimus, ſed præſentia contuemur: & ſicut in eodem Pſalmo tanto ante leguntur prædicta, ita jam exhibita toto terrarum orbe cernuntur.*

Nec vero impediunt hæc verba ejuſdem Pſalmi quin Chriſto congruat: *Longe a ſalute mea verba delictorum meorum. Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Hæc enim verba Chriſto conveniunt ratione membrorum, non ratione ſui. Deus enim *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo:* inquit *S. Paulus* 2. ad *Corinthios* 5. 21. *Et Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*, ut idem docet ad *Galatas* 3. 13. Itaque (inquit Theodoretus) *Quemadmodum cum ſit ſine juſtitia, noſtram peccatum accepit, cumque ſit benedictionis pelagus, maledictionem nobis imminentem ſuſcepit, & crucem ſuſtinuit opprobrium deſpiciens; ſic & pro nobis verba fecit. Si enim nobis conſtitutam diſciplinam ſponte ſubiit: Diſciplina enim pacis noſtræ ſuper eum, ut ait Propheta: Multo magis pro nobis verbis ex perſo-*
„ *na noſtra uſus eſt, & exclamat,* Longe a ſalo-
„ te *mea verba delictorum meorum. Ne reſpicias (in-*
quit) in delicta naturæ, ſed concede ſalutem propter meos cruciatus. Et quandoquidem cunctam more humano ferens, ſæpius precatus eſt in Paſſionis tempore
„ Pater, *dicens*, ſi fieri poteſt, tranſeat a me ca-
„ lix iſte, & *mœrore affectus dicebat*, Triſtis eſt a-
„ nima mea uſque ad mortem; *merito & Pſalmus*
„ *hoc prædicens ait*: Deus meus clamabo per diem
„ ad te, & non exaudies, & nocte, & non ad in-
„ ſipientiam mihi. Adde quod hæc Verſiu, *verba delictorum meorum*, non immediate expreſſa eſt ex Hebræo, ſed ex Septuaginta Interpretibus. Secundum vim autem & proprietatem Hebraicæ vocis vertendum eſſet, *Rugitus mei*, ut verterunt *Aquila* & *S. Hieronymus*; Vel, *Clamoris mei*, ut *Theodation*, & Chaldæus Paraphraſtes; aut, *Precationis meæ*, ut Sexta Editio.

Probatur quinto, ex Pſalmo trigeſimo nono, in quo hæc ad Chriſtum pertinent. *Sacrificium & oblationem noluiſti; Aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti; Tunc dixi: Ecce venio. In capite Libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & Legem tuam in medio cordis mei. Annunciavi juſtitiam tuam in Eccleſia magna: Ecce labia mea non prohibebo Domine tu ſciſti: Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: Veritatem & Salutare tuum dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam a conſilio multo.* Sacrificiorum & Cæremoniarum veterum, Legiſque Moſaicæ abrogationem per Chriſtum Novæ Legiſlatorem clariſſime prænuntiatam videas.

deas. Item prædictionem Chriſti, quem Joel *Doctorem juſtitiæ*, Iſaias *Præceptorem Gentium* appellet, de quo Matthæi 7. 8. dicitur: *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens*. In capite Libri de ipſo ſcriptum eſt, id eſt, initio Geneſeos, ubi prædicitur, Semen mulieris, Chriſtum ſcilicet, Serpentis caput contriturum: Vel, *in involucro* ſeu *volumine Libri*, ut vertunt *Aquila* & *Symmachus*. In toto nempe Veteri Teſtamento Prophetiæ plurimæ de Chriſto continentur, ut ipſe profitetur apud *S. Lucam*, Cap. 24. 44. dicens: *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Hæc eodem verba: *Ego autem mendicus ſum & pauper*, Chriſto potius conveniunt quam Davidi. Matthæi 8. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* De quo & Apoſtolus 2. ad Corinthios 8. 9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Hunc Pſalmum Chriſto convenire docet idem Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, Cap. 10. 4. 5. & ſeq. *Impoſſibile enim eſt*, inquit, *ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens Mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: Corpus autem aptaſti mihi: Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: In capite Libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum Legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.*

Probatur ſexto, ex Pſalmo quadrageſimo quarto, ex quo S. Paulus ad *Hebræos* 1. 8. hæc ad Chriſtum Jeſum referri docet: *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi; Virga æquitatis virga Regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* Item hæc verba, *Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: Propterea benedixit te Deus in æternum.* Id agnovit Chaldæus Interpres hac Paraphraſi locum iſtum illuſtrans: *Pulchritudo tua, Rex Meſſia, ſuperat filios hominum.* De eodem Pſalmo ſic cenſet Aben Ezra: *Iſte Pſalmus dicitur de Davide, aut de Meſſia.* Illum ad Meſſiam pariter referunt *Kimchius*, *Rabuenakius*, *Mritus Arama*, aliique Rabbini. Ad Davidem vel ad Salomonem ne referantur, hæc verba prohibent, quibus Deus dicitur in vocandi caſu is ad quem verba fiunt: *Sed tua, Deus, in ſæculum ſæculi.* Nec ad Deum Patrem referri poſſunt, uti referebat ineptiſſime Judæus quidam, cujus meminit *Origenes*, cum in eum quadrare non poſſint iſta verba, *Specioſus forma præ filiis hominum; Diffuſa eſt gratia in labiis tuis . . . , Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: Quæ Jeſu Chriſto præclare conveniunt, Spiritus Sancti gratia delibuto, pleno gratiæ & veritatis: Qui & de ſe ait Iſaiæ 61. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me.* Convenire etiam *Salomoni* Pacifico hæc verba non poſſunt: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, Potentiſſime. . . . Sagittæ tuæ acutæ; Populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.* Chriſto autem tropice conveniunt, de quo & Iſaiæ 11. 4. 5. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium; & erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Et 41. 2. *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum ut ſequeretur ſe? Dabit in conſpectu ejus Gentes, & Reges obtinebit: Quaſi pulverem gladio ejus, ſicut ſtipulam vento raptam arcui ejus.* Neque etiam Davidi aut *Salomoni* conveniunt iſta: *Propterea Populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Hæc denique, *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, in Salomonem non quadrant, cujus filii terræ univerſæ non præfuerunt, imo nec toti Judææ, cujus maximam partem *Roboam* amiſit, & duabus tantum Tribubus jura dedit. Eccleſiæ vero conveniunt, ſicut & illa: *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate . . . Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* Huic filii promittuntur pro Patribus, Epiſcopi ſcilicet ſpirituali principatu toto orbe donandi. *S. Auguſtinus* Commentario in Pſalmos: *Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi.* Non ergo *Salomonis* cum Regis Ægypti filia carnale Matrimonium, ſed Chriſti cum Eccleſia ſpirituale connubium hoc Pſalmo celebratur. Legatur *Origenes* Libro 1. Contra Celſum & *Euſebius* Lib. 4. Demonſtrationis Evangelicæ, Cap. 15. ubi hæc præſertim verba, *Sedes tua, Deus in ſæculum ſæculi: Virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, Chriſto vindicat. *Inſpice igitur*, inquit, *Dominum in his alloquutus planiſſime, an non: Nempe tu*, inquit, *Deus, pro eo quod eſt, o Deus. Sedes tua in ſæculum ſæculi extat, & virga directionis, virga regni tui: Et quoniam tu ipſe Deus dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, & Chriſtum te præ omnibus conſtituit. Sed longe his clarius Scriptura Hebræorum idem demonſtrat, quam Aquila accuratiſſime interpretans, his verbis edidit: Sedes tua, o Deus, in ſæculum & ultra: Sceptrum directionis, ſceptrum Regni tui: Dilexiſti quod juſtum eſt, & odiſti impietatem: Propterea ob hanc ipſam cauſam, unxit te, o Deus, ille, qui tuus quoque eſt Deus: Ut ſit & qui ungitur Deus, & qui ungit, qui quidem ſit omnium Deus. Hoc autem ei qui Hebraicam linguam diligentius attenderit, plane admodum conſtabit. Nam in prima denominatione, ubi Aquila, Sedes tua, o Deus, interpretatus eſt: Qui plane pro eo quod eſt Deus, o Deus, enunciavit, ipſum Hebraicum habet Elaim. Porro hic itidem in illo, Propterea unxit te, o Deus, ipſum Elaim intelligitur, quod vocativum caſum, o Deus, ſignificat. Pro recto vero nominis caſu, ubi dictum eſt, Propterea unxit te Deus, Deus tuus, ipſum Hebraicum habet Eloach, admodum accurate atque exquiſite: Ut ſit ipſum quidem Elaim vocativo caſu ſignificans, o Deus: ipſum vero Eloach recto caſu, Deus: Ut hæc ſit exquiſitiſſima interpretatio, quæ habet: Propterea, unxit te, o Deus, Deus tuus. Clariſſime igitur in his Deum alloquens oraculum ait, Ipſum unctum eſſe a Deo, oleo exaltationis præ omnibus, qui unquam ejuſdem cum ipſo participes fuerint appellationis. Habes igitur in his planiſſime Deum qui ungitur, & Chriſtus efficitur, non auguſta compoſitione, neque ab hominibus ad id dignitatis provectum, neque eadem quidem cum cæteris hominibus ratione. Porro hic idem eſt & Dilectus Dei, & ejuſdem Proles, & Sacerdos æternus, & Confeſſor Patris dictus. Sed quis hic tandem erit, niſi primum genitum Dei Verbum, qui in Principio apud Deum, Deus erat; Qui per totam divinam Scripturam prædicatur ut Deus?*

Idem obſervat S. *Hieronymus* Epiſtola 140. ad *Principiam* Virginem, totumque Pſalmum de Chriſto & Eccleſia explicat. Inſcribi notat, *Canticum pro Dilecto*, de quo ſcilicet Iſaias canit Cap. 5. *Cantabo Canticum Dilecti vineæ.* Et de quo Pater Æternus, Matthæi 17. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.*

Legatur & S. *Auguſtinus* tum in Commentario hujus Pſalmi, tum Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 16. ubi hæc habet: *Quis non hic Chriſtum, quem prædicamus, & in quem credimus quamlibet ſit tardus agnoſcat? Cum audiat Deum, cujus ſedes eſt in ſæcula ſæculorum & unctum a Deo, utique ſicut ungit Deus, non viſibili, ſed ſpirituali atque intelligibili chriſmate. Quis enim tam rudis eſt in hac Religione, vel tam ſurdus adverſus ejus famam longe lateque diffuſam, ut Chriſtum a chriſmate, hoc eſt ab unctione appellatum eſſe non noverit? Agnito autem Rege Chriſto, jam cætera quæ hic tropice dicta ſunt, quomodo ſit ſpecioſus forma præ filiis hominum, quadam tanto magis amanda atque miranda, quanto minus corporea pulchritudine; quis gladius ejus, quæ ſagittæ, & cætera iſta modo non proprie, ſed tropice poſita, jam ſubditus ei qui regnat, propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, inquirat ex otio. Deinde aſpiciat ejus Eccleſiam, tanto viro ſuo ſpirituali connubio & divino amore conjunctam; de qua dicitur:*

Ad-

Adſtitit Regina a dextris tuis, *&c. Non opinor quemquam ita deſipere, ut hic aliquam mulierculam prædicari credas, atque deſcribi: Conjugem videlicet illius cui dictum eſt*, Sedes tua, Deus in ſæcula
„ ſæculorum: Virga directionis, virga regni tui,
„ Dilexiſti juſtitiam, & odio habuiſti iniquitatem:
„ Propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exul-
„ tationis præ participibus tuis: *Chriſtum utique præ Chriſtianis. Hi ſunt enim participes ejus, ex quorum in omnibus Gentibus unitate atque concordia fit iſta Regina, ſicut in alio Pſalmo de illa dicitur*, Civitas Regis Magni. *Cum igitur hæc Regina, Civitati Dei, tanto ante dictum ſit per Prophetam, quod*
„ *jam videmus impletum*, Pro Patribus tuis nati ſunt
„ tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem ter-
„ ram. *Ex filiis quippe ejus per omnem terram ſunt Propoſiti & Patres ejus, cum confitentur ei Populi concurrentes ad eam cum confeſſione laudis æternæ in ſæculum ſæculi: Procul dubio quicquid hic tropicis locutionibus ſubobſcure dictum eſt, quoquo modo intelligatur, debet his rebus manifeſtiſſimis convenire.* Vide ejuſdem Sancti Doctoris Librum *De unitate Eccleſiæ*, Cap. 8. Lege & *Theodoretum* in iſtius Pſalmi interpretatione.

Probatur ſeptimo ex Pſalmo ſexageſimo octavo, cujus Vaticinia Chriſto addicere compulſus eſt vi veritatis *Aben Ezra*: In Juda proditore exitum habuiſſe hæc verba, *Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea, & Epiſcopatum ejus accipiat alter*, docet S. Petrus Actuum 1. 16. 20. *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jeſum.... Scriptum eſt enim in Libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: Et Epiſcopatum ejus accipiat alter.* Sibi hæc vindicat Chriſtus Jeſus Joannis 15. 25. *Oderunt me gratis.* Ad eum hæc ſpectare idem Evangeliſta teſtatus Cap. 2. 17. *Zelus domus tuæ comedit me.* Hæc verba *Fiat habitatio eorum deſerta*, Chriſtus Jeſus uſurpat Matthæi 23. 38. & Scribis ac Phariſæis Evangelio ſuo repugnantibus id mali eventurum prædicit. *Davidem* Chriſti adverſariis hac imprecatum ſcribit *S. Paulus* ad Romanos Cap. 11. 9 *Fiat menſa eorum in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Ad unum denique Chriſtum hæc pertinent: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Quod in Paſſione ejus impletum conſtat ex Matthæi 27. 34. 48. *Et dederunt*, inquit, *ei vinum bibere cum felle mixtum: Et cum guſtaſſet, noluit bibere... Et continuo currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.* Idem narratur *Marci* 15. 23. 36. *Lucæ* 23. 36. & *Joannis* 19. 28. 29. 30. Quamobrem merito reprehenſus eſt a Quinta Synodo Oecumenica *Theodorus Mopſueſtenus*, qui hæc a *Davide* fuiſſe dicta de ſe ipſo contendebat, quia ſcilicet tanta paſſus eſt ab adverſariis ut præ triſtitia & ira inſuaves illi eſſent amarique cibi: Ab Apoſtolis autem & Evangeliſtis fuiſſe uſurpata e re nata, & argumentis quæ tractabant accommodata, utpote ipſis conſentanea; non vero quod ea haberent pro Vaticiniis: Siquidem veriſimile non eſt rerum adeo diverſarum prædictiones in unum eumdemque Pſalmum fuiſſe congeſtas. Sed in promptu eſt Reſponſio, Res illas diverſas ad unum eumdemque ſcopum ſpectare, proindeque in unum Pſalmum fuiſſe merito congeſtas.

Objices verſus 27. 28. 29. 30. 32. 33. quibus Judæis optatur pernicies, prohibere ne de Chriſto qui ipſis oravit, ut dicitur *Lucæ* 23. 34. Pſalmus iſte intelligatur.

Reſpondetur cum *S. Auguſtino*, Hæc verba: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum: Obſcurentur oculi eorum ne videant: Fiat commoratio eorum deſerta*, &c. non eſſe *optantis, ſed prophetantis, non ut fiat, ſed quia fiet.* Præterea, Chriſtus in genere tantum oravit pro perſecutoribus, imprecationes autem illæ ad reprobos & obduratos referuntur. Et a Davide Spiritu Sancto afflato, Chriſtique typum gerente prolatæ ſunt, non ſtudio vindictæ, ſed zelo juſtitiæ: Sic tamen ut ea quæ Hieroſolymorum everſionem ſpectat, in ipſos etiam juſtos redundaverit utpote cum impiis permixtos.

At (inquies) Pſalmus ille Sion ſalvam faciendam, & ædificandas Civitates Juda vaticinatur 5. 40. quæ tamen poſt Chriſti Paſſionem everſæ ſunt.

Reſpondetur. Eccleſiam per Sion intelligi, & Civitates Juda ſingularia Templa deſignare, quæ poſt Chriſti Paſſionem ad ejus cultum extructa ſunt, ſeu potius Templa viva, id eſt, Gentes in Eccleſiam aggregandas: Unde ſubdit Propheta: *Et ſemen ſervorum ejus poſſidebit eam, & qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.*

Objicies hæc verba: *Et dederunt in eſcam meam fel*, Chriſtum non ſpectare; ſiquidem *S. Matthæus* fellis, potui Chriſto dati meminit, non eſui.

Reſpondetur, Eſcæ nomine omne eſculentum & poculentum intelligi, ut ex *Alcmane* patet dicente, *Deos nectar edere.* Adde quod *Tertullianus* Libro Adverſus Judæos, Cap. 10. legit, *Miſerunt in potum meum fel.*

Probatur octavo ex Pſalmo ſeptuageſimo primo, qui *Salomonis* nomine inſcriptus eſt, in quo plura ſunt, quæ *Salomoni* accommodari nullatenus valeant, Chriſto autem apprime conveniant, cujus ortum temporibus ipſis antiquiorem Prophetæ prædicant, quem rori comparant, quo regnante juſtitiam & pacem orituram, & totum orbem ipſum adoraturum, ejuſque imperio ſubditum iri vaticinantur. In Salomonem certe iſta non quadrant Oracula: *Permanebit cum Sole & ante Lunam, in generatione & generationem. Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna. Et dominabitur a Mari uſque ad Mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba Dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſervient ei. Ante Solem permanet nomen ejus: Et benedicentur in ipſo omnes Tribus terræ, omnes Gentes magnificabunt eum.* Hunc autem Pſalmum ad Chriſtum pertinere, non ſolum Chriſtiani Doctores demonſtrant, ſed ipſi etiam Judæi fateri coguntur, ut conſtat ex Chaldæo Paraphraſte, ex *Midraſch Thehillim*, ex Libro *Siphre*, RR. *Selomoh Jarchi*, *Aben Ezra*, *Davide Kimchi*, & *Saadia Gaon*. Lege *S. Hilarium*, & *S. Auguſtinum*, in Commentariis hujus Pſalmi, & Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 8. ubi *Salomonem* typum Chriſti fuiſſe, docet & Scripturam Sanctam, etiam rebus geſtis prophetantem quodam modo in eo figuram delineare futurorum. Nam præter Libros Divinæ Hiſtoriæ, ubi regnaſſe narratur, Pſalmus etiam ſeptuageſimus primus titulo nominis ejus inſcriptus eſt: *In quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei convenire non poſſunt, Domino autem Chriſto aptiſſima perſpicuitate conveniunt, ut evidenter appareat, quod in illo figura qualiſcumque adumbrata ſit, in iſto autem ipſa veritas præſentata. Notum eſt enim quibus terminis Regnum concluſum fuerit Salomonis: Et tamen in eo Pſalmo legitur ut alia taceam: Dominabitur a Mari uſque ad Mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terræ: Quod in Chriſto videmus impleri. A flumine quippe dominandi ſumpſit exordium, ubi baptizatus a Joanne, eodem monſtrante cœpit agnoſci a diſcipulis, qui eum non ſolum Magiſtrum, verum etiam Dominum appellaverunt.*

Probatur nono ex Pſalmo octogeſimo octavo, in quo plurima ſunt quæ *Davidi* nequeunt aptari, Chriſto vero egregie congruunt: Illud imprimis, *Et ponam in Mari manum ejus*, id eſt, Mare illius Imperio ſubjiciam. Quamvis enim gentes Maris accolas ditioni ſuæ David ſubjecerit, nunquam tamen trans littora Imperii ſui fines dilatavit. Chriſto vero id convenire conſtat ex Zachariæ 11. 10. *Poteſtas ejus a Mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad fines terræ.* Hæc etiam verba Pſalmi: *Et ego Primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ*, ad *Davidem* referri commode non poſſunt, qui nec Primogenitus fuit, nec aliis Regibus, puta Aſſyriorum Rege, excelſior & potentior. At Chriſti pro-

gris

prii ſunt hi characteres, qui *Primogenitus* eſt *in multis fratribus*, *Primogenitus omnis creaturæ*, *Primogenitus ex mortuis*, *In omnibus primatum tenens*, (ut docet *S. Paulus* Epiſtolæ ad Romanos Cap. 8. 29. & 2. ad *Coloſſenſes* 15. 18.) *Rex Regum*, *& Dominus Dominantium*; *Primogenitus Mortuorum*, *& princeps Regum terræ*: (ut ait S. Joannes *Apocalypſis* 19. 16. & 1. 5.) Hæc etiam Pſalmi noſtri verba Chriſto egregie congruunt: *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu*: Quæ gemina ſunt illis Pſalmi II. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et 109. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te*. Huic denique Patris Æterni divinæ voci Chriſtum Jeſum filium ſuum de cœlo proclamantis: *Hic eſt filius meus dilectus* (Matthæi 3. 17. & 17. 5.) In eodem Pſalmo legimus: *Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus ſicut dies cœli*.... *Semel juravi in Sancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit: Et thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis*. Hæc Davidi non conveniunt, cujus poſteri regnare deſierunt in *Jechonia* & *Sedecia*; Sed Chriſto Jeſu, de quo Angelus ita vaticinatur apud *S. Lucam* Cap. 1. Evangelii V. 32. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*. Pſalmi hujus Vaticinium Meſſiam prænuntiatum fatentur Judæi in *Bereſith Rabba*, & in *Vaielle Semoth Rabba*, & in *Midraſch Canticel Canticorum*. Id etiam conceduut *R. Selomoh* & *Aben Ezra*. Legatur *S. Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Capit. 9 ubi hujus Pſalmi Vaticinia expendens, illis recenſitis ſubdit: *Quæ omnia de Domino Jeſu intelliguntur ſub nomine David propter formam ſervi quam de ſemine David idem Mediator aſſumpſit ex Virgine*. Subdit Pſaltes: *Uſquequo Domine avertis in finem? Exardeſcet ſicut ignis ira tua? Memorare quæ mea ſubſtantia: Nunquid enim vane conſtituiſti omnes filios hominum? Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem: Eruet animam ſuam de manu inferi?* Quæ precatio Prophetia Chriſti eſt. Nam hic *Finis intelligendum eſt ultimum tempus, quando in Chriſtum Jeſum etiam illa gens eſt creditura, ante quem finem illa fieri oportebat, quæ ſuperius ærumnoſa deflevit* .... Memorare quæ eſt mea ſubſtantia. *Nihil hic melius quam ipſe Jeſus intelligitur, ſubſtantia Populi ejus, ex quo natura eſt natus ejus*. Non enim vane, *inquit*, conſtituiſti omnes filios hominum. *Niſi enim eſſet unus filius hominis ſubſtantia Iſrael, per quem filium hominis liberarentur multi filii hominum, vane utique conſtituti eſſent omnes filii hominum. Nunc vero omnis quidem humana natura per peccatum primi hominis in vanitatem de veritate collapſa*
Pſ.143. 4. ,, *eſt, propter quod dicit alius Pſalmus*, Homo va-
,, nitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt: *Sed non vane Deus conſtituit omnes filios hominum; Quia & multos e vanitate liberat per Mediatorem Jeſum, & quos liberandos non eſſe præſcivit, ad utilitatem liberandorum, & comparationem duarum inter ſe a contrario Civitatum, non utique vane in totius rationalis creaturæ pulcherrima atque* ,, *juſtiſſima ordinatione conſtituit. Deinde ſequitur*: Quis ,, eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem; e-,, ruet animam ſuam de manu inferi? *Quis eſt iſte, niſi ſubſtantia illa Iſrael ex ſemine David, Chriſtus* ,, *Jeſus? De quo dicit Apoſtolus*, Quod ſurgens a
Rom.6. 9. ,, mortuis, jam non moritur, & mors ei ultra non ,, dominabitur. *Sic enim vivet, & non videbit mortem, ut tamen mortuus fuerit, ſed animam ſuam eruerit de manu inferi, quo propter quorumdam ſolvenda inferni vincla deſcenderat: Eruerit autem po-* ,, *teſtate illa de qua in Evangelio dicit*, Poteſtatem
Joan.10. 18. ,, habeo ponendi animam meam, & poteſtatem ha-,, beo iterum ſumendi eam.

Probatur decimo, ex Pſalmo nonageſimo-ſexto, cujus hæc Verba V. 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus*, Regni Chriſti prænuntia eſſe docet *S. Paulus* in Epiſtola ad *Hebræos*, Cap. 1. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*.

Probatur undecimo, ex Pſalmo centeſimo-nono, quo Chriſti divinitas, generatio æterna, regia dignitas, Sacerdotium, victoriæ ac triumphi præcinuntur. Divinitas quidem, & æterna generatio exprimuntur his verbis: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*.... *Ex utero ante Luciferum genui te*. Regia dignitas iſtis commendatur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum*. Sacerdotium hoc commate prædicitur: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Victoriæ ipſius ac triumphi reliquis Pſalmi verſibus prædicuntur. Hunc Pſalmum ad Meſſiam pertinere, tam certum olim & indubitatum fuit apud Judæos, ut Chriſtus & Apoſtoli hæc Oracula, vel in Sermonibus publice ad ipſos habitis, vel in Epiſtolis uſurpantes, neminem repugnantem habuerint, ſive qui negare fuerit auſus, hæc Vaticinia Meſſiam ſpectare, Matthæi 22. 41. & ſeq. *Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus filius eſt? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum: Neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare*. S. Petrus Actuum 2. 34. *Non enim David aſcendit in cœlum; Dixit autem ipſe; Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis. His autem auditis, compuncti ſunt corde: Et dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres?* Sanctus *Paulus* 1. ad *Corinthios* 15. 25. & ad Hebræos Cap. 1. 13. Cap. 5. 6. vi. 20. vir. 1. hunc Pſalmum de Chriſto intelligi docet. Porro (ut recte ratiocinatur Eruditus Auctor) haud quanquam probabile eſt Apoſtolos tantum ſibi fuiſſe permiſſuros, ut nobiliſſimo Pſalmo novam & adhuc inauditam ſententiam affingerent, apud Hebræos præſertim, ſuperſtitionibus deditam Gentem, & in iis quæ ad Religionem pertinerent, irritabilem, niſi id communi opinione receptum, ac vulgo creditum fuiſſent. Quocirca veteres Judæi de Meſſia hunc Pſalmum intellexerunt, ut conſtat ex Chaldæo Paraphraſte, *R. Moſe Hadarſan*, *R. Saadia Gaone* in Danielem, *R. Iſaac Ben Aramah*, ex *Midraſch Thehillim*, & ex ipſo Thalmude in *Sanh*, Cap. 5. Fruſtra autem Judæorum nonnulli poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora, hunc Pſalmum ad *Abrahamum*, aut ad *Davidem*, aut ad *Salomonem*, aut ad *Ezechiam*, aut ad *Zorobabelem* retulerunt. Nec enim Abrahamo convenire poſſent iſta: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*, præſertim ſecundum Judæorum opinionem, qui Patriarcham illum ad Gehennæ fores excubare cenſent, ut Judæos omnes illuc pro ſceleribus ſuis detrudendos ab ingreſſu tartari arceat. Nec etiam iſta congruunt Abrahamo, aut Davidi, aut Salomoni, aut Ezechiæ, aut Zorobabeli; *Ex utero ante Luciferum genui te. Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*. Nec Salomonem, Ezechiam, aut Zorobabelem, David, cujus eſt Pſalmus, Dominos ſuos appellaſſet. Nec pacifico Salomoni conveniunt verſus ſecundus, ſextus & ſeptimus, qui bellatorem deſcribunt.

Judæi quidam hunc Pſalmum uni e Cantoribus Davidis tribuunt, & Verſum hunc, *Dixit Dominus Domino meo*, id ſibi velle contendunt: David Dominus meus dixit, Salomoni Domino meo: Iſtum vero, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, votum Cantoris hujus eſſe ajunt, qui Regnum diuturnum *Salomoni* adprecetur, eandem nempe vocem Hebræis Principem & Sacerdotem ſignificare: *Tu in æternum* haud ſemper infinitum tempus, ſed diuturnum quandoque exprimere. Denique pro, *ſecundum ordinem Melchiſedec*, vertendum fuiſſe, *ſecundum verbum Regi meo juſte*, hoc eſt, Davidi a Deo dictum. Verum non Cantoris alicujus, ſed ipſius *Davidis* Pſalmum hunc eſſe veteres Judæi agno-

agnoverunt, ut ex Jeſu Chriſti & Apoſtolorum teſtimoniis conſtat, illum Davidi tribuentium. Id agnovit & *Trypho*, ut colligitur ex Dialogo S. Juſtini Martyris. Quamvis autem vox eadem quæ Sacerdotem ſonat Hebræis, interdum Principem ſignificet, ut 2. Regum 8. 18. Job 12. 19. adjuncta tamen *Melchiſedeci* mentio hac eam ſignificatione accipi vetat. *Melchiſedech* enim non Regio Jure, ſed Sacerdotali, panem & vinum obtulit, Abrahæ benedixit, ab eoque decimas accepit. Alia afferuntur adverſus illas recentiorum Judæorum cavillationes a Viris Eruditis, ſed nihil afferunt luculentius quam ſimiles reliquorum Scriptorum Sacrorum locutiones, pareſque ſententiæ, ubi de Meſſia loquuntur. Quam germana ſunt hæc, *Dixit Dominus Domino meo*, & illa Eccleſiaſtici 51. 14. *Invocavi Dominum Patrem Domini mei?* Iſta, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, Et illa Iſaiæ 2. 2. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt Populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: Quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem?* Quam præclare conſonat Iſtud, *Ex utero ante Luciferum genui te:* Et illud Pſalmi 2. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et illud Proverbiorum 8. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi & ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole conſtiterant: Ante colles ego parturiebar*, &c. De illius Pſalmi ſenſu legendi *S. Juſtinus* in Dialogo cum Tryphone pag. 250. & *Tertullianus* Libro 5. *Contra Marcionem*, Cap. 9. ubi Judæos de *Ezechia* Rege illum perperam interpretari, illaque Vaticinia in ſolum Chriſtum quadrare probant: *S. Joannes Chryſoſtomus* in ipſius Pſalmi Expoſitione, ubi oſtendit, illum nec *Abrahamo*, nec *Davidi*, nec *Zorobabeli*, nec Populo, ſed uni Chriſto Jeſu convenire: *S. Hilarius* in Commentario, *S. Hieronymus* in Commentario Capitis 22. S. Matthæi, *S. Auguſtinus* in Commentario *Pſalmorum* & Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 17. *Theodoretus* in Interpretatione ejuſdem Pſalmi, & alii Interpretes in eamdem conſpirantes ſententiam, totumque Pſalmum de Chriſto explicantes.

Probatur duodecimo, ex Pſalmo centeſimo decimoſeptimo in quo hæc leguntur: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes; hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Quod Oraculum de ſe ipſo explicat Jeſus Chriſtus Matthæi 21. 42. additque: *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: Super quem vero ceciderit, conteret eum.* Et S. Petrus ad Judæos ſermonem habens Actuum 4. 11. *Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: Et non eſt in alio aliquo ſalus.* Et S. Paulus Epiſtulæ ad Epheſios 2. 19. 20. 21. *Ergo jam non eſtis hoſpites & advenæ: Sed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei: Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum Sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Horum germana ſunt quæ de Chriſto prænuntiat *Iſaias* Cap. 28. 16. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum: Qui crediderit, non feſtinet.* Et Cap. 8. 14. *Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael, in laqueum, & in ruinam habitantibus Jeruſalem.* Hæc denique verba ejuſdem Pſalmi, *O Domine, ſalvum me fac, o Domine, bene proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini*, ad Chriſtum Jeſum eſſe referenda, probant ſimiles voces quas plebs occinebat, cum Salvator noſter Hieroſolyma triumphi ritu ingreſſus eſt, Matth. 21. 9. *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis.*

Merito itaque *Tertullianus* Libro Contra *Praxeam*, Cap. 11. ait: *Sed & omnes pene Pſalmi Chriſti perſonam ſuſtinent, Filium ad Patrem, id eſt, Chriſtum ad Deum verba facientem repræſentant.*

Merito *S. Hilarius* Prologo in Pſalmos: *Non eſt*, inquit, *ambigendum ea, quæ in Pſalmis dicta ſunt, ſecundum Evangelicam Prædicationem intelligi oportere: Ut ex quacumque licet perſona Propheta Spiritus ſit locutus, tamen totum illud ad cognitionem adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & corporationis, & paſſionis, & regni, & reſurrectionis noſtræ gloriam virtutemque referatur... Sunt enim univerſa allegoricis & typicis contexta virtutibus: Per quæ omnia unigeniti Dei Filii in corpore & gignendi, & patiendi, & moriendi, & reſurgendi, & in æternum, conglorificatis ſibi qui in eum crediderint, regnandi, & cæteros judicandi ſacramenta panduntur.* Addit, Pſalmorum Librum niſi per fidem adventus Chriſti intelligi non poſſe. Quo ſpectat illud *S. Joannis* Apocalypſis 3. 7. *Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. CLAVEM porro David habet, quia per hanc, quæ in illo expleta eſt, Prophetiam, aperiet quod nemo præcludet; & contra expleta in eo Prophetia fide abnegata, claudet, quod nemo poſſit aperire. Nullus enim niſi ille in quo hæc prophetata & expleta ſunt, clavem intelligentiæ hujus impartiet.* Quamobrem idem Apoſtolus Cap. 5. ſcribit: *Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, Librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire Librum, & ſolvere ſignacula ejus? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire Librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire Librum, nec videre eum. Et unus de Senioribus dixit mihi: Ne fleveris: Ecce vicit Leo, de Tribu Juda, radix David, aperire Librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Hinc Chriſtus poſt Reſurrectionem, Lucæ 24. 44. ait: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.*

Merito *S. Hieronymus*, Epiſtola ad Paulinum: *David Simonides noſter, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Chriſtum lyra perſonat.*

Merito *S. Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 15. *Nunc jam*, inquit, *expectari a me video, ut hoc loco Libri hujus aperiam quid in Pſalmis David de Domino Jeſu Chriſto vel ejus Eccleſia prophetaverit. Ego autem ut hoc non ita faciam, ſicut videtur ipſa expectatio poſtulare, copia, quam inopia, magis impedior. Omnia enim ponere vitandæ prolixitatis cauſa prohibeor: Vereor autem ne cum aliqua elegero, multis, qui ea noverunt, videar magis neceſſaria prætermiſiſſe. Deinde quia teſtimonium quod profertur, de contextione totius Pſalmi debet habere ſuffragium, ut certe nihil ſit quod ei refragetur, ſi non omnia ſuffragantur: ne more centonum ad rem quam volumus, tamquam verſiculos, decerpere videamur, velut de grandi carmine, quod non de re illa, ſed de alia longeque diverſa reperiatur eſſe conſcriptum. Hoc autem ut in quocumque Pſalmo poſſit oſtendi, exponendus eſt totus: Quod quanti operis ſit, & aliorum, & noſtra Volumina, in quibus hoc fecimus, ſatis indicant. Legat ergo illa, qui voluerit, & potuerit: inveniet, quot & quanta Rex David, idemque Propheta de Chriſto & ejus Eccleſia prophetaverit, de Rege ſcilicet & Civitate quam condidit.*

SCHOLION I.

His recentiorum quorumdam Interpretum refellitur temeritas, qui Pſalmos ab Antiquis de Chriſto Jeſu explicatos, de Chriſto ab Eccleſia ſemper intellectos, in alium ſenſum trahunt, & vim Prophetiarum elevare non verentur, *Hugone Grotio* duce. 1. *Tim.* 6.
Apoſtolum audiant Timotheum ſuum his verbis compellantem: *O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates.* Quid eſt depoſitum? *Id eſt*,

quod

Digitized by Google

Vincentius Lirinenſis in Commonit. Cap. 27. Tom. 3.

quod tibi creditum eſt, non quod a te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenii, ſed doctrinæ, non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens . . . o Timothee, o Sacerdos, o Doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina eſto ſpiritalis Tabernaculi Beſeleel, pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur: Eadem tamen quæ didiciſti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.

SCHOLION II.

Spicilegii Acheriani,

Quam ſalutaris ſit lectio & meditatio Pſalmorum exponit S. Nicetius Trevirenſis Epiſcopus in Tractatu *de Pſalmodiæ bono*, Cap. 1. „Quid, *inquit*, in his Pſalmis non invenies, quod faciat ad utilitatem & ædificationem, ad conſolationem humani generis, conditionis, ſexus, ætatis? Habet in Pſalmis infans quid lactet, puer quid laudet, adoleſcens quid corrigat viam, juvenis quid ſequatur, ſenior quid precetur. Diſcit fœmina pudicitiam, pupilli inveniunt patrem, viduæ judicem, pauperes protectorem, advenæ cuſtodem. Audiunt Reges & Judices quid timeant: Pſalmus triſtes conſolatur, lætos temperat, iratos mitigat, pauperes recreat, divites ut ſe agnoſcant admonet, & ne ſuperbiant increpat; omnibus omnino ſuſcipientibus ſe aptam medicinam contribuit Pſalmus, nec peccatores deſpicit, ſed remedium eis per pœnitentiam lacrymoſam ſalubriter ingerit. Dominus itaque Deus noſter per David ſervum ſuum confecit potionem, quæ dulcis eſſet guſtu per cantationem, & efficax ad curanda vulnera peccatorum per ſuam virtutem. Suaviter enim Pſalmus auditur cum canitur, penetrat animum cum delectat; facile Pſalmi memoria retinentur, ſi frequenter pſallantur; & quod Legis auſteritas ab humanis mentibus extorquere non poterat, hi per dulcedinem cantionis excludunt. Nam quicquid Prophetæ, quicquid Evangelica ipſa præcipiunt, in his carminibus ſuavi meditantium dulcedine continetur. Deus oſtenditur ut timeatur, ſimulacra ridentur, juſtitia ingeritur, iniquitas prohibetur, miſericordia laudatur, incredulitas objicitur, veritas requiritur, mendacia damnantur, dolus accuſatur, innocentia collaudatur, ſuperbia dejicitur, humilitas ſublimatur, pœnitentia prædicatur, pax ſequenda depromitur. Contra inimicos protectio poſtulatur, vindicta promittitur, ſpes certa nutritur; & quod his eſt omnibus excellentius in Pſalmis Chriſti Sacramenta cantantur. Nam & generatio ejus exprimitur, & rejectio plebis impiæ, & Gentium hereditas nominatur, virtutes Domini cantantur, Paſſio veneranda depingitur, Reſurrectio glorioſa monſtratur, Sedes quoque ad dexteram mirabiliter depingitur. Deinde igneus Domini manifeſtatur adventus, terribile de vivis & mortuis Judicium panditur. Quid plura? Etiam Spiritus creantis emiſſio, & terræ renovatio revelatur, poſt quæ erit in gloria Domini ſempiternum juſtorum Regnum, peccatorum perenne ſupplicium. Hæc ſunt Cantica Dei, quæ canit Catholica Eccleſia Dei.

DISSERTATIO XXV.

DE LIBRIS SAMUELIS.
Sive primo & ſecundo Regum.

PROPOSITIO I.

Libri Samuelis, ſive primus & ſecundus Regum, genuini ſunt & antiqui. Eorum Auctor haud omnino certus: Probabiliter cenſetur a Samuele, Nathan, & Gad Prophetis eſſe ſcriptos, ita ut pars maxima Samuelem Auctorem habuerit, reliqua Nathanem, & Gadam.

PRobatur Propoſitionis prima pars. Genuini illi ſunt & antiqui Scripturæ Sacræ Libri, quibus teſtimonium perhibent alii ejuſdem Scripturæ Libri, Traditio, Concilia, & Eccleſiæ Catholicæ conſenſus, necnon Scriptores exotici; Sed Libris Samuelis, ſive primo & ſecundo Regum, teſtimonium perhibent alii ejuſdem Scripturæ Libri, Traditio, Concilia, Eccleſiæ conſenſus, Scriptores exotici: itaque genuini ſunt & antiqui.

Probatur Minor. His enim quæ 1. Regum Cap. 26. leguntur, *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit*, gemina ſunt iſta Sapientiæ 16. 13. *Tu enim es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis*: & Tobiæ 13. 2. *Quoniam flagellas, & ſalvas, deducis ad inferos, & reducis*. Iſtud 1. Regum 2. 8. *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat*: ſimile eſt Verſibus 7. & 8. Pſalmi centeſimi duodecimi; *Suſcitans a terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem: Ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus Populi ſui*. De *Samuele* dicitur Eccleſiaſtici 47. 22. *Et ante tempus finis vitæ ſuæ, & ſæculi, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini, & Chriſti, pecunias, & uſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſavit illum homo*. Id ex primi Regum Capite 12. 3. 4. 5. derivatum eſt, ubi *Samuel* ad univerſum Iſrael ait: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto ejus, utrum bovem cujuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cujuſquam munus accepi: & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. Et dixerunt: Non es calumniatus nos neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quippiam. Dixitque ad eos: Teſtis eſt Dominus adverſum vos, & teſtis Chriſtus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Teſtis*. Eccleſiaſtici 47. 3. 4. de *Davide* dicitur: *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis; & in urſis ſimiliter fecit, ſicut in agnis ovium, in juventute ſua. Nunquid non occidit Gigantem, & abſtulit opprobrium de gente?* Id ex primi Regum 17. Capite ſumptum eſt, ubi *David* his verbis allocutus *Saulem* dicitur: *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus: Erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis. Nunc vadam & auferam opprobrium Populi . . . Prævaluitque David adverſum Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit*. Quod *Eccleſiaſtis* 4. 17. & *Oſeæ* 6. 6. habetur, *Melior eſt obedientia, quam victimæ*; ex primi Regum 15. 22. derivatum eſt, ubi *Samuel* ait: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quam victimæ: & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum* . . . 2. Regum 7. Deum dixiſſe *Davidi* Per Nathanem Prophetam memoratur: *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: Qui ſi inique*

aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul, quem amovi a facie mea. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter. Horum germana ſunt illa Pſalmi octogeſimi-octavi: *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam; & in judiciis meis non ambulaverint: Si juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint: Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo; neque nocebo in veritate mea: Neque profanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* Legitur Ezechielis 17. 32. *Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus*, & 33. 2. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat.* Id derivatum eſt ex ſecundi Regnum 14. 14. ubi Mulier Thecuitis ad Davidem: *Omnes* (inquit) *morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur: Nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans ne penitus pereat qui abjectus eſt.* Primi Libri Paralipomenon magna pars ex duobus prioribus Libris Regum expreſſa eſt.

Hos etiam Sacros eſſe & Canonicos ex traditione conſtat, ex teſtimoniis Patrum & Conciliorum, qui Librorum Sacrorum Canonem repræſentarunt; ex totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu. Profani denique Scriptores nonnulli, ſcilicet *Eupolemus* apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 30. & *Nicolaus Damaſcenus* apud *Joſephum* Libro 7. *Antiquitatum*, Cap. 6. ea de *Samuele*, *Saule*, & *Davide* memorant, quæ ex duobus prioribus Libris Regum derivata veriſimile eſt.

Secunda Pars Propoſitionis probatur: Scriptura enim, Traditio, Eccleſia, horum Librorum Auctorem expreſſe non deſignant: & poſt Samuelem exaratos colligi poteſt ex Libri 1 Capite nono, verſu 9. *Olim in Iſrael ſic loquebatur unuſquiſque vadens conſulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Quod præterea Capite 7. 15. legitur: *Judicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ* ab alio quam a Samuele ſcriptum videri poteſt.

Probatur tertia pars ex primi Paralipomenon 29. 29. *Geſta autem David priora, & noviſſima, ſcripta ſunt in Libro Samuelis Videntis; & in Libro Nathan Prophetæ, atque in Volumine Gad Videntis: Univerſique regni ejus, & fortitudinis, & temporum, quæ tranſierunt ſub eo, ſive in Iſrael, ſive in cunctis Regnis terrarum.* Hoc loco nixi Thalmudiſtæ, & *R. Moſes Kimchi* viginti-quatuor priora Libri primi Capita *Samueli* tribuunt; reliqua, quibus res poſt *Samuelis* obitum geſtæ narrantur, *Nathani* & *Gado* Prophetis. Idem cenſet S. *Iſidorus Hiſpalenſis* Libro 6. *Originum*, Cap. 2. Poſteriorum tamen Capitum *Davidem* facit Auctorem. Verum non conſtat an *Liber Nathan Prophetæ*, & *Volumen Gad Videntis*, ſint ipſi Libri Regum primus & ſecundus, an ſingulares quidam & diſtincti Commentarii, ex quibus horum Librorum innominatus Auctor *Samuelis*, *Saulis*, & *Davidis* Hiſtoriam Sacram compilaverit & adornaverit. Quæ *Theodoreti* ſententia eſt Præfatione in Libros Regum. *Plurimi* (inquit) *fuerunt Prophetæ, quorum Libros quidem non invenimus, nomina autem didicimus ex Hiſtoria Paralipomenon. Horum unuſquiſque conſueverat ſcribere quæcumque contingebat fieri ſuo tempore. Atque inde eſt quod primus Regnorum, & apud Hebræos, & apud Syros, nominatur Prophetia Samuelis .... Qui ergo Regnorum Libros ſcripſerunt, ex ſcriptis illis accepta occaſione, poſt plurimum tempus ſcripſerunt.* Idem cenſet *Diodorus Tarſenſis*, adeoque clauſulam illam: (*Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*,) adjectam fuiſſe ab eo, qui Sacram illam Hiſtoriam collegit ex Libris, quibus ſinguli Prophetæ geſta ſuis temporibus ſcripſerant.

Qui Libros illos *Samuele* poſteriores eſſe volunt, adducunt ad hujus confirmationem ſententiæ illud capitis quinti Libri primi: *Propter hanc cauſam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur Templum ejus, ſuper limen Dagon in Azoto, uſque in hodiernum diem.* Quæ notatio temporis reperitur Capite 27. & 30. ejuſdem Libri, & Capite ſexto Libri ſecundi. Sed hoc argumentum non eſt magni ponderis. Non enim valde longum requiritur temporis ſpatium ut hæc locutio uſurpari poſſit. Nam S. *Matthæus* res tempore non multum diſſitas narrans, eam adhibet, Cap. 27. 8. *Propter hoc vocatus eſt* (inquit) *ager ille Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem.* Quæ autem de *Dagonis* Idolo narrantur Capite quinto Libri primi, *Samuele* adoleſcente contigerunt; Si autem hunc Librum *Samuel* ſcripſerit, illum ſcripſit ſenex, ac proinde ſatis longum intervallum temporis interceſſit, ut merito hanc loquendi formulam uſurpare potuerit, *Uſque in hodiernum diem*; quam itidem *Nathan* & *Gad* Prophetæ, Auctores reliquorum Capitum a vigeſimoquinto Libri primi & totius Libri ſecundi adhibuerint. Sed planior videtur Reſponſio, Hanc temporis notationem adhibitam ab incerto & innominato Auctore, qui ex Commentariis *Samuelis*, *Nathanis*, & *Gadi* Prophetarum, Sacram hanc Hiſtoriam adornavit.

Objicit Auctor Tractatus *Theologico Politici* adverſus horum Librorum auctoritatem antilogias quaſdam, quæ Opus non ſolum ex variis Auctoribus, ſed abſque delectu & judicio compilatum arguant. Libri enim primi Capite 16. *David* in Aula *Saulis* accitus dicitur, ut Regem malo Spiritu vexatum citharæ modulis recrearet. Capite vero 17. 55. 56. 57 58. *Davidem* ex alia cauſa *Sauli* innotuiſſe narratur, ex ſingulari nimirum certamine cum *Goliatho* gigante. *Eo autem tempore*, inquit, *quo viderat Saul David egredientem contra Philiſtæum, ait ad Abner Principem Militiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic Adoleſcens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, Rex, ſi novi. Et ait Rex, Interroga tu cujus filius ſit iſte Puer. Cumque regreſſus eſſet David percuſſo Philiſtæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philiſtæi habentem in manu. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o Adoleſcens? Dixitque David: Filius ſervi tui Iſai Bethlemitæ ego ſum.* Quomodo nunc ignotus *Sauli*, quem *Saul* dilexerat, & Armigerum ſuum fecerat?

Reſpondetur, Davidem primum quidem vocatum in Aulam ut cithara pſalleret coram *Saule* malo Spiritu vexato; ſed poſtea recrudeſcente bello Philiſtæorum adverſus Iſraelitas, cum licentia Regis ad patrem rediiſſe ut gregem paſceret, cum tres illius fratres natu majores militiæ nomen dediſſent; ad quos in caſtra miſſus deinde eſt a patre, & conſerta cum *Goliatho* pugna, magis innotuit *Sauli*, Citharœdi & Armigeri olim ſui immemori, utpote quem viderat & cithara pſallentem audierat mentis impos, & malo Spiritu agitatus, & quidem aliter (ut credere par eſt) indutum & ornatum, quam cum ad fratres in caſtra e paſcuis miſſus eſſet. Rem ita geſtam ſatis innuit Sacer Scriptor. Nam poſtquam dixit: *Quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & levius habebat. Recedebat enim ab eo Spiritus malus:* Capite ſequenti Philiſtæorum bellum deſcribens, cum de *Davide* iterum acturus eſſet, narrationem ſic exorditur: *David autem erat filius viri Ephratæi, de quo ſupra dictum eſt, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul ſenex, & grandævus inter viros. Abierunt autem tres filii ejus majores poſt Saul in prælium. ... David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus ſecutis Saulem, abiit David, & reverſus eſt a Saul, ut paſceret gregem Patris ſui in Bethlehem. ... Dixit autem Iſai ad David filium ſuum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos*, &c. Adde totam illam pericopem decimi-ſeptimi Capitis, a Verſu 54. ad 58. incluſive apud Septuaginta non haberi, niſi in unico MS. Alexandrino, in

ex-

cæteris omnibus Codicibus deſiderari: Unde ſuſpicari quis poſſet olim ab Hebræis Codicibus pariter abfuiſſe. At Exemplaria quibus utebatur Eccleſia *Theodoreti* tempore, eadem habuiſſe quæ modo *Hebraus* Textus, MS. Alexandrinum *τῶν* LXX. Vulgatæ noſtræ Latinæ Codices omnes, Chaldaica Paraphraſis, Syriaca & Arabica Verſiones habent, fidem facit *Theodoretus* Quæſtione 43. in primum Regum. Interrogat enim, *Quomodo Saul ignoravit David?* & reſpondet: *Duorum alterum eſt intelligendum; Vel quod furore percitus non ſentiebat eum pulſantem citharam: Vel quod invidia eum turbavit, ut non exacte ſciret undenam eſſet.*

Obiicit ſecundo idem Auctor, ſeptimum & decimum-tertium primi Libri Capita inter ſe pugnare. Nam Capite ſeptimo *V.* 13. dicitur: *Et humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis.* Capite vero decimo-tertio bellicus Philiſtæorum adverſus Iſraelitas apparatus, ingens Hebræorum terror, & anguſtiæ tantæ deſcribuntur, ut Philiſtæis ad triginta millia curruum, & ſex millia Equitum, præter gregarios Milites innumeros in Machmas congregatis, ſexcenti duntaxat viri ſtarent cum *Saule*, & quidem inermes. *Cum enim veniſſet dies prælii, non eſt inventus enſis & lancea in manu totius Populi, qui erat cum Saule & Jonatha, excepto Saul, & Jonatha filio ejus.*

Reſpondetur, Dictionem *ultra*, in Scriptura Sacra, non ſemper tempus perpetuum, imo ne diuturnum quidem, ſed exiguum quandoque intervallum ſignificare. Quod itaque Capite ſeptimo legitur, *Nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſrael*, periode eſt ac ſi ſcripſiſſet Hiſtoricus Sacer: Per aliquod tempus in fines Iſraeliticæ terræ non irruperunt. Quod autem ſubiungit, factam eſſe manum Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis, veriſſimum eſt. Quotieſcumque enim adverſus Iſraelitas aciem inſtruxerunt, ſuperſtite *Samuele*, toties ab eis fuere profligati. Et Capite 14. legimus, in illis Iſraelitici Populi anguſtiis, in illa animorum abjectione, & armorum inopia, quæ Capite præcedenti deſcribitur, *Jonatham* ſolo armigero comite, in hoſtile præſidium tanto impetu irruiſſe; ut viginti Militibus cæſis, reliqui Principis magnanimitate perterriti in caſtra evaderent, omnia pavore implentes. Tum Deo urgente, Philiſtæos arma in ſe vertentes, mutuis mucronibus attritos fuiſſe, reliquos in fugam datos. Id ubi novit *Saul*, aucto Exercitu aciem contra Philiſtæos direxiſſe, ipſoſque percuſſiſſe a Machmis uſque ad Ajalon, & magna clade affeciſſe.

PROPOSITIO II.

Inſignes de Chriſto Prophetias duo priores Libri Regum continent.

Quæ enim 1. Regum 16. De *Saulis* reprobatione, & Regni tranſlatione ad *Davidem*, & quæ Cap. tertio & quarto de tranſlatione Sacerdotii a domo *Heli* ad *Samuelem* narrantur figuræ ſunt *Rerum mutationis olim futuræ, quod attinet ad duo Teſtamenta, Vetus & Novum: Ubi Sacerdotium Regnumque mutatum eſt per Sacerdotem, eumdemque Regem novum, ac ſempiternum, qui eſt Chriſtus Jeſus. Nam & Heli Sacerdote reprobato ſubſtitutus in Dei Miniſterium Samuel, ſimul officio functus Sacerdotis & Judicis, & Saule abjecto Rex David fundatus in Regno, hoc quod dico figuraverunt.* Ita *S. Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 4. Id evidentius exprimit Propheta ad *Heli* a Deo miſſus, cujus verba Capite ſecundo leguntur. His enim Sacerdotii Aaronici mutatio portenditur. Unde Aaron primus Veteris Teſtamenti Sacerdos deſignatur his verbis: *Hæc dicit Dominus: Nunquid non aperte revelatus ſum domui Patris tui, cum eſſent in Ægypto, in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus Tribubus Iſrael mihi in Sacerdotem? .... Quare calce abjeciſtis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in Templo? .... Propterea ait Dominus Deus Iſrael: Loquens locutus ſum, ut Domus tua, & Domus Patris tui miniſtraret in conſpectu meo, uſque in ſempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, abſit hoc a me.* Quia Patrum Heli ſtatim poſt liberationem Populi, ab Ægyptiaca ſervitute ad Sacerdotium electus eſt, niſi Aaron? *De hujus ergo ſtirpe illo loco dixit futurum fuiſſe, ut non eſſent alterius Sacerdotes; Quod jam videmus impletum. Vigilet fides, præſto ſunt res, cernuntur, tenentur, & videre volentium oculis ingeruntur.* Ecce, *inquit*, dies veniunt,

,, & præcidam brachium tuum & brachium domus
,, patris tui, & non erit Senex in domo tua o-
,, mnibus diebus. *Ecce dies qui prænuntiati ſunt, jam venerunt. Nullus Sacerdos eſt ſecundum ordinem Aaron: & quicumque ex ejus genere eſt homo, cum videt Sacrificium Chriſtianorum toto orbe pollere, ſibi autem honorem illum magnum eſſe ſubtractum, deficiunt oculi ejus, & defluit animus ejus tabe mœroris.* Verba ſunt *S. Auguſtini* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 5. Mutatio ergo & tranſlatio Sacerdotii de Domo *Heli*, ſignum fuit tranſlationem Sacerdotii Aaronici portendens, per Chriſtum Jeſum faciendam; & ad Vetus Teſtamentum proprie, figurate vero pertinebat ad Novum *Prophetia facti etiam ipſa, non verbi*; id ſcilicet facto ſignificans, quod verbo ad *Heli* Sacerdotem dictum eſt per Prophetam. Subdit Deus: *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet; & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. Futurum eſt autem ut quicumque remanſerit de Domo tua, veniat ut oretur pro eo, dicatque: Dimitte me obſecro ad unam partem Sacerdotalem ut comedam buccellam panis.* Sacerdos ille fidelis olim a Deo ſuſcitandus eſt Chriſtus Jeſus, Novi Teſtamenti verus Sacerdos; Domus fidelis ipſi ædificanda eſt Eccleſia, quæ coram ipſo ambulabit, id eſt, ejus Legi obtemperabit cunctis diebus. Reliquiæ autem Iſraelitici Populi per gratiam Chriſti ſalvandæ ut prædixit *Iſaias* Cap. 10. 22. & explicuit Apoſtolus ad *Romanos* 11. 5. in Chriſtum credent, & Eccleſiæ adjungentur, ut oretur pro eis; & Sacrificii Chriſtianorum participes erunt; Sacrificii ſcilicet, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, in pane expreſſi, de quo dicit Sacerdos ipſe, Joannis 6. 52. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro Mundi vita*: Ita hanc Prophetiam explicat *S. Auguſtinus* loco mox laudato.

Anna Mater *Samuelis*, quæ prius fuit ſterilis & Poſteriore fœcunditate lætata eſt, typus fuit Eccleſiæ & Religionis Chriſtianæ, cujus nomine Propheticum Canticum edidit, quod legitur Capite ſecundo Libri primi Regum. *Exultavit*, inquit, *cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.*

,, Vere exaltatum, quia non in ſe, ſed in Domi-
,, no Deo ſuo. *Dilatatum eſt cornu meum ſuper inimicos*
,, *meos*: Quia & in anguſtiis preſſurarum Sermo Dei
,, non eſt alligatus, nec in præconibus alligatis.
,, *Lætata ſum in ſalutari tuo.* Chriſtus eſt iſte Je-
,, ſus, quem Simeon, ſicut in Evangelio legitur,
,, ſenex amplectens parvum, agnoſcens magnum.
Nunc dimittis, inquit, *Domine, ſervum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum.*
,, Dicat itaque Eccleſia: *Lætata ſum in ſalutari tuo.*
,, *Non eſt Sanctus ut eſt Dominus*; Tamquam ſanctus
,, & ſanctificans, juſtus & juſtificans. *Neque enim*
,, *eſt alius extra te*: Quia nemo fit niſi abs te. *Nolite multiplicare loqui ſublimia, glorianter, Recedant vetera de ore veſtro; quia Deus ſcientiarum Dominus*
,, *eſt*, Ipſe vos ſcit, & ubi nemo neſcit: Quoniam *Qui exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe*
,, *ſe ſeducit.* Hæc dicuntur adverſariis Civitatis Dei
,, ad Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præ-
,, ſumentibus, in ſe, non in Domino gloriantibus:
,, ex quibus ſunt etiam carnales Iſraelitæ, terrenæ
,, Jeruſalem cives terrigenæ; qui ut dicit Apoſto-
,, lus, *Ignorantes Dei juſtitiam*, id eſt, quam dat
,, homini Deus qui ſolus eſt juſtus & juſtificans.
,, *& ſuam volentes conſtituere*; id eſt, velut a ſe
,, ſibi partam, non ab illo impertitam, *Juſtitiæ Dei*
,, *non ſunt ſubjecti*, utique quia ſuperbi, de ſuo pu-
,, tan-

,, tantes, non de Dei, poſſe placere ſe Deo, qui
,, eſt Deus ſcientiarum, atque ideo & arbiter con-
,, ſcientiarum, ibi videns cogitationes hominum,
,, quoniam vanæ ſunt, ſi hominum ſunt, & ab il-
,, lo non ſunt. *Et ipſi præparantur cogitationes:* Sive,
ut vertunt LXX. Interpretes, *Et præparans adin-*
,, *ventiones ſuas.* Quas adinventiones putamus, ni-
,, ſi ut ſuperbi cadant, & humiles ſurgant? Unde
,, ſubdit: *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi ac-*
,, *cincti ſunt robore.* Infirmatus eſt arcus, id eſt, in-
,, tentio eorum qui tam potentes ſibi videntur, ut
,, ſine Dei dono atque adjutorio, humana ſufficien-
,, tia Divina poſſint implere Mandata & præcingun-
,, tur virtute, quorum interna vox eſt, *Miſerere*
mei, Domine, quoniam infirmus ſum: Repleti prius
pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt,
Sive ut vertunt Septuaginta: *Pleni panibus minorati*
,, *ſunt, & eſurientes tranſierunt terram.* Qui ſunt
,, intelligendi pleni panibus, niſi ipſi Iſraelitæ, qui-
,, bus credita ſunt eloquia Dei, in quibus tamen
,, terrena ſapiunt, & ideo ex majoribus minores
,, facti ſunt; & ad eum ſtatum nunc ſunt redacti
,, ut miſeram ſerviant ſervitutem, operas ſuas locan-
,, tes ut panem lucrentur: Gentes autem, quibus
,, Lex illa non erat data, poſteaquam per novum
,, Teſtamentum ad eloquia illa venerunt, multum
,, eſuriendo terram tranſierunt; quia in eis non
,, terrena, ſed cœleſtia ſapuerunt. *Donec ſterilis pe-*
perit plurimos, & quæ multos habebat filios, infir-
,, *mata eſt.* Septuaginta vertunt. *Quia ſterilis pepe-*
,, *rit ſeptem.* Numero ſeptenario univerſæ Eccleſiæ
,, ſignificatur perfectio. Propter quod & Joannes
,, Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, eo modo
,, ſe oſtendens ad unius plenitudinem ſcribere; &
,, in Proverbiis Salomonis hoc antea præfigurans
Proverb. 9. 1. ,, *Sapientia ædificavit ſibi Domum, excidit columnas ſe-*
,, *ptem.* Sterilis enim erat in omnibus Gentibus
,, Dei Civitas, antequam iſte fœtus, quem cerni-
,, mus, oriretur. Cernimus etiam, quæ multa in
,, filiis erat, nunc infirmatam Jeruſalem terrenam.
,, Quoniam quicumque filii liberæ in ea erant,
,, virtus ejus erant: Nunc vero ibi quoniam Litera
,, eſt, & Spiritus non eſt, amiſſa virtute infirma-
,, ta eſt, *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad*
,, *inferos, & reducit.* Mortificavit illam quæ mul-
,, tos filios habuerat, & vivificavit ſterilem illam
,, quæ peperit plurimos. Vel Chriſtianos mortificat,
,, eoſdemque vivificat. Quibus enim dicit Apoſto-
,, lus, *Mortui enim eſtis*, hos ſalubriter mortificat
Coloſſ. 3. 3. ,, Deus. Quibus ait: *Et vita veſtra abſcondita eſt*
,, *cum Chriſto in Deo*, eoſdem ipſos vivificat Deus,
,, *Deducit ad inferos, & reducit.* Hoc in capite no-
,, ſtro potius videmus impletum. Nam cum *proprio*
Filio ſuo non pepercit Deus; *Sed pro nobis omnibus tradi-*
,, *dit eum*, iſto modo utique mortificavit eum. Et
,, quia reſuſcitavit eum a mortuis, eumdem rur-
,, ſus vivificavit. *Et quia in* Prophetia vox ejus
Pſ. 15. 10. ,, agnoſcitur, *Non derelinques animam meam in in-*
,, *ferno.* eumdem deduxit ad inferos, & reduxit.
,, Hac ejus paupertate ditati ſumus. *Dominus e-*
,, *nim pauperem facit, & ditat: Humiliat, & ſuble-*
,, *vat*; utique ſuperbos humiliat, & humiles ex-
,, altat. Quod enim alibi legitur, *Deus ſuperbis reſi-*
,, *ſtit, humilibus autem dat gratiam*; Hoc totus ha-
Jacobi 4. 6. bet ſermo hujus, cujus nomen interpretatur, *Gra-*
,, *tia ejus*, hoc eſt, *Anna.* Quod adjungitur: *Su-*
,, *ſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pau-*
,, *perem*; de nullo melius intelligitur, quam de
,, illo, qui *Propter nos egenus factus eſt, cum di-*
,, *ves eſſet, ut illius inopia divites eſſemus.* Ipſum
,, enim de terra ſuſcitavit tam cito, ut caro ejus
2. Cor. 8. 9. ,, non videret corruptionem: Nec mirum ſi tanta
,, operetur: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit*
,, *ſuper eos orbem*, quem nimirum propter electos con-
,, didit: Seu cardines terræ, Apoſtoli ſunt, orbis
,, novi, ſcilicet Eccleſiæ fundamenta, eorumque
in ſacro Miniſterio ſucceſſores Epiſcopi, iidem Ani-
mabus quarum ipſis a Deo cura impoſita eſt, & ſu-
periores & inferiores; ſuperiores, ut ipſas regant
auctoritate, inferiores, ut ipſas ferant & ſuſtentent
compatiente caritate; adeoque Dei vocatione ubi
illi ſpiritali præpoſiti, ſacrum Munus gerant; *non*
principandi ſuperbia, ſed conſulendi miſericordia: Se-
quitur in Cantico: *Pedes Sanctorum ſuorum ſervabit,*
& impii in tenebris conticeſcent, quia non in forti-
tudine ſua roborabitur vir. Pedes Sanctorum ſunt affe-
ctus cordium, quos ſervat Deus gratia ſua, ne in
terra ambulantes ut proximiorum ſalutem procurent
luto & pulvere inquinentur. Vel, Sanctorum affe-
ctus ſervat gratia ſanctæ humilitatis, ut quicquid in
ſe boni agnoſcunt, totum id ad Deum omnium bo-
norum largitorem & fontem referant, nec ſilentium
ſervent, ſed in gratiarum actiones jugiter effundan-
tur, ſecundum illud Iſaiæ: *Qui reminiſcimini Dominum,*
ne taceatis, & ne detis ſilentium ei. Atque ita ab
Impiis & Ingratis ſejungantur, qui in tenebris con-
ticeſcunt, ignorantes, *Quia non in fortitudine ſua*
roborabitur vir: & quod per alium Prophetam dicit Do-
minus: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non*
glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur Jerem. 9. 23. 24.
dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui
,, *gloriatur, ſcire & noſſe me.* Non enim parva ex
,, parte intelligit & ſcit Dominum, qui intelligit
,, & ſcit etiam hoc a Domino ſibi dari, ut intel-
,, ligat & ſciat Dominum. *Dominum formidabunt*
,, *adverſarii ejus & ſuper ipſos in cœlis tonabit*; cum
,, ad vivos & mortuos judicandos veniet. Per nu-
,, bes ſuas tonuit, quos Spiritu Sancto, cum in
,, cœlum aſcendiſſet, implevit, hoc eſt per Apoſto-
,, los, ſed *fulgura in pluviam fecit:* Ingratæ dun- Iſai. 5. 6.
taxat vineæ comminatus, mandaturum ſe nubibus
deſuper *ne pluant ſuper eam imbrem:* Sed in extre-
mo judicio ſola fulmina in adverſarios ſuos jacula-
bitur, ut ipſos atterat in æternum. *Dominus judi-*
cabit fines terræ, & dabit imperium Regi ſuo, & ſu-
blimabit cornu Chriſti ſui. Tunc enim cœleſti Jeru-
ſalem, non habenti maculam neque rugam, Eccle-
ſiæ primitivorum ex electis omnibus collectæ, jam-
que glorioſæ. Chriſtus in æternum imperabit, cum
evacuaverit omnem Principatum & Poteſtatem; cum
inimicos omnes ſub pedibus poſuerit; cum noviſſi-
ma deſtructa fuerit inimica mors; cum Regnum Deo
& Patri tradiderit: cum ratione Corporis ſui myſti-
ci ſubjectus erit ei qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit
Deus omnia in omnibus, ut ait Apoſtolus. De Meſ-
ſia id intellexit Chaldæus Paraphraſtes: *Dominus*,
inquit, *faciet ultionem de Magog, & de Exercitu*
Gentium raptorum, qui venerunt ex finibus terræ; &
dabit fortitudinem Regi ſuo, & multiplicabit Regnum
Meſſiæ ſui. Lege S. *Auguſtinum* Libro 17. *De Civi-*
tate Dei, Cap. 4. ubi Canticum Annæ explicat; Cu-
jus verba ſæpe mutuati ſumus, & cum ipſo concludi-
mus: *Hæc Anna prophetavit, Samuelis Mater, ſan-*
cti viri, multumque laudati. In quo quidem tunc fi-
gurata eſt mutatio veteris Sacerdotii, & nunc imple-
ta, quando infirmata eſt, quæ multa erat in filiis, ut
novum haberet in Chriſto Sacerdotium ſterilis, quæ pe-
perit plurimos.

Denique ad Chriſtum pertinet, quod Deus *Davidi*
per *Nathanem* Prophetam ſignificat 2. Regum 7. *Cum-*
que completi fuerint dies tui, & dormieris cum Pa-
tribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egre-
dietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus. Ipſe
ædificabit Domum Nomini meo, & ſtabiliam thronum
Regni ejus uſque in ſempiternum. Ego ero ei in pa-
trem, & ipſe erit mihi in filium.... Et fidelis e-
rit domus tua, & Regnum tuum uſque in æternum
ante faciem tuam: & thronus tuus erit firmus jugi-
ter. Salomonem his verbis prædictum non eſſe, ſed
Chriſtum, cujus *Salomon* typus fuit, *S. Auguſtinus*
aſſerit. *Salomon* enim vivente patre ſuo regnare cœ-
pit: Hic autem prænuntiatur filius *David* poſt e-
jus mortem ſuſcitandus. *Quamlibet enim longe inter-*
poſito tempore Jeſus Chriſtus veniret, procul dubio poſt
mortem Regis David, cui ſic eſt promiſſus, eum ve-
nire oportebat, qui ædificaret domum Deo, non de li-
gnis & lapidibus, ſed de hominibus, qualem illum
ædificare gaudemus. Huic enim domui dicit Apoſtolus,
hoc eſt, fidelibus Chriſti: Templum Dei ſanctum eſt,
quod eſtis vos. Verba ſunt S. *Auguſtini* Libro 17.
De Civitate Dei, Capite 8. Hæc etiam verba, *Fi-*
delis erit domus tua, domum *Davidis* non ſpectant,
ſed Eccleſiam Chriſti. Domum enim *Davidis* poſt e-
jus mortem regnante *Salomone* quis fidelem dixerit,
Mu-

Mulieribus alienigenis colentibus falſos Deos plenam, quæ & ipſum Regem ad Idolorum funtum cultum pellexerunt? Regnum etiam *Salomonis* æternum non fuit, ſed poſt ejus mortem dora in partes ſciſſum & diſtractum. Hæc ergo Prophetia pertinet ad Chriſtum, *Cujus Regni non eſt finis*. Nec movere noa debet quod adjungitur: *Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*. Id enim de *Salomone* proprie, de Chriſto typice dictum eſt, non in ſe ipſo, ſed in membris ſpectato. *Non enim Chriſti ipſius, quod eſt Caput Eccleſiæ, poſſunt inveniri ulla peccata, quæ opus eſſet humanis correptionibus, ſervata miſericordia divinitus coerceri; ſed in ejus corpore ac membris, quod Populus ejus eſt*. Ideo in Libris Regum iniquitas ejus dicitur, in Pſalmo autem octogeſimo octavo, filiorum ejus: *Ut intelligamus de ipſo dici quodammodo, quod de ejus corpore dicitur*. Ita S. *Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Capite nono.

His adde *Davidem*, cujus præſertim his in Libris ſcripta eſt Hiſtoria, Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri typum, & ſpirantem veluti Prophetiam extitiſſe. In ſcriptura paſſim *Davidis* nomine Chriſtus, Chriſti nomine *David* deſignatur. Sic *Samuel* Propheta quærens *Davidem*, ut eum Regem ungeret, 1. Reg. 16. 6. *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* David erat pulcher aſpectu; Chriſtus *ſpecioſus forma præ filiis hominum*. David urſos & leones interficiebat, voce ſua & cantu *Saulem* infirmum curabat, Dæmonem fugabat; Chriſtus *pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes*, ac ſolo verbo Dæmones ejiciens. David vitam humilem egit cum Paſtoribus & gregibus, donec a Deo manifeſtatus eſt *Samueli*; Chriſtus pluribus annis vitam abſconditam egit, in domo *Joſephi* & *Mariæ* deliteſcens, donec Deus eum in Jordane *Joannis Baptiſtæ* & Mundo revelavit, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. David ad fratres miſſus contra *Goliatum* Gigantem pugnavit, eumque debellavit; Chriſtus ad homines miſſus, quos fratres vocare dignatur, Diaboli imperium deſtruxit. David Populum jugo Philiſtæorum exemit: Chriſtus humanum genus in libertatem filiorum Dei reſtituit. *Davidem* variis laboribus & anguſtiis exercuit Deus prius quam eum ad Regiam Dignitatem eveheret: Chriſtus humiliatus eſt multoſque labores, ac demum dira tormenta, & mortem crudeliſſimam paſſus, antequam in gloriam ſuam intraret, omnemque poteſtatem in cœlo & in terra ſibi datam promulgaret. *David* panes Propoſitionis jure quaſi Sacerdotali comedit: Chriſtus Sacerdotalem ac Regiam Poteſtatem in ſe conjunxit, ſuique Corporis Sacramentum in pane inſtituit. *David* Arcam a Philiſtæis prius captam de domo *Abinadab* Hieroſolymam reduxit; Chriſtus Eccleſiam, fracta diaboli poteſtate, certis ſedibus conſtituit. *Davidem* perſecuti ſunt perduelles filii: Chriſtum Regem, Patremque ſuum homines ingrati. *David* coram Achis Rege ſtultus habitus eſt: Chriſtus ab Herode quaſi inſanus deſpectus. *David Abſalonem* fugiens, Montem Olivarum aſcendit nudis pedibus, ac lugens: Chriſtus in eumdem Montem aſcendit, ut ab hoſtibus caperetur; ibique triſtis fuit uſque ad mortem. *David* planxit *Saulem*, & Abſalonem: Chriſtus ſuper Jeruſalem lacrymas fudit, & pro inimicis ac perſecutoribus Patrem oravit. *Davidis* denique humilitas, manſuetudo, patientia, charitas, Chriſti manſuetudinem, patientiam, humilitatem, charitatem, apprime delinearunt.

DISSERTATIO XXVI.

DE INITIIS REGNI Salomonis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Salomonis Ætate cum Regnum iniit.

HEbræi *Salomonem* anno ætatis duodecimo Regnum iniiſſe tradunt, & quia ex hac Chronologia ſequitur ipſi anno ætatis undecimo natum eſſe filium *Roboamum*, aſſerere non dubitant, ipſum anno decimo ætatis cum *Naama* Ammonitide conjunctum, liberis operam dare cœpiſſe. Eam opinionem ſecutus eſt Interpolator Epiſtolæ *S. Ignatii* ad Magneſios, in qua hæc leguntur, (quæ tamen in genuina *S. Ignatii* Epiſtola ex Medicæo Codice deſcripta, & in Latina Verſione ab *Uſſerio* ex Codice Anglicano edita non extant:) *Porro Salomon & Joſias: Ille quidem duodecimo ætatis anno; hic vero octo natus annos, Regni gubernaculis admotus eſt*. Idem legitur in Pſeudepigraphis Conſtitutionibus Apoſtolicis Libro 2. Cap. 1. Idem ex *Eupolemo* refert *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 30. *Davidem, poſtquam annos quadraginta regnaſſet, Imperium Salomoni filio annos duodecim nato, coram Helie Sacerdotum Principe, ac Tribubus duodecim tradidiſſe*. Eamdem ſententiam approbat *S. Hieronymus* Commentario in Iſaiæ Caput 3. *Salomon*, inquit, *duodecim erat annorum, quando ſuſcepit Imperium: Et quia habebat Sapientiam, propterea non eſt appellatus juvenis*: Et Epiſtola 132. ad Vitalem: *Si enim*, inquit, *duodecimo anno Salomon ſuper Iſrael accepit imperium, & quadraginta annis regnavit in Jeruſalem, filiuſque ejus Roboam, cum quadrageſimum & primum annum ageret ætatis, patri ſucceſſit in Regnum: Perſpicuum eſt undecim annorum fuiſſe Salomonem, ſive decem, quia decem menſes a conceptu uſque ad partum ſibi mater vindicat. Rurſum Achaz filius Jonathan, cum viginti eſſet annorum, Rex conſtitutus eſt ſuper duas Tribus, id eſt, Judam & Benjamin, regnavitque annis ſexdecim: Quo mortuo, Ezechias, cum vigeſimum & quintum annum ageret ætatis, Patri ſucceſſit in Regnum. Ex quo intelligitur, Achaz quoque undecimo, ſive duodecimo anno, Ezechiam filium procreaſſe. Et ſi quidem in Hiſtoriis aliter haberent Septuaginta Interpretes, aliter Hebraica Veritas, confugere poteramus ad ſolita præſidia, & arcem linguæ tenere vernaculæ: Nunc vero cum & ipſum Authenticum, & cæteri Interpretes pari auctoritate conſentiant, non in Scriptura, ſed in ſenſu eſt difficultas. Quis enim crederet mortalium, ut undecim annorum puer generaret filium? Multa & alia dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia & tamen vera ſunt. Neque enim valet natura contra naturæ Dominum*. Id autem non eſſe incredibile, probat exemplo mulierculæ cujuſdam, quam audivit ex puero decenni concepiſſe, cujus ſimplicitate ad libidinem ſuam abutebatur. Suffragatur *S. Iſidorus*, ſive quiſquis eſt auctor Libri de *Vita & Morte Sanctorum*, Cap. 34. ubi de Salomone ait: *Quadraginta annis regnavit, quinquaginta & duobus vitam peregit*. Ex quo ſequitur eum duodecennem Regnum iniiſſe. Eidem ſententiæ ſubſcribunt *Cedrenus* & *Zonaras*.

PROPOSITIO UNICA.

Annum ætatis circiter vigeſimum Salomon attigerat cum Regnum iniit.

PRobatur tribus argumentis: Primo, quia jam uxorem duxerat, ex eaque genuerat *Roboamum*. Hic enim cum poſt quadraginta annos ei in Regnum ſucceſſit, annum attigerat quadrageſimum primum ætatis, ut dicitur 3. Regum 14. 21. & 2. Paralipomenon 12. 13. *Quadraginta & unius anni erat Roboam, cum regnare cœpiſſet*. Uno itaque anno antequam pater regnaret, in lucem editus eſt. Porro quod Hebræi commenti ſunt, *Salomonem* genuiſſe *Roboamum* anno ætatis decimo, incredibile eſt. Quis enim ſibi perſuadeat puerum impuberem patrem extitiſſe? Quis pubertatem miraculo acceleratam fingat, ut anno decimo uxori maturus eſſet? Quis *Davidem* Regem ſanctum & prudentem credas nuptiarum decennis filii auctorem, *Nathan* Prophetam harum conciliatorem vel approbatorem extitiſſe, contra jus omne naturæ, & publicam honeſtatem?

Secundo, *David* morti proximus, cum ſuprema mandata *Salomoni* daret, ipſum vocavit virum ſapientem, 3. Regum Cap. 2. 9. *Vir autem ſapiens es*,

es

ut ſcias quæ facias ei. Nemo autem puerum duodenorum virum ſapientem ſerio vocaverit, quantavis morum maturitate polleat.

Tertio, *Cum jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos..... Tunc ædificavit fanum Chamos Idolo Moab, in Monte qui eſt contra Jeruſalem, & Moloch Idolo filiorum Ammon. Atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant Diis ſuis.* Annos itaque vixit ut minimum ſexaginta. Cum itaque quadraginta annos regnaverit (3. *Regum* 11. 42.) conſequens eſt Regnum iniiſſe anno ætatis circiter vigeſimo. At ſi anno duodecimo ætatis regnare cœperit, ſequitur vix fuiſſe quadraginta quinque annorum quando dicitur ſenex, quod videtur abſurdum: Niſi fingatur *Salomonem* pluribus annis forte regnaſſe Patre adhuc ſuperſtite, deinde quadraginta annis ab obitu Patris imperaſſe: Quod innuit *ſanctus Hieronymus* Epiſtola ſupra laudata. *Ad ſummam,* inquit, *illud dici poteſt, quod in Regno David Salomon, cum duodecim eſſet annorum, Regnum Patris obtinuerit: Et poſtea, quia Scriptura reliquit incertum, vixerit David regnante jam filio aliquot annos, qui ſibi, & non Salomoni imputentur. Mortuo autem Patre, poſt filius regnaverit annis quadraginta quos ſine parente regnavit. Atque ita & initium Regni Salomonis, & tempus quo ſolus ipſe regnavit, ab Hiſtoria demonſtratum. Nec tamen omnes annos vitæ illius quinquaginta tantum & duorum annorum circulis contineri.* Verum cum *Davidi* quadraginta annos Scriptura tribuat, ejus annos imminuere nefas eſt, ut *Salomoni* impotentur. Non eſt itaque probabilis illa conjectura, quam *S. Hieronymus*, inquirendo potius, quam definiendo, profert.

Denique nullo ſolido fundamento nititur, quod ut certum ſupponunt Hebræi, & qui cum ipſis opinantur, *Salomonem* anno duodecimo ætatis regnare cœpiſſe. Quod enim ait Scriptura *Davidem* paulo ante quam Regnum *Salomoni* deferret, de illo dixiſſe, 1. Paralipomenon 29. 1. *Salomonem filium meum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum,* de tenera & delicata educatione, rerumque gerendarum inſcitia, quæ in vigeſimum annum cadit, non de puerili ætate intelligendum eſt. Unde *puer* hic idem eſt quod *juvenis*. Sic *Iſaac*, quando ad Sacrificium ductus eſt, Geneſis 22. 5. *Joſephus* cum ſtetit coram Pharaone, Geneſis 41. 12. *David* pugnam cum *Goliat* Gigante conſerturus, 1. Regum 17. 33. *Abſalom* in *Davidem* perduellis, ducenſque Exercitum ut ipſum opprimeret, 2. Regum 18. 5. pueri vocantur; qui tamen ſinguli vicenariis longe majores erant. Neque nullius momenti eſt *Joſephi* ſilentium, qui *Salomonem* nec duodecimo ætatis anno regnare cœpiſſe, nec undecimo patrem extitiſſe ſcribit. Quanquam in numero annorum *Salomonis* toto cœlo, *Joſephus* aberraverit, ut ſuo loco obſervabimus. Verſio quidem Septuaginta Interpretum in MS. Alexandrino 3. Regum 2. 9. *Salomonem* in Throno David Patris ſui ſediſſe habet, *cum eſſet filius annorum duodecim.*

Sed hæc temporis nota cum abſit ab Hebræo Texto, & ab aliis omnibus MSS. Verſionis 70. Interpretum, maxime Vaticano, a Latina Verſione Vulgata; a Paraphraſi Chaldaica, & a Verſione Syriaca, & Arabica, penitus repudianda eſt.

S. Hieronymus, aliique Auctores Eccleſiaſtici, Traditionem Hebræorum indiſcuſſam ſecuti ſunt, non autem ex propria ſententia aſſeruerunt *Salomonem* anno ætatis duodecim Regnum iniiſſe, & anno undecimo vel decimo *Roboamum* genuiſſe. Hypothetice, & ex aliena ſententia locutum *S. Hieronymum*, verba ipſius probant. *Si enim duodecimo anno Salomon ſuper Iſrael accepit Imperium, & quadraginta annis regnavit in Jeruſalem, filiuſque ejus Roboam, cum quadrageſimum & primum annum ageret ætatis, Patri ſucceſſit in Regnum, perſpicuum eſt undecim annorum fuiſſe Salomonem, ſive decem, quia decem menſes a conceptu uſque ad partum Mater ſibi vendicat.* Et infra: *In rebus obſcuris,* inquit, *diverſas ponimus opiniones; ut non tam ſcribere, quam loqui tibi coram videamur. Cæterum Apoſtolus interminabiles genealogias & Judaicas fabulas prohibens, de hujuſmodi mihi videtur interdicere Quæſtionibus. Quid enim prodeſt hærere in litera, & vel Scriptoris errorem, vel annorum ſeriem calumniari, cum manifeſtiſſime legatur:* „Litera occidit, Spiritus autem vivificat? *Relege omnes & Veteris & novi Teſtamenti Libros: Et tantam annorum reperies diſſonantiam, & numerum inter Judam & Iſrael, id eſt, inter Regnum utrumque confuſum; ut hujuſcemodi hærere Quæſtionibus non tam ſtudioſi quam otioſi hominis eſſe videatur.*

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM SALOMON REGNI SUI Exordia cæde Adoniæ Fratris, & Abiatharis Sacerdotis exauctoratione, abſque crimine funeſtaverit?

PROPOSITIO UNICA.

Salomon fratrem Adoniam juſte capitis damnavit, Abiatharem Sacerdotem merito exauctoravit.

PRobatur prima pars Propoſitinnis. Qoi tyrannydem affectant, a Rege, aut ſupremo Principe morti addici poſſunt: Atqui tyrannidem affectabat *Adonias*, & *Salomonem* Regem legitimum e Solio deturbare moliebatur: Ipſum itaque *Salomon* juſte morti addixit.

Probatur Minor. Cum enim *Betſabee* pro eo ad *Salomonem* ſupplex acceſſiſſet, *Abiſag* Sunamitidem, quæ *Davidi* conjuncta fuerat ut ſenem foveret, ipſi poſtulatura uxorem, compertum habuit *Salomon* ipſum res novas moliri, nec a prioris conjurationis ambitioſo conſilio, quod vivente adhuc *Davide* foras eruperat (3. *Regum* 1.) deſtitiſſe. Unde *Salomon* Matri reſpondit, (3. Regum 2. 22. 23. 24.) *Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula ei & Regnum: Ipſe eſt enim frater meus major me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Joab filium Sarviæ.* (In more enim fuiſſe videtur apud Hebræos, ut Regum Viduæ nemini niſi Regi in Matrimonium darentur.) *Juravit itaque Rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc. Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me ſuper Solium David Patris mei, & qui fecit mihi domum, ſicut locutus eſt, quia hodie occidetur Adonias. Miſitque Rex Salomon per manum Banajæ filii Jojadæ, qui interfecit eum, & mortuus eſt.*

Secundo, Judicium illud capitale *Salomonis* in *Adoniam* fratrem Scriptura Sacra nullibi accuſat vel improbat.

Tertio, *Theodoretus* illius æquitatem agnoſcit Quæſtione 7. in Librum 3. Regum. *Diverſa ſunt* (inquit) *hominum vitæ genera. Nam alii quidem ſummam exercent Philoſophiam. Alii autem virtutem, quæ dicitur politica aut civilis. Alii vero Regiam aut Imperatoriam. Oportet ergo unumquemque dijudicare ex vitæ ratione quam ſequitur. Non eſt itaque a Salomone exigenda Prophetica, neque Apoſtolica Perfectio: Sed ea quæ convenit Regibus. Studebat autem ipſum Orniam* (ſive Adoniam) *affectare tyrannidem. Conatus enim erat Regnum arripere. In priori ergo quod aggreſſus erat audaci facinore ei ignoverat, & ſalvum futurum eum promiſerat, dummodo modeſte ſe gereret. Poſtquam autem petiit Patris conjugem, non ei quidem conceſſit poſtulatum, quod viam ſterneret ad tyrannidem: Sed Regni proſpiciens tranquillitati, eum juſſit interfici.*

Pars Altera Propoſitionis probatur: Qui conſcius fuerat conjurationis *Adoniæ*, ipſiuſque partes contra *Salomonem* legitimum Regem auctoritate ſua juverat merito eſt exauctoratus Sacerdotio: Immo capitali pœna dignus erat: Atqui *Abiathar* Sacerdos conjurationis *Adoniæ* in *Salomonem* legitimum Regem conſcius erat, ejuſque partes auctoritate ſua juverat (3. *Regum* Cap. 1. 7.) Juſte igitur Sacerdotio exauc-

dto-

ctoratus eſt a *Salomone*. Imo ipſum capitis damnare poterat *Salomon*, ſed ſententiam clementia laudabiliter temperavit ob reverentiam Sacerdotii, & vetera *Abiathari* in *Davidem* officia. Hunc autem exauctorando, judicium Dei occaſione data executus eſt, qui Pontificatum a familia *Ithamari* in pœnam peccati *Heli* & filiorum ad primævam *Eleazari* ſtirpem, ex qua erat *Sadoc*, transferri decreverat.

Probatur Minor, ex 3. Regum 2. 26. 27. *Abiathar quoque Sacerdoti dixit. Rex Vade in Anathoth ad agrum tuum: Equidem vir mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Domini Dei coram David Patre meo, & ſuſtinuiſti laborem in omnibus in quibus laboravit Pater meus. Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini, ut impleretur ſermo Domini quem locutus eſt ſuper domum Domini in Silo.*

Confirmatur ex *Theodoreto* Quæſtione 9. in 3. Regum. *Erat*, inquit ipſe, *quoque obnoxius crimini tyrannidis: ut qui opem tuliſſet Orniæ, ſive Adoniæ. Sed divinæ quoque prædictionis adminiſter fuit Salomon. Heli enim & per celeberrimum Samuelem & per alium Prophetam prædixit Deus generis ignominiam. Hoc autem Hiſtoria quoque oſtendit* Scripturæ verba mox a me laudata in probationem affert *Theodoretus*.

Obiicies: *Adonias* veniam affectatæ tyrannidis vivente patre, a *Salomone* obtinuerat: Inique ergo videtur egiſſe, *Salomon*, cum ipſum interfici juſſit ob conjurationem antea condonatam.

Præterea Jus ſuum perſequebatur *Adonias*: Regnum enim ipſi primogeniti jure debebatur. Unde *Betſabeam* ſic alloquitur: *Tu ſcis quia meum erat Regnum*. Nemo porro juſte interficiat aliquem ob eam cauſam quod rem ſuam repetat.

Reſpondetur ad primum: *Adoniam* veniam a *Salomone* non impetraſſe niſi conditionatam, ea ſcilicet lege ut nihil novi moliretur, nec ambitu ſuo & faſtu novarum ſuſpicionum anſam præberet, quæ læſæ Majeſtatis crimen ita condonatum excitant. Cum enim *Adonias* timens *Salomonem*, ad cornu Altaris confugiſſet dicens: *Juret mihi Rex Salomon hodie, quod non interficiat ſervum ſuum gladio*: Reſpondit Salomon: *Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: Sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.* At novam conjurationem cum *Joabo* & *Abiathare* contra *Salomonem* fecit *Adonias* poſt mortem *Davidis*: Quod ex 3. Regum Cap. 2. 28. 29. colligitur, ubi narrata *Adoniæ* morte & *Abiatharis* Pontificis exauctoratione, & exilio ſubdit Sacer Hiſtoricus; *Venit autem Nuntius ad Salomonem quod Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet*: (Id eſt accepit *Joab* id in Aula vulgari;) *Fugit ergo Joab in Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu Altaris. Nuntiatumque eſt Regi Salomoni quod fugiſſet Joab in Tabernaculum Domini, & eſſet juxta Altare.* At niſi fuiſſet conjurationis reus, maleque ſibi conſcius, non fugiſſet. Nova itaque conjuratio contra *Salomonem* facta eſt ab *Adonia*, *Joabo*, & *Abiathare*, quam prodidit perſpicaciſſimo & ſagaciſſimo *Salomoni* petitio facta ab *Adonia* per *Betſabeam*, *Abiſag* Sunamitidis uxoris *David* in conjugem.

Reſpondetur ad ſecundum, Etſi jus ad Regnum habuiſſet *Adonias*, eo merito privatum fuiſſe a Patre, quod eo vivente Regiam Poteſtatem uſurpaſſet. Unde Regno in *Salomonem* fratrem paterna ſententia, & Comitiorum Regni tranſlato, non potuit in *Salomonem* conjurare, quin fieret Majeſtatis reus. Id eleganter expreſſit *S. Ambroſius* in priore *Davidis Apologia* Cap. 6. *David eo uſque peccavit, ut eum Adoniam filium Regnum ſibi uſurpare comperiſſet, & ſevere conventus, non eum qui præripere geſtiebat; ſed eum qui expectaret, eligeret.*

Reſpondetur ſecundo, *Adoniam*, quamvis Primogenitum, nullum jus ad Regnum habuiſſe, quia Regni ſucceſſio ex Patris etiam voluntate pendebat. Unde *Roboamus* multis filiis potens *Abiam*, non primogenitum, ſed quartum, & ex tertia uxore ſuſceptum, Regem conſtituit, quia ſapientior erat, & potentior cæteris fratribus ſuis numero viginti ſeptem (2. *Paralipomenon* 11. 22. 23.)

Denique Dei electione, in cujus manu ſunt omnium jura Regnorum *Salomon* Rex conſtitutus erat. Nato enim jam *Adonia*, dixerat Dominus *Davidi* per *Nathan* Prophetam, (2. Regum 7. 12.) *Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus. Ipſe ædificabit Domum Nomini meo, & ſtabiliam thronum Regni ejus uſque in ſempiternum.* Nec vero divina diſpoſitione collatum *Salomoni* Regnum *Adonias* ignoravit, cum *Betſabee* dixerit: *Sed tranſlatum eſt Regnum, & factum eſt fratris mei; A Domino enim conſtitutum eſt ei.* Id autem noſcens *Adonias*, non potuit abſque perduellionis crimine Regnum ambire, adeoque juſte a *Salomone* occidi juſſus eſt.

Finis Quartæ Mundi Ætatis.

HISTORIA ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI.
QUINTA MUNDI ÆTAS,
A FUNDATIONE TEMPLI SALOMONICI
AD CAPTIVITATEM BABYLONICAM,
ANNOS CCCCXXIV. MENSES III. ET DIES VIII.
COMPLEXA.
HISTORIÆ SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.

De Regibus Juda & Iſrael, eorumque Rebus Geſtis, ut in Hiſtoria Sacra narrantur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Salomone.

Ædificatio Templi a Salomone.

QUartum jam annum regnabat *Salomon*, Sapientia, divitiis, felicitate Regum nemini comparandus cum Templi fundamenta fecit. Tempus tanti operis inchoati Scriptura Sacra conſignat 3. *Regum* Capit. 6. *Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de Terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio (Ipſe eſt menſis ſecundus) Regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit Domus Domino.* Et 2. Paralipomenon 3. *Cœpit autem ædificare menſe ſecundo, anno quarto Regni ſui.* Zio menſis ſecundus anni ſacri, partim Aprili noſtro, partim Majo reſpondens. Abſolutum eſt ſeptennii ſpatio cum ſex menſibus. ut conſtat ex 3. *Regum 6.* 39.

Structuræ locus editiſſimos, in vertice Montis *Moria*, in area *Ornan* Jebuſæi, quam emerat David 2. *Paralipomenon* 3. 1. Materia Templi, lapides exquiſitiſſimi, dolati atque perfecti, ligna cedrina, abiegna, olivarum, æs, argentum, aurumque puriſſimum. Malleus & ſecuris, & omne ferramentum in eo non ſunt audita, cum ædificaretur: Providente Deo, ut invenirentur ejuſmodi ſua ſponte nati lapides, ut ad eos compingendos nullo ferro eſſet opus, ſed ſupra omnem artem ædificandi apte inter ſe conjungerentur, ut ait *Theodoretus* Quæſtione 23. in 3. Regum. Seu potius præparatis antea latomorum, & fabrorum arte & induſtria lapidibus ac lignis.

Forma Templi ſeu exterior, ſeu interior, digna tam ſapiente tamque potente Architecto. deſcribitur 3. *Regum* 6. 2. *Paralipomenon* 3. & *Ezechielis* 41. De qua etiam legendi *Joſephus* Libro 8 Antiquitatum, Cap. 2. *Theodoretus* quæſtione 24. in 3. Regum, *Beda* Libro De Templo, & ex recentioribus *Arias Montanus*, in Apparatu Regiorum Bibliorum, *Villalpandus* in Ezechielem, *Ribera* Lib. 1. De Templo, *Torniellus* & *Salianus* in Annalibus Sacris Veteris Teſtamenti, & ex Heterodoxis *Ludovicus Capellus*. Partes Templi interiores duæ, ad formam Tabernaculi, quod Templum veluti portatile fuerat. Prima ſimpliciter vocabatur *Sancta*, in qua erant Altare thymiamatis, menſæ decem aureæ Panum propoſitionis, totidemque candelabra aurea. Pars hæc quæ & Templi nomen retinebat, longa erat quadraginta cubitos, lata viginti. Pars altera vocabatur *Sanctum Sanctorum*, æqualis longitudinis & altitudinis viginti cubitorum, muro & velo intermedio ſeparata a *Sanctis*, obſcurior etiam intrinſecus, nec lucem ſolarem admittens. In ea erat Arca, ejuſque aditus uni patebat Pontifici ſemel in anno, in Feſto Expiationis. Vocabatur etiam Oraculum, quia inde reddebantur reſponſa Summo Sacerdoti Deum per *Urim & Thummim* conſulenti. Pars exterior Templi *Atrium* appellata, idque multiplex, ſcilicet 1. Atrium Sacerdotum, ſeu interius, in quo Altare holocauſtorum. Mare æneum, id eſt, labrum ampliſſimum ex ære, capiens aquæ batos bis mille, ſive ter mille metretas; reliqua quæ ad uſum Sacerdotum, & Levitarum miniſteria ſpectabant. 2. Atrium Populi, ſeu Atrium exterius, quo viri & feminæ Iſraelitæ ad divinum cultum congregabantur. Addunt aliqui & Atrium Gentium: Singula ſuis peribolis diſtincta, triplicique porticuum ordine, exedris, caſtellis, portis, gradibus, quibus ex uno aſcendebatur in aliud. Ante veſtibulum Templi columnæ duæ æreæ æquales, una a dextris. quam vocavit *Jachin*: altera a ſiniſtris, quam appellavit *Booz* (utroque nomine firmitatem ſignificante.) De quarum altitudine pugnantia in ſpeciem loca 3. *Regum* 7 2. *Paralipomenon* 3. & *Jeremiæ* ultimo, conciliata vide apud Interpretes. In circuitu Templi exedræ, gazophylacia, paſtophoria extructa erant, in quibus morari conſueverant Sacerdotes in ordine vicis ſuæ, ſicut & Levitæ, toto il-

lo

lo tempore quo miniſteriis Templi vacabant. Pavimenta, parietes, tectum, capitella, teſſellato opera, laminis aureis, tegulis æneis, cælaturis, gemmis pretioſiſſimis admiranda. Ædificium totum artificio, ſymmetria, architectura, humanam induſtriam longe ſuperavit. Ambitus fuit cubitorum ſacrorum duorum millium, Singula latera cubitorum quingentorum, quatuor columnarum ordinibus ſplendida. Vaſa, candelabra, pateræ, phialæ, cuthari, lances, crateres, acerræ, veſtes ſacræ, numero & magnificentia pene incredibili. Opifices ex Judæis & Gentibus conducti eo numero ut vel hinc maxime conſtet cum Salomonis potentia, & opulentia, tum Ædificii magnitudo & gloria. Ex Iſraelitis triginta millia numerantur, qui per vices laboratori in Libanum mittebantur, decem millia per ſingulos menſes, ita ut duobus menſibus in domibus ſuis manerent, rem familiarem curaturi. His Præpoſitus erat *Adoniram*. Bajulorum, ex Gabaonitis utique & aliis Proſelytis, ſeptuaginta millia: Latomorum lapides in monte expolientium, octoginta millia. Præfecti operum ter mille & ſexcenti, quos inter primi ordinis fuere ter milla & treceni. Incomparabilis vero celebratur induſtria *Hirami* Tyrii, cujus mater Iſraelitis ex filiabus *Dan*, ut dicitur 2. *Paralipomenon* 2. At 3. Regum 7. dicitur filius mulieris viduæ du Tribu *Nephtali*. Sive quod civitas *Dan* in ambitu Tribus Nephtali ſita eſſet, ſive quod primum mulieris Matrimonium fuiſſet cum viro ex Tribu Nephtalitide.

Templi Dedicatio.

III. Templum anno undecimo Regni *Salomonis*, Menſe octavo, qui *Bul* dictus eſt, abſolutum. Anno ſequenti, qui Jubilæus fuit, quartum Mundi millenarium aperiens, Dedicatio Templi ſolemni ritu a *Salomone* celebrata eſt, Arca in Sanctum Sanctorum per Sacerdotes illata, innumeriſque Sacrificiis Deo oblatis. Tempus Dedicationis fuit Menſis *Ethanim*, Anni ſeptimus, quo & ad Solemnitatem Tabernaculorum celebrandam Populus univerſus Hieroſolyma convenicbat. An Dedicatio Altaris & Templi decima-quinta die Menſis, qui erat ex Lege ſacer Feſto Tabernaculorum, inchoata ſit, ita ut Feſtum utrumque ſimul celebraretur, ut cenſet *Toſtatus*, an die octavo dicti Menſis, ita ut utrique Solemnitati ſeorſim ſeptem dies attributi ſint, diſputatur, variantibus Interpretum opinionibus circa ſenſum illius loci 2. Paralipomenon 7. 8. 9. *Fecit ergo Salomon Solemnitatem in tempore illa ſeptem diebus, & omnis Iſrael cum eo .... Fecitque die octavo Collectam, eo quod dedicaſſet Altare ſeptem diebus, & Solemnitatem celebraſſet diebus ſeptem. Igitur in die vigeſima tertia Menſis ſeptimi dimiſit Populos ad Tabernacula ſua.* Secunda tamen ſententia probabilior, immo penitus certa mihi videtur ex 3. Regum 8. 65. *Fecit ergo Salomon in tempore illo feſtivitatem celebrem, & omnis Iſrael cum eo, multitudo magna ab introitu Emath uſque ad Rivum Ægypti, coram Domino Deo noſtro, ſeptem diebus, & ſeptem diebus, id eſt, quatuordecim diebus. Et in die octava dimiſit Populos.* Atque hæc *Theodoreti* ſententia eſt Quæſtione 30. in 3. Regum. In *Feſto* (inquit) *Tabernaculorum convocavit Populum. Feſtum igitur celebrarunt quatuordecim dies, ſeptem quidem Dedicationis, ſeptem vero Scenopegiæ, ſeu Tabernaculorum. Octavum ergo diem vocat eum, qui ſecutus eſt ſeptem dies ultimos.* Oblata in Sacrificium boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia. Rex ferventiſſima oratione Deum invocat, utroque genu in terram flexo, expanſiſque in cælum manibus, ut ſibi, Populoque Iſrael propitius ſit, orationeſque in Templo exaudiat. Deinde Populo benedicit. Dedicationem Miracula duo celebriorem effecerunt. 1. Dei apparitio in nebula, propter quam Sacerdotes ſtare, & Miniſteria ſua obire non poterant. 2. Ignis a cælo delapſus, qui holocauſta & victimas conſumpſit. (3. *Regum* 8. & 2. *Paralipomenon*. 7.

Salomonis Ædificia.

IV. Abſolutis ſacris Ædificiis, *Salomon* tredecim annis in Regiæ ſuæ ſtructura occupatus eſt, cujus tres partes inſignes, 1. Domus Regis, 2. Domus Reginæ, 3. Domus ſaltus Libani, a columnarum cedrinarum multitudine ſic nuncupata. Regia Salomonis in Monte Sion extructa eſt, e regione Templi, Porro inter Montem Moria, in quo Templum conditum erat, & Montem Sion, in quo Regia, profunda vallis ſive vorago interjacebat, *Mello* dicta, per quam eluvies aquarum e Civitate in Torrentem Cedron effluebat. Hæc vallis ex utraque parte ad firmanda tum Templi, tum Muri Sionitici fundamenta magnis molibus aggeribuſque ſubſtructa eſt, tum a *Davide*, 2. Regum Cap. 5. 9. tum a *Salomone*, qui etiam pontem erexiſſe creditur, per quem a Regia in Templum tranſitus eſſet. Alii Arcem quamdam ſeu Turrim muniendæ & in officio continendæ Civitati ibi conditam putant, & quidem Populi ſumptibus: Quæ res ſeditionis poſt aliquot annos occaſionem dedit. (3. *Regum* 9. 15. & 11. 27.)

Salomoni Deus apparuit.

V. Poſt vigeſimum ædificationis annum, magnificentiſſimis ædificiis omni ex parte abſolutis, *Salomoni* vigeſimum-quartum Regni ſui annum agenti Deus iterum apparuit. Ipſius vota ſibi accepta eſſe, Templumque ſe ſanctificaſſe teſtatus eſt. Stabile Regnum, perpetuum Templi honorem ei promiſit, modo Rex & Populus in cultu Dei, & legis divinæ obſervantia fideles & conſtantes eſſent. Alioqui & Iſraeli, & ipſi Templo reprobationem, deſpectionem, ac triſtia quæque comminatus eſt. *Si autem averſione averſi fueritis vos & filii veſtri, non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea, & cæremonias meas quas propoſui vobis, ſed abieritis & colueritis Deos alienos, & adoraveritis eos: Auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis: & Templum quod ſanctificavi nomini meo, projiciam a conſpectu meo, eritque Iſrael in proverbium, & in fabulam cunctis Populis. Et domus hæc erit in exemplum: Omnis qui tranſierit per eam, ſtupebit, & ſibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum, qui eduxit Patres eorum de Terra Ægypti, & ſecuti ſunt Deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt eos: Idcirco induxit ſuper eos omne malum hoc.* (3. Regum 9. & 2. Paralipomenon 7.) Quibus minis ac verbis indicare Deus voluit, omnia quæ ad externi cultus apparatum pertinent, per ſe grata Majeſtati ſuæ non eſſe, ſed ob internam dumtaxat cultorum pietatem ac devotionem. *Fide enim, Spe, & Caritate colitur Deus* (inquit S. *Auguſtinus* in Enchiridio.)

Salomonis Claſſis.

VI. Sub idem tempus, *Hyramo* Tyri Regi in compenſationem ſubſidiorum quæ contulerat ad Templi Regiæque ædificationem, *Salomon* viginti Urbes in Galilæa dedit, certo (ut credere par eſt) annorum numero uſufruendas: Quas tamen ille ſprevit, mox que reſtituit. Urbes etiam nonnullas condidit *Salomon*: Amorrhæorum, Hethæorum, Pherezæorum, Hevæorum, & Jebuſæorum reliquias, quas Iſraelitæ exterminare non valuerant, tributarias fecit. Claſſes inſtruxit in *Ophir* & in *Tharſis* tranſmittendas, quæ magnam vim auri, argenti, gemmarum pretioſarum, lignorum thyinorum, eboris, &c. ſingulis annis advehebant. Ita tamen ut ſingulæ tres annos in conficienda navigatione explerent, ſed annis ſingulis una rediret. Sic enim Verſus 13. Capitis decimi Libri 3. Regum cum Verſu 22. conciliatur. Porro cum *Ophyra* ſit duplex, Arabica & Indica, Ophiram *Salomonis* doctiores Interpretes Taprobanam Indiæ Orientalis Inſulam, auri, gemmarum, eboriſque feraciſſimam intelligunt, quo directa erat faciliſque ex Aſiongaber Sinus Arabici Portu navigatio, in qua triennium inſumebatur: Cum in Arabicam Ophiram longe breviori temporis ſpatio navigari potuiſſet, nec ex ea tamen eboris ingens copia advecta eſſet, cum in ea nulli ſint elephanti. *Tharſis* quo *Salomon* & *Hyramus* Rex Tyri, Claſſem ſemel per tres annos tranſmittebant, non eſt Hiſpanica Carthago ſeu *Tarteſſus*, ut *Pineda*, aliique Hiſpani ingenioſa vanitate commenti ſunt; neque Africana, neque *Tharſus* Ciliciæ, Provinciæ minoris Aſiæ, Primaria civitas, in quam non ex *Aſiongabere* Maris Rubri, ſed ex *Joppe* Maris Mediterranei Portu adornata fuiſſet navigatio: Sed Oceani Indici inſula, Taprobanæ ſive Ophiræ proxima. Ita *Theodoretus* *Quæſtionibus* 33. & 36. *in* 3. *Regum*. Claſſis Ophirea ſexcenta ſexaginta ſex auri talenta per annos ſingulos afferebat Salomoni, excepto eo quod affe-

rebant vectigalium Præpoſiti, negotiatores, & omnes Reges Arabiæ, Ducesque terræ (3. *Regum* 10. 24.)

VII. Uti Sapientia, ſic & opibus *Salomon* cæteros mortalium prætergreſſus, nominis ſui famam longe lateque propagavit, inſignis Meſſiæ typus, donec per voluptates effeminatus, fœdiſſimis maculis gloriam ſuam obſcuravit. 3. Regum 10. 23. *Magnificatus eſt Rex Salomon* (inquit Scriptura) *ſuper omnes Reges terræ, divitiis & ſapientia. Et univerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, ut audiret ſapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.* Tantæ potentiæ ac Sapientiæ fama *Reginam Saba* excivit, ut Hieroſolymam cum magno comitatu veniret, *Salomonis* gloriam & magnificentiam ſpectatura; prudentiam propoſitis ænigmatibus, hoc eſt, difficillimis Quæſtionibus probatura. An autem Æthiopiæ, an Arabiæ felicis Regina eſſet, in Diſſertationibus expendemus. Ut ut eſt, Heroina illa Sapientiæ lumina, Regiæ elegantiam, Sacrificiorum magnificentiam, mensarum apparatum, ſervorum diſciplinam admirata, ac pene ſtupore correpta, in has voces exclamavit: *Verus eſt ſermo quem audivi in Terra mea ſuper ſermonibus tuis & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: Major eſt ſapientia tua & Opera tua, quam rumor quem audivi: Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem ut faceres Judicium & Juſtitiam.* (3. *Regum* 10.) Hæc effata, ut animi ſenſum teſtaretur, muneribus Principe dignis cumulat, centum & viginti auri talentis, gemmarum pretioſiſſimarum copia, aromatum tanta vi, quanta nunquam in Judæa viſa. Balſami plantam, cujus ferax eſt Palæſtina, illius Reginæ munificentiæ acceptam ferri, Auctor eſt Joſephus. Rex mutuis muneribus gratum animum teſtatus eſt, ipſique præterea dedit *omnia quæ voluit, & petivit ab eo*. (3. Regum 10. 13.)

Salomonis potentia & fama.

VIII. Quo major fuit ſapientia *Salomonis* & gloria, eo fœdior ac gravior ejus lapſus extitit. Tot enim tantiſque bonis elatus, voluptati fræna laxavit, factus, feminarum mancipium. Præter filiam Pharaonis, multas alienigenas duxit, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hethæas, contra præceptum Legis, hujuſmodi cum diſparis cultus feminis connubia expreſſe prohibentis, ob evidens idololatriæ periculum, Exodi 34. 16. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: Certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos eorum.* Inaudito exemplo ſeptingentas circiter habuit uxores Reginarum nomine & cultu inſignes, & trecentas concubinas habuit, quibus cum inſana libidine adhæreret ad ipſarum etiam Idola defecit, Fanaque falſis Numinibus erexit, *Aſtarthæ* imprimis, id eſt, *Veneri* Deæ Sidoniorum, *Molocho* Deo Ammonitarum, & *Chamoſo* Deo Moabitarum. Unicum de tot thalamis filium ſuſcepit *Roboamum*, & filias duas, duorum Præfectorum uxores, quarum meminit Hiſtoria Sacra 3. *Regum* 4. 11. 15. Conjiciunt nonnulli, Salomonem complures liberos in honorem *Molochi* igne conſumpſiſſe. Laſcivum Regem præpropera ſenectus invaſerat, jamque ad vitæ finem vergebat, cum ipſi Deus, ſive ſpecie aliqua terribili apparens, ſive per Prophetam, defectionis pœnam, diſtractionem Regni, quæ ſub filio paulo poſt ſecuta eſt, non tantum illi denuntiavit, verum etiam hoſtes infenſiſſimos adverſus ipſum ſuſcitavit. *Adad* enim Idumæus, Regio ſanguine oriundus, & Ægypti Regi affinitate conjunctus, paternam Provinciam a *Davide* debellatam invaſit. *Razon* quidam Syrus e Ducibus *Adarezeris* Regis Soba olim a *Davide* victi, latrociniis vires adeptus, Damaſcum obtinuit. *Jeroboam* filius *Nabath*, Ephratæus, vir fortis & potens, in *Salomonem* rebellavit, Regnique poſt mortem illius conſequendi ſpe ex Vaticinio Prophetico erectus, in Ægyptum fugit ad *Seſacum* Regem, ut *Salomonis* iram declinaret, ſeque meliori fortunæ ſervaret. (3. *Regum* Cap. 11.)

Salomonis lapſus.

IX. Inter hæc calamitatis publicæ præludia, mortuus eſt *Salomon*, cum annos quadraginta regnaſſet. (3. *Regum* 11. 42.) De illius Pœnitentia & ſalute nihil explicite tradit Scriptura Sacra: Variæ ſunt de illa Patrum & eruditorum hominum opiniones: Noſtram in Diſſertationibus aperiemus. Libros Sacros ſcripſit, *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, & *Canticum Canticorum*. Alios ipſum ediſſe de rebus phyſicis, colligi videtur ex 3. *Regum* Cap. 4. 33. nec non etiam Libros Carminum, Verſ. 32. *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et diſputavit ſuper lignis, a cedro quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete; & diſſeruit de jumentis & volucribus, & reptilibus, & piſcibus.* Salomonis nomini ab impiis hominibus ſuppoſita ſunt *Clavicula*, & *Annulus Salomonis*, aliaque Opera Magica. Ejus laudes ac vituperium, *Eccleſiaſtici* 47. leguntur. Ubi
„ enim de *Davide* ſermonem fecit: Poſt ipſum in-
„ *quit*, ſurrexit filius ſenſatus, & propter illum
„ dejecit omnem potentiam inimicorum. Salomon
„ imperavit in diebus pacis, cui ſubjecit Deus om-
„ nes hoſtes, ut conderet domum in nomine ſuo,
„ & pararet ſanctitatem in ſempiternum, quemad-
„ modum eruditus es in juventute tua, & impletus
„ es quaſi flumen ſapientia, & terram retexit ani-
„ ma tua. Et repleſti in comparationibus ænigma-
„ ta: Ad inſulas longe divulgatum eſt nomen tuum,
„ & dilectus es in pace tua. In Cantilenis, & Pro-
„ verbiis, & comparationibus, & interpretationi-
„ bus miratæ ſunt terræ, & in nomine Domini Dei,
„ cui eſt cognomen Deus Iſrael. Collegiſti quaſi au-
„ richalcum aurum, & ut plumbum compleſti argen-
„ tum. Inclinaſti femora tua mulieribus: Poteſta-
„ tem habuiſti in corpore tuo: Dediſti maculam in
„ gloria tua, & profanaſti ſemen tuum inducere ira-
„ cundiam ad liberos tuos, & incitari ſtultitiam
„ tuam, ut faceres Imperium bipartitum; & ex E-
„ phraim imperare imperium durum. Deus autem
„ non derelinquet miſericordiam ſuam, & non cor-
„ rumpet, nec delebit opera ſua, neque perdet a
„ ſtirpe nepotes Electi ſui, & ſemen ejus qui dili-
„ git Dominum, non corrumpet. Dedit autem re-
„ liquum Jacob, & David de ipſa ſtirpe. Et finem
„ habuit Salomon cum patribus ſuis.

Mors Salomonis.

Ejus Libri.

X. Regnante *Salomone*, Synagogæ Judaicæ Sacris præerat *Sadoc* Pontifex, cui ſucceſſit *Achimaas* Regis gener.

ARTICULUS II.

De Roboamo, Abia, & Aſa Regibus Juda: Jeroboamo, Nadab, Baaſa, Ela, Zambri, & Amri, Regibus Iſraelis.

SAlomoni ſucceſſit *Roboamus* ejus filius, annum ætatis quadrageſimum primum agens. Toto Iſraele, ad conſtituendum eum Regem Sichimam convenienſe, Populi nomine rogatus a *Jeroboamo*, ut durissimum tributorum jugum ſibi a *Salomone* impoſitum minueret, relicto Seniorum conſilio, ex Juniorum ſententia dure ac minaciter reſpondens, decem Tribus a ſe alienavit, quæ *Jeroboamo* primo Iſraelis Regi paruerant, duabus dumtaxat Tribubus, *Juda* ſcilicet ac *Benjamin*, in ipſius *Roboami* fide manentibus. *Aduram*, qui præerat tributis, a *Roboamo* ad ſe miſſum, cum lapidibus obruiſſent Iſraelitæ, Rex ſibi, Regnoque conſulturus, delectis ex utraque Tribu centum octoginta mille militibus, bellum adverſus decem Tribus gerere decrevit: Sed a Deo per Prophetam *Semeiam* monitus ne contra fratres pugnaret, nec Dei voluntati, cujus arbitrio hæc defectio contigerat in pœnam peccatorum *Salomonis*, reſiſteret, a cœpto deſtitit. Tum ditionis ſuæ Urbes vallis mœnibuſque cinxit, & congeſta armorum, annonæque copia, illis filios ſuos præfecit. Sacerdotibus & Levitis univerſis, pluribuſque ex ſingulis Tribubus, quibus conſtans avitæ Religionis ſtudium *Roboamo* Regi adjunctis, Regnum Juda per tres annos firmatum eſt, quibus Rex

Roboamus Rex Juda.

Decem Tribuum defectio.

Po-

Digitized by Google

Populuſque in Dei cultu & obſequio permanſerunt, (3. *Regum* 12. & *Paralipomenon* 11.) Poſt hæc Judæi in idololatriam prolapſi, & in omnem libidinem etiam præpoſteram, cæteraſque Gentium abominationes effuſi ſunt. Exinde *Roboam* divinæ prohibitionis immemor perpetuum adverſus Jeroboamum bellum geſſit. Sic enim intelligendum illud 3. Regum 14. *Fuitque bellum inter Roboam & Jeroboam cunctis diebus*. Roboami Regis ac Judæorum perfidiam Deus caſtigavit, evocato in Judæam cum ingentibus copiis *Seſaca* Ægypti Rege, cum mille ducentis curribus, & ſexaginta millibus Equitum, innumeriſque Peditum copiis, ex Ægypto, Libya, Troglodytide, & Æthiopia. Munitiſſimis Regni Juda civitatibus captis, Hieroſolymam uſque pervenit Ægyptius. Ibi Rex & Principes Juda prædicatione *Semeia* Prophetæ ad reſipiſcentiam, divinæque juſtitiæ agnitionem perducti, liberationis quidem promiſſionem a Deo acceperunt, ita tamen ut Victori ſervire ac tributa ſolvere cogerentur. *Veramtamen* (inquit) *ſervient ei, ut ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis Regni terrarum*. Receſſit itaque *Seſac* Hieroſolymis, theſauris Templi & Domus Regis dereptis, necnon clypeis aureis, quos fecerat Salomon, pro quibus æneos *Roboam* ſubſtituit. (3. *Regum* 14. 25. 26. & 2. *Paralipomenon* 12.) Obiit *Roboam* anno ætatis quinquageſimo-octavo, cum annis ſeptemdecim regnaſſet. *Fecit autem omne malum, & non præparavit cor ſuum ut quæreret Dominum*. (2. Paralipomenon 12. 14.) Uxores decem & octo, concubinas ſexaginta duxerat mulieroſus Princeps, ex iiſque viginti & octo filios, & ſexaginta filias ſuſceperat. Ejus res geſtas ſcripſerunt *Semeia*, & *Addo* Prophetæ. (2. Paralipomenon 12. 15.)

Abia Rex Juda.

II. *Roboamo* in Regno *Juda* ſucceſſit *Abia*, ejus filius ex *Maacha* uxore dilectiſſima, *Abſalomi* filia, ut ait Scriptura, id eſt, nepte, filia *Urielis* de *Gabaa*, (ut dicitur 2. Paralipomenon 13. 2.) Cui *Urieli Thamar* unica *Abſalomi* filia nupſit. Fuit autem Abia vir bello acer, ſed paternis flagitiis infamis (3. *Regum* 15. 3.) In *Jeroboamum* Regem Iſraelis bellum geſſit, Deique confiſus auxilio, uno prœlio cæcidit hoſtium quinquies centena millia: Deinde victoriam perſecutus, *Bethelem*, *Jeſanam*, *Ephronem*, munitiſſimas Regni Iſraelitici civitates, aliaque oppida in poteſtatem redegit. Tribus annis, & quidem incompletis, regnavit: Ejus quippe Regni initium octavodecimo anno Regni *Jeroboam* notat Scriptura 3. *Regum* 15. 1. Quatuordecim uxores habuit, ex quibus duos filios & ſexdecim filias procreavit. Eo regnante floruit *Addo* Propheta, a quo res ejus conſcriptæ. (2. *Paralipomenon* 13.)

Aſa Rex Juda.

III. Poſt *Abiam*, Judæorum Imperium obtinuit *Aſa* ejus filius, patre melior, anno vigeſimo *Jeroboami* Regis Iſrael, ut habetur 3. *Reg.* 15. 9. Decennium pacis continuum Deus ipſi largitus eſt: Quo tempore publicam Idololatriam ſuſtulit, *Subvertit Altaria peregrini cultus, & Excelſa, & confregit ſtatuas, lucoſque ſuccidit; & præcepit Juda ut quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, & faceret Legem, & univerſa Mandata: & abſtulit de cunctis Urbibus Juda Aras & Fana. Et abſtulit effœminatos de Terra*. Inſuper & *Maacham* matrem ſuam Sacrorum *Priapi* Antiſtitam exauctoravit, ſubvertit ſpecum pudendis Sacris conſecratam, confractumque Idolum turpiſſimum combuſſit in Torrente Cedron. (3. *Regum* 15. & 2. *Paralipomenon* 14.) Mater Aſæ *Maacha* filia Abſalom. Mater *Abiæ Maacha* pariter vocabatur, eaque Abſalomi pariter filia. An igitur eadem mulier *Abiæ* & *Aſæ* Regum, patris & filii mater? An *Abias* matrem duxit uxorem? Dicendum itaque vel diverſas fuiſſe mulieres ejuſdem cognominis, diverſiſque parentibus etiam cognominibus natas, ut reſpondet *Toſtatus*: Vel *Maacham* dici *Aſæ* matrem, id eſt, aviam, ſicut & patris nomen ad avum ſignificandum interdum uſurpatur. Quæ veriſimilior eſt aliorum reſponſio. Pugnare videntur 3. *Regum* Cap. 15. 14. & 2. *Paralipomenon* 14. 2. Priori enim loco de *Aſa* Rege Juda dicitur: *Excelſa autem non abſtulit*. Poſteriori vero loco de eodem legitur: *Et ſubvertit Altaria peregrini cultus, & Excelſa*. Duo loci in ſpeciem pugnantes Interpretibus facile conciliari videntur, diſtinguendo duplicis generis Excelſa: Quædam in quibus verus Deus ex indulgentia & tolerantia (ut ita loquar) colebatur: Alia Idolorum cultui conſecrata, & profanis ſuperſtitioſiſque Sacrificiis contaminata. Hæc ſuſtulit *Aſa*, ſicut & Altaria peregrini cultus: Illa toleravit. Qua in re etſi peccaverit, non tamen impius in Deum fuit. Unde poſt hæc verba, *Excelſa autem non abſtulit*; continuo ſubdit Sacer Hiſtoricus: *Verumtamen cor Aſa perfectum erat coram Domino cunctis diebus ſuis; & intulit ea quæ ſanctificaverat pater ſuus, & voverat, in Domum Domini, argentum, & aurum, & vaſa*. Quod reperitur 2. *Paralipomenon* 15. 17. Favet *Theodoretus* Quæſtione 47. in 3. Regum: *Idolorum quidem* (inquit) *Templa diruit, & lucos radicitus exſcidit: Quæ autem Deo in Excelſis dedicata erant Altaria reliquit*. A rebus divinis ad politicas deſcendens, Civitates Judaici Regni contra hoſtes munivit. *Zaram* Æthiopum Regem, qui cum decies centenis millibus Militum, & curribus trecentis, in Judæam irruperat, Dei nomine invocato, in Valle Sephata, propre Mareſam oppidum in fugam dedit, hoſteſque Geraram uſque perſecutus, ad internecionem fudit: Palæſtinorum Oppida circa Geraram percuſſit, diripuit, ob ſocietatem utique Belli, & quod illorum incolæ *Æthiopes* & *Libyes* ex Africa contra Judæos excivisſet. (2. *Paralipomenon* Cap. 14. & Cap. 16. 8.) *Aſæ* victori occurrit *Azarias* Propheta, multoque tempore Iſraelem futurum *abſque Deo vero, & abſque Sacerdote, Doctore, & abſque Lege* prædicens, totoque illo temporis intervallo bellis laceſſitum iri, Judæos bono animo & in Deum grato eſſe juſſit. Verbis Prophetæ confirmatus *Aſa*, majori ſtudio reſtaurandæ Religioni, & Idololatriæ reliquiis in omni ditione ſua abolendis incubuit. Plurimi ex Regno Iſraelis, præſertimque ex Tribubus *Ephraim*, *Manaſſe*, & *Simeonis* ad Eum ſe receperunt. Judæi cum Pio Rege Hieroſolymis congregati anno Regni illius decimo-quinto, Menſe tertio, de manubiis & præda Æthiopica boves ſeptingentos, & arietum ſeptem millia Deo in grati animi ſignificationem immolarunt, ſolemni juramento divinæ Legis obſervantiam polliciti, pœna etiam capitis in eos qui a ſincero Dei cultu deficerent, conſtituta. (2. *Paralipomenon* 15.)

Aſæ Bella.

Summam proſperitatem *Aſæ* Regi Juda invidebat *Baaſa* Rex Iſrael. Quamobrem, ad impediendum ſuorum ad Judæos commeatum, occupatam *Ramam* vallis ac muro munire aggreſſus eſt anno trigeſimo ſexto Regni *Aſæ*. Ille id prohibere conſtituens, auro & argento quod in Templi Ærario, Regiiſque Theſauris recondebatur, manum injecit, quo *Benadab* Syriæ Damaſcenæ Regem ſibi conciliaret, æmulique Regis molitiones fruſtraretur. *Benadab* miſſis copiis ſuis contra Civitates Iſraelis, percuſſit *Ahion*, & *Dan*, & *Abelmaim*, & univerſas Urbes *Nephtali* munitas. Unde *Baaſa* ab ædificanda ſeu munienda Rama deſtitit. *Aſa* vero ex lapidibus & lignis ab eo comportatis *Gabaa* & *Maſpha* ædificavit. Hunc ob imploratum Syriæ Regis auxilium corripuit *Hananias* Propheta. Rex reprehenſionis impatiens Hominem Dei in vincula conjecit, & plurimos e Populo, id forſan ægre ferentes, interfecit. Ex eo tempore *Aſa* Bellis continuis laceſſitus, & podagra cruciatus mortuus eſt anno quadrageſimo primo Regni ſui. Tria peccata in ipſo notat atque reprehendit Scriptura. Primum, quod fiduciam habuerit in Rege Syriæ, & non in Domino, cujus præſentiſſimum auxilium contra Æthiopes & Libyes multo pluries fuerat expertus, carnaliſque prudentiæ & politicæ obſecutus Ethnicorum hominum fœdus facto auro pactus ſit. Secundum, quod Prophetam indigni fœderis pœnas prædicentem compedibus arctaverit, multoſque de Populo ſuum illud facinus palam improbantes oppreſſerit. Tertium, quod pedum dolore tortus, in infirmitate ſua non quæſiverit Dominum, ſed in Medicorum arte fiduciam omnem collocaverit. (3. *Regum* 15. & 2. *Paralipomenon* 16.) Cenſet autem *Theodoretus* Quæſtione 48. in 3. Regum, *Aut eos qui incantationibus utuntur ac veneficiis, vocatas eſſe Medicos; vel quod ſolum crediderit Medicis, in Deum ſpem non habens. Nam qui vera pietate ſunt*

Locorum Scripturæ in ſpeciem pugnantium conciliatio. 3. *Reg.* 15. 2. 10.

Aſa ob imploratum Syriæ Regis auxilium correptus. Triplex Aſæ peccatum.

præ-

præditi, utuntur Medicis tanquam Dei miniſtris: Sciunt tamen quod nihil poteſt ars Medicorum Deo nolente, ſed tantum poteſt quantum ipſe vult.

IV. Regni Iſraelitici diſtractio ſub *Roboamo* facta eſt, in Comitiis Sichimæ habitis, cum de inaugurando Rege, ſeu mittendo in poſſeſſionem ageretur. Occaſionem dedit *Roboami* imprudentia, & pertinacia in ſpernendis ſenum conſiliis, qui remiſſionem tributorum, quam Populus urgebat, novo Regi ſuadebant, ut unius diei obſequio firmum ac diuturnum conſequeretur imperium.... Caput defectionis decem Tribuum tum a Rege, tum a Religione Judaica, fuit *Jeroboamus* Ephraimita, ſervus olim *Salomonis*, ab

Iſraelitici Regni exordia.

eoque ſuper tributa univerſæ domus *Joſeph* conſtitutus. Regnum illi prædixerat *Abias* Silonites Propheta, cum ipſi in via occurrens, prehenſo novo, quo induebatur, pallio, in duodecim illud laceravit fragmenta, quorum dena *Jeroboamo* tradidit, dicens:

Jeroboamus Rex primus Iſraelis.

Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus. Porro una Tribus remanebit ei propter ſervum meum David, & Jeruſalem Civitatem, quam elegi ex omnibus Tribubus Iſrael: Eo quod dereliquerit me, & adoraverit Aſtarthen Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Moloch Deum filiorum Ammon: & non ambulaverit in viis meis ut faceret juſtitiam coram me, & præcepta mea, & judicia, ſicut David Pater ejus. Nec auferam omne regnum de manu ejus, ſed Ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter David ſervum meum, quem elegi.... Auferam autem Regnum de manu filii ejus, & dabo tibi decem Tribus: Filio autem ejus dabo Tribum unam: Ut remaneat lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Jeruſalem Civitate, quam elegi ut eſſet Nomen meum ibi. Te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia, quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſrael. Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus: Ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, & tradam tibi Iſrael. (3. Regum 11.) Decem itaque Tribus a *Roboamo* deficientibus, Regnum ſibi ab illis oblatum *Jeroboam* occupavit. Sic unum Imperium in duo Regna diſtractum eſt, quorum alterum *Juda* dictum ex Tribu *Juda*, & maxima parte *Benjaminis* accedentibus Levitis: Alterum *Iſraelis Ephraim*, *Domus Iſrael*, ex decem reliquis Tribubus, & parte Benjaminis. Initio Regni ſui *Sichemam* ædificavit, a Rege *Abimelecho* olim dirutam: Inde *Phanuelem* Civitatem extruxit: *Therſæ* demum Regiam ſuam collocavit. Porro ut Gentem ſibi Regnumque firmaret, divinis promiſſis parum fidens, verituſque ne Iſraelitæ Religionis cauſa ad Templum Hieroſolymitanum confluentes, ſimul ad Regem Juda paulatim deficerent, ſcelesto conſilio ſacrilegaque Politica, Schiſma in Religione fecit,

Jeroboamus Auctor Schiſmatis in Judaica Religione.

novaque Sacrorum ſpecie eos ab Hieroſolymis adeundis avertit, duobus Vitulis aureis ad cultum erectis, uno in *Bethel*, altero in *Dan*. Id ex Ægyptiorum Superſtitione acceptum, quos inter verſatus fuerat *Jeroboamus*. Fana in Excelſis excitata, conſtitutum Altare, novi creati Sacerdotes, non de Tribu Levitica, ſed de vili plebecula promiſcue aſſumpti, nova etiam inſtituta Solemnitas Menſe octavo, quinta-decima die Menſis, ad ſimilitudinem Solemnitatis Tabernaculorum, quam Judæi Menſe ſeptimo, ex Legis præſcripto celebrabant. Sacrilegum ipſe Sacerdotium exercuit ſuper Altare, quod extruxerat in Bethel, aſcendens, ut adoleret incenſum, & Vitulis aureis immolaret. (3. Regum 12.) Dum id præſtat, Judæus Propheta (*Jadonem* Joſephus vocat) a Deo miſſus, Altare profanum execratur; & *Davidis* ſtirpe naſciturum olim puerum, *Joſiam* nomine, prædicit, qui in hoc ipſo Altari Excelſorum Sacerdotes mactabit, & mortuorum oſſa concremabit; in ſignum quod hæc Dei nomine denuntiet, ſcindendum Altare, & cinerem qui in eo eſt, effuſum iri ſignificat. His verbis irritatus Rex impius & infidelis, manu protenſa, Sacrum Vatem comprehendi jubet: Sed ita manus ipſi confeſtim exareſcit, ut eam retrahere non valeat. Mox Altare in partes diſciſſo, victimarum cinis diſſipatur. *Jeroboamus* prodigio perculſus, Hominem Dei obteſtatur ut priſtinum manui ſuæ vigorem ac motum precibus a Deo impetret. Id ubi obtinuit, hoſpitium, prandium, munera ipſi offert. Renuit Vir Dei, ſibi a Deo vetitum cauſatus, ne quicquam eo in loco alimenti ſumeret, nec per eamdem viam reverteretur. (Quod in execrationem Idololatriæ & Schiſmatis, & in figuram Eccleſiaſticæ Cenſuræ factum obſervant Interpretes.) Poſtmodum ab alio Propheta, vero quidem, ſed hac in occaſione mendaci & divinum Oraculum fingente, deceptus

Jeroboamus a Propheta increpitur. Miracula in execrationem impietatis illius a Deo edita.

cum apud ipſum diverſatus cœnaviſſet, a leone in via correptus interficitur, illæſo, cui inſidebat aſino, cadavere etiam intacto, ut innoteſcat Dei inſtinctu id egiſſe, hac pœna venalem Prophetæ inobedientiam punientis. Unde & circa ejus cadaver excubias agit ferox bellua, donec ſenior Propheta; qui mendacio ſuo illum deceperat, in Civitatem illud inferat, ſepulcroque ſuo condat (3. Regum 13.) De utroque Propheta S. *Auguſtinus* Lib. *De Cura pro mortuis gerenda*, Cap. 7. ſcribit: *Hactenus voluit Dominus ſervum ſuum plectere, qui non ſua contumacia ſpreverat præceptum ejus implere, ſed aliena decipiente fallacia obedire ſe crediderat, quando non obedivit. Neque enim putandum eſt ita fuiſſe interemptum morſu beſtiæ, ut ad ſupplicium tartareum ejus deinde anima raperetur, quando quidem ipſum ejus corpus idem leo, qui occiderat, cuſtodivit, jumento etiam quo vehebatur illæſo, & ſimul cum illa immani fera intrepida præſentia ad ſui Domini funus adſtante. Quo mirabili ſigno apparet Hominem Dei coercitum potius temporaliter uſque ad mortem, quam punitum eſſe poſt mortem. De qua re Apoſtolus, cum propter quaſdam offenſas commemoraſſet infirmitates mortesque multorum:*

Propheta a leone interfectus.

„ *multorum*: Si enim nos ipſos, *inquit*, judicaremus, a Domino non judicaremur. Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum Mundo damnemur. *Eum ſane ipſe qui deceperat in monumento proprio ſatis honorifico ſepelivit, ſeque ſepeliendum juxta oſſa ejus curavit: Ita ſperans parci quoque poſſe oſſibus ſuis, cum veniret tempus quando ſecundum illius Hominis Dei Prophetiam Joſias Rex Juda in illa Terra multorum eruit oſſa Mortuorum, eiſdemque oſſibus ſacrilega Altaria, quæ ſculptilibus conſtituta fuerant, funeſtavit. Pepercit quippe illi Monumento ubi jacebat Propheta, qui ante annos amplius quam trecentos iſta prædixerat, & propter ipſum nec illius, qui eum ſeduxerat, ſepultura violata eſt. Affectu namque illo, quo nemo unquam carnem ſuam odio habet, providerat cadaveri ſuo, qui occiderat mendacio animam ſuam. Ex hoc igitur quod carnem ſuam quiſque naturaliter diligit, & illi pœna fuit addiſcere, non eum futurum in ſepulcro patrum ſuorum; & huic cura profuit, ut parceretur oſſibus ſuis, ſi juxta eum jaceret, cujus ſepulcrum nemo violaret.*

1. Cor. 11. 31. 32.

4 Reg. 23. 16.

Ad ſaniorem mentem non rediit *Jeroboam*, quam ob rem ipſi pœna impietatis primum denuntiata eſt per *Abiam* Silonitem Prophetam, qui ejus uxori, * de filio ſuo *Abia* ægrotante illum conſulenti, mox puerum moriturum; domum *Jeroboami* funditus evertendam, totamque illius poſteritatem gladio ultore delendam, denuntiat: Diræ mortis comitem futuram infamiam, ita ut ſepultura careant; a canibus vel avibus devorentur: Regnum a Jeroboamo ejuſque familia brevi ad alium Regem transferendum: Denique Iſraelem, id eſt decem Tribus in Captivitatem abducendas & ventilandas trans flumen, quia fecerunt ſibi lucos ut irritarent Dominum, & tradendas hoſtibus propter peccata *Jeroboam*, qui peccavit, & peccare fecit Iſrael. Quamobrem ejus peccatum omnium Regum, qui ipſum præceſſerunt, peccatis gravius a Propheta dicitur 3. *Regum* 14. Regni Iſraelitici everſio, decemque Tribuum in Aſſyriam deportatio ab *Abia Silonite* prædicta, impleta eſt cum *Salmanaſar* Rex Aſſyriorum Samariam poſt triennalem obſidionem cepit, *Anno nono Oſee Regis*, quem *vinctum miſit in carcerem, & tranſtulit Iſrael in Aſſyrios: Poſuitque eos in Hala & in Habor, juxta fluvium Gozan, in Civitatibus Medorum* (4. *Regum* 17. 4. 5. 6.) A primo Idololatriæ *Jeroboami* exercitio in Bethel, & divini in eam judicii denuntiatione publica, aſcendendum eſt initium trecentorum & nonaginta annorum iniquitatis Iſraelis, de quibus *Ezechiel* Cap. 4. 5.

** Uxorem Jeroboami Ano vocant 70. Interpretes, & Seſaci Regis Ægypti filiam fuiſſe docent. Quod in Hebræo & in Vulgata non habetur.*

Abia Silonita Vaticinatus contra Jeroboam & Regnum Iſraelis.

Digitized by Google

4. 5. Jeroboami peccatum Salomonis peccato gravius, quia non fragilitate, ſed malitia peccavit; non mulierum victus illecebris in Idololatriam lapſus eſt, ut Salomon, ſed ipſe ſacrilegæ Politices veſtamentis novam Religionis ſpeciem excogitavit, ut Regnum ſibi firmaret: Non exemplo ſolum nocuit ut *Salomon*, ſed Edictis Hieroſolymitanum iter ad verum Deum in Templo, ſecundum Legem, colendum prohibentibus. *Et excogitato conſilio* (inquit Sacer Hiſtoricus 3. Regum 12. 28.) *fecit duos Vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* Vere igitur de ipſo *Abias* Propheta dixit: *Operatus es mala ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projeciſti poſt corpus tuum.* (3. Regum 14. 9.) Hic locum habent præclara illa verba *Lactantii* Libro 5. *Divinarum Inſtitutionum*, Cap. 6. *Et quoniam mores ac vitia Regis imitari genus obſequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrare ſcelus Regi viderentur, ſi pie viverent. Sic aſſidua imitatione corrupti, divinum fas reliquerunt.*

Mors Jeroboami.

Obiit *Jeroboam* percuſſus a Domino pro merito impietatis, cum annis viginti duobus, nec tamen completis regnaſſet. (3. *Regum* 14. 20. & 2. *Paralipomenon* 13. 20.)

Nadab Rex Iſrael.

V. *Jeroboamo* patri in Regno ſucceſſit *Nadab* ejus filius, paternæ malitiæ æmulus, *anno ſecundo Aſa* Regis Juda. *Gebbethonem* Philiſtæorum obſidens, a *Baſa* interfectus eſt *anno tertio Aſa Regis Juda*. Cum itaque Scriptura eum ſuper Iſrael regnaſſe dicit duobus annis, annos incompletos intellige. (3. *Regum* 15. 25. 26. 27. 28.)

Baaſa Rex Iſrael.

VI. Cæſo *Nadab*, Thronum Iſraelis conſcendit *Baaſa*, anno tertio *Aſa* Regis Juda. (3. *Regum* 15. 28.) totamque *Jeroboami* ſtirpem delevit, ſecundum *Abiæ* Silonitis Vaticinium. Bellum cum *Aſa* Rege continuum habuit. (3. *Regum* 15. 29. 30. 32.) *Anno trigeſimo ſexto Regni ejus*, aſcendens contra Judam, occupavit *Ramam*, quam Muro circumdabat, donec urgente *Benadado* Rege Syriæ, *Aſa* fœderato, cœptas munitiones intermittere, imo penitus deſerere coactus eſt. (2. *Paralipomenon* 15.) Hic difficultas non levis occurrit in numero annorum. Quo modo enim *Baaſa* Regnum Juda infeſtaſſe dicit Sacer Hiſtoricus anno *Aſa* trigeſimo-ſexto, cum ipſe *Baaſa* anno tertio *Aſa* regnare cœperit, & viginti quatuor annis duntaxat, iiſque incompletis regnaverit? (ut habetur 3. *Regum* 15. 28. 33.) Adeoque anno *Aſa* vigeſimo ſexto obierit. Communis maximeque commoda Reſponſio eſt, Auctorem Libri 2. *Paralipomenon* annum trigeſimum ſextum deſignare, non *Aſa* ipſius, ſed *Regni Aſa*, ſive Regni Juda, cui præerat *Aſa*. Totidem enim anni a diviſione Regni ſub *Roboamo* numerantur, ſcilicet ſeptemdecim *Roboami*, tres *Abia*, & ſexdecim *Aſa* cujus anno decimo ſexto aſcendit *Baaſa* adverſus Judam. Hæc autem numerandi ratio nihil habet abſurdi, aut novi, cum hujuſmodi Epocha ſit ad memoriam inſignis. Simili ratione *Abſalom* dicitur a patre *Davide* petiiſſe commeatum proficiſcendi Hebronem, ut redderet vota ſua anno quadrageſimo. (2. *Regum* 15. 7.) Quæ tamen poſtulatio non contigit anno quadrageſimo Regni Davidis, (nam trigeſimus tantum agebatur:) ſed quadrageſimo a prima inauguratione ipſius per *Samuelem* facta, quæ totis decem annis Regni poſſeſſionem initam anteceſſerat.

Difficultas circa Chronologiam Sacram ſolvitur.

Baaſa in via *Jeroboami* ambulanti, & in Idololatria perſeveranti, crimen palam exprobravit *Jehu* Propheta, ipſique & ſtirpi ejus excidium denuntiavit, quale ipſe intulerat ſtirpi *Jeroboami* (3. *Regum* 16. 1. 2. 3. 4.) Quamobrem Sanctum Prophetam Rex impius occidit. (3. *Regum* 16.) Obiit ipſe, cum annis viginti tribus regnaſſet, Thronum enim conſcenderat anno tertio Regni *Aſa* Regis Juda.

Jehu Propheta contra Baaſam ejuſque ſtirpem Vaticinium.

Ela Rex Iſrael.

VII. Ipſi autem ſucceſſit in Regno Iſraelis *Ela* ejus filius, anno vigeſimo ſexto *Aſa*. (3. *Regum* 16. 8.) regnavitque ſuper Iſrael duobus annis incompletis. Bibentem ac temulentum in domo *Arſa* Præfecti Therſæ oppreſſit *Zambri*, ſervus perduellis: Totamque *Baaſa* familiam extinxit, juxta Vaticinium *Jehu*, anno vigeſimo ſeptimo *Aſa* Regis Juda. (3. *Regum* 16. 9. 10. 11. 12.)

Zambri Rex Iſrael.

VIII. Mox Regnum invaſit infamis Parricida, & tyrannidem exercuit diebus ſeptem. Poſt quos *Amri* Princeps Militiæ, ab exercitu Iſraelitico, qui iterum ad Gebbethone Philiſtæorum Caſtra habebat, Rex electus, Tyrannum in Regia, quæ Therſæ erat, obſeſſum compulit, ut deſperata ſalute, ſe ſuoſque una cum Palatio combureret. (3. *Regum* 16. 15. 16. 17. 18.)

Amri Rex Iſrael.

Quamvis autem Populo poſt mortem *Zambri* in duas factiones diſtracto, magna pars *Thebni* filium *Gineth* ſequeretur, prævaluit tamen *Amri*, & mortuo poſt quatuor annos Æmulo, ſolus regnare cœpit anno trigeſimo primo *Aſa* Regis Juda. (3. *Regum* 16. 21. 22. 23.) Cum *Therſa* regnaſſet ſex annis, Regni ſedem tranſtulit Samariam, quam urbem ædificavit in Monte, quem emit a *Somer* duobus talentis argenti. (3. *Regum* 16. 24.) Obiit, cum duodecim annis regnaſſet, Princeps omnium qui ante ipſum imperarunt nequiſſimus, & Samariæ ſepultus, *Achabo* filio relicto, Regni pariter & impietatis herede. (3. *Regum* 16. 28.)

Samaria condita.

ARTICULUS III.

De Joſaphata, Joramo, Ochoſia, & Athalia Regibus Juda; Achabo, Ochoſia, Joramo, & Jehu Regibus Iſrael.

Joſaphat Rex Juda piiſſimus.

ASam Regem Juda *Joſaphatus* filius excepit, anno quarto Achab Regis Iſrael, ætatis trigeſimo quinto, (3. *Regum* 22. 41. & 2. *Paralipomenon* 20. 31.) Pietate ac zelo patri non modo non impar, ſed ſuperior. Impoſito Urbibus ditionis ſuæ præſidio, inſtaurandæ Religioni diligenter incubuit, ratus rerum ſuarum proſperitatem, Regnique felicitatem haud diu duraturam, niſi illa ad Dei cultum ſtabiliendum ac propagandum uteretur. 2. Paralipomenon 17. 5. 6. *Confirmavitque Dominus Regnum in manu ejus, & dedit omnis Juda munera Joſaphat: Factaque ſunt ei infinita divitia, & multa gloria. Cumque ſumpſiſſet cor ejus audaciam, propter vias Domini, etiam Excelſa, & lucos de Juda abſtulit.* His repugnare videtur illud 3. Regum 22. 44. *Verumtamen Excelſa non abſtulit: Adhuc enim Populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in Excelſis.* Et illud 2. Paralipomenon 20. 32. 33. *Et ambulavit in via Patris ſui Aſa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino. Veruntamen Excelſa non abſtulit, & adhuc Populus non direxerat cor ſuum ad Dominum Deum Patrum ſuorum.*

An excelſa abſtulerit? Pugnantes in ſpeciem Scriptura loci conciliantur.

Hæc loca in ſpeciem pugnantia Interpretes vulgo conciliant, diſtinguendo duplicis generis Excelſa, alia Idolis conſecrata, alia unius veri Dei Sacrificiis frequentata. Prima (inquiunt) radicitus excidit *Joſaphatus*, poſtrema ex indulgentia & œconomia toleravit, ut de *Aſa* illius patre Articulo ſuperiori diximus. Quæ Reſponſio *Theodoreti* ſuffragio confirmatur Quæſtione 52. in Librum 3. *Regum*. Minime tamen ſpernenda eſt Virorum quorumdam Eruditorum conjectura, qui & Capite 17. Libri 2. *Paralipomenon* 5. 6. legendum putant, *Et non abſtulit*, atque ita vertendum fuiſſe, ut hic locus cum aliis conveniat. Olim in Hebræo fuiſſe *Velo*, id eſt, *Et non*, quod facile in *Veod*, id eſt, *Et adhuc*, vel *Etiam*, mutatum eſt. Senſum eſſe, *Joſaphatum*, quanquam multo cæteris audentiorem, auſum non eſſe amovere Excelſa. Vide quæ in Diſſertatione Anticritica contra *P. Faſſeum* Articulo 19. ea de re ſcripſi. Eruditis illis Viris favere dixi verba illa *Paralipomenon* 2. Cap. 20. 33. *Veruntamen Excelſa non abſtulit, & adhuc Populus non direxerat cor ſuum ad Dominum Deum Patrum ſuorum.* Hæc enim ſpectare videntur Excelſa illa, in quibus Populus ſacrificabat & adolebat incenſum, non Deo patrum ſuorum, id eſt, Deo vero, ſed Idolis. Præterea, Excelſa illa non abſtulit *Joſaphat*, quæ ad *Ezechiam* & *Joſiam* uſque ſervata ſunt, qui ea funditus evertit. Hæc autem fuiſſe profana & Idolis dicata, conſtat ex 4. Regum Cap. 23. *Excelſa quoque* (inquit) *quæ erant in Jeruſalem, ad dexteram partem Montis offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth Idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni*

Moab

Moab, *& Melchom abominationi filiorum Ammon*, *polluit Rex*. *Et contrivit Statuas & ſuccidit Lucos*, *replevitque loca eorum oſſibus mortuorum*. *Inſuper & Altare quod erat in Bethel*, *& Excelſum quod fecerat Jeroboam filius Nabath*, *qui peccare fecit Iſrael*: *& Altare illud & Excelſum deſtruxit*, *atque combuſſit*, *& comminuit in pulverem*, *ſuccenditque etiam Lucum*. Illa ergo Excelſa, & Lucos *Joſaphat* non deſtruxerat. Idem colligi videtur ex Capite 18. ubi de *Ezechia* Rege dicitur: *Ipſe diſſipavit Excelſa*, *& contrivit ſtatuas*, *& ſuccidit lucos*, *confregitque ſerpentem æneum*, *quem fecerat Moyſes*: *Siquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum*. Excelſa quæ deſtruxit *Ezechias*, profana erant; igitur Excelſa profana & Idolis dicata non abſtulerat *Joſaphat*. Hanc ob cauſam Eccleſiaſtici 49. ubi memoria *Joſia* celebratur, deque ipſo dicitur, *Et tulit abominationes impietatis*; nomen *Joſaphat* in albo priorum Regum non recenſetus; Quinimo dicit Scriptura: *Præter David*, *& Ezechiam*, *& Joſiam*, *omnes peccatum commiſerunt*. *Nam reliquerunt Legem Altiſſimi Reges Juda*, *& contempſerunt timorem Dei*.

Anno Regni ſui tertio, *Joſaphat* Principes, Sacerdotes, Levitaſque ſelectos in Urbes totius Regni ſui miſit, qui populum erudirent, Legemque Domini in omnium pectora tranſcriberent. (2. *Paralipomenon* 17. 7.) Deus zelo gratificatus, Pium Regem vicinis Regibus ac Gentibus venerabilem ac formidabilem fecit. Philiſtæi & Arabes ei tributum ultro pependere virtutis intuitu, metuque potentiæ. In illius enim Exercitu undecies centena & ſexaginta millia virorum bellatorum, & ſtationariorum Militum numerabantur, exceptis iis quos in Præſidiis conſtituerat. (2. *Paralipomenon* 17.)

Joſaphat affinitatem cum Achab contrahit. A Jehu Propheta correptus pœnitentiam agit. Bona ejus opera.

Affinitate cum *Achabo* Rege impio Iſraelitis contracta, liberorum conjugio, *Athalia* ſcilicet *Achabi* filiæ & *Jorami* filii ipſius *Joſaphat*, junctoque fœdere, magno comitatu Samariam adit, & ad oppugnationem *Ramoth Galaadis*, Urbis Syriæ, ab ipſo invitatur: Cui obſecundans, magnum vitæ diſcrimen in illa Expeditione ſubiit, ex quo invocato Dei auxilio evaſit. (2. *Paralipomenon* 18.) *Joſaphato* Hieroſolymam revertenti occurrit *Jehu* filius *Hanani*, Propheta ejuſdem nominis cognominiſque cum illo, qui *Baaſa* Regi Iſraelitis ante ſexaginta pene annos exitium prædixerat: Regi improperat quod impio *Achab* præbuerit auxilium, & cum hominibus Deo inviſis amicitia conjunctus ſit. Severa animadverſione dignum facinus Dominum condonare denuntiat intuitu bonorum operum, pietatis ac zeli, cujus in evertendis idolis & lucis ſpecimen præbuit. Admonitus Religioſiſſimus Princeps Pœnitentiam novis pietatis operibus, ardentiorique pro Dei gloria ſtudio teſtatus eſt. Totum Regnum ſuum luſtrans, Populum ad veri Dei cultum reduxit. Judicum etiam ſubſellia conſtituit oppidatim, viroſque pios & ſapientes illi Muneri, gravi cum admonitione præfecit. *Videte* (ait) *quid faciatis*: *Non enim hominis exercetis Judicium*, *ſed Domini*: *& quodcumque judicaveritis*, *in vos redundabit*. *Sit timor Domini vobiſcum*, *& cum diligentia cuncta facite*: *Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas nec perſonarum acceptio*, *nec cupido munerum*. Conſtituit etiam Hieroſolymis Sacerdotes, Levitas, & Principes familiarum, qui Sacris Judiciis præeſſent, eos nunc in modum adhortatus: *Si agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum*, *qui habitant in urbibus ſuis inter cognationem & cognationem*, *ubicumque quæſtio eſt de Lege*, *de Mandato*, *de Ceremoniis*, *de Juſtificationibus*: *Oſtendite eis ut non peccent in Dominum*, *& ne veniat ira ſuper vos*, *& ſuper fratres veſtros*. (2. Paralipomenon 19.)

Victoriam de hoſtibus Joſaphat a Deo impetrat.

Dum Religioni ac Juſtitiæ reſtaurandæ curas omnes ſuas conſecrat *Joſaphatus*, nontiatur Moabitas, Ammonitas, Idumæos, & Syros cum ingenti exercitu adeſſe, mox in Judæam irrupturos. Pius Rex fuſis ad Deum precibus, indictoque Jejunio, præſidium omne in Deo conſtituit. *Jabaziel* Levites & Propheta certam *Joſaphato* & Judaico Exercitui auguratur a Deo victoriam. Fide magis quam armis reportata de hoſtibus fuit. Nam dum Cantores Domini in fronte Exercitus laudes Dei celebrant, inter ſe commiſſi Barbari præliantur, Ammonitæ & Moabitæ in Idumæos, tum illi in ſemetipſos arma vertunt, mutuiſque cadunt vulneribus. *Joſaphat*, cum Exercitu ſpoliis onuſto, quarto die, pſalteriis, citharis, tubiſque præcinentibus, triumphantis ritu Hieroſolymam revertitur, ac in Templum ſe confert, Deo victoriæ tam inſignis auctori gratias acturus. (2. *Paralipomenon* 20.)

Claſſis Joſaphati perit ob pactum cum Ochozia Achabi Regis Iſrael filio initum. Mors Joſaphati.

Poſt hæc, Claſſem inſtruxit *Joſaphatus*, quæ *Ophiram* proficiſceretur inquirendi auri cauſa. In hujus Expeditionis ſocietatem admitti poſtulat *Ochozias* Achabi filius. Pactum cum impio Principe primum reſpuit, Propheticæ objurgationis memor: Demum importunis precibus cedens, navibus communi ſumptu paratis, ſocium admittit. Quam ob rem *Joſaphatum* reprehendit *Eliezer* Propheta, claſſemque in ipſo portu *Aſiongaber*, antequam ſolvat, perituram denuntiat (3. *Regum* 22. 49. 50. & 2. *Paralipomenon* 20. 35. 36. 37.) *Joſaphat* jam ſenex, Regni & familiæ ſuæ rebus componendis intentus, reliquis filiis multa munera, annuos reditus, & Civitates munitas diſtribuit; *Joramum* vero natu maximum, cui antea vicariam poteſtatem communicaverat, cum ad bellum Syriacum proficiſceretur, Regni ſe cum conſortem conſtituit, *Jorami* Iſraelitici Regis anno quinto. Poſt quadriennium obiit *Joſaphatus* anno ætatis ſexageſimo, Imperii vigeſimo quinto incompleto; & Hieroſolymis cum patribus ſuis ſepultus eſt. (3. *Regum* 22. 51. & 2. *Paralipomenon* 21. 1. 2. 3.)

Joram Rex Juda impiiſſimus.

II. *Joſaphato* itaque pio Regi in Regno Juda ſucceſſit filius nequiſſimus *Joramus* ætatis anno trigeſimo ſecundo. Is *Athaliam* conjugem, *Achabi* Regis Iſrael & *Jezabelis* filiam, habuit impietatis & crudelitatis magiſtram; Qua inſtigante, Regnum a cæde ſex fratrum & aliquorum Procerum auſpicatus eſt, & vitulinam Regum Iſrael ſuperſtitionem eſt amplexus; Imo & peregrinam Idololatriam in Regnum Juda, Excelſis in honorem Baal dedicatis, palam introduxit. Tantam impietatem Deus inultam non reliquit. Idumæi, qui a *Davide* olim ſubacti, tandiu Judaico Imperio paruerant, excuſſo jugo, alium ſibi Regem conſtituerunt. *Lobna* munitiſſima Judææ civitas defectionem imitata eſt. Philiſtæi & Arabes in Judæam effuſi, campeſtremque regionem deprædati, Regiam ſubinde diripuerunt, captis *Jorami* uxoribus, filiiſque, & mox interfectis, ſolo ſuperſtite *Joachaz*, qui & *Ochozias*, natu minimo. Ad hæc, dolore viſcerum inſanabili percuſſus & toto biennio dire vexatus, longa conſumptus tabe, animam cum viſceribus pone regeſſit. Hanc ipſi cladem, ipſamenque plagam denuntiavit *Elias* Propheta, Literis ad ipſum ſcriptis. Ante annos novem raptus in cœlum fuerat *Elias*, cum illius literæ ad *Joramum* allatæ ſunt. An ante Raptum illas ſcripſerit Sanctiſſimus Propheta, & *Eliſæo* forte reliquerit, ſuo tempore mittendas, an vero ex loco quietis in quem poſt raptum receptus eſt felicis æternitatis candidatus, per Angelum miſſæ ſint, & a quo redditæ *Joramo* Regi, incertum. Hieroſolymis quidem ſepultus eſt, ſed neque Majorum tumulo, nec Regio funere. (2. *Paralipomenon* 21.) Annis octo in Jeruſalem regnaſſe dicitur (*Ibidem*, v. 20) Qui numerus difficultate non caret. Regnandi enim initium fecit poſt mortem *Joſaphati* patris, (3. *Regum* 22. 51) Alibi tamen, ſcilicet 4. *Regum* 8. 16. Regni ipſius initium conſignatur *Anno quinto Joram filii Achab Regis Iſrael*, *& Joſaphat Regis Juda*. At annus quintus *Jorami* Regis Iſrael coincidit cum anno *Joſaphati* vigeſimo ſecundo, non quinto. Denique *Joram* Rex Iſrael Regni habenas capeſſivit *Anno ſecundo Joram filii Joſaphat Regis Juda*, ut dicitur 4. *Regum* 1. 16. Quomodo vero annus primus Jorami Regis Iſrael coincidit cum anno ſecundo *Jorami* Regis Juda, filii *Joſaphat*, ſi annus quintus *Jorami* Iſraelitici Regis coincidit cum anno quinto *Joſaphati*, qui viginti quinque annis regnavit? Nulla felicior conciliandi ratio eſt, quam ſi *Joramo* Regi Juda tria regnandi principia tribuantur. Primum tanquam Proregi declarato, anno decimo ſeptimo *Joſaphati* patris, quando patre ad bellum Syriacum profecto, ipſe vicaria poteſtate Regnum adminiſtravit, donec pater rediret. Et quia

Literæ Eliæ ad Joramum Regem quando ſcripta, incertum.

Chronologica difficultas circa annos Jorami Regis ſolvitur.

Achab

Digitized by Google

Achab Rex Iſrael, excepto Samariæ *Joſaphato*, cum in procinctu Syriacæ illius Expeditionis eſſent, *Joramum* filium in conſortium Regni pariter allegit, ideo annus primus *Jorami* Regis Iſrael coincidit cum anno ſecundo *Jorami* filii *Joſaphat* Regis Juda. Deinde cum jam ſenex eſſet *Joſaphatus*, ſuæque familiæ rebus componendis intenderet, *Joramum* filium Regni conſortem conſtituit, ſucceſſoremque declaravit, & ex ſſe heredem, civitatibus, penſionibus muneribuſque aliis filiis datis, anno quinto *Jorami* Regis Iſrael, & vigeſimo ſecundo ipſius *Joſaphati*, qui nihilominus annus ejuſdem quintus dicitur 4. *Regum* 8. 16. annos ſcilicet illos numerando ab Expeditione Syriaca, junctis cum *Achabo* copiis ſuſcepta, in qua e ſupremo diſcrimine, ſingulari Dei beneficio ſervatus eſt. Cujus in memoriam annus Regni ſui inde numerari voluit, ut conjiciunt Interpretes. Ab hoc autem termino anni octo numerantur, quibus *Joramus* Rex Juda regnaſſe dicitur, 2. *Paralipomenon* 21. 20. Demum *Joſaphato* patre defuncto, ſolus regnavit, 3. *Regum* 22. 5. *Dormivitque Joſaphat cum patribus ſuis . . . Regnavitque Joram filius ejus pro eo.*

Ochozias Rex Juda impius.

III. *Joramo* Regi Juda ſucceſſit *Ochozias*, quem Hebraizantes mutatis punctis *Achaziam* vocant, Scriptura vero 2. *Paralipomenon* 21. etiem *Joachaz*. Hic patris impietatem imitatus, improbæque matris *Athaliæ* & Domus *Achabi* nefariis conſiliis auſcultans, cultus Baalitici promotorem ac fautorem ſe præbuit. Cum avunculo ſuo *Joramo* Iſraelis Rege adverſus *Hazaelem* Syriæ Regem Expeditione ſuſcepta; poſt infelicem certaminis exitum, cum illum in Jezrahel ex vulneribus decumbentem inviſeret, a *Jehu* in familiam *Achabi* irruente ſimul oppreſſus eſt, cum Principibus Juda, & Nepotibus, qui in ipſius erant comitatu. Ejus cadaver Hieroſolymam delatum, in Majorum ſepulcro conditum eſt, funuſque regio more curatum. Is memoriæ *Joſaphati* tributus honos. (4. *Regum* 9. & 2. *Paralipomenon* 22.) Locus cædis *Ochoziæ* diverſimode deſignatur. Quarto enim Regum Capite nono v. 27. dicitur: *Et percuſſerunt eum in aſcenſu Gaver, qui eſt juxta Jeblaam: Qui fugit in Mageddo, & mortuus eſt ibi.* Secundi autem Paralipomenon vigeſimo ſecundo verſ. 9. de *Jehu* dicitur *Ipſum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: Adductumque ad ſe occidit.* Quæ loca conciliantur facillime, ſi Samariam, ibi ſumi dicamus pro Provincia, non pro Urbe. Vulneratum itaque in curru, cum Mageddunem Samaritidis regionis Urbem in dimidia Tribu Manaſſe cis Jordanem fugiſſet, ibique latitaret, a *Jehu* ibidem occiſum obiiſſe.

A Jehu caeditur.

Scriptura loci in ſpeciem pugnantes de loco cædis Ochoziæ, & ejus ætate conciliantur.

Gravior difficultas occurrit circa ipſius *Ochoziæ* Judæorum Regis ætatem. Quarti enim Regum Cap. 8 Verſ. 26. dicitur *Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpiſſet, & uno anno regnavit in Jeruſalem.* At 2. *Paralipomenon* 22. 2. dicitur *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, & uno anno regnavit in Jeruſalem* Qui poſterior locus non ſolum cum priori pugnat, ſed etiam cum 4. *Regum* 8. 17. & 2. *Paralipomenon* 21. 5. & 20. ubi legitur, *Joramum* patrem *Ochoziæ* Regis Juda triginta duorum annorum fuiſſe, cum regnare cœpit, & octo annis regnaſſe. Ex quo ſequitur ipſum annos duntaxat quadraginta vixiſſe. Si ergo *Ochozias*, qui ipſi proxime ſucceſſit, quadraginta duorum annorum fuit, cum regnare cœpit, neceſſe eſt illum biennio patre ſuo ſeniorem extitiſſe. Auctor Quæſtionum in Libros Paralipomenon apud *S. Hieronymum*, ab hac difficultate ſe expedit dicendo, *Joramum* ex quadraginta illis annis, quibus vixit, regnaſſe viginti octo, nimirum octo antequam fratres occideret, viginti vero in tribulatione & languore, qui additi ætati viginti duorum annorum *Ochoziæ*, ſummam quadraginta duorum annorum conficiunt eidem tributam Libro 2. Paralipomenon. Sed hæc reſponſio difficultatem non ſolvit: Tum quia Scriptura Sacra conſtanter aſſerit *Joramum* regnaſſe octo annis, & ex his duos duntaxat in languore egiſſe, nec ullibi vel leviter indicat illum annis viginti & octo regnaſſe: Tum quia, ſi viginti & octo annis regnaſſet, anno ætatis duodecimo regnare cœpiſſet, quod Scripturæ Sacræ æque repugnat, aſſerenti, illum fuiſſe triginta duorum annorum cum Regnum iniit: Vel ſexaginta, non quadraginta tantum annis vitæ illius curriculum definitum fuiſſet; quod non minus adverſatur eidem Scripturæ. Præterea ſi Scriptora Sacra viginti annos Regno *Jorami* ſubtractos, *Ochoziæ* tribuere voluiſſet, eos certe non vitæ, ſed Regno ipſius *Ochoziæ* addidiſſet: (In Chronologia enim anni Regni, non vitæ Regum numerantur) At unus dumtaxat annus, nec quidem completus *Ochoziæ* Regno tribuitur. Denique ex collatione annorum Regni, obituſque *Jorami* Regis Iſrael, & *Jorami* Regis Juda, atque *Ochoziæ* ejus filiis conſtat duodecimum & ultimum *Jorami* Regis Iſrael fuiſſe etiam octavum ultimumque *Jorami* Regis Juda, ac pariter primum ſimul ac noviſſimum *Ochoziæ*, qui una cum *Joramo* Rege Iſraelis occiſus eſt: Adeo ut ejus annus Chronologiam Sacram non augeat, ut *Richardus Victorinus* in *Concord. Temp.* aliique Eruditi Interpretes obſervant. Nulla igitur planius ac mellos difficultatis iſtius ſolutio eſt ea, quam Cardinalis *Cajetanus*, *Tornielius*, *Salianus*, *Spondanus*, *Capelus*, *Petavius*, *Uſſerius*, aliique Viri Eruditi afferunt, mendum in notas numerorum irrepſiſſe ſecundi Paralipomenon vigeſimo-ſecundo, & pro elementis *Caph Beth*, id eſt 22. in antiquioribus Codicibus poſitis, ſcribas expreſſiſſe *Mem-Beth*, hoc eſt, 42. quæ mutatio proclivis eſt. Unde in Sixtina Editione Septuaginta Interpretum habetur illo Paralipomenon loco *Ochoziam* fuiſſe viginti annorum cum regnare cœpit, & in aliis Codicibus legi ἐτῶν εἴκοσι καὶ δύο, *Nobilius* in Scholio monet. Ita etiam habent MSS. Oxonienſe, & Cantabrigienſe. In Bibliis etiam Syriacis, quibus a primævis temporibus Eccleſia Antiochena uſa eſt, ex ipſo Hebræo fonte immediate traductis, nec non in Arabica Verſione, viginti duorum annorum fuiſſe dicitur *Ochozias* cum regnare cœpit, ſicut in Hebræo Textu, omnibuſque Verſionibus & ipſa Vulgata Latina legitur 4. Regum 8. 26. Ita Syriaca 2. Paralipomenon 22. *Natus erat annos viginti duobus Ehaſia cum inauguratus eſt Regno, & anno uno regnavit in Jeruſalem.* Ita Arabica: *Itaque cum regnaſſet Ahazia filius Jorami Regis Juda, dum annum ageret vigeſimum-ſecundum (Regnavit autem in Jeruſalem anno uno . . .) Ambulavit in viis domus Achabi.*

Naaman Syrus ad Eliſæum venit a lepra ſanandus.

Ochozia regnante, *Naaman* Princeps Militiæ Regis Syriæ, vir fortis & dives, ad *Eliſæum* Prophetam a lepra ſanandus, Iſraelitidis cujuſdam puellæ impulſu, venit. Diu ad Prophetæ januam expectanti, nomine Viri Dei denuntiatur ut corpus ſepties in Jordane abluat: Sic a lepra mundatum iri. Ægre tulit *Naaman* quod ſe aſpectu dignum Propheta non putaſſet, nec impoſitione manuum & Nominis Dei Iſrael invocatione ſanitatem ſibi reſtituiſſet. Servorum tamen ſuaſu *Deſcendit, & lavit in Jordane ſepties, juxta ſermonem Viri Dei, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt.* Sanatus ad *Eliſæum* cum toto comitatu revertitur, Deum Iſraelis ſolum verum Deum eſſe profitetur, illi uni ſe oblaturum Sacrificia ſanctiſſime vovet, onus duorum burdonum de Terra quam Prophetæ calcabant, ad erigendum Altare ex devotione ſingulari in Syriam ſecum deferri poſtulat, larga munera *Eliſæo* offert. Negat, etiam juratus Propheta ſe quicquam ex illis accepturum. Rogat *Naaman*, ut Regem Syriæ in Templo *Remmon* adorantem pro more ſuſtentare, eoque adorante, corpus inclinare ſibi liceat; quod Propheta concedit his verbis: *Vade in pace.* Syrorum Ducem inſecutus *Giezi* famulus *Eliſæi*, ex decem talentis argenti quæ obtulerat, unum ſibi popoſcit, duo accipit, cum veſtibus duplicibus. Munus extorſit mendacio, ſe miſſum dicens a Propheta, qui pro duobus hoſpitibus filiis Prophetarum hæc poſtularet. Factum neganti, lepram, qua *Naamanem* purgaverat, *Eliſæus* inflixit, in nepotes etiam transfundendam (4. *Reg.* 5.) *Giezi* Simoniacorum typum, & lepram ipſi adhærentem ſimoniacæ labis figuram, ſacri commentantur Interpretes. In *Naamane* Gentilis Populi ſpectandam imaginem proponunt, qui veteris erroris colluvionem ſalutari Baptiſmate, quaſi lepram in Jordane deterſit. Lege *Tertullianum* Libro 4. *adverſus Marcionem* Cap. 9. & *Am-*

Ambroſium Libro *De initiandis*, Cap. 3. *Libro* 1. *De Sacramentis*, Cap. 5. & Libro 2. Cap. 3. & *Libro* 4. *in Evangelium S. Lucæ*, P. 1347. noviſſimæ Editionis PP. Benedictinorum S. Germani Pariſienſis, & Sermonem inter Auguſtinianos olim 208. De Tempore, nunc 44. in Appendice, a Doctiſſimis PP. Benedictinis S. *Cæſario Arelatenſi* reſtitutum. Porro de *Naamane* Syro in Diſſertationibus iterum agemus. De illo Chriſtus Lucæ 4. 27. *Multi Leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.*

Athalia Regnum Juda occupavit.

IV. *Athalia* filia *Achabi* Regis Iſrael (cujus tamen avus *Amri* patris loco numeratur 4. *Regum* 8. 26.) Vidua *Jorami* Judæorum Regis, Regnum *Orhoziæ* filii morte vacuum occupavit, impietatis & crudelitatis monſtrum: Impietatis, qua *Baalis* cultum promovit; crudelitatis, qua Regium omne genus exſcinxit. Unus e *Davidico* ſemine hanc cladem evaſit, *Joas Orhoziæ* filius, annicolus puer, quem amita *Joſaba*, conjux *Jojadæ* Pontificis, immani Aviæ ſubductum in Templo educavit. Cum ibi ſexennio delituiſſet, tempus opportunum viſum eſt Regnum heredi legitimo vindicandi. *Jojadas* Pontifex, qui *Amariæ* ſucceſſerat, aſcitis Centurionibus & Militibus pactoque cum eis fœdere, *Joaſum* in Templi medium productum Regem ritu ſolemni inauguravit, & a Populo tyrannidis *Athaliæ* impatienti agnoſci, ſalutarique curavit. Tubarum ſtrepitu ad Regiam delato, *Athalia* proruit in Templum, popularem motum ſedatura. Hanc extra Templi ſepta educi, ac interfici jubet Pontifex. Furia illa ſublata, quæ ſex annis ſolidis tyrannidem exercuerat, *Jojadas* fœdus inter Dominum, & inter Regem & Populum inſtaurat, Templum Baal deſtruitur, evertuntur Aræ, Idola confringuntur, *Mathan* Baalis Sacrificus ante ejus Aram ceu victima mactatur. (4. *Regum* 11. & 2. *Paralipomenon* 22. & 23.)

Joaſi Regis inauguratio.

Athaliæ cædes.

Acab Rex Iſrael impiiſſimus.

V. *Amri* impio patri in Regno Iſraelitico ſucceſſit pejor filius *Achab* anno trigeſimo octavo *Aſa* Regis Juda. *Jezabelem* filiam *Ethbaal* Regis Sidoniorum in matrimonium duxit, cujus inſtinctu *Baali* Aram Lucoſque conſecravit. (3. *Regum* 16.) *Benadabum* Syriæ Regem, Samariam ſemel iterumque obſidentem, magna clade affectum in fugam dedit, deinde ad deditionem compulit. Superbum impiumque Regem, qui blaſphemiis Deum Iſraelis appetiverat, Deum Montium, & non Deum Vallium eſſe dicens, & contra quem Deus pro Iſraelitis pugnaverat, honorifice excepit *Achab*, & fœdere icto dimiſit. Quam ob rem ipſi *Achab* pœna a Deo per Prophetam denuntiata eſt. (3. *Regum* 20.) *Achabi* Regis & Iſraelitarum prava ejus exempla ſequentium impietati, qui ſcilicet vel Idolorum cultui ſe totos mancipaverant, vel in duas partes claudicantes, Deum & *Baal* ſimul coli poſſe putabant, palam ſe oppoſuit *Elias Thesbites*, Propheta, ex Civitate Galaad oriundus. Ejus miracula regnante *Achabo* hæc præcipua recenſentur.

Elias Propheta. Ejus Miracula.

Primum, quod Cœlum per triennium & ſemeſtre occluſerit, ne rorem aut pluviam niſi pro ejus arbitrio ſuppeditaret, quo factum ut fames toto triennio & ſemeſtri in Samaria graſſata ſit, juxta illius Vaticinium. (3. *Regum* 17. 1. 2.)

Secundum, quod pluviam & fertilitatem poſt illud temporis intervallum precibus impetraverit, ac prædixerit, cum nullum in Cœlo futuræ pluviæ indicium appareret. (3. *Regum* 18. 41. & ſeq.)

Tertium, panis & carnium a corvis, Deo præcipiente, ſubminiſtratio ſingulis diebus, mane & veſpere, quandiu delitescens ſedit ad Torrentem *Carith*, ex quo potum ſumebat. (3. *Regum* 17 3. 4. 5. 6.)

Quartum, farinæ & olei mirabilis multiplicatio in vaſculis Viduæ Sareptanæ, ad quam Prophetam ſuum paſcendum miſerat Deus, quamdiu duravit ſterilitas. Invenit illam *Elias* ad portam Civitatis duo ligna colligentem, ut ex reliqua farina & oleo panem ſibi ac filiolo faceret. Juſſit illi Vir Dei ut ſibi primum ſubcinericium panem pararet. Animæ Sanctæ obſecuta eſt Anima Religioſa, de qua Chriſtus Lucæ 4. 25. *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt Cœlum annis tribus, & menſibus ſex; cum facta eſſet fames magna in omni terra; & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad Mulierem Viduam.* Mulier illa typum gerebat Eccleſiæ; *& quia duo ligna Crucem faciunt, quærebat moritura, unde ſemper eſſet victura* (inquit *S. Auguſtinus* Sermone 11. *De Scripturis*.)

Quintum, *Eliæ* Miraculum eſt filii ejuſdem Viduæ a morte ad vitam revocatio, primum, quod unquam factum legatur, hujus generis Miraculum. Modus Miraculi typicus. Propheta enim *expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait; Domine Deus meus, revertatur obſecro anima pueri hujus in viſcera ejus.* (3. Regum 17.) Actio Prophetæ ſe ſuper pueri corpus coarctantis, Myſterium Incarnationis ſignificat, quo Dei Filius naturam humanam aſſumens, ſe hominibus coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ. *Elias* jacens ſuper ſe pueri cadaver frigidum ſuo calore ſuccendit; Similiter & Chriſtus Mundum, a cujus calore non eſt jam qui ſe abſcondat. Inſufflavit ille tertio jacenti, ut trina confeſſio inſunderetur credenti. Trina enim inſufflatio Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſignificat. Sic ſuſcitatus eſt mortuus; Sic a morte perpetua juſtificatur impius. Hæc fere ſunt Auctoris *De Prædictionibus & Promiſſionibus Dei*, inter *S. Proſperi* Opera, Parte 2. Cap. 31. Lege & Sermonem S. Cæſarii Arelatenſis *De Elia*, inter Auguſtinianos 40. Appendicis in Editione noviſſima PP. Benedictinorum.

Sextum *Eliæ* Miraculum, eſt ignis cœlitus delapſi impetratio, quo holocauſtum Altari novo in Monte Carmeli impoſitum, & ligna aqua perfuſa, & lapides, & pulvis, & aqua circa Altare fluens, foſſamque circum poſitam replens, conſumpta ſunt, quadringentis & quinquaginta *Baalis* Sacerdotibus, qui conditionem acceperant ut ille Deus eſſet, qui per ignem exaudiret, fruſtra falſum Numen ſuum invocantibus, & magna vociferatione inclamantibus, ut ignem de Cœlo eliceret. Hoc miraculo Iſraelitæ attoniti, proſtrato corpore Deum verum agnoſcentes, hunc unicum ac verum eſſe Deum conclamant. Mox *Elia* jubente, *Baalis* Sacerdotes comprehenſi, ad Torrentem *Ciſon* omnes ad unum jugulantur. (3. *Regum* 18.)

Septimum *Eliæ* Miraculum, eſt jejunium quadraginta dierum ſupra naturæ vires toleratum, poſtquam ſubcinericio pane ab Angelo allato recreatus fuiſſet, cum *Jezabelem* fugiens, terroreque correptus, in deſerto obdormiviſſet ſub umbra juniperi. Cujus in cibi fortitudine grandem viam confecit, ambulans quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad Montem Dei Horeb. (3. *Regum* 19.) Poſt varios errores, ut ſolent profugi, pervenit ad Montem Sanctum Propheta. Unde non mirum quod quadraginta dies eo in itinere conſumpſerit, quod quatuor aut quinque diebus alias confici potuiſſet. Panis ille cœlitus allatus, Euchariſtiæ figura: Vel divini Dogmatis, *Cujus paſtus forinſecus quidem rudis, ſed medullitus ineffabiliter confortativus & dulcis* (inquit S. Bernardus *Sermone* 94. *De Diverſis*.)

Octavum Miraculum eſt apparitio Dei in ſibilo auræ tenuis, cum e ſpelunca Dei juſſu egreſſus, in Monte ſtaret coram Domino: *Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubvertens montes & conterens petras ante Dominum: Non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio. Non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis: Non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* (3. Regum 19.) Myſtica illa Viſio documento fuit *Eliæ* Zelo vehementiori contra divinæ Legis violatores modum adhibendum intuitu divinæ lenitatis, ac patientiæ. *Sedet enim illa in throno Spiritus ejus mitiſſimi & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus & ſimplex, quem tertio vidit Helias. Nam ubi Deus, ibidem & alumna ejus, patientia ſcilicet;* (inquit *Tertullianus* Libro *De Patientia*, Cap. 15.) Lege & *Theodoretum* Quæſtione 59. in 3. Regum. Tunc *Eliæ* ſignificavit Deus, Sibi ſervata *Septem millia virorum in Iſrael, quorum genua non ſunt curvata ante Baal*. Tunc & mandatum accepit a Deo revertendi Damaſcum,

ſcum, ibique ungendi *Hazael* Regem Syriæ, & *Jehu* Regem Iſrael. (*Ibidem*) Quæſtionem movet *Theodoretus*, Quomodo id impleverit *Elias*, qui ſolum *Eliſeum* Prophetam inauguravit; non vero *Hazael* & *Jehu* Reges? Hunc enim ab uno diſcipulorum ſuorum ungi juſſit Eliſæus. (4. *Regum* 9. 6.) Reſpondet *Theodoretus* Quæſtione 60. in 3. Regum: *Si Prophetam unxit* ELIAS, *& ipſum ſpirituali gratia impertiit, eo etiam unxit alios. Etenim Eliſæus ſpirituali per eum accepta gratia, attulit illis chariſma, & ſpirituali gratia eos impertiit.*

Achab vineam Nabothi invadit, ipſo Jezabelis mandatis oppreſſo.

Achabus Nabothi vineam concupiſcens Regiæ contiguam, pluries ipſum urget, ut eam pretio diſtrahat, vel cum alia vinea commutet. Negat ille, patriam hereditatem alteri cedere nefas exiſtimans. Repulſam paſſus *Achabus* eo dolore & ira decumbit æger. *Jezabel* ejus uxor *Nabotham* falſis teſtibus oppreſſum lapidari curat, & *Achabum* in vineæ poſſeſſionem mittit. Ad illam properantem Dei juſſu corripit *Elias*, ipſique, necnon ejus poſteritati, & *Jezabeli* excidium denunciat. *Hæc dicit Dominus:* (inquit) *Occidiſti inſuper & poſſediſti. In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Et ait Achab ad Eliam: Num inveniſti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venundatus ſis ut faceres malum in conſpectu Domini. Et ecce ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & ultimum in Iſrael . . . Sed & de Jezabel locutus eſt Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrael. Si mortuus fuerit Achab in Civitate, comedent eum canes: Si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* His exterrefactus *Achab ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Hac humiliatione placatus Deus; ſupplicium ad tempus diſtulit, non abſtulit. *Nonne vidiſti* (inquit ad Eliam) *humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus, ſed in diebus filii ſui inferam malum domui ejus* (3. Regum 21.)

Elias excidium Achab & Jezabeli vaticinatur.

An vera fuerit Achabi pœnitentia?

An vera ſinceraque fuerit *Achabi* Pœnitentia, quæritur? Veram fuiſſe reſpondeo, ſed imperfectam, utpote ex mero timore pœnæ, non ex amore juſtitiæ profectam. Veram fuiſſe ratione humiliationis, & confeſſionis, non ratione converſionis: adeoque valuiſſe ad dilationem pœnæ, non ad remiſſionem culpæ. Primam Propoſitionis hujus partem Scriptura probat. Item *Tertullianus* Libro 4. *adverſus Marcionem*, Cap. 10. *Proinde*, inquit, *& Achab Regem, Maritum Jezabel, reum Idololatriæ & ſanguinis Nabuthæ, veniam meruiſſe pœnitentiæ nomine.* S. Ambroſius Libro De Nabuthe, Cap. 17. *Quomodo*, inquit, *dicimus quia valet apud Dominum Pœnitentia? Ecce Rex commotus eſt ante faciem Domini & ibat plorans, & conſcidit veſtimenta ſua, & operuit ſe cilicio, & erat indutus ſacco ex illo die quo interfecit Nabathen Jezraelitam; ita ut Deum miſericordia commoverit, & mutaret ſententiam. Ergo aut pœnitentia non valuit, nec inflexit Dominum miſericordem, aut Oraculum falſum eſt. Nam Achab & victus eſt, & occiſus. Sed conſidera qui Jezabel habebat uxorem, cujus inflammabatur arbitrio, quæ convertit cor ejus, & nimiis ſacrilegiis execrabilem fecit; & hunc ergo ejus pœnitentia revocavit affectum, Dominus autem non poteſt mutabilis æſtimari, ſed confeſſionis immemori non putavit eſſe ſervandum, quod promiſerat confitenti.* ſanctus Joannes Chriſoſtomus Sermone 68. Tom. 5. Edit. G. L. Pariſ. Frontonis Ducæi: *Et quid ait Eliæ Deus? (Vidiſti quemadmodum inceſſerit plorans & triſtis Achab coram me? Non faciam ſecundum malitiam ejus. Papæ! Dominus ſervi ſit advocatus, & apud hominem Deus homini patrocinatur. Noli exiſtimare, inquit, ſine cauſa me illi pepercisse: Mutavit mores, & iram meam mutavi atque mitigavi. Ne vero falſus Propheta cenſeare, (ſiquidem vera pronunciaſti,) niſi mores mutaſſet, ea paſſurus erat, quæ ſententia minabatur. Verum iſte mores mutavit, & iram meam ego mitigavi . . . . Et ait Deus ad Eliam: Vidiſti quemadmodum inceſſerit Achab plorans & triſtis? Non faciam ſecundum iram meam. Vides ploratu peccata deleri.* S. Hieronymus Epiſtola 30. de Achabi Pœnitentia ſic loquitur: *O felix pœnitentia, quæ ad ſe Dei traxit oculos! Quæ furentem ſententiam Dei confeſſo errore mutavit.*

Alteram vero Propoſitionis Partem probat *Achabi* in ipſa humiliatione ſua affectus. Nec enim Idololatriam abolevit, nec impiam *Jezabelem* corripuit, nec vineam *Nabotho* reſtituit: Qui primi pœnitentiæ fructus eſſe debuerant. Hinc S. ipſe *Ambroſius* Enarratione in Pſalmum 37. *In ipſo perfido Achab gemitus inveniſſet gratiam, niſi manens invidia cumulaſſet offenſam. Non enim perfunctorius gemitus prædicatur; ſed qui habet converſionem; ſcriptum eſt enim Si converſus ingemueris, ſalvus eris.* S. Gregorius Magnus Homilia 10. in Ezechielem: *Sic Achab Rex iniquus a Propheta reprehenſus, cum contra ſe divinam ſententiam audiſſet, pertimuit, & magno mœrore deprehenſus eſt, ita ut Propheta ſuo Dominus diceret*, „Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus. *In quibus Domini verbis penſandum eſt, quomodo ei & in Electis ſuis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum, ſi ſic ei & in Reprobo pœnitentia placuit, qui timebat perdere præſens ſæculum? Aut quomodo ei grata ſit ſpontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, ſi hæc ad tempus placuit & in illo qui diſplicebat? Sed ſciendum, quia nullus hæc pro amore omnipotentis Domini ex toto corde agere prævalet, niſi is cujus animum Spiritus Sanctus aſſumpſerit.*

Achabus inito cum *Joſaphato* Rege Juda fœdere, bellum Syris illaturus, de belli eventu Pſeudoprophetas primum quadringentos conſulit, qui fauſta omnia & imprimis expugnationem *Ramoth Galaad* ſociis Regibus ominantur: Deinde ſuadente *Joſaphato*, *Michæam* filium *Jemla*, Prophetam Domini interrogat. *Michæas* hic alter eſt ab eo qui inter Minores Prophetas ſextus numeratur; imo illum præceſſit annis centum quinquaginta; Hic ſub *Joſaphat* & *Achab*: Ille ſub *Joatham* & *Achaz*: Hic in Iſrael; ille in Juda prophetavit. *Achabo* primum ironice reſpondet Michæas; *Aſcende, & vade proſpere, & tradet eam in manus tuas.* Tum a Rege adjuratus ut non loquatur niſi quod verum eſt in nomine Domini, Exercitui cladem, *Achabo* exitium prædicit. *Vidi* (inquit) *cunctum Iſrael diſperſum in montibus, quaſi oves non habentes Paſtorem, & ait Dominus: Non habent iſti Dominum: Revertatur unuſquiſque in domum ſuam in pace . . . . Propterea audi ſermonem Domini; Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem Exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris & ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Iſrael, ut aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? . . . Et dixit unus verba hujuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem Spiritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: Egredere, & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.* *Michææ* alapam impingit *Sedecias* Pſeudopropheta. Virum Dei in carcerem conjici jubet Rex impius, ſiti & fame vexandum, donec e prælio victor revertatur. (3. *Regum* 22. & 2. *Paralipomenon* 18.)

Michæas Propheta ab Achabo interrogatus vaticinatur. In carcerem ab impio Rege mittitur.

Ex Prophetæ verbis nemo colligat Deum, qui primus & ſumma veritas eſt, nec fallere poteſt, aut falli, homines impios in errorem inducere, aut cooperari mendacio quo decipiantur. Nam Dæmonem mendacium Pſeudoprophetis inſpirare, ſicque *Achabum* Regem decipere, in pœnam ſcelerum ipſius, Deus permiſit: Sed *Achab* ipſe non decepit, nec Pſeudoprophetarum mendacio cooperatus eſt. Qua de re *S. Auguſtinus* Libro Quæſtionum octoginta trium, Quæſtione 53. ait: *Deus quidem per ſe ipſum neminem decipit; eſt enim Pater Veritatis: Digna tamen digna diſtribuens, (omnium hoc quoque pertinet ad juſtitiam & veritatem) utitur animis pro meritis & dignitatibus, quæ ſunt in gradibus earum, ut ſi quiſquam dignus eſt decipi, non ſolum per ſe ipſum eum non decipiat, ſed neque per talem hominem, qui jam*

Deus Achabum non decepit, nec mendacio cooperatus eſt. Scripturæ verba explicantur.

jam congruentes diligit, & cuſtodire perſiſtit, Sit in ore veſtro, Eſt eſt, Non non: *Neque per Angelum cui non convenit perſona fallacia: Sed aut per talem hominem, qui nondum ſe hujuſmodi cupiditatibus exuit, aut per talem Angelum, qui pro ſua voluntatis perverſitate vel ad vindictam peccatorum, vel ad exercitationem purgationemque eorum qui ſecundum Deum renaſcuntur, in infimis naturæ gradibus ordinatus eſt. Legimus enim deceptum Regem falſo vaticinio Pſeudoprophetarum; & ita legimus, ut neque ſine divino judicio factum inveniamus, quoniam dignus erat ille ſic decipi, neque per eum Angelum, quem deceptionis officium ſuſcipere non deceret; ſed per Angelum erroris, qui ſibi ultro tales partes imponi cum lætitia poſtulavit.*

3. Reg. 22. 8.

Theodoretus Quæſtione 68. in 3. *Regum* Vaticinium illud *Michææ* ſic interpretatur. *Hæc eſt quædam Proſopopœia, ſeu ficta perſona, quæ docet divinam permiſſionem. Non enim verus Deus, & magiſter veritatis juſſit ut deciperetur Achab, qui dixit per Prophetam,* „ Si vere illi ad Deum, revertatur unuſquiſque ad „ locum ſuum in pace, *Per hæc ergo docuit Propheta, quod Spiritus deceptionis, impiis hominibus utens tamquam inſtrumentis, falſo promiſit victoriam. Hoc autem fit Deo permittente. Nam cum prohibere poſſet, non prohibuit, quoniam indignus erat Achab, cujus Deus curam gereret.*

S. Gregorius Magnus Libro 2. *Moralium*, Cap. 16. *Achab Rex ex præcedentibus peccatis dignus erat, ut tali debuiſſet deceptione damnari: Quatenus qui ſæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens raperetur ad pœnam. Occulta juſtitia licentia malignis Spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo ſtrangulant, in peccati pœnam etiam nolentes trahant.*

Mors Achab.

Achabus in prælio ad *Ramoth Galaad*, licet diſſimulato habitu, juxta *Michææ* Vaticinium occiſus eſt, & Samariæ ſepultus. (3. *Regum* 22. 37.) Eju curru, dum ad Samariæ piſcinam abluitur, *Achabi* ſanguis deſluens, a canibus lingitur, quemadmodum *Elias* prædixerat. At (inquies) quomodo impletum eſt Vaticinium illud *Eliæ* 3. Regum 21. 24. *Si mortuus fuerit Achab in Civitate, comedent eum canes: Si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli:* Siquidem *Achab* in agro occiſus eſt, nec tamen cadaver ejus a volucribus cæli comeſtum eſt, ſed Samariam delatum, ibique ſepultum? Reſpondetur, vox *Achab*, in nominandi caſu ibi accipiendum non eſſe, ſed in dandi, ut conſtat ex Hebræo, 70 Interpretibus, Chaldaica Paraphraſi, & Verſionibus Orientalibus, quaſi dicat, qui mortuus fuerit *ipſi Achab*, ſeu aliquis de familia *Achab*, inſepultus jacebit, canibuſque aut volucribus cæli vorandus projicietur. Textum Hebraicum ita reddit Sanctus Pagninus: *Eum qui mortuus fuerit de Achab in Civitate, comedent canes; & qui mortuus in agro, comedent volucres cæli.* Ita Septuaginta Interpretes. Τὸν τεθνηκότα τοῦ Ἀχαὰβ ἐν τῇ πόλει φάγονται οἱ κύνες, καὶ τὸν τεθνηκότα αὐτοῦ ἐν τῷ πεδίῳ φάγονται τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. Chaldaica Paraphraſis: *Eum qui mortuus fuerit Achabo in Urbe, comedent canes, &c.* Verſio Syriaca: *Morientem Achabo in civitate, devorabunt canes: & morientem ei in deſerto, devorabunt volucres cæli.* Verſio Arabica: *Quicumque morietur in ſolitudine, hunc devorabunt volucres cæli.* Id autem Vaticinium in *Jorama* filio *Achabi* impletum eſt, qui a *Jehu* inter ſcapulas ſagitta transfixus, corruit in curru ſuo. *Dixitque Jehu ad Badacer Ducem, Tolle, projice eum in agro Naboth Jezraelitæ: Memini enim quando ego & tu ſedentes in curru ſequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus onus hoc levaverit ſuper eum dicens: Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & projice eum in agrum, juxta verbum Domini.* (4. Regum 9.) Lege diſſertationem noſtram Anticriticam contra *P. Fruſſenum*, Articulo 13.

Elia de Achabo Vaticinium quomodo impletum? Scriptura locus explicatur.

Abdias Diſpenſator vir Regii pietas.

In Aula *Achabi*, quamvis corruptiſſima, vir erat Religione ac Dei timore inſignis *Abdias* nomine, Regiæ Domus Diſpenſator. Is centum Prophetas perſecutioni & furori impiæ *Jezabelis* ſubduxit, & in ſpeluncis abſconditos pavit. (3. *Regum* 18.)

VI. *Achabo* in Regno Iſraelis ſucceſſit *Ochozias* ejus filius. Is Moabitas, qui defecerant, dum ad obſequium reducere ſatagit, per cœnaculi clathrum prolapſus, contuſoque corpore laborans, de ſanitate recuperanda *Beelzebud* Accaronitarum Deum per Nuntios conſulit. *Elias*, Deo, jubente Nuntiis occurrens, ipſos increpat mortemque jam imminentem *Ochoziæ* denuntiat. Rex duos Præfectos Quinquagenis cum ipſorum cohorte ſucceſſive amandavit, qui Prophetam ad ſe vel invitum adducerent. Quos *Elias* igne cœleſti conſumpſit. Clade ad *Ochoziam* delata, Dux alter cum ſui cohorte miſſus, ad Prophetam ſupplex acceſſit, pœnamque deprecatus eſt. Hunc, Angelo monente, ſecutus *Elias*, Regem ex hac infirmitate brevi moriturum ſignificat. (4. *Regum* 1.) Obiit poſtquam biennium partim cum patre, partim ſolus in Regni adminiſtratione exegiſſet. Illud enim numerandum eſt ab anno decimo-ſeptimo *Joſaphati*, quo tempore *Achab* vigeſimum primum Regni annum cœpit, ipſumque *Ochoziam* filium ſuum in Regni conſortium aſſumpſit. (3. *Reg.* 22. 52.)

Ochozias Rex Iſrael.

Elias Ochoziæ mortem ob impietatem denuntiat.

Joram Rex Iſrael.

VII. *Ochozia* abſque prole defuncto ſucceſſit in Regno Iſraelis frater ipſius *Joram*, Achabo patre & *Jezabeli* matri impietate quidem inferior, (Statuas enim *Baal* a patre conflatas & erectas ſuſtulit,) impietatem tamen *Jeroboam* in vitulorum cultu & ſchiſmate imitatus. Sub Regni illius initiis, *Elias* curru igneo in cœlum ſublatus eſt, *Eliſæo* ſpectante, quem duplicis ſpiritus, prophetiæ ſcilicet ac miraculorum, & pallii heredem reliquit. (4. *Regum* 2.) *Elias* Raptus, Chriſti in cœlos aſcendentis typus, ex *S. Gregorio M. Homilia* 29. *in Evangelia*, & *S. Bernardo Serm. De Aſcenſione*. Elogium *Eliæ* ſcripſit *Siracides* Eccleſiaſtici 48. *Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, &c. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere Tribus Jacob. Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt.* Moabitas violati fœderis reos, bello aggreſſus eſt *Joramus*, Joſaphato Rege Juda, & Rege Idumæorum ipſius tributario, in Militiæ ſocietatem aſcitis. Fœderatorum Regum Exercitibus præ aquarum penuria in deſerto Idumææ pene deficientibus, *Eliſæus* in gratiam *Joſaphati* Regis Juda aquam a Deo impetravit, & victoriam prædixit. Rex Moab Exercitu ſuo profligato, civitatibus dirutis, vaſtatis agris, fructiferis arboribus ſucciſis, fontibus obturatis, ipſa Regni Metropoli obſeſſa & pene expugnata, cum irrito conatu in hoſtes irrupiſſet, filium ſuum primogenitum Diis ſuis placandis, hoſtili Exercitu ſpectante, in mœnibus holocauſtum obtulit. Iſraelitæ impium facinus execrati, obſidione ſoluta, diſceſſerunt. (4. *Reg.* 3.)

Elia Raptus

Eliſæi Miracula.

Joramo regnante, Prophetis & Miraculis claruit *Eliſæus* 1. Jordanis aquas pallio diviſit. 2. Jerichuntinis aquis ſalubritatem, terræ fertilitatem conciliavit, ſale in fontem injecto. (4. *Regum* 2.) Civitatem ſterilem, *S. Ambroſius*, ſive alius Auctor Sermonum olim ipſi tributorum, Eccleſiæ gentium typum geſſiſſe interpretatur, *Quæ ante adventum Chriſti aquarum vitio, hoc eſt, ſacrilegio Gentilium Populorum ſterilitatem ſuſtinens, Deo filios procreare non poterat. At ubi venit Chriſtus, velut vas fictile aſſumens corpus humanum, ſanavit aquarum vitia, hoc eſt reſecavit ſacrilegia Populorum: & ſtatim Eccleſia quæ erat ſterilis, cœpit eſſe fecunda. Unde & Apoſtolus dicit:* „ Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis: Quia multi filii deſertæ magis, quam ejus quæ habet virum. *Plures enim filios ex ea Eccleſia, quæ erat ſterilis, procreavit, quam Synagoga, quæ erat fecunda, ſuſceperit. Aſperſi autem ſale qui ſint, qui attulerunt medicinam, facile cognoſcimus. Dicit Dominus ad Apoſtolos: Vos eſtis ſal terræ. Ergo ſi Apoſtoli ſalibus comparati ſunt, recte figura completur. Sicut tunc effuſi de vaſculo ſales condierunt aquas; ita & nunc miſſi a Salvatore Apoſtoli Populos condiunt univerſos, ut ablata ſterilitate vitiorum, prolem incipiant germinare virtutum.*

Galat. 4. ex Iſaia 54.

Sermone 2. de Eliſæo Propheta in Appendice operum S. Ambroſii.

Tertium *Eliſæi* Miraculum, eſt Bethelitarum puerorum 42. ipſi illudentium, calvitiemque ipſi obji-

cien-

cientium, a duobus urſis ex proximo nemore evocatis diſcerptio. (4. *Regum* 2.) qua de re *Tertullianus Libro* 11. *Adverſus Marcionem*, Cap. 35. *Immiſit & pueris urſos, ſed irreverentibus in Prophetam . . . . Nolite reprehendere Judicem, ſed revincite malum Judicem. Nam etſi patrum delicta ex filiis exigebat, duritia Populi talia remedia compulerat, ut vel poſteritatibus ſuis proſpicientes, Legi divinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum ſalutem quam ſuam curet? Sed & ſi benedictio Patrum ſemini quoque eorum deſtinabatur ſine ullo adhuc merito ejus; cur non & reatus Patrum in filios quoque redundaret?* Lege & Sermonem inter Auguſtinianos olim 204. De Tempore, nunc 41. Appendicis, quem ad *S. Cæſarium* Arelatenſem pertinere conjiciunt Doctiſſimi PP. Benedictini Pariſienſis Editionis noviſſimæ Curatores.

Quartum *Eliſæi* Miraculum, eſt aquæ fœderatis Exercitibus & Regibus Judæ, Iſraelis, & Idumæorum, in Idumææ deſerto, cum adverſus Moabitas progrederentur, impetratio. (4. *Regum* 3.)

Quintum Miraculum, eſt olei in vaſis viduæ pauperculæ, ære alieno oppreſſæ multiplicatio, quo vendito debita ſolveret, liberiſque de reliquo aleret. (4. *Regum* 4.) Hujus mulieris maritum fuiſſe *Abdiam* Domus *Achabi* diſpenſatorem, qui centum Prophetas in duabus ſpeluncis abdidit, pavitque, fervente *Jezabelis* perſecutione, & ex eorum cura æs alienum contraxiſſe perperam quidam conjecerunt, referente *Theodoreto Quæſtione* 24. in 4. *Regum*. Vidua illa typum Eccleſiæ gerebat, quæ debitum grave contraxerat, non ſolidorum, ſed peccatorum, quibus ſe Diabolo obnoxiam fecerat. *Sed poſtea quam Viduam iſtam verus Redemptor Chriſtus Dominus viſitavit, ab omnibus debitis liberam fecit. Unde enim illa Vidua liberata ſit, vidimus. Unde, niſi de augmento olei? In oleo miſericordia intelligitur. Ergo Viduæ illi ideo debitum creverat, quia oleum miſericordiæ peccando perdiderat. Defecit oleum & debitum crevit: crevit oleum, & periit debitum: creverat cupiditas, & periit caritas; redit caritas, illius & perit iniquitas. Veniente vero Eliſæo Chriſto Domino, Vidua, hoc eſt, Eccleſia, per augmentum olei, id eſt, donum gratiæ & miſericordiæ, vel caritatis pinguedine, de peccatorum debito liberatur.* Vicini a quibus vaſa mutuata eſt, Populum Gentium figurabant. *Qua vaſa vacua exhibebantur, ut oleum miſericordiæ accipere mererentur: Quia omnes Gentes, antequam donum gratiæ conſequantur, fide, & caritate, & bonis operibus vacuæ eſſe probantur. Denique, omnes qui ad ſalutarem Baptiſmum conſequendum Eccleſiæ offeruntur, & Chriſma, & oleum benedictionis accipiunt; ut jam non vaſa vacua, ſed Deo plena, & Templum Dei eſſe mereantur.* Ita *S. Cæſarius* Arelatenſis Sermone inter Auguſtinianos olim 106. De Tempore, nunc 42. Appendicis.

Sextum *Eliſæi* Miraculum, eſt filii Sunamitidis hoſpitæ ſuæ, quem ipſius *Eliſæi* precibus impetraverat, reſurrectio, cujus Hiſtoria Incarnationis Filii Dei, & Redemptionis generis humani magnum Myſterium adumbratum eſt. (4. Regum 4.) *Mulier illa ſterilis erat, ſed orante Eliſæo genuit filium. Sic & Eccleſia, antequam Chriſtus veniret, ſterilis fuit. Et ſicut illa, orante Eliſæo, genuit filium; ita & Eccleſia, veniente ad ſe Chriſto, genuit Populum Chriſtianum. Sed filius Mulieris, illius dum Eliſæus abſens eſſet, mortuus eſt. Sic & filius Eccleſiæ, hoc eſt, Populus Gentium, antequam Chriſtus veniret, peccatis mortuus erat. Deſcendente de Monte Eliſæo, filius Viduæ huic vitæ redditur; deſcendente de cælo Chriſto, filius Eccleſiæ, id eſt, Populus Gentium ſuſcitatur.* Miſit *Eliſæus* famulum cum baculo ſuo. Famulus ille typus erat *Moyſis*. Miſit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum; *Sed baculus ſine Chriſto flagellare Ægyptum potuit; de originali vero vel actuali peccato liberare vel reſuſcitare non potuit.* Nihil enim ad perfectum adduxit Lex. Hebr. 7. 18. *Opus erat, ut qui baculum miſerat, ipſe deſcenderet; Baculus ſine Eliſæo nihil valebat; Quia crux ſine Chriſto nihil poterat. Venit ergo Beatus Eliſæus, & aſcendit in cænaculum; quia venturus erat Chriſtus, & aſcenſurus Crucis patibulum. Inclinavit ſe Eliſæus, ut puerum reſuſcitaret: Humiliavit ſe Chriſtus, ut Mundum in peccatis jacentem erigeret. Miſit Eliſæus oculos ſuper oculos, manus ſuper manus. Quod Eliſæus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Chriſtus* Philipp. 2. 8.
,, *implevit. Audi Apoſtolum dicentem:* Humiliavit ſe-
,, metipſum, factus obediens uſque ad mortem. *Quia parvuli eramus, parvulum ſe fecit; quia mortui jacebamus, pius ſe Medicus inclinavit: Quia nemo poteſt jacentem erigere, ſi ſe noluerit inclinare. Quod autem puer oſcitavit ſepties, ſeptiformis gratia Sancti Spiritus oſtenditur, qua humano generi ut reſuſcitetur, in adventu Chriſti tribuitur. De ipſo Spiritu dicit* Rom. 8. 9.
,, *Apoſtolus:* Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic
,, non eſt ejus. *Ipſum etiam Spiritum Dominus dedit* Joan. 20. 22.
,, *Diſcipulis, quando inſufflavit & dixit:* Accipite
,, Spiritum Sanctum. *Os enim quodam modo ſuper os poſuit, quando inſufflando Spiritum dedit.* Ita *S. Cæſarius Arelatenſis* Sermone ſuperius laudato.

Idem Myſterium *S. Auguſtinus* eodem modo explicaverat Sermone 26. alias 11. *De verbis Apoſtoli*, ubi de Chriſto ſic loquitur: *Sed ipſe miſit & Legem: Per ſervum ſuum Legem, per ſe ipſum Gratiam. Attende Eliſæum in magno altoque Myſterio, tamquam Prophetam, agendo prænuntiantem, non ſolum loquendo. Mortuus erat filius Hoſpitæ ipſius. Quid ſignificabat mortuus puer niſi Adam? Nuntiatum eſt Sancto Prophetæ, gerenti in prophetia typum Domini noſtri Jeſu Chriſti: Miſit per ſervum baculum ſuum, & ait illi: Vade, Vade, pone ſuper puerum mortuum. Perrexit ille tamquam ſervus obediens. Sciebat Propheta quid faceret. Poſuit baculum ſupra mortuum, non ſur-*
,, *rexit.* Si enim data eſſet Lex quæ poſſet vivifi- Galat. 3. 17.
,, care, omnino ex Lege eſſet juſtitia. *Non ergo potuit Lex vivificare. Venit ipſe grandis ad parvulum, Salvator ad ſalvandum, vivus ad mortuum: Venit ipſe. Et quid fecit? Juvenilia membra contraxit, tanquam ſeipſum exinaniret, ut formam ſervi acciperet.* Philipp. 2. 7. *Juvenilia ergo membra contraxit, parvum ſe parvo conſtravit, ut efficeret corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ.* Philip. 3. 21. *Itaque in typo Chriſti prophetice expreſſo ſuſcitatus eſt mortuus, tamquam juſtificatus eſt impius.* Lege eundem *Libro* 12. *contra Fauſtum Manichæum*, Cap. 35. & *S. Gregorium* Lib. 9. *Moralium*, Cap. 22.

Septimum *Eliſæi* Miraculum eſt expulſio veneni & amaritudinis a pulmento per modicæ farinæ injectionem. (4. *Regum* 4.)

Octavum Miraculum, eſt ingentis hominum multitudinis ex paucis panibus hordeacis exſaturatio. (4. *Regum* 4.)

Nonum Miraculum, eſt *Naamanis* Principis Militiæ Regis Syriæ a lepra curatio (4. *Regum* 5.) de qua diximus ſupra Articulo 3. §. 3. & lepræ ipſius ad *Giezi* famulum tranſmiſſio. (*Ibidem*.)

Decimum Miraculum, eſt ſecuris in Jordanem delapſæ, injecto poſt eam ligno ad aſcendendum ex aqua & ſupernatandum impulſio (4. *Regum*. 5.) Quo in Miraculo Chriſti & Crucis ejus Myſteria adumbrata Patres obſervant.

Tertullianus *Libro adverſus Judæos*, Cap. 13. *Quid manifeſtius hujus ligni ſacramento? Quod duritia hujus ſæculi merſa in profundo erroris, & a ligno Chriſti, id eſt, Paſſionis ejus, in Baptiſmo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id reſtitueretur per lignum Chriſti.*

S. Auguſtinus *Libro* 12. *contra Fauſtum*, Cap. 35. *Cum ſecuribus ligna cæderentur, de ligno ferrum exiliens, in profundum fluminis reverſum eſt atque in lignum, deſuper ab Eliſæo projectum, merſum eſt. Ita cum impios Judæos per corpus operata præſentia Chriſti tamquam infructuoſas arbores cæderet, quia de illo Joannes dixerat,* Ecce ſecuris ad radicem arboris poſita eſt: *Ab ipſo interveniente paſſione ſpiritus corpus ipſum deſeruit, in inferni profunda deſcendit: Quo* Matth. 3. 10. *in ſepulcro deſuper poſito, tamquam ad manubrium ſuum ſpiritu redeunte ſurrexit.*

Theodoretus *Quæſtione* 19. *In* 4. *Regum*: *Admirabiliter orando Propheta ſurſum eduxit ferrum. Injecto enim ligno effecit ut ferrum ſupernataret. Hoc autem curſus præfiguravit Servatoris noſtri diſpenſationem. Quemadmodum enim lignum quidem, quod eſt leviſſimum, fuit demerſum, ferrum autem, quod graviſſimum, ſupernatavit: Ita divina natura deſcenſus effecit, ut humana natura aſcenderet.*

Undecimum *Eliſæi* Miraculum, eſt omnium Regis Sy-

Syriæ conſiliorum *Joramo* Regi Iſraelis revelatio. (4. *Regum* 6.) Nec non oſtenſio cœleſtis Exercitus Urbem *Dothaim* protegentis miniſtro ſuo facta ſub figura curruum & equorum igneorum. (4. *Regum* 6. 16. 17.)

Duodecimum eſt Militum Regis Syriæ, qui ad ipſum capiendum miſſi erant, excœcatio, & illuminatio cum in Samariam ducti eſſent. Ubi Iſraelitarum copiis circumcluſi deleri facile potuiſſent, ni Propheta ferrum avertiſſet; ſolum in hoſtes bello victos ſæviendum, illis autem parcendum eſſe docens, qui ignari, & divina virtute atque Miraculo hoſtium manibus traderentur. 4. Regum 6. *Non percuties,* (inquit) *Neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, ut percutias: Sed pone panem & aquam coram eis, ut comedant, & bibant, & vadant ad Dominum ſuum.*

Decimum-tertium *Eliſæi* miraculum, eſt prædictio abundantiæ frumenti in Samaria, die craſtino futuræ, cum ad eam rerum inopiam redacta eſſet ut aſini caput octogenis argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum, quo pro ſale uti neceſſitas cogebat, (ut cenſet *Theodoretus* Quæſtione 25. in 4. *Regum*) quinis argenteis veniret; jamque mulieres filiorum ſuorum carnes diræ fami ſublevandæ coquerent, (4. *Regum* 6. 7.) Ducum uni de vaticinii veritate dubitanti mors ab *Eliſæo* in pœnam incredulitatis denuntiata. (*Ibidem*.)

Decimum-quartum Miraculum, eſt Samariæ liberatio cum a Syrorum Exercitu obſeſſa eſſet, ad eaſque quas diximus, anguſtias redacta. Syri ſcilicet ſubito terrore correpti, ſibi equorum, curruum, & Exercitus numeroſiſſimi ſonitum audire viſi, ſoluta obſidione aufugerunt, commeatu, divitiiſque poſt ſe relictis. Quibus ab obſeſſis direptis frumentum ad Samariæ portam allatum eo, quo Propheta prædixerat, pretio venditum eſt. (4. *Regum* 7.)

Decimum quintum Miraculum, eſt ſeptennis famis prædictio in terra Iſraelis, qua durante Sunamitis Prophetæ Hoſpita eo auctore in Terra Philiſtiim peregrinata eſt, & reverſa univerſos agrorum redditus a *Joramo* Rege Iſrael recepit. (4. *Regum* 8.)

Decimum ſextum Miraculum, eſt prædictio ſanitatis ſimul & mortis *Benadab* Regis Syriæ, de cujus infirmitate ab *Hazaele* ejus miniſtro conſulebatur. Sanitatem quidem Regi prædixit Propheta, ſpectata morbi illius, qui lethalis non erat qualitate. Mortem vero ipſi denuntiavit, ſpectata ipſius *Hazaelis* malitia, qui illum ſuffocavit, ut citius Regnum obtineret, quod ipſi a Deo fuerat auguratus Eliſæus, (4. *Regum* 8.) Lege *Theodoretum Quæſtione* 24. *in* 4. *Regum*.

Cum *Ramoth Galaad* a Syrorum Exercitu obſidione premeretur, *Eliſæus* illuc miſit unum ex filiis Prophetarum, qui *Jehu* militiæ Ducem in Iſraelitarum Regem inungeret, & Dei mandatum de *Achabi* Domo excindenda illi ſignificaret. Rex ab Exercitu ſalutatus, expeditis copiis ex Urbe proruit recto verſus Jezrahelem itinere. *Joramum* Regem Iſraelis obviam prodeuntem interficit, cadavere in agrum *Naboti* Jezrahelitæ projecto, ut *Eliæ* Vaticinium impleretur. (4. *Regum* 9.) Duodecim annis Iſraeli imperavit *Joramus* (4. *Regum* 3. 1.)

Mors Jorami.

VIII. *Joramo* Iſraelis, & *Ochozia* Judæ Regibus interfectis *Jehu* *Jezabelem* *Jorami* matrem, *Achabi* Viduam, e feneſtra proſpicientem deturbari imperat. In quam ab equis prius calcatam irruentes canes, ſecundum *Eliæ* Vaticinium, prædam devorant, nihil præter calvariam, & manuum pedumque extrema relinquentes. Mox ſeptuaginta *Achabi* filii, qui Samariæ educabantur, novi Regis juſſu e medio tolluntur, capitibus per cives amputatis. Ad quam Urbem cum Rex *Jehu* poſtmodum tenderet, obvios quadraginta *Ochoziæ* cognatos neci dedit, ſicque totam *Achabi* ſtirpem radicitus delevit. Tum aſſumpto ſecum in curtum *Jonadab* filio *Rechabi*, a quo celebre ac pium Rechabitarum inſtitutum, Samariam veniens, omnes omnino Sacerdotes *Baal*, impie ſimulata falſum Numen colendi voluntate, ad ſolemne ſacrificium vocatos e medio ſuſtulit: Idoloque comminuto & cremato Templum *Baal* funditus dirutum in latrinas convertit. Heredes Regni ad quartam uſque generationem *Jehu* promiſit Deus in obedientiæ præmium. (4. *Regum* 10.) Cultu tamen *Baalis* abolito, a *Jeroboami* Vitulis aureis non receſſit: Sed illius jam inveteratæ apud Iſraelitas Idololatriæ, annis quibus regnavit viginti & octo, patronus extitit. (4. *Regum* 10.) De quo S. *Auguſtinus* Libro *contra Mendacium*, Cap. 2. Priſcillianiſtas refellens, qui exemplo *Jehu* ad occultandam Religionem adhiberi poſſe mendacium contendebant: *Illum vero Jehu mendacio impio & ſacrificio ſacrilego occidendos impios & ſacrilegos inquirentem non imitarentur, nec ſi de illo qualis fuiſſet, eadem Scriptura tacuiſſet. Cum vero ſcriptum ſit eum rectum cor non habuiſſe cum Deo; quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam Regni temporalis accepit?*

Jehu Rex Iſrael Achabi domum exſcindit, & cultum Baal abolet.

Impia Jehu ſimulatio.

ARTICULUS IV.

De Joaſo, Amaſia, & Ozia Regibus Juda: Joachazo, Joaſo, Jeroboamo II. Zacharia, Sellumo, Manahemo, & Phaceja Regibus Iſrael.

I. JOas filius *Ochoziæ* Regis Juda ſeptennis erat, cum regnare cœpit in Jeruſalem. Annus ejus primus cum anno ſeptimo *Jehu* Iſraelitæ concurrit. Quadraginta annis regnavit, anni tamen quadrageſimi paucis tantum diebus delibatis. Pie juſteque imperavit, quamdiu *Jojada* Pontifice Præceptore & adminiſtro uſus eſt. Anno Regni ſui vigeſimo tertio Sacerdotes ex collecta viritim pecunia ſarta tecta Templi ab *Athalia* neglecti & vaſtati inſtaurare juſſit. In hoc opus omnem pecuniam, ſive quam ex Lege *Moyſi* inferre tenebantur in Templum quotquot ex Populo Dei vigeſimum annum attigiſſent, ſeu votivam & ſponte oblatam, decrevit impendi. Jam ante biennium id Rex edixerat, ut tradit Chronicon Hebræorum, ſed negligentia Sacerdotum novum Edictum poſtulabat, quo Rex anno Regni ſui 23 prohibuit Sacerdotibus ne ſacræ pecuniæ collectioni, & inſtaurationi Templi ſe immiſcerent, & conſtituto præ Templi foribus gazophylacio, omnem pecuniam in illud conjici juſſit, quæ a Scriba Regis & Pontifice, vel Quæſtore, quem Pontifex deſignabat, quotidie effuſa, Præfectis Fabricæ Templi, ob notam probitatem ac fidem nulli rationi reddendæ obnoxia dabatur, artificibus diſtribuenda. Ex reliqua pecunia ſacra vaſa conflata ſunt. Defuncto *Jojada* Pontifice anno ætatis trigeſimo ſupra centeſimum, *Joas* Aulicorum adulatione delinitus, eorumque pravis conſiliis acquieſcens, Templum, quod nuper inſtauraverat, deſtituit, & in lucis Idola coluit. *Zacharias* Sacerdos, filius *Jojadæ* Pontificis, Spiritus Domini aſſiſtens, Regis Populique impietatem reprehendit. Sacerdotalem & Propheticum zelum non tulit Rex impius Sanctumque Virum in Atrio Templi lapidibus obrui juſſit. *Zacharias* ille alter eſt ab eo, qui inter Minores Prophetas undecimus eſt, & qui ſub *Dario Hyſtaſpis* floruit. An ſit idem cum illo cujus meminit Chriſtus *Matthæi* 23. 35. & quem a Judæis occiſum dicit inter Templum & Altare, Quæſtio eſt inter Sacros Interpretes dudum controverſa. Eumdem non eſſe id ſuadet, quod ille a *Joaſo* Rege occiſus, filius *Jojadæ* Pontificis fuerit: ille vero a Chriſto commendatus, filius fuerit *Barachiæ*. Sed de hoc alias.

Joas Rex Juda ſarta tecta Templi curat.

Joas Idola colit. A Zacharia Propheta filio Jojadæ Pontificis correptus, ſanctum Vatem occidit.

Anno poſt cædem *Zachariæ*, copiæ *Hazaelis* Regis Syriæ in Judæam irrumpentes, & Getha Urbe capta, Hieroſolymam verſus contendebant. Malum adverſus *Joas*, profanis manibus Sacro Ærario injectis, theſaurum omnem, quo pacem redimeret, ablatum, Victori in prædam tradidit. Nec multo poſt ſervi ipſius conjuratione facta, *Zachariæ* cædem ulti, in lecto decumbentem trucidarunt, ineunte anno Regni ipſius quadrageſimo. (4. *Regum* 12. & 2. *Paralipomenon* 24.)

II. *Joaſo* in Regno Judæ ſucceſſit *Amaſias* ejus filius, annos natus viginti quinque. Regnare cœpit anno ſecundo *Joas* filii *Joachaz* Regis Iſrael deſinente, & viginti annos regnavit. (4. *Regum* 14. 2. 2.)

Mors Joaſi Regis.

In

Amaſias Rex Juda.

in Regno confirmatus, patris ſui percuſſores e medio ſuſtulit, parcens ipſorum liberis juxta Legem a Deo per Moyſem datam. Exercitum trecentis hominum millibus validum, in Idumæos duxit. Centum millia ex Regno Iſraelis in auxilium accita centum talentorum anticipata ſolutione his adjungere decreverat: ſed a Propheta quodam admonitus ne Militibus Deo exoſis uteretur, iis dimiſſis, Idumæos in Valle Salinarum aggreſſus, decem millia hoſtium percuſſit, parique numero captos de rupe præcipites egit. Dei, qui tam inſignem victoriam conceſſerat immemor, Idola inter hoſtium ſpolia direpta colere non erubuit, Prophetam redarguentem conviciis & minis excipit. Deinde *Joaſum* Iſraelitarum Regem ad bellum provocans, collatis ad *Betſamem* ſignis, ſuperatur, capitur, Hieroſolymam ducitur. Urbis mœnibus ad quadringentorum cubitorum longitudinem dirutis, Templi Regiæque theſauros abſtulit Rex Iſrael, nec niſi obſidibus datis, Samariam reverſus eſt. Cladi illi ſuæ quindecim annis ſuperſtes vixit potius quam præfuit *Amaſias*. Demum valida ſuorum conjuratione oppreſſus, cum fruſtra fugam verſus *Lachim* civitatem arripuiſſet, ibi trucidatus eſt anno Regni ſui vigeſimo. (4. *Regum* 14. & 2. *Paralipomenon* 25.)

III. Paterni Regni heres fuit *Ozias* ſive *Azarias* filius *Amaſiæ*, a Populo Rex conſtitutus anno ætatis decimo-ſexto. Parentis primos potius quam ultimos annos æmulatus, Deum ſincere coluit, ujuſque præceptis obſecutus eſt, *Zachariæ* Prophetæ, alterius ab eo qui inter Minores Prophetas undecimus eſt, conſilio potiſſimum uſus. Hunc Prophetam filium fuiſſe poſthumum illius *Zachariæ*, qui juſſu *Joas* Regis lapidatus eſt, Hebræi tradunt, referente *S. Hieronymo*. Oziæ Regi omnia bello ac pace proſpera fuere quamdiu fidelis Deo fuit. Philiſtæos, Arabes, Ammonitas debellavit; *Ælath* ad Mare Rubrum ditioni ſuæ adjecit. Munitiſſimas civitates, Geth, Jabniam, & Azotum ſignificavit; Oppidis in Terra hoſtili extructis, Judæorum colonias eo deduxit: Hieroſolymam novis propugnaculis firmavit. In ejus Exercitu trecenti & ſeptem millia quingenti Milites ſub duobus millibus ſexcentis Ducibus fortiſſimis numerabantur. Acceſſit œconomicæ rei felicitas, & proventuum ex vineis & armentis amplitudo. Nomen ejus longe lateque celebrabatur, & Ægyptiis, aliiſque circum Gentibus metuendum erat, cum felicitate ſua intumeſcens, Regio Sceptro minime contentus, Sacerdotale Officium uſurpavit. *Ingreſſus enim Templum Domini adolere voluit incenſum ſuper Altare thymiamatis*. Ejus conatibus intercedit *Azarias* Pontifex, totuſque cum eo Sacerdotum octoginta ſacratus cœtus. *Non eſt tui* (inquiunt) *officii*,

Ozias Sacerdotale officium temere uſurpat. Lepra a Deo percutitur.

Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi Miniſterium: Egredere de Sanctuario, ne contempſeris: Quia non reputabitur in gloriam hoc a Domino Deo. Admonitus Rex ab incœpto non deſtitit, ſed acerram tenens ut thus adoleret, Sacerdotibus minas intentabat, cum lepra ſubito correptus eſt, Temploque a Sacerdotibus expulſus, mali turpitudine pudorem ac terrorem incutiente egreſſum maturavit, ac vitæ reliquum privatis in ædibus miſere traduxit, hominum contubernio prohibitus. Regni adminiſtrationem ejus nomine ſuſcepit *Joatham* ejus filius, ut Scriptura docet his verbis: *Porro Joatham filius ejus rexit Domum Regis, & judicabat Populum terræ*. E vita migravit anno Regni quinquageſimo-ſecundo. (4. *Regum* 15. 2. *Paralipomenon* 26.) *Oziæ* exemplo Reges, cæterique Laici docentur ne temere Sacra Jura uſurpent, & quæ ad ſolos pertinent Sacerdotes, ſibi arrogare præſumant. Qua in re *Marciani* Imperatoris modeſtiam oppoſitam *Oziæ* temeritati laudat *Facundus Hermianenſis* Libro 12. Cap. 3. *Sciens igitur modeſtiſſimus Princeps Oziæ Regi non impune ceſſiſſe quia ſacrificare præſumpſit, quod licitum eſt ſingulo cuique etiam ſecundi ordinis Sacerdoti, multo magis ſibi impune cedere non poſſe cognovit, vel quæ jam de Fide Chriſtiana rite fuerant conſtituta, diſcutere, quod nullatenus licet, vel novos conſtituere Canones, quod nonniſi multis & in unum congregatis primi Ordinis Sacerdotibus licet. Ob hoc itaque vir temperans, & ſuo contentus officio, Eccleſiaſticorum Canonum executor eſſe voluit, non conditor, non exactor.*

Oziæ regnante claruit Evangelicus Propheta *Iſaias*, qui & illius geſta conſcripſit. (2. *Paralipomenon* 26. 22.) Propheticum munus obire perrexit regnantibus *Joatham*, *Achaz*, & *Ezechia*. (Iſaiæ 1.)

Iſaias & Amos Prophetæ.

Paulo poſt *Iſaiæ* vocationem, ad Propheticum Munus in Regno Iſraelitico obeundum miſſus eſt *Amos* Thekoauorum Paſtorum unus, biennio ante terræ motum, qui *Oziæ* Regis Juda, & *Jeroboami* 2. Regis Iſrael temporibus contigit. (*Amos* 1. 1. *Zachariæ* 14. 5.)

Anno vigeſimo *Oziæ*, Periodi Julianæ 3923. Junii 24. in Feſtivitate Pentecoſtes, Ecclipſis Solis facta eſt digitorum circiter decem: altera digitorum fere 12. undecimo poſt anno, Periodi Julianæ 3934. *Ezechiæ* 31. Novembris 8. in diebus feſti Tabernaculorum; & tertia pluſquam undecim digitorum anno ſequente, Maii 5. in feſto Azymorum. Quo forte ſpectat ſecundum ſenſum literalem Vaticinium illud Amos 8. 8. 9. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: Occidet Sol in Meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis; & convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum.*

Ecclipſes Solis memoranda.

IV. *Jehu* in Regno Iſraelitico ſucceſſit *Joachaz* ejus filius anno vigeſimo-tertio *Joas* Regis Juda, vitulinæ ſuperſtitionis ſtudioſiſſimus, propter quam Iſraelitæ ab *Hazaele* Rege Syriæ afflicti, & attriti ſunt, adeo ut ex immenſa bellatorum multitudine vix quinquaginta equites, decem currus, & decem millia peditum ſupereſſent. Reliquos diverſis certaminibus hoſtilis furor abſtulerat. Tot malis oppreſſus *Joachaz* ad Deum confugit, qui *Salvatorem* dedit Iſraeli, *Joam* ſcilicet ejus filium, quem anno decimo quinto Imperii in Regni belliquæ conſortium aſſumpſit. Id enim poſtulat Chronologiæ ratio; Siquidem *Joachaz* regnare cœpit anno vigeſimo tertio *Joas* filii *Ochoziæ* Regis Juda, & regnavit in Samaria ſeptendecim annis, nempe ad annum uſque quadrageſimum Joas. (4. *Regum* 13. 1.) At *Joas* Rex Iſrael regnare cœpit anno trigeſimo-ſeptimo *Joas* Regis Juda. (4 *Reg.* 13. 10.) Triennium itaque cum patre regnavit.

Joachaz Rex Iſrael.

V. *Joas* filius *Joachazi*, paternæ & avitæ impietatis æmulator, patre nihilominus felicior fuit. *Benadabum* Syriæ Regem, *Hazaelis* filium, tribus præliis vicit, quemadmodum *Eliſæus* dato ſigno jaculi quo Rex terram ter percuſſit, ipſi prædixerat; captaſque ab *Hazaele* Urbes recepit, Cum id prædixit *Eliſæus*, ea ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt, annis centum expletis. Injectum fortuito in ejus ſepulcrum hominis mortui cadaver, oſſium Prophetæ contactu revixit. (4. *Regum* 13.) Cujus elogium *Eccleſiaſtici* 48. 13. 14. 15. *Siracbides* ſcripſit: *Elias quidem* (inquit) *in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus ejus: In diebus ſuis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum. Nec ſuperavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt*. Ex hoc Miraculo ſacratum Reliquiarum venerationem religioſam contra *Vigilantium* probat *S. Hieronymus* Epiſtola 53. *Si non ſunt honoranda Reliquiæ Martyrum*, inquis, *quomodo legimus*: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus? *Si oſſa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam corpus, quod, juxta Vigilantium, jacebat immundum?* Eodem ſpectant illa *S. Cyrilli Jeroſolymitani* Catecheſi 18. Illuminatorum: *Eliſæus vivens efficit reſurrectionem per animam ſuam; Ut autem non ſolum Animæ Sanctorum honorentur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum ineſt virtus ſeu potentia, jacens in ſepulcro Eliſæi mortuus, mortuumque corpus Prophetæ attingens, vivificatus eſt: Atque ita mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ, & mortuum jacenſque vitam præbuit defuncto, exhibenſque alteri vitam, ipſum nihilominus mortuum permanſit. Qua de cauſa? Ne ſi reſurrexiſſet Eliſæus, factum id ſoli animæ adſcriberetur, & ut demonſtraretur quod abſente etiam anima, ineſt virtus quædam ejuſmodi corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhabitationem animarum juſtarum in illis; quorum mi-*

Joſas Rex Iſrael.

Mors Eliſæi Prophetæ. Cadaveris ejus contactu mortuus ſuſcitatus.

Pſal. 115.

Digitized by Google

miniſterio uſa ſunt. Mortuus eſt *Joas* Rex Iſrael anno decimo-quinto *Amaſia* Regis Juda, ſive decimo-tertio a morte patris, cum regnaſſet annos ſexdecim, incluſo triennio quo patris collega fuerat. (4. *Regum* 13. 10. & 14. 23.)

Jeroboamus II. Rex Iſrael. Gratia circa annos Regni ejus difficultas.

VI. *Jeroboamus* Secundus hujus nominis Iſraelitarum Rex, *Joaſi filius*, regnare cœpit anno decimo-quinto *Amaſia* filii *Joas* Regis Juda, & per annos quadraginta & unum Regnum Iſraelis obtinuit. Per hunc Deus ſervavit Iſraelem, recuperata illi Damaſco, & Ematha, quæ olim ad Tribum Juda pertinuerant, & antiquo illius termino ab adito Emath uſque ad Mare ſolitudinis, ſecundum Vaticinium Jonæ Prophetæ. (4. *Reg.* 15.) Non receſſit ab impietate Jeroboami Primi.

Jonas &c.

Floruit autem *Jonas* Propheta regnantibus *Joaſo* & *Jeroboamo* Regibus Iſrael. Eidem *Jeroboamo* prædixit *Amos*, Futurum ei pro uxore ſcortum, tinctum iri liberorum ejus ſanguine humum, ipſi vero in profana tellure moriendum, patria capta, abductis alio ſubditis, Amos 7. 17. *Hæc dicit Dominus: Uxor tua in Civitate fornicabitur: & filii tui, & filia tua in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Iſrael captivus migrabit de Terra ſua*. Quod paucos eſt annos impletum Hiſtoria Sacra teſtatur, Eodem regnante Propheticum obiit Miniſterium *Oſee*, quod ad *Ezechia* Regis Judæ tempora productum eſt.

Circa annos *Jeroboami* occurrit in Chronologia Sacra difficultas non levis. Nam 4. *Regum* 14. 23. *Jeroboamum* regnaſſe dicitur *Anno decimo-quinto Amaſia Regis Juda*. Capite vero 15. 1. *Azarias* ſive Ozias filius *Amaſia* Regis Juda regnaſſe dicitur *Anno vigeſimo-ſeptimo Jeroboami Regis Iſrael*. Porro cum *Amaſias* nonniſi quatuordecim aut quindecim annis cum *Jeroboamo* regnaverit, ut conſtat ex Capite 14. 1. 17. inde ſequitur *Amaſia* filium *Oziam* anno vigeſimo-ſeptimo *Jeroboami* Regnum non inchoaſſe, ſed potius anno decimo-quinto aut decimo-ſexto. Deinde cum *Zacharias* filius *Jeroboami* regnare cœperit *Anno trigeſimo-octavo Azaria* ſive *Ozia* Regis Juda, (4. *Reg.* 15. 8.) conſequens eſt *Jeroboamum* non quadraginta & unum annos duntaxat, ſed quinquaginta duos regnaſſe, quatuordecim nempe cum *Amaſia*, triginta & octo cum *Ozia*.

Duplicem huic difficultati Reſponſionem adhibent Chronologi. Quidam ſupponunt *Jeroboamum* cum patre *Joaſo* duodecim annis regnaſſe: Verum cum hac in hypotheſi annus ipſius quadrageſimus primus, etſi poſt mortem demum patris numeratus, non cadat in annum trigeſimum-octavum *Ozia*, ſed in vigeſimum ſextum, conſtituendum eſſe cenſent Interregnum annorum fere duodecim poſt mortem *Jeroboami* ad initia *Zacharia* filii ejus. Alii vero *Oziam* annos duodecim ſub tutoribus fuiſſe arbitrantur, nec Regnum ſuo nomine adminiſtrare cœpiſſe ante annum *Jeroboami* vigeſimum-ſeptimum: Deinde Interregnum poſt *Jeroboami* mortem ad annos viginti tres producunt. Reſponſio prior magis commoda videtur.

Zacharias Rex Iſrael.

VII. *Jeroboamo* itaque poſt annorum circiter duodecim Interregnum ſucceſſit ejus filius *Zacharias*, impietate patribus non impar, & Samariæ regnavit ſex menſibus (4. *Reg.* 15. 9.) In ipſo a *Sellumo* filio Jabes occiſo poſteritas *Jehu* defecit, quarta nimirum generatione, ſicuti Deus prædixerat, (4. *Reg.* 10. 30.) Tunc etiam Vaticinium *Amos* 7. 9. impletum eſt: *Et demolientur Excelſa Idoli, & ſanctificationes Iſrael deſolabuntur: & conſurgam ſuper domum Jeroboam in gladio*.

Sellum & Manahem Reges Iſrael.

VIII. Menſtruum fuit *Sellumo* Regnum, quod parricidio obtinuerat anno trigeſimo-nono *Ozia* Regis Juda. Occiſus eſt a *Manahemo* filio *Gadi*, (4. *Reg.* 15. 13. 14.)

IX. Is Regnum aſſecutus, *Thapſam* ejus Tyrannidi reſiſtentem, omneſque fines ejus vaſtavit, Mulieres omnes prægnantes interfecit ac diſcidit. Tunc *Phul* Aſſyriorum Rex in Terram Iſrael irrupit, cui *Manahem* dedit mille talenta argenti, ut ei eſſet adjumento, Regnumque ejus firmaret. Id tributum ut ſolveret, argenti ſiclos quinquaginta a divitibus quibuſque viritim exegit. Pacifice regnare cœpit anno trigeſimo-nono *Ozia* Regis Juda, deſinente, & decem annos regnavit.

Phaceja Rex Iſrael.

X. Ipſum excepit in Samaritano Regno *Phaceja* ejus filius, anno quinquageſimo *Ozia* Regis Juda, eumque biennio regnaſſet, conjuratione *Phace* filii *Romelia* ſublatus eſt.

ARTICULUS V.

De Joatham, Achaz, & Ezechia Regibus Judæ: & Oſee Regibus Iſrael.

Joatham Rex Juda.

I. OZia defuncto ſucceſſit *Joatham* ejus filius annos natus viginti quinque, anno ſecundo *Phacee* Regis Iſrael. Paternæ pietatis æmulator, ejus exemplo eruditus, a ſacrarum rerum contactu abſtinuit. Bellicæ fortitudinis gloria, operumque magnificentia illuſtris fuit. Ammonitas bello domuit, illiſque tributum centum talentorum argenti, & decies mille cororum tritici, totidemque hordei, in triennium imperavit. Toleravit Excelſa in quibus Populus immolabat. Poſtremis illius annis *Razin* Rex Syriæ, & *Phacee* Rex Iſraelis Judææ fines depopulari cœperunt. Obiit *Joatham* anno ætatis quadrageſimo primo, cum annos ſexdecim regnaſſet. (4. *Regum* 15. & 2. *Paralipomenon* 27.) Sub eo & duobus ejus Succeſſoribus Propheticum Munus obierant *Iſaias*, *Oſee* & *Michæas*.

Achaz Rex Juda.

II. Poſt *Joatham* regnavit *Achaz* ejus filius, viginti annorum Juvenis, Regibus Iſrael impietate ſimilis, *Baalis* cultor, ad omnem ſuperſtitionem projectus, adeo ut filios ſuos ritu Gentium igne luſtraret. Regem Populumque imminens a *Razine* Syriæ, & *Phacee* Iſraelitarum Regibus excidium metuentes Deus per *Iſaiam* Prophetam conſolatur, ipſis liberationem, hoſtiumque interitum denunciat. Liberationis ſignum dat promiſſionem de Virgine *Emmanuelem* ſive *Meſſiam* paritura. *Iſaia* 7. 14. *Razin* Rex Syriæ & *Phacee* Rex Iſrael junctis viribus Hieroſolymam oppugnarunt; ſed uti prædixerat *Iſaias*, expugnare non valuerunt. 4. *Reg.* 16. Divinis Beneficiis nihilo melior factus *Achaz*, *Razini* Syriæ Regi, & *Phacee* Regi Iſrael, ob ſcelera caſtigandus a Deo traditur. Syrus magna clade Judæis illata, optimaque præda potitus, *Achazam* Regem *Damaſcum* abduxit. Rex vero Iſraelis commiſſis cum Judaico Exercitu ſignis centum & viginti millia cecidit, ducenta millia mulierum, puerorum, puellarum Samariam deportavit addicenda miſeræ ſervituti, niſi *Oded* Propheta Domini Victores divinæ indignationis metu ad reddendam fratribus libertatem, eoſque Hiericunthem reducendos inflexiſſet: Sed Idumæi magnam Judæorum ſtragem ediderunt, ingentemque prædam egerunt. Philiſtæi quoque in campeſtres & meridianas Civitates Juda impetu facto, plurimas occuparunt. Judæos enim deſtituerat Dominus propter *Achazi* Regis impietatem. Ad eas anguſtias redactus *Achaz*, cum ad Deum confugere, ipſumque placare deberet, *Teglathphalaſarem* Aſſyriorum Regem in auxilium accivit, ſacro ærario, regiiſque theſauris exhauſtis, ut ipſum ad ferendas ſuppetias muneribus illiceret. *Achazo* auſcultans Aſſyrus, *Razinem* Syriæ Regem bello adoritur, *Damaſcum* Regni Metropolim expugnat, diruit, incolas Cyrenem deportat, Regem interficit. Sic *Iſaia* & *Amos* Prophetiæ impletæ ſunt, qui Damaſceni Regni excidium longe ante prædixerant. (*Iſaia* 7. 16. 8. 4. 9. 11. *Amos* 1. 4. 5.) Ita Regnum Damaſcenum in *Rezone* cœptum, in *Razine* finitum eſt: Quod per decem generationes continuatum fuiſſe *Nicolaus Damaſcenus* aſſerit, referente *Joſepho* Libro 7. *Antiquitatum*, Cap. 6. Aſſyriorum Regi *Damaſcum* uſque obviam progreſſus *Achaz* ut Victori gratularetur, formam profani Altaris, quod ibi viderat Diis Syris conſecratum, miſit ad *Uriam* Sacerdotem alterum (ut videtur) ab eo quem *teſtem fidelem* prædicat *Iſaias* Cap. 8. 2. ut illi conſimile Hieroſolymis conſtrueret: In quo reverſus ipſe Sacrificia obtulit, omniaque holocauſta Populi offerri mandavit, Altari æneo longius amoto, cælatiſque baſibus, & latere ipſis luteo, ſublatis, Marique de bobus æneis in pavimentum deturbato. *Muſach* etiam *Sabbati*, ſeu ſuggeſtum unde Sacerdotes

4. *Reg.* 16. 18.

Phaſia:

14. *Reg.* 16. 18.

tes & Levitæ Legem Populo ſingulis Sabbatis legebant; vel tectum ubi quieſcebant diebus Sabbati extra tempus vicis ſuæ; vel tranſitum quemdam ſub tecto poſitum, qua intrabant in Templum die Sabbati, ſeu Solium in quo Rex ſedebat in Templo diebus Sabbati, extra Sanctum, ſuſtulit; & *ingreſſum Regis exteriut*, id eſt, portam exteriorem qua ingrediebatur in Templum, *convertit in Templum Domini*, id eſt, e Regia in ipſum Sanctuarium aditum ſibi aperuit. Vel, *Tranſtulit in Templo*, Græce ἐπέστρεψεν ἐν οἴκῳ *propter Regem Aſſyriorum*, id eſt, in aliam partem Templi vertit, in gratiam Regis Aſſyriorum, ne Rex aut Sacerdotes ingredientes tergum obverterent Aſſyriæ, eoque Regem Aſſyriorum minus revereri viderentur. Vel, Templum Dei clauſit, ejuſque aditum muro circumdedit; Secundum Hebræum, *Circuire fecit Domum Domini*, ut patriæ Religionis deſertione, & Aſſyriacæ Idololatriæ æmulatione Regem Aſſyriorum magis promereretur. Qui poſtremus ſenſus planior videtur, & Sacro Textui *Paralipomenon* 2. Cap. 28. 24. 25. convenientior, ubi legitur: *Direptis itaque Achaz omnibus vaſis Domus Dei, atque confractis, clauſit januas Templi Dei, & fecit ſibi Altaria in univerſis angulis Jeruſalem. In omnibus quoque Urbibus Juda extruxit Aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum ſuorum.* Obiit *Achaz* Regum Juda impiiſſimus anno ætatis trigeſimo-ſexto, Regni decimo ſexto, indignus habitus cujus corpus Regum ſepulcris conderetur. (4. *Regum* 16. & 2. *Paralipomenon* 28.)

Ezechias Rex Juda piiſſimus. Gravis circa ejus ætatem difficultas.

III. Impio patri *Achazo* religioſiſſimus filius *Ezechias* ſucceſſit, annos viginti quinque natus: An undecim dumtaxat aut duodecim annis patre junior, quem anno ætatis trigeſimo-ſexto obiiſſe ex Scriptura Sacra conſtat? Hac difficultate quidam permoti, *Ezechiam* legalem, non naturalem *Achazi* filium fuiſſe commenti ſunt: Alii ad divinum Miraculum aut naturæ vires inſolitas referunt quod a patre duodecenni genitus ſit; hujuſque Reſponſionis auctorem habent *S. Hieronymum* Epiſtola ad *Vitalem*. Alii *Achazum* diutius vixiſſe fingunt, & hæc verba, *Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpiſſet*, (4. Regum 16. 2.) de initio Regni *Joatham* patris ejus intelligi volunt, ideſt, viginti annorum fuiſſe *Achaz* cum regnare cœpit *Joatham* ejus parens. Alii annos imperfectos *Achaz* a Scriptore Sacro omiſſos volunt, atque ita decimo-quarto circiter paternæ ætatis anno genitum *Ezechiam*. Alii errorem in numeris incuria exſcriptoris lacunam forte Codicis Hebræi explere volentis irrepſiſſe, & in Codices reliquos propagatum ſuſpicantur. Ignorantiam hac in re meam, ut in aliis multis, fateri malim, quam temere aliquid aſſerere. Annus primus *Ezechiæ* cum anno tertio *Oſee* Regis Iſrael occurrit. (4. *Regum* 18. 1.) Ac cum *Oſee* initium, Cap. 18. 1. referatur ad annum duodecimum *Achaz*, qui regnavit annos ſexdecim, difficile videtur explicatu quomodo annus *Ezechiæ* primus coincidat cum anno *Oſee* tertio, & non potius cum quinto: Propterea quidam Chronologi, quos inter *Calviſius*, *Ezechiam* biennium regnaſſe cum patre arbitrantur. At hæc ſolutio minus probabilis eſt: Illum enim ne unum quidem annum integrum cum patre regnaſſe, argumentum illud fuerit, quod *Anno primo Regni ſui, menſe primo*, (anni utique, non Regni, ut ex Hebræo, ex Verſione 70. Interpretum, ex Syriaca, & Arabica patet) *aperuit valvas Domus Domini*. (2. Paralipomenon 29. 3.) quas pater impius oecluſerat. (Cap. 28. 24.) Unde liquet, patre jam defuncto, Dei cultum reſtituere cœpiſſe *Ezechiam* anno primo Regni ſui, cujus partem primam cum patre exegerat, ad finem vergente. Alii itaque melius reſpondent, hos annos ſuperabundantes exauriri, ſi duodecimus annus *Achaz* habeatur pro finito, ejuſque anno decimo tertio ineunte ad Regnum pervenerit *Oſee*: Hujus vero anno tertio completo regnare cœperit *Ezechias*, poſtremo *Achazi* patris anno incipiente.

Ezechias Religionem inſtaurat.

Anno itaque primo Regni ſui, menſe primo, *Abib* ſcilicet, *Ezechias* apertis Templi foribus, Sacerdotes & Levitas in Plateam Orientalem congregatos ad expiationem Templi hortatus eſt; Quod ubi diebus octo abſolviſſent, abjectis in Torrentem Cedron ſordibus, victimas ſecundum Legis præſcriptum immolarunt, præſente Rege & Principibus Civitatis. (2. *Paralipomenon* 29.) Quia vero Paſcha celebrari Menſe primo non poterat, cum Sacerdotes ad ſufficientem numerum ſanctificati non fuiſſent, & Populus nondum Hieroſolymam congregatus eſſet, indictum eſt Paſcha in menſem ſecundum, juxta Legem, *Numerorum* 9. 10. 11. Edicto igitur promulgato per univerſum Iſrael a *Berſabee* uſque *Dan*, ut venirent, & facerent Phaſe Domino Deo Iſrael in Jeruſalem, non ſolum Tribus Juda, Benjamin, & Levi, ſed etiam ex Tribubus Aſer, Manaſſe, & Zabulon nonnulli, (Reliquis Iſraelitis pii Regis invitationem deridentibus) Hieroſolymam congregati ſunt, deſtructiſque profanis Altaribus, & omnibus Idololatriæ Monumentis in Torrentem Cedron projectis, Agnum Paſchalem immolarunt quarta decima die ſecundi Menſis, & ſeptem dies Azymorum celebrarunt, Sacrificia Euchariſtica immolantes, & Deum Patrum ſuorum laudantes. Illud verò ſingulare eſt, quod multi a legalibus immunditiis nondum ritu legitimo purgati, ad eſum agni Paſchalis admiſſi ſunt, quod erratum, propter ſinceram ipſorum converſionem ad Deum, orante *Ezechia*, Deus ipſis ignovit. Septem Azymorum diebus, ſeptem alii communi voto additi, frequentibuſque Sacrificiis celebrati. Solemnis adeo Celebritas a diebus *Salomonis* peracta Hieroſolymis non fuerat. (2. *Paralipomenon* 30.)

Cum Sacerdotes & Levitæ Populo benedixiſſent, Iſraelitæ omnes qui Solemnitati adfuerant, Divinæ Legis zelo ſuccenſi, fregerunt ſimulacra, ſucciderunt lucos, demoliti ſunt Excelſa, Altaria profana deſtruxerunt, non ſolum in Regno Juda, ſed etiam in finibus Tribuum *Ephraim* & *Manaſſe*. *Ezechias* vero ſerpentem Æneum, olim Hebræis ſalubrem, tunc autem lethiferum, ſiquidem ipſi thus adolebant, dejecit & confregit, vocavitque *Nobeſtam*, quaſi diceret; *Æs eſt, præterea nihil*. (Lib 4. *Regum* 18.) Mox Sacerdotibus & Levitis per vices conſtitutis, ſubminiſtratiſque ex Regio Ærario ſumptibus ad juge Sacrificium, Rex omnium fructuum decimas Sacris Miniſtris dari juſſit, horreaque in domo Domini fieri curavit, in quibus decimæ, primitiæ, votivæque ac ſpontaneæ oblationes Levitico generi ſervarentur. (2. *Paralipomenon* 31.)

Ezechias bello.

Non minori ſolertia rem bellicam adminiſtravit, quam divinum cultum promovit *Ezechias*. Philiſtæos multis cladibus affecit, Jugum Regis Aſſyriæ excuſſit, quod pater ejus ſuſceperat, illique tributa negavit, Quam ob rem Sennacherib irruptione facta in Judæam, Civitates munitiſſimas occupavit. Cumque totum belli impetum contra Jeruſalem verſurus eſſet, obturari curavit *Ezechias* fontes omnes extra Urbem poſitos, & alveum aquæ in medio Terræ fluentem, ut hoſtes aqua deficeret: Mœnibus etiam & propugnaculis inſtauratis, omnique armorum genere parato, cives bono animo eſſe juſſit, ac in Deo confidere, pro ipſis pugnaturo. (2. *Paralipomenon* 33.) Ab obſidione Hieroſolymorum averſus eſt *Sennacherib*, Ægyptiorum auxiliares copias Judæis mittentium formidine, & in Ægyptum arma vertit, necnon in Æthiopes Ægyptiis fœderatos, magnamque cladem utrique genti intulit, quam prædixerat *Iſaias* Capite 20. Ab Ægyptiaca Expeditione reverſus *Sennacherib*, celerem de Judæis victoriam ſibi pollicetur. Quam ob rem tranſmiſſo in Judæam Exercitu, *Lachis* obſidet. (2. *Paralipomenon* 32. 9.) Legationem de pace huc ad ipſum mittit *Ezechias*, eamque trecentis argenti & triginta talentis auri redimit: Quibus ſolvendis ſacrum profanumque exhaurit Ærarium.

Clades Sennacherib Regis Aſſyriorum.

Accepta pecunia hoſtilem animum non exuit Rex Aſſyriorum, formidoloſum Exercitum Hieroſolymorum Mœnibus admovet; ſuperbas, horrendiſque in Deum blaſphemiis ſcatentes Epiſtolas ad *Ezechiam* Regem ſcribit, deditionem imperat. Duces portis inſultant, minacibus, blaſphemiſque pariter verbis velitati. His auditis *Ezechias* dolore percitus, ſciſſis veſtibus, indutus cilicio, ad Templum ſe confert, Aſſyrii Regis literas coram Domino expandit, ferventiſſimis precibus divinum præſidium implorat. *Iſaias* Propheta Regem certiorem facit, Deum Ci-

Digitized by Google

Civitatem eſſe protecturum, neque Regem Aſſyriorum eam expugnaturum, ſed cum dedecore reverſurum. Prophetæ Regiſque precibus annuens Deus, Angeli opera centum octoginta Aſſyriorum millia in Caſtris interfecit. Tanta ſtrage confuſus *Sennacherib* in Terram ſuam reverſus eſt, & confedit Ninive. Ubi paulo poſt a filiis occiſus eſt, cum in Templo *Neſdoch* falſum Numen adoraret. (*Iſaia* 36. 37. 4. *Regum* 18. & 19. 2. *Paralipomenon* 32. *Eccleſiaſtici* 48.)

Morbus Ezechiæ. Prodigioſa Solis Retroceſſio.

Interim *Ezechias* ex lethali ulcere decumbens, morte ſibi per *Iſaiam* Prophetam denuntiata, fuſis ad Deum precibus, & lacrymis, ſanitatem, & vitæ Regnique prorogationem in quindecim annos obtinuit. Signum vero ſalutis recuperandæ *Ezechiæ* roganti a Deo indultum fuit mirabilis illa umbræ ſolaris per decem gradus retrogreſſio in horologio *Achaz*. (*Iſaia* 38. 4. *Regum* 20. 2. *Paralipomenon* 32.) Nec tamen umbram tantum, ut quidem voluerunt, ſed ipſum Solem retrogradum, & hunc diem multis horis ſolito longiorem fuiſſe, in Diſſertationibus oſtendemus. *Flevit autem Ezechias fletu magno, propter promiſſionem Domini ad David, quam videbat in ſua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat: Nam poſt mortem ejus Manaſſes, cum duodecim eſſet annorum, regnare cœpit in Judaa. Ex quo perſpicuum eſt poſt tertiam annum conceſſæ vitæ Manaſſem eſſe generatum. Ergo iſte omnis fletus eſt, quod deſperabat Chriſtum de ſuo ſemine naſciturum*; (inquit *S. Hieronymus* Commentario in Caput 38. *Iſaiæ*) Quod autem maſſam ficuum ſuper vulnus ejus poni juſſit Propheta obſervandum eſt, *Aquilam*, *Symmachum*, & *Theodotionem* Ezechiæ morbum *ulcus* interpretari, ut & Latinum Interpretem. (4. *Regum* 20. 7.) Ulceribus autem contraria putantur vel ſumpta in cibo vel appoſita corpori, quæcumque ſunt dulcia. *Ergo ut Dei potentia monſtraretur, per res noxias & adverſas ſanitas reſtituta eſt.* Alii non ulcus, ſed *apoſtema* ſuſpicantur, & Hebræo verbo ſignificari volunt. *Et juxta artem Medicorum omnis ſanies ficcioribus ficis atque contuſis, in cutis ſuperficiem provocatur: Ac per hoc non ſpernendam eſſe Medicinam, qua uſu conſtet & experimento: Quia & hanc fecerit Deus.* Obſervatio eſt *S. Hieronymi*; ibidem.

Recepta ſanitate. Rex Canticum Deo in gratiarum actionem cecinit. (*Iſaia* 38.) Quamvis autem poſt cædem *Sennacherib* hæc Hiſtoria in Libris Regum & Paralipomenon referatur, ante mortem illius eam contigiſſe certum eſt, ſub finem anni decimi quarti Regni *Ezechiæ*. Unde *Iſaias* Regem ægrotantem his verbis allocutus eſt: *Hac dicit Dominus Deus David patris tui; Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas; & ecce ſanavi te, die tertio aſcendes Templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos; Sed & de manu Regis Aſſyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem iſtam propter me, & propter David ſervum meum.* (4. Regum 20. Iſaiæ 38.)

Ezechias ob theſaurorum oſtentationem a Propheta correptus.

Merodac Baladan Rex Babyloniorum, quem Patrem fuiſſe *Nabuchodonoſor* Hebræi autumant, miſſa ad *Ezechiam* honorifica Legatione, Regiiſque muneribus, ipſi de ſalute, & prodigiis in ejus gratiam divinitus editis gratulatur. Hinc elatus animo *Ezechias*, quicquid in Regia theſauriſque ſuis pretioſum eſt, Babyloniis Oratoribus oſtentat. Factum Regis Deus per *Iſaiam* Prophetam redarguit ipſique denuntiat imminentem, propter iſtud peccatum, poſteris ejus Babylonis calamitatem. *Ecce dies venient*, inquit, *& auferentur omnia qua ſunt in domo tua, & qua condiderunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylonem: Non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt, Eunuchi in Palatio Regis Babylonia.* (4 Regum 20. Iſaiæ 39.) Dei ſententiam humiliter excepit Rex pius. Deo gratias agens quod ſibi parceret, pœna in poſteros tranſlata. Aliud tunc fuiſſe Regnum Babyloniorum a Regno Aſſyriorum recte monet *S. Hieronymus*. Iſtud enim tenebat *Aſſaradon* filius *Sennacherib*: Illud vero *Merodach Baladan*. Præterea, Samariam, id eſt, decem Tribus cepere Aſſyrii: Judam autem & Jeroſalem poſtea legimus cepiſſe Chaldæos, quorum Rex *Nabuchodonoſor* fuit.

Ezechiæ obitus.

Obiit *Ezechias* anno Imperii vigeſimo-nono, ipſique univerſus Juda, & omnes habitatores Jeruſalem ſolemni ritu parentarunt. (2. *Paralipomenon* 32.) Sanctitas ejus his commendatur Eccleſiaſtici 48. 25. *Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris ſui: quam mandavit illi Iſaias Propheta Magnus & fidelis in conſpectu Dei.* Et Cap. 49. 5. *Prater David, & Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt.*

Hiſtoria Tobiæ.

Ad *Ezechiæ* Regis ætatem Hiſtoria *Tobiæ* pertinet, de qua in Diſſertationibus.

Phacee Rex Iſraeli.

IV. *Phaceja* ſublato, Regnum Iſraeliticum invaſit *Phacee* filius *Romelia*, anno quinquageſimo ſecundo *Ozie* Regis Juda, & regnavit viginti annis. (4. *Regum* 15. 27.) Ejus tempore *Theglatphalaſar* in Iſraelitas arma vertens, totam Galaaditidem, Galilæam, & Nephtalitidem vaſtavit, treſque Tribus in Aſſyriam deportavit. (4. Regum 15. 29. & 1. Paralipom. 5. 25. 26.) *Reliquerunt autem Deum patrum ſuorum: & fornicati ſunt poſt Deos Populorum Terra, quos abſtulit Deus coram eis. Et ſuſcitavit Deus Iſrael ſpiritum Phul Regis Aſſyriorum, & ſpiritum Theglatphalaſar Regis Aſſur: & tranſtulit Ruben & Gad, & dimidiam Tribum Manaſſe, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan, uſque ad diem hanc.* Sublatus eſt *Phacee* conjuratione *Oſee* filii *Ela*, qui Regnum Iſrael uſurpavit.

Oſee Regum Iſrael ultimus. Chronologica circa annos Regni ipſius difficultas.

V. Regnare cœpit *Oſee* Regum Iſrael ultimus *vigeſimo anno Joatham* Regis Juda. (4. *Reg.* 30.) id eſt anno quarto, *Achaz* filii *Joatham*: Sed quia nullam adhuc *Achaz* mentionem fecerat Hiſtoricus Sacer, a Regno *Joathami* incuote nonationem temporis deducendam eſſe cenſuit, licet annis tantum ſexdecim eum regnaviſſe moneat ibidem Verſu 33. Deinde vero initio Capitis decimi ſeptimi ait: *Anno duodecimo Achaz, Regis Juda regnavit Oſee filius Ela in Samaria ſuper Iſrael novem annis.* Quod quidem dupliciter accipi poteſt: Ut vel a primo ſuo exordio uſque ad illud tempus novem annis ille regnaverit: vel ab illo tempore, uſque ad ipſius finem & Regni Iſraelitici exitum. Horum enim utrumque verum eſt. Nam & ab anno vigeſimo ex quo regnare cœperat *Joatham* Rex Juda, uſque ad finem anni duodecimi *Achaz* anni novem numerantur, & a fine duodecimi *Achaz* uſque ad finem *Oſee* totidem alii. *Oſee* igitur duplex Regni initium tribuunt Chronographi Sacri. Prius turbulentum; cum hoc tempore ſub Aſſyriorum dominatu vix Regium nomen uſurpare auderet: Novum & ſplendidius alterum, ad finem anni *Achaz* duodecimi, cum nimirum vel æmulos ſuos penitus oppreſſiſſet, vel in gratiam Aſſyriorum rediiſſet, tributi pactione. Anno *Oſee* nono, *Ezechiæ* ſexto, *Salmanaſſar* Rex Aſſyriorum cum *Sennacherib* minime confundendus, (ut confundunt Hebræi,) Samaria expugnata, totoque Regno in ſuam poteſtatem redacto, Iſraelitas tranſtulit in *Aſſyrios*

Regni Iſraelitici finis & Aſſyriaca Iſraelitarum captivitas.

Poſuitque eos in *Hala* & in *Habor*, *juxta fluvium Gozan, in Civitatibus Medorum*. (4. Regum 17. 6.) *Hala* ſive *Chaluth*, ut pronuntiant Hebræi, eſt Ptolemæi *Calachene* ad Aquilonem Aſſyriæ. *Chabor* eidem eſt *Mons Chabaras*, inter *Mediam & Aſſyriam*. A quo Monte ad Mare *Caſpium* euntibus medio fere ſpatio occurrit *Gauzania* Urbs, id eſt *Gozan*, inter duos *Cyri* alveos, quam regioni & fluvio proximo nomen dediſſe veriſimile eſt, antequam ibi locorum Perſæ dominarentur, a quibus *Cyrus* dici cœpit iſte amnis, ut vicinus alter *Cambyſes*, in gratiam *Cyri*, & *Cambyſis*. Pro *Media* 1. Paralipomenon 5. 26. eſt *Ara*. Nempe Media etiam Græcis alio nomine *Aria*, & Medi *Arii* appellantur, teſte *Herodoto* in *Polymnia*. Hic Regni Iſraelitici finis. Duratio Iſraeliticæ Captivitatis perpetua, ſecus ac Judaicæ Captivitatis in Babylon. quæ poſtea contigit. Quanquam plurimos ex Iſraelitis reduces factos eſſe in Judæam, cum duæ Tribus ex Captivitate Babylonica reductæ ſunt, conſtat ex *Iſaia* Cap. 11. 12. & *Jeremia* 4. 1. Conſtat etiam nonnullos ex viliore plebe ab Aſſyriis in patria relictos, ut ab *Iſaia* prædictum fuerat Cap. 17. 3. 4. 5. 6. & *Amos* 3. 12. Iſraelitici Regni Excidium, & deportationem Tribuum Aſſyriacam inflixit Deus ob impietatem & Idololatriam *Iſraelis* a *Jeroboamo* cœptam, & ad hæc uſque tempora continuatam.

(4.

(4. *Reg.* 17. 7. 8. *& ſeq.*) Hanc cladem *Jeroboamo* primo Regi Iſrael prædixerat *Abias* Silonites Propheta, (3. *Regum* 14. 15. 16.) De eadem Vaticinium ediderat *Amos* Cap. 5. 27. his verbis: *Et migrare vos faciam trans Damaſcum, dicit Dominus, Deus Exercituum nomen ejus.* Protomartyr *S. Stephanus* Prophetiam illam proferens *Actuum* 7. 43. pro his verbis, *trans Damaſcum*, explicationis gratia dicit, *trans Babylonem.* Quaſi diceret, non ſolum extra patriæ fines, qualis eſt *Damaſcus* Terræ Sanctæ limes, ſed & ultra Babylonem deportabimini, in regionem magis diſſitam, extra Terræ pene veſtræ notitiam, ſine ſpe redeundi. Ante *Amos* Prophetæ tempore *Hazael* Rex Syriæ magnis cladibus Regnum decem Tribuum affecerat, plurimiſque interemptis, alios, ut credere par eſt, captivos *Damaſcum* Syriæ Metropolim abduxerat. (4. *Reg.* 10. 32. 33.) Majorem vero calamitatem hic denunciat *Amos*, fore ut brevi *ultra Damaſcum* longius deportentur. Quam autem longe, cum non definiviſſet, *S. Stephanus* definivit, & explicationis ergo dixit, *trans Babylonem*, in fines Mediæ, quod & eventus comprobaverat, & Hiſtoria Sacra teſtatur, 4. *Regum* 17. 6. Vaticinium *Amos* in alium ſenſum verti poſſe, Viri Eruditi obſervant, nempe, *Migrare vos faciam longinquius quam deportata ſit Damaſcus.* Cum *Razine* Syrorum Rege, cujus Metropolis erat Damaſcus, *Phacee* Rex Iſrael conjuraverat ad Regni Judaici, Domuſque *Davidis* excidium. (2. *Paralipom.* 28. 6. 7. 8) Uterque Deum ſenſit vindicem. Nam *Theglathphalaſar* Rex Aſſyriorum, interfecto *Razine*, Regno Syrorum everſo, *Damaſco* diruta, Damaſcenos deportavit. (4. *Reg.* 16. 9.) Deinde belli impetu in *Phacee* verſo, Tribubus reliquis calamitatem prædicit *Amos*, fore ſcilicet ut deportentur ulterius quam deportati ſint *Damaſceni*. Hi autem tranſlati ſunt *Cyrenem*. (4. *Reg.* 16. 9.) juxta Prophetiam *Amos* Cap. 1. 5. ſive ſit ea *Ptolemæi* Κιρῆνα Interpretibus *Cyrna*, Mediæ Urbs Mediterranea, ut conjicit *Bochartus*: Sive Albaniæ pars ubi Κῦρος fluvius eſt eidem *Ptolemæo* memoratus, ut *Grotio* viſum: Sive Babyloniæ Civitas, quæ Ptolemæo *Chiriphe* appellatur, quod *Samuel Petitus* cenſet: Quamobrem recte & ad mentem *Amos S. Stephanus* dixit Iſraelitas fuiſſe *trans Babylonem* deportatos, longius ſcilicet quam deportati eſſent Damaſceni, ſecundum Vaticinium *Amos*.

Prophetarum Vaticinia de decem Tribuum deportatione, S. Stephanus cum Amoſo conciliatur.

Samuel Petitus & Vitſius Diſſert. De Decem Tribubus Iſraelis, Cap. 1.

Iſraelitici Regni excidium non tantum prædixit *Iſaias*, ſed & tempus illius deſignavit, Cap. 7. 8. *Adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe Populus.* Difficultas eſt unde ſit arceſſendum Epochæ iſtius initium. Certum namque eſt ab eo tempore quo hanc Prophetiam edidit *Iſaias*, ſcilicet a diebus *Achaz*, ad decem Tribuum deportationem, annos non plures viginti tribus effluxiſſe. *Achaz* enim ſexdecim duntaxat annos regnavit, quibus ſi annos ſex *Ezechiæ* addideris, (Anno enim illius ſexto facta deportatio eſt,) ſumma annorum viginti trium reſultat.

Regni Iſraelitici excidium poſt annos ſexaginta quinque futurum prædixit Iſaias. Unde hæc epocha ducenda?

Miſſa *Grotii* ariolatione, qui errorem eſſe in Textu Hebraico, in Vulgata, in Verſionibus omnibus audacter aſſerit, & pro *ſex & quinque*, irrepſiſſe, *ſexaginta-quinque*: Reſpondetur primo, hujus Epochæ initium arceſſendum eſſe ab eo tempore quo Prophetiam de Regni Iſraelitici excidio ediderat *Amos*. Sic autem iſtorum annorum ſumma colligitur. Prophetavit *Amos* anno vigeſimoquinto Regis *Oziæ*, biennio ante terræ motum (*Amos* 1. 1.) qui incidit in annum *Oziæ* vigeſimum-ſeptimum. Jam ſi ab anno *Oziæ* vigeſimoquinto numeres, ſupererunt ex annis *Oziæ*, qui annis quinquaginta-duobus regnavit, anni viginti ſeptem. His adde quindecim annos *Joathami*, ſexdecim *Achaz*, & ſex *Ezechiæ*, reſultabit ſumma annorum ſexaginta quinque. Sic ab iſta difficultate vulgo ſe expediunt Interpretes Hebræis præeuntibus, quos *S. Hieronymus* ſequitur.

Reſpondetur ſecundo, ſeptuaginta-quinque illorum annorum initium duci poſſe a morte *Jeroboami* II. Quæ ad everſionem Iſraelitici Regni primus gradus fuit. Qui enim *Zachariæ* Jeroboami filio, cujus ſemeſtre duntaxat, nec abſque æmulis imperium fuit, ſucceſſerunt, non tam Reges fuere quam Tyranni, qui Regnum male partum, nec melius adminiſtratum fœde ac infeliciter amiſerunt: Quorum tumultuarie dominatio Reipublicæ ad exitium vergentis triſte præſagium fuit. Sic autem colligitur annorum ille numerus ab *Iſaia* notatus. Mortuus eſt *Jeroboam* anno Regni quadrageſimo primo, id eſt, decimo-quinto *Oziæ*. Superſunt ergo anni *Oziæ* triginta-ſeptem. Nam annis quinquaginta-duobus regnavit. Anno *Joathami* vigeſimo, id eſt, quarto poſt ejus mortem, *Oſee* filius *Ela* Regnum Iſraelis uſurpavit. (4. *Regum* 15. 30.) Anno *Oſeæ* nono capta Samaria, & deportatus Iſrael eſt. Ex annis porro triginta ſeptem *Oziæ* reliquis, novemdecim *Joathami*, & novem *Oſee*, reſultat ſumma annorum ſexaginta-quinque ab *Iſaia* deſignata. Stetit autem Regnum Iſraelis annis ducentis quinquaginta ſex.

Poſt Iſraelitici Regni excidium, & decem Tribuum deportationem, Rex Aſſyriorum novos colonos de *Babylone*, de *Cutha*, de *Avath*, & *Emath*, & de *Sepharvaim* in civitatibus Samariæ pro Iſraelitis collocavit. Id ab *Aſſarhadone*, ſive *Aſſor-Haddane*, qui & *Aſenapher* appellatus eſt, factum conſtat ex 1. *Eſdræ* 4. 2. 10. Novi coloni cum Deum Iſraelis non colerent, a leonibus infeſtati ſunt: Qua de re certior factus Rex Aſſyriorum, unum ex Iſraelitis Sacerdotibus e Samaria deportatis ad illos miſit, qui Ritum colendi Deum Iſrael ipſos edoceret. Illi vero cum Dei cultu vitulina Superſtitione inquinato Idolorum ſuorum cultum pertinaciſſime retinuerunt. (4. *Regum* 17.) Hæc perpetui diſſidii Judæos inter & Samaritanos prima origo fuit.

Novi Coloni in Samaria ab Aſſyriorum Rege conſtituti.

ARTICULUS VI.

De Manaſſe, Amone, & Joſia Regibus Juda.

I. MAnaſſes Religioſiſſimi Regis *Ezechiæ* degener filius, anno ætatis duodecimo regnare cœpit. Hic peſſimorum Regum peccata unus commiſit univerſa, nihilque reliquum fecit quo Dei Legem violare, cultumque poſſet evertere. Excelſa reparavit, quæ diruerat *Ezechias*, lucos plantavit, Aras *Baal* erexit, Sidera Numinis vice veneratus eſt, illiſque erexit Altaria in duobus Atriis Templi. Idolum quoque luci, id eſt, quod in lucis colebatur, in Templo Domini collocavit. Quodnam illud fuerit Idolum, incertum. Telluris fuiſſe, *Grotius* conjicit, quæ ſub *Cybeles* nomine a Phrygibus aliiſque Gentibus adorata eſt, ejuſque ſimulacra in lucis poſita. Unde *Ovidius Metamorphoſ.* 7.

Manaſſes Rex Judæ. Ejus impietas, captivitas pœnitentia, reſtitutio in Regnum.

Templa Deum Matri, quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto, nemoroſis abdita ſilvis.

Sic *Caſtum Nemus* Terræ dicatum e Germanis *Tacitus* docet Libro *De Moribus Germanorum*. Ne quid vero extremæ impietati deeſſet, filium ſuum per ignem traduxit *Manaſſes*, ariolos, pythones, augures, aruſpices, magorum, incantatorum, veneficorum omne genus conſuluit. Regis exemplo & Edictis Populus in idololatriam prolapſus eſt. Non ſolum in Deum impius, ſed in homines crudelis, Hieroſolymam cædibus innumeris funeſtavit. Sacerdotes, & Levitas aſpernatus, Prophetarum etiam conſiliis, objurgationibuſque contemptis in illos ſævиit, & inter alios *Iſaiam* Regio genere, & centum circiter annorum ſenio venerandum, ut Veteres tradunt (*Tertullianus* Lib. *De Patientia*, Cap. 14. *S. Auguſtinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 24. *Theodoretus Quæſtione* 54. *in* 4. *Regum*, *&c.*) lignea ſerra crudeliſſime diſſecari juſſit. Regem tot criminum reum Deus flagellis emendavit. Cum enim *Aſſaradinus* Babyloniorum ſimul & Aſſyriorum Imperator Exercitum in Judæam immiſiſſet, captus eſt *Manaſſes*, injectiſque vinculis Babylonem adductus. Tum calamitate ſapientior factus, precibus, lacrymis, pœnitentia Deum placavit. Quo propitio ac favente, poſt aliquot annos a *Saoſduchino* Aſſaradini ſucceſſore liberatus ac Regno reſtitutus, cultum Dei, quem peſſumdederat, reſtituit, profanis Aris dirutis, Idoliſque deſtructis, Populum etiam exemplo ſuo ſeductum ad avitæ Religionis, divinæque Legis obſervantiam reduxit. Annis quinquaginta quinque regnavit, incluſis

 an-

annis Captivitatis ſuæ. (4. *Regum* 21. & *Paralipomenon* 33.) Apocripha eſt quæ circumfertur, & ad calcem Bibliorum edita eſt, *Manaſſis Oratio*.

Amon Rex Juda.

II. *Manaſſi* filius ejus *Amon* ſucceſſit, paternæ impietatis æmulator, non pœnitentiæ. Cunctis Idolis quæ *Manaſſes* fuerat fabricatus, immolavit atque ſervivit. A Deo deſertus, ut Deum deſeruerat, ſuorum conjuratione in Palatio cæſus eſt, ætatis anno vigeſimo-quarto, cum duos annos regnaſſet, (4. *Regum* 21. 2. *Paralipomenon* 33.) Duodecim annos Amoni tribuit *Euſebius*, falſo allegans 70. Interpretum Verſionem, ut poſt *Georgium Syncellum* obſervavit *Scaliger*.

Joſias Rex Juda piiſſimus, omnia Idololatriæ & impietatis evertit Monumenta, Religionem inſtaurat.

III. *Joſias* octennis puer in paterno Solio a Populo conſtitutus, Davidicæ Religionis ac pietatis extitit æmulator. Anno ætatis ſuæ decimoſexto, Regni octavo, de cultu Dei reſtituendo & promovendo ſerio cogitare cœpit. Anno duodecimo Excelſa, Lucos, profanas Aras, Idola deſtruxit, ſuccidit, contrivit, & ſuper ſacrificorum tumulos fragmenta diſperſit. Illorum autem oſſa combuſſit in Altaribus Idolorum. Hieroſolymis, aliiſque Urbibus ita purgatis, ſarta tecta Templi reſtaurari juſſit anno Regni ſui decimo-octavo. Dum *Helcias* Pontifex deſtinatam operi pecuniam Regiis Miniſtris traderet, Artificibus diſtribuendam, Librum Legis Domini autographum invenit, & per *Saphan* Scribam ad Regem miſit. *Joſias* Libri lectione perculſus, *Oldam* Propheteſſam conſuluit, quæ Regni excidium ob idololatriam Populi a Deo decretum, ſed poſt mortem Regis dilatum vaticinata eſt. Tum Rex Sacerdotibus, Levitis, omnibuſque ſubditis in Templum congregatis, Librum Legis publice legi jubet, fœdus inter Deum & Populum redintegrat, Legis obſervantiam ſanctiſſime pollicetur, eamque Populo perſuadet. Secundum hæc, *Helcia* Pontifici, & ſecundi ordinis Sacerdotibus, & Janitoribus dat in mandatis, ut vaſa omnia falſorum Numinum cultui olim conſecrata, omniaque Idololatriæ inſtrumenta de Templo Domini projiciant. Ea extra Hieroſolyma comburant, in convalle Cedron, cum Luco, & cineres partim in Bethel efferant, partim ſuper ſepulcra vulgi ſpargant. Delet etiam Aruſpices, quos Reges Juda conſtituerant ad Sacrificandum in Excelſis, & Sacrificolos Baalis, Solis, & Lunæ, ac Siderum. Æ_diculas quoque effeminatorum, ſeu catamitorum, pro quibus mulieres tentoria texebant, quaſi domunculas Luci, ut Venerem vel Priapum averſa libidine ibi colerent, e Templo tollit: Excelſa contaminat, necnon *Tophet* in Convalle filii *Ennon*, ut nemo filios ſuos per ignem Idolo *Moloch* deinceps conſecraret: Aras ad portam Urbis erectas evertit: Sacerdotes Excelſorum exauctorat: Equos Soli a Regibus Juda conſecratos in introitu Templi removet, & currum Solis comburit: Solo æquat Altaria quæ *Manaſſes* in duobus Atriis Templi erexerat, necnon Excelſa quæ erant in Jeroſalem ad dexteram partem Montis Offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael *Aſtaroth* Idolo Sidoniorum, & *Chamos* Moabitarum, & *Melchom* Ammonitarum, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, injectiſque Mortuorum oſſibus polluit. Illa pene collapſa, & antiquitate obſoleta neglexerat *Ezechias*, aut forte ſeditionis popularis metu plane deſtruere non valuerat: Vel poſt *Ezechiæ* Regis obitum ea excitaverat *Manaſſes*, nec omnino everterat, ſatis eſſe arbitratus, ſi inde tolleret Idola, Populumque eo convenire ad eaſdem ſuperſtitioſum prohiberet. *Amon* autem ejus filius falſorum Numinum cultum illic reſtituerat, novis ſimulacris erectis. Quæ Idololatriæ monumenta Rex Sanctus *Joſias* funditus evertit. Altare inſuper & Excelſum olim a *Jeroboamo* in *Bethel* erectum in pulverem redegit. Cumque ibi ſepulcra conſpexiſſet, educta inde mortuorum oſſa ſuper Altare combuſſit, ſicut ante annos trecentos quinquaginta de eo fuerat prædictum (3. *Reg.* 13. 2.) Illius dumtaxat Prophetæ ſepulcro pepercit, qui hæc fuerat vaticinatus. Idem in omnibus Samariæ civitatibus cum præſtitiſſet, Hieroſolymam reverſus eſt. Ibi ſolemnem Paſchatis celebrationem ſecundum præſcriptum Legis Populo imperavit, de quo Scriptura teſtatur, Non eſſe factum *Phaſe* tale a diebus Judicum, & Regum Iſrael & Juda. Hæc anno decimo octavo Regni *Joſiæ* geſta ſunt. Quamvis autem pietate ſtudioque ſuo in rebus Religionis promovendis Deum pro meritus ſit *Joſias*, immota tamen in Judaicam Gentem ſtetit irati Numinis Sententia propter immanitatem *Manaſſis*, quam ſectata fuerat. Infeliciter occiſus eſt, in Expeditione adverſus *Nechaonem* Ægypti Regem inconſulto Deo ſuſcepta, cum ille Judæis bellum non inferret, ſed contra Regem Aſſyriæ aſcenderet, *Charcamas* ad flumen *Euphratis* oppugnaturus. Hieroſolymis cum piis Regibus ſepultum *Joſiam* ingenti luctu Judæi proſecuti ſunt, & publica Lamentatio de illius morte etiam in futurum inſtituta eſt, quaſi cum Joſia tota res Judaica corruiſſet. Annis triginta & uno regnavit *Joſias*, de quo Sacra Hiſtoria 4. Regum 23. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo; & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem Legem Moyſi: Neque poſt eum ſurrexit ſimilis illi.* Et Syrachides Eccleſiaſtici 49. *Memoria Joſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut Muſica in convivio vini. Ipſe eſt directus divinitus in pœnitentiam Gentis, & tulit abominationes impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Præter David, & Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt.* Quæ de *Joſia* diximus, excerpta ſunt ex 4. *Regum* 22. & 23. & 2. *Paralipomenon* 34. & 35. *Joſia* regnante ad Propheticum munus obeundum a Deo vocatus eſt *Jeremias*, anno Regni ejus decimo-tertio. His etiam temporibus claruit *Sophonias*.

ARTICULUS VII.

De Joachazo, Joakimo, Joakino ſeu Jechonia, & Sedecia Regibus Juda.

Joachaz Rex Juda.

I. POſt mortem *Joſiæ* Populus *Joachazum* ejus filium, a paterna pietate degenerem, in ſolium extolit. Breve illi fuit Imperii tempus. *Nechao* ſcilicet Rex Ægypti poſt tres menſes ab Aſſyriaca Expeditione reverſus, Hieroſolyma capta, & tributo centum talentorum argenti, & talenti auri Judææ impoſito, captivum Regem ſecum abduxit in Ægyptum, ubi mortuus eſt. (4. *Reg.* 23. 2. *Paralip.* 36.)

Joakim Rex Juda.

II. Abducto *Joachaz*, fratrem ejus *Eliakim* Regem conſtituit, ejus nomine in *Joachim* commutato. *Jeremias* Dei mandato in domum novi Regis deſcendens, tum ipſum, tum Aulicos, Populumque ad pœnitentiam hortatus eſt, *Sellumi* ſive *Joachazi* in Ægyptum deportati mortem prædicens, necnon ipſius *Joakimi* & *Jechoniæ* Babylonicam Captivitatem. (*Jerem.* 22.) Paulo poſt idem Propheta Deo jubente ſtans in Templi Atrio, Populum ex omnibus Judææ civitatibus in Domum Domini venientem, in Feſto Tabernaculorum, ad pœnitentiam hortatur, perſeverantibus in peccatis Judicium Dei denuncians, terribilibus hiſce verbis conceptum: *Dabo domum iſtam ſicut Silo, & Urbem hanc dabo in maledictionem cunctis Gentibus terræ.* Unde comprehenſus a Sacerdotibus Legis, & Doctoribus, totoque Populo, qui tum in Atrio erat, capitalis criminis accuſatur: Sed publico Principum & Seniorum Populi judicio abſolvitur. *Urias* quoque filius *Semei*, de Cariathiarim, contra Jeroſalem & Terram Juda prophetavit ſecundum verba *Jeremiæ*, quem Rex *Joakim* percuſſit gladio, & cadaver ejus in ſepulcra vulgi ignobilis projecit. (*Jerem.* 26.) *Uriæ* nece nequaquam territus

Jeremias vaticinatur.

Jeremias Excidium Hieroſolymorum a *Nabuchodonoſore*, & Babylonicam Judæorum Captivitatem ſeptuaginta annis duraturam prædixit; deinde ipſum Babyloniorum Regnum excindendum, & Terram Chaldæorum vaſtandam. (*Jerem.* 25.) Unde autem petendum ſit ſeptuaginta illorum annorum initium, in Diſſertationibus ſequentis Ætatis expendemus. Ipſo anno quo hæc vaticinatus eſt *Jeremias*, quarto ſcilicet *Joakimi* ineunte, ſeu tertio completo, *Nabuchodonoſor* Rex Babylonis annum primum Imperii agens Hieroſolymam expugnavit, & *Joakimum* vinctum ca-

te-

tenis Babylonem abducturus erat, ſed pactis conditionibus ſervituris eum domi reliquit; Qui tributum illi ſolvit tribus annis. (4. *Reg.* 24. 2. *Paralipom.* 26.) Tunc *Nabuchodonoſor* partem vaſorum Domus Dei aſportavit in Terram Sennar in Templum Dei ſui, ſcilicet *Beli*: Et *Aſphenez* Eunuchorum ſuorum Præfecto præcepit ut asportaret e filiis Iſraelis, tum ex ſemine Regio, tum ex Proceribus, pueros formæ elegantia & ingenii vi ac perſpicacia præſtantes, omnique ſapientia, & diſciplina inſtitutos, qui Regi in Palatio miniſtrarent, poſtquam literas & linguam Chaldæorum per triennium eſſent edocti. Inter quos præcipui fuerunt *Daniel*, qui Balthaſſar, *Ananias*, qui Sidrach, *Miſael*, qui Miſach, & *Azarias*, qui Abdenago mutato nomine a Præfecto eſt appellatus. (*Daniel.* 2.)

Anno quinto *Joakimi* completo, *Baruch* Jeremiæ Scribe Volumen ſermonum Domini ex illius ore exceptum, cum in carcere detineretur, legit in introitu portæ Domus Domini, audiente omni populo, qui Hieroſolyma ex civitatibus Juda venerat. De quo Principes certiores facti *Baruchum* advocant, legentem audiunt, & metu Regis ut ipſe & *Jeremias* deliteſcant, admonent. *Joakim* Rex audita parte Voluminis, illud ſcapello prius laceratum in ignem projecit. Tum utrumque Prophetam comprehendi juſſit, ſed abſcondit eos Dominus ne a ſatellitibus invenirentur. Juſſit autem Deus *Jeremiæ* ut in novo Volumine ſcriberet ſermones omnes, in priori deſcriptos, quod Rex impius flammis tradiderat, in ipſumque, & ejus Regnum divinam hanc ſententiam denuntiaret: *Tu combuſſiſti Volumen illud dicens: Quare ſcripſiſti in eo annuncians? Feſtinus veniet Rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc, & ceſſare faciet ex illa hominem & jumentum. Propterea hæc dicit Dominus contra Joakim Regem Juda: Non erit ex eo qui ſedeat ſuper ſolium David; & cadaver ejus projicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem. Et viſitabo contra eum, & contra ſemen ejus, & contra ſervos ejus iniquitates ſuas: Et adducam ſuper eos, & ſuper habitatores Jeruſalem, & ſuper viros Juda, omne malum quod locutus ſum ad eos & non audierunt.* Hæc leguntur *Jerem.* 36. *Joakimus* poſtquam triennio in fide quam *Nabuchodonoſori* dederat, permanſiſſet, contra eum rebellavit. Quamobrem *Nabuchodonoſor*, anno ſeptimo Regni ſui, immiſſo in eum Exercitu ex turmis Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum conflato, Judæam vaſtavit, deportatis in captivitatem ter mille & viginti tribus Judæis. Tandem *Joakimus* a Chaldæis captus & interfectus eſt anno undecimo Regni ſui, & aſini ſepultura ſepultus, juxta *Jeremiæ* vaticinium. Ejus utpote cadaver tractum, & extra portas Hieroſolymorum projectum; licet habito reſpectu ad communem naturæ legem, dormiviſſe dicatur cum patribus ſuis. (4. *Reg.* 25. *Jerem.* 22. 18. 19. 26. 30. 32. 28. & 2. *Paralipom.* 36.) In ejus cadavere quædam nefariæ ſuperſtitionis ſigna inventa Sacra Hiſtoria innuit.

Joachimus a Chaldæis captus & interfectus.

Jechonias Rex Juda. Ejus deportatio Babylonem.

III. *Joakimo* ſucceſſit *Joakin* ſive *Jechonias* paternæ impietatis heres, anno octavo, non quidem ætatis, ſi quidem annorum erat octodecim cum regnare cœpiſſet, ut dicitur 4. *Regum* 24. 18. ſed Babylonicæ Captivitatis. (*Paralipomenon* 36. 9.) Octavus enim numerabatur annus a captis anno *Joakimi* quarto Hieroſolymis, quo tempore patri ſucceſſit in Regno *Jechonias*. Hæc duo loca niſi ita concilientur, dicendum erit cum *Cajetano*, *Cano*, & *Mariana*, mendum eſſe 2. *Paralipomenon* 36. 9. & pro *octo*, legendum, *decem & octo*: Puero enim octenni non convenit quod de ipſo dicit Sacer Hiſtoricus, *illum feciſſe malum in conſpectu Domini, ut fecerat pater ipſius*, & uxores habuiſſe, quæ ſimul cum illo ſunt deportatæ. Cum trimeſtri & decem diebus Hieroſolymis regnaſſet, *Nabuchodonoſor* Rex Babylonis Urbem obſidione cinxit, eamque & *Jechoniam* ipſum deditione cepit; Regem itaque, Regis Matrem, & Uxores, Proceres, præcipuum Militiæ ac Reipublicæ robur, virorum octodecim millia, in quibus fuere *Mardochæus* & *Ezechiel*, Babylonem deportavit, tenuioribus tantum, & infimæ ſortis hominibus Hieroſolymis relictis. Omnes etiam theſauros Templi & Regiæ diripuit, & vaſa aurea concidit, quæ *Salomon* Rex ad ornatum Templi & Sacrum Miniſterium obtulerat. Annos triginta ſeptem in carcere Babylonio vinctus manſit *Jechonias*, donec *Evilmerodach* Succeſſor *Nabuchodonoſoris* ipſum e carcere eduxit, & inter Reges clientelares, qui Babylone verſabantur, primum conſtituit, anno tranſmigrationis ejus ſeptimo ſupra trigeſimum. (4. *Reg.* 24. & 25.) Cæterum quamvis filios in captivitate genuerit *Jechonias*, ſcilicet *Aſir*, *Salathiel*, *Melchiram*, *Phadia*, *Sennaſer*, & *Jecemiam*, *Samam*, & *Nadabiam*, (1. Paralipom. 3. 17. 18.). Nemo tandem illorum ipſi in Regnum ſucceſſit, ut Judicium Dei contra hunc a *Jeremia* denunciatum impleretur. Jeremiæ 22. 30. *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: Nec enim erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper Solium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda.*

Sedechias Regum Juda poſtremus.

IV. In *Jechoniæ* locum *Nabuchodonoſor* Regem conſtituit *Matthaniam* ejus Patruum, *Joſiæ* filium, eique nomen impoſuit *Sedekiæ*. Sedekiam alterum *Jechoniæ* fratrem ſuperſtitem non fuiſſe veriſimile eſt, cum inter deportatos a *Nabuchodonoſore* nulla ejus mentio habeatur. Poſt *Jechoniæ* & captivorum reliquorum deportationem *Sedekias* Elaſam & Gamariam Babylonem miſit ad *Nabuchodonoſorem*: Per quos & *Jeremias* Epiſtolam ſcripſit ad Seniores, Sacerdotes, Prophetas, & omnem Populum, quem traduxerat *Nabuchodonoſor* de Jeruſalem in Babylonem. In ea ipſos admonet de officio in captivitate, ut orent pro civitate ad quam tranſmigrarunt, a falſis Prophetis ſibi caveant, promiſſam a Deo poſt annos ſeptuaginta liberationem expectent. Jeremiæ 29. *Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: Quia in pace illius erit pax vobis. Non vos ſeducant Prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtrum, & Divini veſtri.... Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.* Calamitatem *Sedekiæ* Regis, & reliquorum qui in Judæa relicti fuerant, prædicit, ſimulque *Achabi* filii *Coliæ*, & *Sedeciæ* filii *Maaſiæ*, Pſeudoprophetarum funeſtum exitium. (*Ibidem*).

Hananias Pſeudopropheta.

Anno quarto *Sedekiæ* Menſe quinto *Hananias* Pſeudopropheta *Jechoniam* & omnes deportatos poſt biennium e Babylonia reducendos prædixit, & omnia vaſa Domus Domini Hieroſolymam remittenda. Cui opponente ſe *Jeremia*, catenam collo ejus detractam ille fregit, addens ita fracturum eſſe Deum jugum *Nabuchodonoſoris* intra biennium, a collo omnium Gentium. *Jeremias* loco lignearum catenarum Jugum ferreum a Deo impoſitum ini collo cunctarum gentium iſtarum prænuntiat, ut ſerviant Regi Babylonis: & *Hananiæ* Pſeudoprophetæ necem intra annum Dei nomine comminatur. (*Jerem.* 28.).

Sedekiæ ad Regem Babylonis Legatio. Jeremias Babylonis Excidium prædicit.

Eodem anno *Saraias*, *Princeps Prophetiæ* (ut habet Vulgata) ſive *Princeps Munerum*, Ἄρχων δώρων verterunt 70. Interpretes, id eſt, Comes Sacrarum largitionum, Cum *Sedekia* Rege Babylonem perrexit, (ut in Latiana Editione legimus.) Seu a *Sedekia* Rege, ſecundum 70. Verſionem, παρὰ Σεδεκίου, ad Regem ſcilicet Babylonis Legatus miſſus eſt. Unde Chaldæus eodem ſenſu: *In Legatione Sedekiæ*. (Apud *Jerem.* Cap. 51. 59.) *Jeremias* Vaticinia de Excidio Babylonico in Libro deſcripta, Regio tradidit Oratori, Babylone primum legenda, tum in Euphratem projicienda, dicendo: *Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget a facie afflictionis, quam ego adduco ſuper eam, & diſſolvetur.* (Ibidem.) Eodem tempore

Baruch Propheta.

Baruch Propheta Scriba *Jeremiæ* Babylonem profectus, Librum ſuum ſcripſit, legitque coram *Jechonia* filio *Joakim*, Regis Juda *Anno quinto, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jeruſalem, & ſuccenderunt eam igni*. (Cap. 1. Baruch. 2.) Ab initio captivitatis annos ſe numerare indicat Propheta his verbis, Ἐν τῷ καιρῷ id eſt, illa tempeſtate qua Chaldæi ceperunt Jeruſalem, ut nomen καιρὸς non ad punctum temporis, ſed ad totum captivitatis tempus referatur. Eo autem temporis tractu & capta Civitas eſt, & igni ſuccenſa, non quidem ante annum quintum captivitatis, ſed poſt ſexcennium, anno ſcilicet undecimo *Sedekiæ*. Et quidem *Baruchum* ante Urbis vaſtationem & incendium

dium Prophetiam illam ſuam ſcripſiſſe & legiſſe ex eo recte probat *Maldonatus*, quod Templum & Altare adhuc ſtabant, ut dicitur Verſu 10. adhuc erant Sacerdotes in Jeruſalem, ut dicitur Verſu 7. adhuc erant vaſa quæ fecerat *Sedekias*, cum priora a Nabuchodonoſore ablata fuiſſent, ut dicitur Verſu 8. Adde quod ſi poſt Urbis Excidium hoc accidiſſet, non legiſſet *Baruch* Librum ſuum *Jechoniæ*, ſed *Sedechiæ*. Cenſet *Grotius* Prophetam quidem, ſeu (ut ipſe loquitur) hujus Libri Scriptorem, Annum quintum poſt deportatum *Jechoniam* hic intellexiſſe, ſed illud de Hieroſolymorum incendio ab alio aliquo fuiſſe additum, qui exiſtimavit *Baruchum* nunquam iviſſe in Babyloniam ante deportationem quæ *Sedekia* regnante contigit. Verum audaciorem Reſponſionem non probo. Tolerabilior *Junii* conjectura, qui ignem Urbi admotum putat, cum regnante *Jechonia* capta eſt, ſed ſtatim reſtinctum incendium, & Urbem ſervatam, cum ille ſe, Regnumque *Nabuchodonoſori* tradidiſſet.

Excidium Hieroſolymorum a Nabuchodonoſore.

Anno Regni *Sedekiæ* nono, Menſe decimo, decima die menſis, *Nabuchodonoſor* Rex Babylonis & omnis ejus Exercitus Caſtra juxta Hieroſolymam poſuerunt, propugnacula contra eam circumquaque extruentes. *Pharao* copias ex Ægypto in auxilium *Sedekiæ* ſummiſit. Illis occurſuri Chaldæi obſidionem tantiſper intermiſerunt. Tunc *Nabuchodonoſor* ex his qui ante obſidionem ſe dediderant, ſeu quos ille ceperat, octingentos triginta duos Babylonem deportari curavit. (*Jeremiæ* 52. 29.) Anno decimo *Sedekiæ* Hieroſolymitanam obſidionem redintegravit *Nabuchodonoſor*, fugato *Pharaonis* Exercitu, circa decimum quintum diem tertii Menſis, diebus videlicet trecentis nonaginta ante captam Urbem, cujus Excidium, totiuſque Populi tranſmigrationem, & *Jeremias*, propterea vexatus, & pluries in carcerem miſſus, & *Ezechiel*, verbis typiſque prædixerunt. (*Jeremiæ* 27. 28. *Ezechielis* 4. 12. 24.)

Sedekiæ Regis & Populi Babylonica deportatio, & captivitas.

Anno *Sedekiæ* undecimo deſinente, Menſe quarto, nona die Menſis, cum invaluiſſet fames Hieroſolymis, perrupta eſt Civitas, & a Chaldæis occupata. *Sedekias* Rex, & omnes bellatores noctu aufugerunt. Verum Chaldæorum copiæ *Sedekiam* in planitie Jericho aſſecutæ, eum Reblatham ad Regem Babylonis deduxerunt; ubi exprobrata ipſi perfidia, filios ejus coram eo trucidari juſſit, ipſum vero obcæcatum vinctumque Babylonem deportavit, in carcere periturum. (4. *Regum* 25. *Jeremiæ* 52.) Menſe quinto, ſeptima die Menſis, *Nabuzardan* Babylonici Princeps Exercitus a *Nabuchodonoſore* miſſus Hieroſolyma, Templum, Regiam, domos univerſas concremavit, Urbis Mœnia circumquaque diruit, reliquum vulgi quod in Civitate remanſerat, & eos qui ad Regem Babyloniæ transfugerant, una cum omnibus vaſis & inſtrumentis Templi, aureis, argenteis, æneis in Babyloniam tranſtulit. *Sarajas* Sacerdos Primarius, & *Sophonias* Sacerdos ſecundi ordinis, tres Veſtibuli cuſtodes, Primoreſque alii, cum ſexaginta civibus, Reblatam ad *Nabuchodonoſorem* adducti, juſſu illius occiſi ſunt. (4. *Regum* 25. 2. *Paralipomenon* 36. *Jeremiæ* 52.) Templum deſtructum eſt anno *Nabuchodonoſoris* decimo nono, Mundi vero milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, Olympiadis 48. anno primo ineunte, anno poſtquam a *Salomone* condi cœptum eſt quadringenteſimo vigeſimoquinto per tres Menſes & dies octo inchoato. Calculum ampliat *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 10. ſcribens, Incenſum eſſe Templum annis ex quo extructum fuerat elapſis quadringentis ſeptuaginta, menſibus ſex, & diebus decem. Facta eſt generalis illa tranſmigratio ab initio Regni *Davidis* anno quadringenteſimo ſexageſimo octavo, a decem Tribuum diſtractione trecenteſimo octogeſimo octavo, ab Iſraelitici Regni excidio centeſimo trigeſimo quarto. Tenuioris dumtaxat fortunæ homines, colendis agris vineiſque reliquit *Nabuchodonoſor*, quibus præfecit *Godoliam*. Ipſo vero cum pluribus aliis Judæis, Chaldæiſque ab *Iſmaele* Ammonita occiſo, ut narrat *Jeremias* Cap. 41. *Jochanan* & omnes copiarum Præfecti, qui *Nabuchodonoſoris* manus effugerant, & reliquum vulgus, juxta Betheleem conſidentes, Chaldæorum metu de fuga in Ægyptum cogitant. Sed prius *Jeremiam* frequentes adeunt, Dei voluntatem exploraturi. Huic optionem dederat *Nabuzardan* Babylonicæ Militiæ Princeps, in Judæa apud ſuos manendi, aut Babylonem commeandi. (*Jeremiæ* 40.) Poſt decem dies Divinum Reſponſum refert Propheta: Ipſos Dei præſidio tutos fore a Rege Babylonis, ſi in Judæa maneant, ſin vero abeant in Ægyptum, omnes ibi gladio, fame, aut peſte perituros. (*Jeremiæ* 42.) Verum qui ita affecti erant ut Prophetam audirent, ejuſque conſilium ſequerentur, ſi ſecundum ipſorum cupiditatem reſpondiſſet, ejus ſalubribus conſiliis, Deique imperio poſthabitis, profecti ſunt in Ægyptum, *Jeremia* & *Baruch* comitantibus, qui populum, divinæ licet voluntati rebellem, aſſtante Deo ſunt ſecuti ut ipſum ab Ægyptiaca Idololatria ſanctiſſimis adhortationibus cohiberent, vel in eam prolapſum arguerent, divinaque Judicia illi denuntiarent, Regem ſcilicet Babylonis Terram Ægypti vaſtaturum, & Templa Deorum Ægypti incendio deleturum: *Pharaonem Ephree*, (alias *Ophra* ſive *Vaphrem*) Regem Ægypti in manus inimicorum ſuorum tradendum, nec ſortem ejus feliciorem fore ſorte *Sedekiæ*; Judæos denique univerſos in Ægyptum transfugas, & Ægyptiacæ Idololatriæ ſordibus contaminatos, (ad quam mulieres, Lunæ ſub nomine, *Reginæ cœli* placentas & libamina offerentes, viros quoque pertraxerant) gladio & famæ conſumendos. (*Jerem.* 43. 44.) Quinquennio poſt deportationem *Sedekiæ*, anno *Nabuchodonoſoris* vigeſimo tertio, *Nabuzardan* reliquias Judæorum Babylonem deportavit homines ſeptingentos quadragintaquinque. (*Jerem.* 52. 30.)

CAPUT II.

HISTORIA REGUM JUDA.
& Iſrael ut ab Hebræis interpolata.

Error Joſephi.

I. DE Templi ſtructura *Davidem* præcepiſſe, *Salomoni* ſupremis mandatis, referens *Joſephus*, ita ſcribit *Libro* 7. *Antiquitatum*, Cap. 9. *Poſtquam autem abſolutum fuerit Templum, juſſit Arcam in eo reponi, cæteramque ſacram ſupellectilem, cujus receptacula jampridem. Templum debuerunt extrui, niſi Patres mandatum Dei neglexiſſent, qui præceperunt ut quamprimum hoſtilem Terram occupaſſent, Templum illi ædificarent.* Id manifeſte cum Scriptura Sacra pugnat, in qua nullum hujuſmodi præceptum Patribus datum legitur. Nec voluntatis Dei fuit, ut ante tempus *Salomonis* ipſi Templum ædificaretur. Unde dicebat *David* (2. Reg. 7. 5.) *Nunquid tu ædificabis mihi Domum ad habitandum?* Et mox: *Nunquid loquens locutus ſum ad unam de Tribubus Iſrael, cui præcepi, ut paſceret Populum meum Iſrael dicens: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam?* Et 3. Regum 8. 16. *A die qua eduxi Populum meum Iſrael de Ægypto, non elegi Civitatem de univerſis Tribubus Iſrael, ut ædificaretur Domus, & eſſet nomen meum ibi: Sed elegi David ut eſſet ſuper Populum meum Iſrael: Voluitque David pater meus ædificare Domum nomini Dei Iſrael; & ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitaſti in corde tuo ædificare Domum nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans. Veruntamen tu non ædificabis mihi Domum, ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipſe ædificabit Domum nomini meo. Confirmavit Dominus ſermonem ſuum, quem locutus eſt: Stetitque pro David patre meo, & ſedi ſuper Thronum Iſrael ſicut locutus eſt Dominus: & ædificavi Domum nomini Domini Dei Iſrael & conſtitui ibi locum Arcæ.* Hæc autem omnino pugnant cum illis Joſephi: *Præceperunt ut quamprimum hoſtilem Terram occupaſſent, Templum illi ædificarent.*

Chronologia Joſephi Scripturæ Sacræ repugnans.

II. *Joſephus* de Templi fabrica ſcribit Libro 8. Antiquitatum, Cap. 2. *Exorſus eſt Salomon fabricam hanc anno Regni ſui quarto, ſecundo Menſe, quem Macedones Artemiſium vocant, Jar vero Hebræi, annis quingentis nonaginta duobus poſtquam Iſraelitæ Ægypto exceſſerunt.* Idque confirmat Libro 10. Antiquitatum, Cap. 11. *Incenſum eſt autem Templum* (inquit) *annis, ex quo extructum fuerat, elapſis quadringentis ſeptuaginta, Menſibus ſex & diebus decem additis, a natalis a tranſmigratione ex Ægypto mille ſexaginta* duo-

duobus, Menſibus ſex, & diebus decem. Quod ſi ex poſteriori iſto numero ſobtrahas eum quo Templum ſteiiſſe ſcribit *Joſephus*, ſequitur id condi cœptum anno ab egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto quingenteſimo nonageſimo ſecundo. At hæc *Joſephi* Chronologia repugnat Scripturæ Sacræ, Templi fundationem expreſſe conſignanti quadringenteſimo & octogeſimo anno ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto, 3. (Regum 4. 6.) *Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de Terra Ægypti, in anno quarto, Menſe Zio, (Ipſe eſt Menſis ſecundus,) Regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit domus Domino.* Quem numerum uniformiter habent omnes Hebræi Codices, Verſio Septuaginta Interpretum, Chaldaica Paraphraſis, Verſioneſque Syriaca, & Arabica. Quamobrem non ſunt audiendi *Melchior Canus* Lib. 11. *Locorum Theologicorum*, & *Serarius*, viri cæteroquin eruditi, qui *Joſephum* Sacro Textui hoc in loco anteponere non verentur, & Sacros Codices hic in numero annorum vitiatos eſſe abſque ullo fundamento aſſerunt; Nec felicior eſt eorum conjectura quam ſequitur etiam Auctor Nuperus *Antiquitatis temporum Reſtituta*, Cap. 9. qui Hiſtoricum Sacrum ſuo calculo comprehendiſſe tantum annos Principum, prætermiſſis Interregnis, ariolantur. Eoque minus admittenda eſt recentia illius Auctoris Chronologia, quod neque cum Scripturæ, neque cum *Joſephi* calculo conſentiat, ſed utrique repugnat, Templum enim ædificari cœptum aſſerit anno ab Exitu Iſraelitarum ex Ægypto quingenteſimo octogeſimo.

Errores Joſephi circa dimenſiones & vaſa Templi. III. *Joſephus* Libro 8. Antiquitatum, Capite 2. Templi Salomonici menſuram cum Templi *Zorobabelis* menſura ſæpe confundit, *Hujus Ædificii altitudo* (inquit) *fuit cubitorum ſexaginta, & totidem longitudo, latitudo vero viginti.* Id Scripturæ Sacræ repugnat 3. Regum 4. 6. *Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Subdit Joſephus: *Super hoc autem erat aliud Ædificium pari menſura, ita ut tota altitudo Templi centum viginti cubitos conſtaret*, Sacræ Scripturæ exemplis id repugnat, ex quibus conſtat, ſuperioribus ædificii partibus ſive columnis, detrahendum eſſe de altitudine inferiorum. Quod etiam ratio Architecturæ, & exempla ex natura petita confirmant. Altitudinem autem centum viginti cubitorum ſoli Porticui, ſeu Turri, quæ ante frontem Templi extructa erat, Scriptura Sacra tribuit, non toti Templo. (2. Paralipomenon 3. 4.) *Porticum vero ante frontem, qua tendebatur in longum juxta menſuram latitudinis Domus, cubitorum viginti; Porro altitudo centum viginti cubitorum erat; & deauravit eam intrinſecus auro mundiſſimo.* Sacram Templi ſupellectilem *Joſephus* incredibiliter multiplicat. Phialas & pateras aureas vigeſies mille, argentearum quadraginta millia, candelabrorum aureorum decem millia; cantharorum vinariorum octoginta millia; phialarum aurearum rurſus decem millia; argentearum viginti millia; lancium aurearum octoginta millia, duplum vero argentearum; crateram aurearum ad ſimilam oleo ſubigendam, ſexaginta millia, & duplum argentearum, menſurarum aurearum viginti millia, & quadraginta millia argentearum; acerrarum aurearum, quibus odoramenta in Templum inferri ſolebant, viginti millia, & aliorum quibus deferebatur ignis, quinquaginta millia, inſtrumentorum muſicorum ex electro quadringenta millia; tubarum, quales Moyſes præſcripſit, ducenta millia enumerat. *Joſephi* in hujuſmodi numero ſuſpecta fides, cum Scriptura candelabra aurea decem duntaxat, phiales aureas nonniſi centum memoret, cæteraque vaſa, cantharos vinarios, crateras aureas, lances, acerras, &c. ad tot millia multiplicata non fuiſſe ex phialarum numero colligatur. (2. *Paralipomenon*. 4.)

Joſephi & aliorum errores circa Reginam Saba. IV. Reginam Saba, quam *Nicaulen* vocat, Ægypto imperaſſe perperam ſcribit *Joſephus* Libro 8. *Antiquitatum* Cap. 2. & trecentis triginta Regibus, qui poſt *Menem Memphis* conditorem Pharaones dicti ſunt, ſucceſſiſſe tradit. Falſo aſſerit, poſt Salomonis ſocerum neminem Ægyptiorum Regum *Pharaonis* nomine fuiſſe vocatum. Refellitur ex Scriptura Sacra 4. *Regum* 23. 34. 35. *Iſaia* 30. 2. 3. *Jeremia* 43. 9. & 44. 30. *Ezechielis* 30. & 31. Rabinicam officinam olent, quæ de *Salomone* & Regina Saba narrat *Cedrenus* his verbis; *Regina Saba, quæ a Græcis Sibylla dicta fuit, audita ejus fama Hieroſolymam advenit, ut propoſita quæſtione, de ſapientia ejus periculum faceret. Poſtquam coram Salomone eſt quæ voluit locuta, iſque ei omnia ſermone compoſito & elegantiſſima interpretatione diſſolvit, denuo eum ſic tentavit, Formoſos pueros, & formoſas puellas eodem veſtitu & ornatu inſtructos coram eo conſtituit, petiitque ut inter ſexum internoſceret. Rex omnes lavare faciem juſſit, itaque diſcrimen ſexus deprehendit, cum mares fortiter atque valide facies tergerent, famellæ teneriter & timide.* Idem narrat *Michael Glycas* in Annalibus.

Fabula de Regina Saba. Multo magis fabuloſum eſt, quod *Petrus Comeſtor* „ memorat, Reginam Saba reſcripſiſſe *Salomoni*, „ quod ei coram indicare timuit, Se vidiſſe in do„ mo Saltus lignum quoddam, in quo ſuſpendendus e„ rat quidam, pro cujus morte Regnum Judæorum „ periret, & certis indiciis illud Regi indicavit. „ Quod timens Salomon, in profundiſſimis terræ vi„ ſceribus occultavit illud; cujus virtute aqua mo„ ta ſanavit ægrotos, in Probatica ſcilicet Piſcina. „ Idque lignum fuiſſe Crucis Dominicæ creditur (inquit *Comeſtor*) Addit quidem Capit. 81. Hiſtoriæ Evangelicæ, *Hoc non eſſe authenticum*; Sed addendum rurſus erat id commentum eſſe ineptiſſimum.

Ejuſdem furfuris eſt, quod Rerum Æthiopicarum Scriptores aſſerunt, Reginam Saba ex Salomone concepiſſe filium, qui primum *Melich*, ſive *Meilec*, deinde *David* nuncupatus ſit, & Abyſſinorum Imperio initium dederit. Hunc apud ſe in Æthiopia uſque ad vigeſimum ætatis annum educatum, *Nicaulen* Reginam ad *Salomonem* ejus patrem remiſiſſe, ut ab eo ſcientiam & ſapientiam diſceret, quem per literas obſecravit, ut eum coram Arca fœderis Regem Æthiopiæ conſecraret. *Salomonem* hunc in Lege, aliiſque diſciplinis abunde edoctum, & Regia unctione delibutum, ad Matrem remiſiſſe cum *Azaria* Principe Sacerdotum, filio *Sadoc*, qui Tabulas Legis in Æthiopiam ſecum abſtulit, cum ſimiles alias in earum locum ſubſtituiſſet. Quæ etſi referant & approbent *Franciſcus Alvares* in Hiſtoria Æthiopica, Cap. 36. *Damianus a Goes* Libro *De Fide & Moribus Æthiopum*, ex Relatione *Zagazabo* Imperatoris Æthiopum Legati, *Joannes Barrius* Decade 3. Lib. 4. Cap. 2. *Genebrardus* Lib. 2. Chronographiæ P. 121. & *Malvenda* Libro 6. *De Antichriſto* Cap. 18. nihilominus fabuloſa ſunt. Ex priſcis Scriptoribus, qui de *Salomone* & Regina Saba tam multa tradiderunt, ne unus quidem eſt, qui hac de re verbum fecerit, non Scriptores Sacri, non Rabbini, non *Joſephus* Judaicarum rerum avidiſſimus amplificator, non denique ullus alius, cui fides adhiberi poſſit a viris cordatis. Nullatenus etiam veriſimile eſt, Heroinam, cujus ſummum pietatis & ſapientiæ ſtudium prædicatur, & quam Chriſtus in Judicio ſurrecturam; contra Judæos aſſerit ſe *Salomoni* proſtituiſſe, & *Salomonem* ipſum tum adhuc Deo hominibuſque probatiſſimum tantæ Hoſpitæ pudicitiam tentaſſe ac violaſſe. Multo minus veriſimile eſt, Æthiopes Regem ſpurium, & in externa gente quæſitum ſuſcepiſſe, toleraſſe, præſertim cum jus creandi Reges penes Sacerdotes eſſet. Denique quod de furto tabularum Legis ab Azaria, earumque in Æthiopiam tranſlatione commenti ſunt, fabula eſt riſu potius quam ſeria refutatione digna. De genere tamen Salomonis ſe propagatos, Æthiopum Abyſſinorum Imperatores gloriantur, antiquæ fabulæ blanda vanitate decepti. In publicis enim Edictis & Epiſtolis nemo illorum eſt qui ambitioſos illos titulos non inſcribat: *David columna fidei, ortus ex ſtirpe Juda, filius David, filius Salomonis.*

Fabula de pœnitentia Salomonis. V. De *Salomonis* pœnitentia multa fabulantur Hebræi; Eum nempe quinquies per plateas Jeruſalem pœnitentiæ cauſa trahi voluiſſe, & cum quinque virgis ſeu virgarum manipulis veniſſe in Templum, ibique a Legis Peritis poſtulaſſe ut verberaretur; ſed illis renuentibus manum mittere in Chriſtum Domini; a ſeipſo acriter flagellatum fuiſſe, Regnoque

ſe

ſe abdicaſſe. Id legitur apud *Bedam* in fine Tomi 7. in fragmento quodam, cui titulus eſt, *De Salomone Judicium*, quod Venerabilis Patris nomini ſuppoſitum, & in ejus Opera intruſum crediderim. Addunt Rabbini, *Salomonem* ſcipione nixum, oſtiatim mendicaſſe, & in circulis & compitis Hieroſolymorum clamaſſe: *Ego Salomon fui olim Rex ſuper Iſrael*.

Joſephus Scriptura Sacra contrarius circa tempus Regni Salomonis.

VI. *Joſephus* Libro 8. *Antiquitatum* Cap. 3. ſcribit: *Salomon autem jam admodum ſenex moritur, cum regnaſſet annis octoginta, vixiſſetque nonaginta quatuor.* Id diſerte repugnat Scripturæ Sacræ, quæ annis dumtaxat quadraginta *Salomonem* regnaſſe aſſerit 3. Regum 11. 42. *Dies autem, quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt.* Quod repetitur 2. *Paralipomenon* 31. 38. Joſephum nihilominus conciliare cum Scriptura Sacra conatus nuperus Auctor *Antiquitatis Temporum Reſtitutæ*, Petrum Comeſtorem ſecutus, ait nempe Scripturam eos tantum annos numeraſſe, quibus *Salomon* pie vixit, *Joſephum* autem omnes. *Theodoretum* laudat hujus conciliationis Auctorem, ſed falſo. Utramque enim Chronologiam, Scripturæ Sacræ & *Joſephi* commemorat quidem *Theodoretus Quæſtione* 38. *in* 3. *Regum*, ſed nec *Joſephi* calculos ſequitur, nec ejus cum Textu Sacro conciliationem tentat. *Regnavit autem* (inquit) *juxta Scripturam quidem annos quadraginta; Juxta Joſephum autem, octoginta. Deceſſit autem, ut ille ait, annorum quatuor & nonaginta.* Quam vero ab illa *Joſephi* Chronologia fuerit alienus *Theodoretus*, conſtat ex ejuſdem *Quæſtione* 21. *in* 2. *Regum*, ubi hæc habet: *Salomon autem neque eam vitæ habuit longitudinem, quam alii homines: Neque pervenit ad ſenectutem patris.* Cum ergo David ſeptuagenarius obierit, *Salomonem* nonaginta, & quatuor annos vixiſſe non ſenſit *Theodoretus*, ſed infra ſeptuageſimum annum obiiſſe.

Libri incantationum Salomoni a Joſepho falſo tributi.

VII. *Joſephus* Libro 8. *Antiquitatum Judaic.* Cap. 2. de Libris *Salomonis* ſic loquitur: *Incantationes compoſuit, quibus morbi pelluntur: Et Conjurationum modos ſcriptos reliquit, quibus cedentes Dæmones ita fugantur, ut in poſterum nunquam reverti audeant: Atque hoc ſanationis genus nunc uſque plurimum apud noſtrates pollet. Vidi enim ex Popularibus meis quemdam Eleazarum, in præſentia Veſpaſiani & filiorum, & Tribunorum, reliquorumque Militum, multos arreptitios perourantem. Modus vero curationis erat hic. Admoto naribus Dæmoniaci annulo, ſub cujus ſigillo incluſa erat radicis ſpecies a Salomoni indicata, ad ejus olfactum per naſum extrahebatur Dæmonium: & collapſo mox homine, adjurabat id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein Eleazarus his qui aderant oſtendere ſuæ artis efficaciam, non longe inde ponebat poculum aut pelubrum aqua plenum: Imperabatque Dæmonio ex homine exeunti, ut hic ſubverſis, ſignum daret ſpectantibus, quod reliquiſſet hominem. Quo facto nemini dubium erat, quanta fuiſſet Salomonis ſcientia & ſapientia.* Hæc ſuperſtitionem & magiam olere nemo non ſentit, qui aliquid ſapit. An incantationes hujuſmodi *Salomonis* fuerint, ab eoque jam Idolorum cultu depravato adinventæ; an ejus nomine a perditis hominibus ſuppoſitæ, incertum. Poſterius illud veriſimilius eſt. Probabile tamen exiſtimant nonnulli, *Salomonem* Exorciſmos ſcripſiſſe, quibus Dæmonia in nomine Domini Dei Iſrael ejicerentur, eoſque in uſu fuiſſe apud Hebræos uſque ad mortem Chriſti; eoque verba illa Salvatoris noſtri referunt: *Si ego in Belſebud ejicio Dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt?*

Multiplex error Joſephi notatus in Hiſtoria Prophetæ; qui a leone in via occiſus eſt.

VIII. De Propheta Seniore, qui Prophetam Judæum ab execratione Bethelici Altaris, & *Jeroboami* revertentem in Urbem reduxit & hoſpitio ac prandio excepit, ita ſcribit *Joſephus* Lib. 8. *Antiquitatum*, Cap. 3. *Erat in ea Urbe ſenex quidam Pſeudopropheta, quem Jeroboamus in honore habebat, ſeductus ab illo ſemper ad gratiam loquente. Hic tum decumbebat, quod eſſet ſenio languidus, cumque audiiſſet a filiis de adventu Prophetæ a Hieroſolymis, & prodigiis per eum patratis, & quod Jeroboamus emortuam dextram ad illius preces ſanam recepiſſet; veritus ne Rex de hoſpite melius quam de ſe opinaretur, mandavit filiis ut extemplo aſinum ſtratum ad iter ſibi expedirent. Quibus imperata juſſu exſecutis, conſcenſo jumento, per veſtigia Prophetæ properabat. Quem aſſecutus interquieſcentem ſub quercu patula & umbroſa, primo ſalutavit: Deinde expoſtulavit cum eo, quod non ad ſe diverteſſet, hoſpitalitate fruiturus. Quo referente, vetitum ſe a Deo, ne apud quemquam in ea Urbe cibum ſumeret: Certe apud me* (inquit) *licuit ſumere. Nam ego quoque Propheta ſum, ejuſdem cujus tu, cultor Numinis: Et nunc ipſius juſſu venio, te ad nos adducturus, & prandio hoſpitali excepturus. Tum Vates mentienti credens reverſus. Adhuc autem illis prandentibus, & familiari ſermone ſe oblectantibus, Deus apparuit Jadoni, pœnam inobedientiæ, pœnæque modum denuntians. Fore enim ut in itinere a leone diſcerpatur, nec in paternum monumentum inferatur. Hæc autem Deo volente contigiſſe opinor, quo minus apud Jeroboamum Jadonis verba fidem invenirent, de mendacio ſuſpecti. Nam redeunti Hieroſolymam leo factus obvium detractum de jumento necavit, nihil læſo aſino, imo & illum & Prophetæ cadaver ſervabat accubans, donec viatores quidam cum viſum Pſeudoprophetæ renuntiaverunt. Tum ille filiis in hoc miſſis, corpus ejus in Urbem reportavit, ibique magnifice ſepelivit, monitis filiis ut ſe quoque poſt mortem in idem monumentum inferrent. Vera enim eſſe quæcumque ille prædixiſſet de Urbe illa, & Altari, & Sacerdotibus, ac Pſeudoprophetis: Ad ſe autem nullam poſt mortem injuriam perventuram, propter communem cum illo ſepulturam confuſo oſſium diſcrimine. Poſt juſta funebria Prophetæ reddita, & injuncta filiis Mandata, cum eſſet vir malus & impius, Jeroboamum adiit: Et quid ita* (inquit) *iſtius fatui turbatus es ſermonibus? Illo vero de Altari, & ſua ipſius manu referente, ac vere Hominem Dei Vatemque optimum vocitante, cœpit hanc ejus opinionem malitioſe labefactare, & probabilibus rationibus rei veritatem offuſcare. Ajebat enim præ laſſitudine manum ejus obtorpuiſſe, dum Altari inferret victimas, ac deinde poſt quietem priſtinum vigorem recepiſſe. Altare quoque recentis etiam tum ſtructuræ, quod tot ac tantarum victimarum molem non ferret, diſruptum concidiſſe. Poſtremo Vatis mortem indicans a leone eſſe necatum: Adeo nihil divinum nec in vita, nec in morte ejus fuiſſe. His dictis, Regi perſuaſit, & mentem ejus a Deo & juſtis ac piis operibus in totum averſam in extremam impietatem præcipitavit.*

Multi ſunt in hac *Joſephi* narratione errores. Primus eſt, quod Senem illum, qui Judæum Prophetam hoſpitio excepit, *Pſeudoprophetam* vocet, quem Scriptura ſimpliciter *Prophetam* appellat. (3. *Regum* 13. 11. 20. 26. 29.) Eodem ipſum nomine cohoneſtat *S. Auguſtinus* Libro *De Cura pro Mortuis gerenda*, Cap. 7. quamvis eum mentiendo & fallendo Judæum Prophetam graviter peccaſſe fateatur. *Pſeudoprophetam* quidem dicit *S. Hieronymus* in Cap. 3. *Sophoniæ*, ſed *Joſephi* verbis utitur, re eo in loco indiſcuſſa. Addit ſiquidem per Parentheſim (*Sic enim locum iſtum exponens Joſephus interpretatus eſt.*) Verum Dei Iſrael Prophetam fuiſſe in hoc ſolum falſum, quod alterum feſellerit, divinum oraculum ementitus, cenſet *Theodoretus* Quæſtione 43. in 3. Regum: *Quidam autem alius Propheta*, inquit, *quem quidam exiſtimant Pſeudoprophetam, blandis & fallacibus verbis eis perſuaſit ut cibum ſumeret. Ego autem exiſtimo, alium quoque fuiſſe Dei Prophetam. Falſis autem verbis uſum eſſe apud hominem Dei, non ut eum læderet, ſed ut benedictionem ab eo acciperet. Hoc enim docet Hi*-
„ *ſtoria. Non enim dixit abſolute*, quod Propheta & ſe-
„ nex habitabat in Bethel, *ſed quod* alius Prophe-
„ ta ſenex habitabat in Bethel. *Oſtendit autem eum fuiſſe Prophetam, & non Pſeudoprophetam, quod & Deus per ipſum prædixerit Homini Dei id quod erat eventurum, & quod præterea crediderit ea quæ prædicta fuerunt de Joſia, & quod filiis ſuis mandaverit, ut cum deceſſiſſet, ſe cum ejus corpore ſepelirent .....* *Deinde ſubjunxit Hiſtoriographus:* Et mentitus eſt ei. *In his equidem hoc peccaſſe dico Senem Prophetam, & in hoc tantum eſſe Pſeudoprophetam, ut qui divinas voces finxerit. Non tamen exiſtimo hominem uſum eſſe aliqua malitia: Sed potius propter deſiderium benedictionis, mendacio illiviſſe ſermonem.* Se-

Digitized by Google

Secundus error *Joſephi* eſt, quod Prophetam illum adulatorem facit, & omnia *Jeroboamo* ad gratiam loquentem. Ambitioſum inſuper & invidum, ut qui vereretur ne Rex de hoſpite melius quam de ſe ſentiret. Quæ cum nullum habeant in Scriptura fundamentum, ut propria figmenta *Joſephi* merito reiiciuntur. In his tamen figmentis adornandis *Joſephi* prudentiam merito quis deſideret. Quid enim huic vel invidiæ vel ambitioni ſerviebat, quod Hominem Dei in Urbem ad ſumendum cibum revocabat? Num propterea ejus apud Regem exiſtimationem minuebat? Num propterea cum *Jeroboamo* inviſum reddebat, quod ejus hoſpitio uti noluiſſet, in iſtius autem domum cibi cauſa diverſiſſet, cum in novum Oraculum propoſiti ſui mutationem poſſet refundere?

Tertius error *Joſephi* eſt, quod *Jeroboamum* a Vate illo Bethelico ſeductum dicat, cum ex Scriptura Sacra manifeſtum ſit impium idololatriæ conſilium ab ipſomet *Jeroboamo* fuiſſe excogitatum, cum diu deliberaſſet qua ratione poſſet firmare ſibi Regnum, & impedire ne Populus ad *Roboamum* Regem rediret 3. Regnum 12. *Dixitque Jeroboam in corde ſuo: Nunc revertetur Regnum ad Domum David, ſi aſcenderit Populus iſte ut faciat ſacrificia in Domo Domini in Jeruſalem: Et convertetur cor Populi hujus ad Dominum ſuum Roboam Regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. Excogitato conſilio fecit duos Vitulos aureos, & dixit eis. Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan.*

Quartus error *Joſephi* eſt, quod dicat, illis prandentibus Deum apparuiſſe *Jaddoni*, eique inobedientiæ ſuæ pœnam denunciaſſe: Cum Scriptura per Bethelicum Prophetam id ipſi denunciatum teſtetur 3. Regum 13. *Cumque ſederent ad menſam*, inquit, *factus eſt ſermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum. Et exclamavit ad Virum Dei, qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reverſus es & comedisti panem, & bibiſti aquam, in loco quo præcepi tibi ne comederes panem, nec biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in ſepulcrum patrum tuorum.* Ex quo Scripturæ Sacræ loco recte colligit *Theodoretus*, Bethelicum illum Vatem temere Pſeudoprophetam appellari. *Cum igitur Prophetam illum appellat Divina Scriptura, doceatque Deum per illum adverſum alterum Prophetam ſententiam tuliſſe, temerarium arbitror Pſeudoprophetam illum vocare. Quam enim ob cauſam, ut alterum non punivit Deus ſi utique Pſeudoprophetam ſciebat illum eſſe, atque adverſus Prophetam malitia uſum eſſe. Fortaſſe enim & ejus ſcopum intuens Deus, veniam dedit mendacio.*

Quintus error *Joſephi* eſt, quod Judæo Prophetæ denuntiatum dicat, fore ut in itinere a leone diſcerperetur, cum denuntiatio pœnæ in Scriptura expreſſa leonis non meminerit, ſed ſolum habeat: *Non inferetur cadaver tuum in ſepulcrum patrum tuorum.*

Sextus error *Joſephi* eſt, quod hæc contigiſſe ſcribat Deo volente, ne *Jadonis* verba apud *Jeroboamum* fidem invenirent, de mendacio ſuſpecti. Quaſi Deus miracula fecerit, ut gravius peccaret, & in peccatis obfirmaretur *Jeroboamus*. Longe melius Theodoretus loco ſupra laudato: *Ego autem arbitror ad confirmandum factam de Altari prædictionem accidiſſe hoc ſupplicium. Neque enim fieri poterat ut tanti viri lateret narratio, quæ ſufficiebat ad incutiendum terrorem audientibus. Si enim cibus ſumptus præter Dei mandatum, idque non voluptate, ſed fraude Viro Juſto tantum intulit ſupplicium: Quales luent pœnas, qui Deum quidem reliquerunt, qui ipſos fecit, adorant autem ſimulacra rationis expertium animalium? Deus autem eum honoravit etiam poſt deceſſum. Nam occiſorem ei induxit cuſtodem, hac quidem ratione honorans ut Prophetam, illa vero puniens tanquam tranſgreſſorem, & eos qui tunc erant, & qui nunc ſunt, deterrens, ut ne parva quidem Dei Mandata deſpiciant.*

Septimus error *Joſephi* eſt, quod Vatem illum, poſt juſta funebria Judæo Prophetæ reddita, *Jeroboamum* adiiſſe ſcribat, eique dixiſſe; *Et quid ita iſtius fatui turbatus es ſermonibus?* Et Miraculorum ad ejus Prophetiam confirmandam, & *Jeroboami* impietatem execrandam atque puniendam patratorum fidem elevaſſe, & aſſeruiſſe nihil divinum in ejus vita vel morte apparuiſſe. Hæc autem eſſe falſiſſima, non ſolum Scripturæ Sacræ ſilentium, ſed & ipſa demonſtrat Hiſtoria. Quomodo enim Miraculorum fidem elevaſſet: quorum teſtis oculatus fuerat cum omnibus Aulæ ſuæ Proceribus, ac toto Populo Jeroboamus? Quomodo fatuum vocaſſet Prophetam, quem poſt mortem *Virum Dei* vocat, quem ut *fratrem* plangit, quocum in eodem ſepulcro corpus ſuum condi pietatis affectu poſtular, cujus denique Oracula olim implenda certiſſime aſſerit ac prædicat? Quomodo nihil divinum in ejus vita vel in morte viſum eſſe dixiſſet, qui Miracula in civitate vulgata noverat. 3. Regum 13. *Et ecce viri tranſeuntes viderunt cadaver projectum in via, & leonem ſtantem juxta cadaver. Et venerunt, & divulgaverunt in civitate, in qua Propheta ille ſenex habitabat. Quod cum audiſſet Propheta ille qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit juxta verbum Domini quod locutus eſt ei. Dixitque ad filios ſuos: Sternite mihi aſinum. Qui cum ſtraviſſent, & ille abiiſſet, invenit cadaver ejus projectum in via, & aſinum, & leonem ſtantes juxta cadaver: Non comedit leo de cadavere, nec læſit aſinum. Tulit ergo Propheta cadaver viri Dei, & poſuit illud ſuper aſinum, & reverſus intulit in Civitatem Prophetæ ſenis ut plangeret eum. Et poſuit cadaver ejus in ſepulcro ſuo, & planxerunt eum: Heu, heu, mi frater. Cumque planxiſſent eum, dixit ad filios ſuos: Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulcro, in quo Vir Dei ſepultus eſt: juxta oſſa ejus ponite oſſa mea. Profecto enim veniet ſermo, quem prædixit in ſermone Domini contra Altare quod eſt in Bethel, & contra omnia fana Excelſorum, quæ ſunt in Urbibus Samariæ.*

IX. *Eliam* Sacerdotem fuiſſe, ipſumque *Phinees* filium *Eleazari* filii *Aaron*, Hebræi fabulantur. Sacerdotem nullibi vocat Scriptura, nec ex Levitica Tribu ortum innuit. Inter *Phineem* & *Azariam*, qui temporibus *Eliæ* Pontifex erat, Pontificatum geſſerunt *Abiſue*, *Bocent*, & *Ozi*, ipſius *Phinees* poſteri, *Heli* ex familia Ithamaria, *Achitob*, *Abimelech*, *Abiathar*, *Sadoc*, & *Achimaas*, ut conſtat ex Scriptura Sacra, & *Joſepho*. Nec ratio temporum patitur ut *Phinees* Achabi tempore vixerit. Denique *Phinees* & *Eliam* diſtinctos homines fuiſſe, hunc Prophetam, illum Sacerdotem, ex Scriptura conſtat, (*Numerorum* 25. 7. 1.) *Paralipomenon* 6. 3. *Regum* 17. *Eccleſiaſtici* 45. & 48. Hebræorum aliorumque fabula de Elia.

X. Hebræorum pariter aut ſimilium fabulatorum ingenium ſapiunt, quæ a *Pſeudo-Dorotheo*, *Pſeudo-Epiphanio*, & *Simeone Metaphraſte* de *Elia* referuntur in ejus Vita: *Cum naſciturus eſſet Elias pater ejus Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus ſalutari, & igne tamquam faſciis involvi, & flamma ignis veluti cibo ali: Et Hieroſolymam profectus, rem iſtam indicavit, dictumque illi eſt ex Oraculo, ne timeret: fore enim ut puer naſciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam ſententiam haberent, judicaretque Iſraelem in gladio & igne.*

XI. Rabbini de certamine *Eliæ* cum Sacerdotibus *Baal* differentes, ubi Scriptura de illis ait: *Qui cum tuliſſent bovem, quem dederat eis, fecerunt; & invocabant nomen Baal de mane uſque ad meridiem:* Fabulantur bovem hunc fugiſſe a Baalitis ad *Eliam*, quaſi qui dedignaretur immolari *Baal*, velletque ab *Elia* immolari Deo vero: Ut hoc prodigio adverteret Populus, *Baal* non eſſe Deum, & ad Deum verum, quem colebat *Elias*, rediret. Commentum iſtud Textus ſacer explodit, cum bovem illum a Baalitis mactatum teſtatur: *Dixit ergo Elias Prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, facite primi, quia vos plures eſtis; & invocate nomina Deorum veſtrorum, ignemque non ſupponatis. Qui cum tuliſſent bovem, quem dederat eis, fecerunt:* Id eſt, illum immolarunt. 3. Regum 18. 26.

XII. Quæ de *Elia* Monachatu, & *Carmelitis* in Veteri Teſtamento ab *Elia* inſtitutis, ſub *Joannis*

Hieroſolymitani nomine circumferuntur, nullam apud Eruditos fidem obtinent. Id tamen non prohibet quin *Eliam* & *Eliſaum* velut parentes ſuos & Patronos pie colant Fratres Carmelitæ; ſiquidem cœlibatu, paupertate, & auſteritate vitæ ſpecimen quoddam ac typum vitæ Monaſticæ poſt Chriſtum inſtituendæ exhibuerunt & expreſſerunt. Quo ſenſu *S. Hieronymus* Epiſtola 13. ſcribit: *Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes, Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios, & ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noſter Princeps Elias, noſter Eliſaus, noſtri Duces Filii Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Jordanis.* Et Epiſtola 4. *Filii Prophetarum, quos Monachos in Veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Jordanis, & turbis Urbium derelictis, polenta, & herbis agreſtibus victitabant.*

Fabula Hebræorum de Jona Propheta.

XIII. Hebræi, teſte *S. Hieronymo*, Præfatione in *Jonam*, tradunt *Jonam* Prophetam eſſe filium Viduæ Sareptanæ, quem *Elias* mortuum ſuſcitavit, Matre poſtea dicente ad eum: *Nunc cognovi quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo eſt veritas:* & ob hanc cauſam etiam ipſum puerum ſic vocatum. *Amathi* enim in noſtra lingua *Veritatem* ſonat; & ex eo quod verum *Elias* locutus eſt, ille qui ſuſcitatus eſt, *Filius* eſſe dicitur *veritatis*. Hæc fabula nihil inſulſius, *Jonas* enim Gethæus fuit, non Sareptanus; Hebræus, non Sidonius, ut conſtat ex 4. *Regum* 14. 25. & *Jona* 1. 9. & *Amathi*, cujus filius dicitur, proprium viri nomen eſt, non commune.

Hebræorum fabulæ de Elia & Eliſæo.

XIV. Zonam pelliceam *Eliæ*, de qua 4. *Reg.* 1. 8. fuiſſe ex pelle illius arietis, quem pro *Iſaac* immolavit *Abraham*, *R. Eliezer* Cap. 31. fabulatur.

XV. Ex Rabbinorum officinis prodiit fabula, quam *Pſeudo-Epiphanius* de *Eliſæo* narrat: Eo die quo natus eſt *Eliſæus*, Vitulum aureum a *Jerobeamo* conflatum vocem edidiſſe tam ſonoram, ut audiretur Hieroſolymis, qua ſignificabatur illo die natum eſſe infantem, qui Vitulos aureos cæteraque Idola everteret.

Joſephi errores in Nabothi Hiſtoria.

XVI. *Nabothi* Hiſtoriam 3. *Regum* Capite 21. ſcriptam interpolavit *Joſephus* Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 7. *Nabothum* Urbis *Azari* civem facit, qui Urbis *Jezrahel* civis erat, Vineam in agrum & rus commutat. Tres falſos teſtes contra *Nabothum* ſubornatos ait; Scriptura duos tantum. *Nabothi* cadaver a canibus abſumptum ſcribit: Scriptura ſolum ait canes illius ſanguinem linxiſſe. Scribit *Joſephus*, Quod *Achabus*, ubi ad ſe venientem *Eliam* vidit, turpi ratus objurgari, prius faſſus erratum, ad ſatisfaciendum ipſius arbitratu ſe obtulit. *Tum Vates prædixit, eo loco ubi Nabothi cadaver a canibus abſumptum eſt, fundendum & Regis & Reginæ ſanguinem:* Contra vero Scriptura docet *Achabum* nonniſi poſt objurgationem *Eliæ*, quam verbis blandioribus molire conatus eſt, dicendo, *Num inveniſti me inimicum tibi?* & poſt divinæ ſententiæ in ipſum, & totam ejus domum denuntiationem, ad pœnitentiam ſe compoſuiſſe. Quod vero ad ſatisfaciendum pro arbitrio Prophetæ ſe obtulerit, Scriptura ne leviter quidem innuit. 3. Reg. 21. 27. *itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos*, (nempe objurgationem & Vaticinium Eliæ) *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.*

Errores Joſephi in Hiſtoria Syriacæ expeditionis Joſaphat & Achabi.

XVII. *Joſephus* de Syriaca Expeditione *Joſaphati* & *Achabi* ſcribens Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 10. cum Scriptura Sacra 3. *Regum* Cap. 22. non convenit, *Michæam* de illius Expeditionis exitu prius interrogatum fuiſſe ab *Achabo* ſcribit, quam Pſeudoprophetas ſuos interrogaſſet, jamque in carcerem miſſum, quod malum eventum prædiceret. Scriptura Sacra nonniſi poſt triſte Vaticinium in carcerem miſſum teſtatur, V. 26. 27. Scribit ibidem *Joſephus* de *Sedecia* uno ex Pſeudoprophetis: *Sedecias quidam unus ex Pſeudoprophetis in medium progreditur, negans curandum quid Michæas garriat. Nihil enim veri eum prædicere, argumento eſſe prædictionem Eliæ, qui ſibi doctio melius quam iſte futura cerneret. Illum enim prædixiſſe, apud Jezrahelem in Nabothi ſuburbano lambendum a canibus Regis ſanguinem, quemadmodum lambiſſent cruorem Nabothi opera ipſius lapidati a Populo. Perſpicuum igitur eſſe iſtum mentiri qui longe præſtantiori Propheta non vereatur contrarium dicere, quod periturus ſit Rex ab hinc die tertio; Sed mox fore evidentius etiam quam verax ſit, aut afflatus divino Spiritu, Percuſſus (inquit) a me in faciem, arefaciat mihi dextram, ſicut Jadon fecit Jeroboamo, cum comprehendi eum Prophetam juſſiſſet, Puto enim te audiviſſe quod hoc ita factum ſit, & cum dicto inflixit ei alapam. Cumque nihil ei mali propter hoc accideret, ſecurus jam Achabus non amplius dubitavit copias contra Syrum ducere, Vincebat enim fati vis.* Hæc ex ſuo ingenio *Joſephus*, Non ita vero Scriptura, quæ hæc tantum habet: *Acceſſit autem Sedecias filius Chanaana, & percuſſit Michæam in maxillam, & dixit: Mene ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi? Et ait Michæas: Viſurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abſcondaris. Et ait Rex Iſrael: Tollite Michæam, & maneat apud Amon Principem civitatis, & apud Joas filium Amelec, & dicite eis: Hæc dicit Rex: Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, donec revertar in pace. Dixitque Michæas: Si reverſus fueris in pace, non eſt locutus in me Dominus.* Joſephus ait, Deum ſignificaſſe *Michææ*, ſolum *Achabum* in prælio caſurum, additque Syros a mane uſque ad veſperam pugnantes, vincenteſque, neminem præter ipſum occidiſſe. Id vero ſilente Scriptura, incredibile eſſe nemo non videt. *Rex quidem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens, Non pugnabitis contra minorem & majorem quempiam, niſi contra Regem Iſrael ſolum.* (3. Regum 22. 31.) Sed ex his verbis colligi non poteſt, eam fuiſſe Regis Syriæ mentem ut cædem Iſraelitarum prohiberet: Neque enim ad Regem ſine aliquorum propugnantium cæde perveniri poterat; Sed omnia voluit ad illum unum aut capiendum, aut interficiendum referri. Denique *Joſephus* ait, Regium currum *Achabi* cruore fœdatum *in fonte Jezrahel* lotum fuiſſe, ubi canes ejus ſanguinem linxerunt, Scriptura vero id factum narrat *in piſcina Samariæ*, quæ juxta Samariam Urbem erat, in Tribu Ephraim; fons autem Jezrahel in Tribu Iſſachar. Mitto quod Militem, qui *Achabum* caſu interfecit, & ex *Adadi* famulis eſſe, & *Amanum* vocari, *Joſephus* divinavit.

Hiſtoria Sacra de aquis Jericho ab Eliſæo ſanatis interpolata.

XVIII. Sacram Hiſtoriam de aquis Jerichuntinis ab *Eliſæo* ſanatis ſcriptam 4. *Regum* 2. Joſephus interpolavit Libro 5. *De Bello Judaico*, Cap. 4. *Ad ipſam vero Jericho*, inquit, *largiſſimus fons eſt, rigandiſque arvis uberrimus. Hunc fontem aliquando ferunt non ſolum terræ atque lignorum fructus, ſed etiam feminarum partum obtundere ſolitum, cunctaque pariter morbo ac peſte corrumpere. Poſtea vero manſueviſſe, contraque ſaluberrimum ac feraciſſimum eſſe factum ab Eliſæo Propheta, qui Eliæ notus fuerat, atque ſucceſſerat. Receptus enim hoſpitio ab Jerichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipſos & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus eſt: Progreſſuſque ad fontem, lagenam fictilem ſale plenam in profluentem aquam miſit, Juxta deinde ad Cœlum dextram tendens, fontique immergens blanda libamina, ipſum quidem precabatur ut fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret; Deum vero ut fœcundioribus auras flumina temperaret, orabat; tamque ubertatem fructuum, quam ſucceſſionem prolis daret indigenis, nec eos gignendorum filiorum aqua deficeret, quoad juſti manerent. Ad hæc præter ex diſciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutavit; & qui antea cauſa erat his orbitatis ac famis, idem victus ac fœcunditatis auctor eſt effectus.* Terræ ſterilitatem Scriptura commemorat; ſterilitatem feminarum de ſuo addit *Joſephus*, imo & peſtilentiam, *Eliſæum* precatum eſſe fontem, & manibus multa circa illum ex diſciplina operatum mentitur, ut ſe Romanorum, aliorumque Ethnicorum auribus accommodet. Longe aliter Scriptura: *Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliſæum: Ecce habitatio civitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis: Sed aquæ peſſimæ ſunt, & Terra ſterilis. At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis* 4. Reg. 2.

mors

mors; neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc, juxta verbum Eliſei, quod locutus eſt.

Error Joſephi circa Viduam, cujus oleum multiplicavit Eliſæus.

XIX. Viduam paupercula, in cujus gratiam oleum multiplicavit *Eliſæus*, quo ipſa debita ſolveret, 4. *Regum* 4. *Joſephus* Libro 9. Antiquitatum, Cap. 2. uxorem fuiſſe *Obdiæ* ſive *Abdiæ*, qui *Achabi* Diſpenſator fuerat, aſſerit. Hunc ſcilicet *Jezabele* in Prophetas ſæviente; centum ex eorum numero ſervaſſe; quos ut alere clam poſſet, multum æris alieni contraxerat: Illo vero defuncto, creditores & ipſam, & filios, in ſervitutem rapere voluiſſe. Iſtud Hebræorum figmentum eſt. Mulierem illam fuiſſe *de Uxoribus Prophetarum*, docet Scriptura (4. *Regum* 4. 1.) At *Abdias* ille domus Achabi Præpoſitus, Propheta non fuit, ſed Prophetarum amicus & patronus. Præterea veriſimile non eſt, *Abdiam* virum potentem & divitem, intima Regis gratia & familiaritate ornatum, ingens æs alienum contraxiſſe, & uxorem ac filios in extrema paupertate reliquiſſe, ob tenuem alimoniam panis & aquæ centum Prophetis ſubminiſtratam. (3. *Regum* 18. 13.) *Joſephus* ait, durum creditorem matrem & filios in ſervitutem rapere voluiſſe. Scriptura vero duos tantum filios tollere ad ſerviendum ſibi, non mancipiorum more, ſed mercenariorum: *Et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi.*

Hebræorum fabula de ſeptenni fame quam prædixit Eliſæus.

XX. De ſeptenni fame, quæ juxta *Eliſæi* Vaticinium 4. *Regum* 8. 1. in Terra Iſrael graſſata eſt, fabulantur R. *David Kimchi*, Iſraelitas anno primo comediſſe fructus, quos habebant in domibus ſuis collectos ex annis præcedentibus: Anno ſecundo fructus ſuperioris anni: Anno tertio animalia munda, & Lege permiſſa: Anno quarto immunda, equos, aſinos, camelos, &c. Anno quinto reptilia: Anno ſexto filios ſuos & filias: Anno ſeptimo carnes brachiorum ſuorum. Quod ab *Iſaia* prædictum volunt, Cap. 9. 20. *Unuſquiſque carnem brachii ſui vorabit*: Cum tamen multo poſt famem illam tempore vaticinatus fuerit *Iſaias*, aliuſque ſit illorum verborum ſenſus. Figmenta illa Hebraica prolixe refellit *Toſtatus Quæſtion.* 8. *in Cap.* 8. *Libri quarti Regum*. Famem illam ſeptem annorum eandem eſſe aſſerit R. *Salomon* cum illa quam *Joel* Propheta prænunciavit his verbis Cap. 1. Verſ. 4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* Verum id falſum eſſe probatur, primo quia *Joel* Propheta poſt *Eliſæum* floruit. Hic enim tempore *Joſaphat* Regis Juda & *Joram* filii ejus, & alterius *Joram* filii *Achab* Regis Iſrael: Ille vero temporibus *Oziæ*, *Joatham*, *Achaz* & *Ezechiæ* Regum Juda, & *Jeroboam filii Joas* Regis Iſrael: ſub quibus & *Oſee*, poſt quem apud Hebræos ponitur, prophetavit, ut obſervat *S. Hieronymus* Epiſtola 122. quæ eſt Præfatio in *Joelem*, & Commentario in Cap. 1. *Joelis*. Secundo, fames a *Joele* prænunciata duas tantum Tribus afflixit, ſcilicet *Judam* & *Benjamin*. Unde Propheta Cap. 1. 9. *Periit Sacrificium & libatio de domo Domini, luxerunt Sacerdotes Miniſtri Domini. Depopulata eſt regio, luxit humus: Quoniam devaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit oleum.* Et Cap. 2. 5. *Canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium .... Inter veſtibulum & Altare, plorabunt Sacerdotes Miniſtri Domini, &c.* Quæ ad Regnum *Juda*, non ad Regnum Iſrael, in quo non erat Templum Domini, pertinere manifeſtum eſt. Idque confirmat *S. Hieronymus* Epiſtola mox laudata ſcribens: *In hoc Propheta omne quod dicitur, ad Tribum Juda & ad Jeruſalem pertinere credendum eſt, & nullam omnino Iſraelis, id eſt, decem Tribuum fieri mentionem.* At fames, quam Sunamitidi prænunciavit *Eliſæus* in Iſraelis Regno præcipue graſſata eſt; extra cujus fines ut peregrinaretur, auctor ipſi fuit Propheta, 4. Regum 8. 1. *Eliſæus autem locutus eſt ad Mulierem, cujus vivere fecerat filium dicens; Surge, & vade tu, & domus tua, & peregrinare ubicumque repereris: Vocavit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis. Quæ ſurrexit, & fecit juxta verbum Hominis Dei, & vadens cum domo ſua peregrinata eſt in Terra Philiſtiim diebus multis.*

XXI. Totam *Naamani* Principis Militiæ Regis Syriæ Hiſtoriam 4. *Regum* Cap. 5. deſcriptam, ſilentio *Joſephus* involvit.

Joſephi ſilentium de Hiſtoria Naamani.

Joſephi, & Hebræorum aliorum errores circa mortuum contactu corporis Eliſæi ſuſcitatum.

XXII. De mortuo contactu corporis *Eliſæi* defuncti ſuſcitatu ſcribit hunc in modum *Joſephus* Libro 9. Cap. 9. *Contigit autem aliquando ut latrones occiſi a ſe viatoris cadaver in monumentum ejus abderent, quod mox revixit a contactu Prophetæ corporis.* At latrones & homicidas fuiſſe viros illos, qui cadaver in Prophetæ ſepulcrum projecerunt, Scriptura non ait, ſed latronum metu, mortuum, cui juſta ſolvebant, in obvium Eliſæi ſepulcrum projeciſſe. (4. Regum 13. 21.) *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcro Eliſæi. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Virum illum ſtatim poſt reſurrectionem ſuam mortuum concidiſſe falſo tradunt Hebræi: Subita enim illa mors Miraculi fidem elevaſſet. Cum itaque Deus ſuo conſilio repugnare non poſſit, veriſimile non eſt quod a Mortuis redivivo ſtatim eripuerit vitam Miraculo reſtitutam.

Errores Joſephi in Hiſtoria Amaſiæ Regis & Joas Iſrael.

XXIII. De *Amaſia* Rege Juda ſcribit *Joſephus Libro* 9. *Antiquit.* Cap. 10. *Decreverat contra Amalecitarum, & Idumæorum, atque Gabilitarum Gentes Exercitum ducere, cum interveniens Propheta dimittere Iſraelitas conſuluit.* Scriptura vero Sacra celebrem illam *Amaſiæ* Expeditionem contra ſolos Idumæos ſuſceptam teſtatur. (2. *Paralipom.* 25. 11. 14. 19.)

XXIV. *Joaſum* Regem Iſrael, cum *Amaſiam* cepit, & Hieroſolymam victor ingreſſus eſt, muros Urbis ad trecentorum cubitorum ſpatium diruiſſe ſcribit, curruque triumphali per id interſtitium invectum. (Libro 9. *Antiquitatum*, Cap. 10.) Scriptura Sacra, ſive Textum Hebraicum, ſive Verſiones omnes conſulamus, Mœnia ad quadringentos cubitos a *Joaſo* diruta teſtatur. 4. Regum 14. 13. *Amaſiam vero Regem Juda .... cepit Joas Rex Iſrael in Bethſames, & adduxit eum in Jeruſalem: Et interrupit Murum Jeruſalem, a porta Ephraim uſque ad portam anguli, quadringentis cubitis.*

Hebræorum fabula.

XXV. De Expeditione *Amaſiæ* Regis Juda contra Idumæos, in qua Judæi decem millia hoſtium e rupe quadam in præceps egerunt, ita fabulantur Hebræi apud S. Hieronymum: *Cum præcipitarentur illa decem millia, illa Idola quæ ſecum habebant, reſponſum dederunt, ideo illos interfectos, quia in cultu eorum negligentes fuiſſent. Videns ergo Amaſias Idola reſponſa dare, & a ruina eripi, hoc errore deceptus adoravit ea.* Id plane improbabile, nulloque teſtimonio fultum. Idola a ruina non ſunt erepta, ſed ea cum præda abſtulit *Amaſias*, quæ occaſio illi fuit idololatriæ. Præterea, Deum permiſiſſe ut Idola Idumæorum reſponſa tunc ederent, nemo ſibi facile perſuadebit, qui noverit Deum ſtatim per Prophetam increpuiſſe *Amaſiam*, quod cultum exhibuiſſet Diis impotentibus & infirmis, qui Populum ſuum ab excidio liberare non potuerant. 2. Paralipomenon 25. 14. 15. 16. *Amaſias vero poſt cædem Idumæorum, & allatos Deos filiorum Seir, ſtatuit illos in Deos ſibi, & adorabat eos, & illis adolebat incenſum. Quamobrem iratus Dominus contra Amaſiam, miſit ad illum Prophetam qui diceret ei: Cur adoraſti Deos qui non liberaverunt Populum ſuum de manu tua? Cumque hæc ille loqueretur, reſpondit ei: Num conſiliarius Regis es? Quieſce, ne interficiam te. Diſcedenſque Propheta: Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia feciſti hoc malum, & inſuper non acquieviſti conſilio meo.*

Fabula de Ozia Rege Juda.

XXVI. Rabbinorum venenum ſapit, quod *S. Joannes Chryſoſtomus* Homilia 5. in Caput 6. *Iſaiæ*, & *Procopius* in eundem locum ajunt, *Oziam* Regem, quamquam Legis præcepto extra caſtra leproſus pelli jubebatur, Hieroſolyma tamen ſecedere recuſantem; totam Urbem præſentia ſua pollutam impuramque reddidiſſe. Propterea tacuiſſe Dominum Prophetas ſuos alloqui minime dignatum, ſed eorum doctrina indignos arbitratum, qui eamdem cum homine impuro Civitatem incolerent. Id ex Scriptura Sacra facile refellitur, quæ *Oziam* lepra correptum Sacerdotibus ipſum expellentibus e Templo ſponte paruiſſe, & in domo ſeparata ad mortem uſque manſiſſe, teſtatur, utique extra Urbem, ut Chaldæus Paraphraſtes, & *Joſephus* explicant: Filiumque *Jonatham*

Joſephus Lib. 9. Cap. 11.

mum ejus nomine Rempublicam adminiſtraſſe. (2. Paralipom. 26. 21.) *Sed & ipſe perterritus, acceleravit egredi, eo quod ſenſiſſet illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leproſus uſque ad diem mortis ſuæ, & habitavit in domo ſeparata, ſive in domo libera, ſeorſum.* (ut dicitur 4. Reg. 15. 5.) *plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joathan filius ejus rexit Domum Regis, & judicabat Populum Terræ.*

XXVII. Lepræ, qua percuſſus eſt Ozias, alia prodigia *Joſephus* addit, de quibus altum eſt in Scriptura Sacra ſilentium. *Et Ecce tibi* (inquit) *terra vehementer concutitur, ſciſſoque ſuperne Templo, radius Solis os Regis improbum ferit, quod e veſtigio lepra contactum eſt. Acceſſit huic & aliud prodigium, quod eodem terræ motu ante Urbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium Montis ad Occidentem vergentis revulſum, per quatuor ſtadia volutum, objectu demum Orientalis Montis conſtitit, obſtructa via publica, & oppreſſis ruina hortis Regiis.* Terræ motum *Amos* regnante contigiſſe, conſtat ex *Amos* Cap. 1. 1. ſed quo tempore præciſe contigerit, ex nullo Scripturæ Sacræ loco certe colligi poteſt. Quod ad illud tempus ſit referendus, quo lepra percuſſus eſt Rex *Ozias*, non ſolum incertum eſt, ſed falſum videtur. Contigit enim vivente adhuc & regnante *Jeroboamo* filio *Joas* Regis Iſrael. At mortuus erat *Jeroboam* filius *Joas*, biennio antequam *Joathan* naſceretur. Nam Jeroboam anno vigeſimo-ſexto *Oziæ* mortuus eſt; *Joathan* autem ejuſdem anno vigeſimo-octavo natus; Cum ergo *Joathan* gerendæ Reipublicæ capax eſſet, quo tempore lepra percuſſus eſt *Ozias*, terræ motus ad id temporis referendus minime videtur. Statim ortam lepram in fronte *Oziæ* coram Sacerdotibus, in domo Domini, ad Altare thymiamatis ſcriptura teſtatur, (2. *Paralipom.* 26. 20.) Radium Solis os Regis ferientem *Joſephus* excogitavit. Dimidium Montis eo motu revulſum, per quatuor ſtadia volutum, eaque ruina Regios hortos obrutos fuiſſe, unus *Joſephus* aſſerit. Quod *Zacharias* Propheta longe poſtea prædixit, & quod vel a Machabæorum tempora, vel ad tempus Excidii Hieroſolymitani, vel ad ultimum Chriſti Judicis adventum, Sacri referunt Interpretes, & figurato ſenſu explicant, *Joſephus* transtulit ad terræ motum, qui *Oziæ* regnante contigit, quia apud *Zachariam* ſit mentio illius terræ motus, & pavor fugaque hominum ſimilis futura prænuntiatur pavori & fugæ Judæorum *Oziæ* regnante, cum terra motu ſtupendo & terribili concuſſa eſt. Zachariæ 14. 4. 5. *Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper Montem Olivarum, qui eſt contra Jeruſalem ad Orientem: & ſcindetur Mons Olivarum ex media parte ſui ad Orientem, & ad Occidentem prærupto grandi valde; & ſeparabitur medium Montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem. Et fugietis ad vallem Montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium uſque ad proximum: & fugietis, ſicut fugiſtis a facie terræ motus in diebus Oziæ Regis Juda: & veniet Dominus Deus meus, omneſque Sancti ejus cum eo.*

Error Joſephi in Hiſtoria Achaz Regis Juda. XXVIII. *Joſephus* de *Achazo* Rege Juda ſcribit Libro 9. Cap. 12. Ipſum Aras Hieroſolymis erexiſſe, & in eis Idolis ſacrificaſſe, *quibus etiam proprium filium holocauſtoma obtulit ritu Cananæorum.* At Scriptura non dicit *Achazum* filios ſuos mactaſſe, & combuſſiſſe, ſed tantum conſecraſſe idolis, & per ignem tranſtuliſſe ac luſtraſſe. (4. Regum 16. 3.) *Inſuper & filium ſuum conſecravit, transferens per ignem ſecundum Idola Gentium*, (Et 2. Paralipom. 28. 3.) *Et luſtravit filios ſuos in igne, juxta ritum Gentium.* Quod ita explicat *Theodoretus* Interrogatione 47. in Librum 4. Regum: *Joſephus quidem dicit, Ipſum unum ex filiis ſuis obtuliſſe holocauſtum Baali, Ego autem exiſtimo id quod dicitur, tacite ſignificare genus erroris, quod ad nos uſque pervenit. Vidi enim in aliquibus Civitatibus ſemel in anno accendi rogos in plateis, & trans eos ſaltare aliquos, non ſolum pueros, ſed etiam viros: Infantes autem per flammam ferri a matribus. Videbatur autem illud quadam eſſe expiatio & purgatio. Exiſtimo autem hoc quoque fuiſſe Achaz peccatum.*

Hebræorum fabula de Sennacherib, & Exercitus illius excidio. XXIX. Hebræi de centum octoginta-quinque millibus Aſſyriorum in Caſtris *Sennacherib* ab Angelo cæſis fabulantur, eorum corpora ab Angelo in cineres redacta, ne aerem fœtore corrumperent, armis ac veſtibus illæſis, ut Judæi ſpolia colligerent, idque prænuntiatum volunt ab *Iſaia*, Cap. 10. 16. *Propter hoc mittet dominator Dominus Exercituum in pinguibus ejus tenuitatem: & ſubtus gloriam ejus ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis*, Quæ verba *S. Hieronymus* in Commentario explicans, hanc Hebræorum fabulam commemorat. *Quia iſta feciſti*, inquit, *& locutus es quæ ſupra narrata, propterea mittet Dominus Angelum ſuum, & una nocte centum octoginta-quinque millia de tuo morientur exercitu, ita ut potentiſſimi quique, quos pingues appellat, redigantur in tenuitatem: Et, ſicut Hebræi tradunt, illæſis veſtibus, Aſſyriorum corpora occulta crementur ardore.* Verum Aſſyriorum corpora igne conſumpta, & in cineres redacta non fuiſſe, colligitur ex 4. Regum 19. 35. 36. *Factum eſt igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, Cumque diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora Mortuorum, & recedens abiit.* De nece *Sennacherib* ſic iidem Hebræi apud S. Hieronymum: *Cum in Templo Dei ſui quæreretur depreſſum, cur ſe non audiviſſet, qui etiam filios ſuos Hadramelech & Sarazar ipſi obtuliſſet, & hoc ille tatum diceret; illi hoc audientes poſt tot clades, ruinas, & ignominias, timentes ab eo interfici, interfecerunt eum.* Nihil hujuſmodi in Scriptura Sacra, ut apud *Joſephum* legitur.

Hebræorum fabula de Ezechia Rege Juda. XXX. *Ezechiam* Babyloniorum Legatis Tabulas Legis, quæ in Sancto Sanctorum ſervabantur, etiam oſtendiſſe, *R. Solomon* aſſerit, referente *Nicolao De Lyra*; Quod veriſimile non eſt, cum in Sancta Sanctorum aditus nedum Regi non pateret, imo nec Sacerdotibus, ſed ſoli Pontifici ſemel in anno, in feſto Expiationis. *S. Hieronymus* ex Hebræorum ſententia ſcribit, *Ezechiam* non ſolum theſauros ſuos, atque Palatii, ſed & Templi, Babyloniis oſtendiſſe. Verum probabile non videtur quod Rex imprimis Religioſus Templum violaverit, Ethnicis in illud introductis contra præceptum Legis. Id certe *Iſaias* Propheta non tuliſſet, Regemque tanti piaculi reum acerbe reprehendiſſet, ut conjicere quiſque poteſt ex *Jeremiæ* Lamentationum 1. 10. ſimile malum lugente; *Manum ſuam*, inquit, *miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus: Quia vidit Gentes ingreſſas Sanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam*, Sane *Ezechiam* Babyloniis oſtendiſſe quicquid in domo ſua, in theſauris, & in poteſtate ſua erat, Scriptura Sacra teſtatur; Templum, & ſacrum theſaurum illis oſtenſum non ait. Neque enim illa in Regis erant poteſtate, (4. Regum 20. 13.) *Lætatus eſt autem in adventu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum, & omnia quæ habere poterat in theſauris ſuis. Non fuit quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua. Venit autem Iſaias Propheta ad Regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri iſti? Aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. At ille reſpondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque ſunt in domo mea, viderunt: Nihil eſt quod non monſtraverim eis in theſauris meis.* Quæ cum *Iſaia* 39. 2. 3. 4. conferenda.

XXXI. Sanctum Regem *Ezechiam* perperam accuſant Hebræi, quod denuntiata ipſi ab *Iſaia* Propheta poſterorum calamitate, dixerit: *Bonus ſermo Domini, quem locutus es, ſit pax & veritas in diebus meis*, (4. Regum 20. 19.) Ipſum (inquam) accuſant, quod *Moyſen* non ſit imitatus Deum orando ut parceret Populo, aut eum deleret de Libro vitæ; ſed pro ſe oraverit, Populi calamitatem parum curans. Id autem diſplicuiſſe Domino, ideoque Prophetam ad Populum converſum, ipſum conſolari dicendo: *Conſolamini, conſolamini Populo meus dicit Deus veſter*, Ita refert S. *Hieronymus* in Caput 39. *Iſaiæ*. Verum *Ezechiam* Scriptura Sacra ab Hebræorum calumniis vindicat 2. *Paralipom.* 32. 26. dicens: *Humiliatuſque eſt poſtea eo quod exaltatum fuiſſet cor ejus, tam ipſe, quam habitatores Jeruſalem: & idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ.* Eumdem vindicat *Joſephus* Libro 10. Cap. 3. Ezechias (in-

(inquit) contriſtatus hac prædictione, ſe quidem malle Gentem ſuam in tam calamitatem non incidere; ſed quando viſum ſit Deo, precari ut ipſe ſaltem poſſit in pace, quod reliquum eſt vitæ, exigere. Vindicat denique S. Ambroſius Libro 1. c. De Jacob & Vita Beata, Cap. 7. Denique, inquit, Juſtus dixit: Bonum verbum quod locutus eſt Dominus. Et dixit; Fiat pax & fides in diebus meis. Non utique juſtus iſte Ezechias in filios deflexiſſe ærumnam Captivitatis gratulabatur: Sed voluntati Domini obviare non poterat; & ideo mandata ejus æquanimiter ſuſcipiebat ut ſervulus. Accedit illud, quod æſtimare poterat poſſe & in Captivitate meritum eminere virtutis.

4. Reg. 20. 19.

XXXII. Ex Hebræorum lacunis proculdubio hauſtum eſt, quod Auctor Operis imperfecti in Matthæum olim ſub S. Chryſoſtomi nomine editi Homilia 1. refert. Cum, inquit, ægrotaſſet Ezechias in tempore quodam, & veniſſet ad eum Iſaias Propheta viſitandum, vocavit Ezechias filium ſuum Manaſſen, & cœpit ei mandare quod debeat Deum timere, quomodo regere Regnum, & alia multa. Et dixit ad eum Iſaias: Vere quia non deſcendunt verba tua in cor ejus, ſed & me ipſum oportet per manum ejus interfici. Quod audiens Ezechias volebat filium ſuum interficere, dicens: Quia melius eſt me ſine filio mori, quam talem filium relinquere, qui & Deum exaſperet, & Sanctos ejus perſequatur. Tenuit autem eum vix Iſaias Propheta dicens: Irritum faciat Deus conſilium tuum hoc, videns Ezechiæ Religionem, quia plus amabat Deum quam filium ſuum.

Manaſſis Regis Hiſtoria ab Hebræis interpolata. XXXIII. De Manaſſis Regis Captivitate & liberatione hæc leguntur 2. Paralipom. 33. Igitur Manaſſes ſeduxit Judam, & habitatores Jeruſalem, ut facerent malum ſuper omnes gentes, quas ſubverterat Dominus a facie filiorum Iſrael. Locutuſque eſt Dominus ad eum, & ad Populum illius, & attendere noluerunt. Idcirco ſuperinduxit eis Principes Exercitus Regis Aſſyriorum: Ceperuntque Manaſſen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem, qui poſtquam coangustatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum: Et egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſque eſt eum, & obſecravit intente; & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in Regnum ſuum, & cognovit Manaſſes quod Dominus ipſe eſſet Deus. Hanc hiſtoriam inani putidaque fabula interpolarunt Hebræi, quæ refertur in Libro Traditionum Hebraicarum in Paralipomena apud S. Hieronymum his verbis: Dum in Babylonem ductus fuiſſet Manaſſes, & in vaſe æneo perforato miſſus, admota igni, invocabit omnia nomina Idolorum, quæ colebat; & cum non fuiſſet ab eis exauditus, neque liberatus, recordatum fuiſſe quod a patre crebro audierat: „Cum invocaveris me in tribulatione, &

Deuterom. 4. „converſus fueris, exaudiam te, ut in Deuteronomio ſcribitur: Exauditum eſſe a Domino, & liberatum & reductum in Regnum ſuum, & in medium Habacuk reductum, ſicut ille deductus fuerat in Babylonem. Ex eadem officina videntur prodiiſſe quæ apud Auctorem Operis Imperfecti in Matthæum leguntur Homilia 2. Cum multa, inquit, geſſiſſet impie hic Manaſſes, adduxit ſuper eum Deus Principes virtutis Regis Aſſur, & comprehenderunt Manaſſen in vinculis, & ligaverunt eum in compedibus, & perduxerunt eum in Babylonem, & erat ligatus & catenatus in domo carceris, & dabatur ei panis hordeaceus ad menſuram, modicus, & aqua cum aceto modica ad menſuram, ut viveret tantum, & erat conſtrictus in doloribus valde. Et idem cum vehementer affligeretur, quæſivit faciem Domini Dei ſui, & oravit Deum qui omnibus adſtat, & exaudivit Dominus vocem ejus & miſertus eſt ei. Et facta eſt circa eum flamma ignis, & liquefacta ſunt omnia vincula ejus. Liberavitque Dominus Manaſſen ex omni tribulatione ejus, & reverſus eſt in Jeruſalem, in Regnum ſuum . . . . . Oratio Manaſſis. Apocrypha, meritoque ex Canone Librorum ſacrorum expuncta.

Errores Joſephi in Joſiæ Regis Hiſtoria. XXXIV. Joſiæ geſta percenſens Joſephus Libro 10. Antiquitatum Cap. 5. ſcribit, Ipſum conſtituiſſe certos Magiſtratus, & morum Cenſores, qui privata quoque negotia ſic diſponerent, ut in omnibus non minorem juſtitiæ quam vitæ ipſius rationem haberent. Id Scriptura Sacra non tradit nec 4. Regum 22. 23. nec 2. Paralipomenon 34. 35. ubi Joſiæ Regis geſta fuſe perſequitur, Cenſorum Inſtitutionem Romanorum æmulatione in Rempublicam Hebræorum tranſtulit Joſephus, ingenio ſuo nimium indulgens. Ejuſdem Regis mortem commemorans Joſephus Cap. 6. ſcribit: Joſias autem verbis Ægyptii nihil movebatur, ſed perſeverabat in ea ſententia, ut per ſuam Ditionem volenti ducere, tranſitum permegaret, fato opinor ad hanc arrogantiam urgentem hominem, ut occaſionem adverſus eum inveniret. Dum enim aciem inſtruens curru ab uno cornu ad alterum vehitur, Ægyptius quidam ſagitta illi bellandi ſtudium exemit. Saucius enim & cruciatum non ferens, juſſo Exercitu deflectere, Hieroſolyma revertitur, ubi ex eo vulnere eſt mortuus. Hæc in narratione multipliciter peccat Joſephus: Primo, quod Sanctum Regem, tot præconiis in Scriptura ornatum, arrogantiæ inſimulet; Secundo, quod fatum inducat quo homines ad pernicioſa & infauſta conſilia ineluctabili quadam neceſſitate pertrahuntur: Tertio, quod Hieroſolymis mortuum ſcribat Joſiam, quem in Mageddo loco pugnæ mortuum Scriptura teſtatur 4. Regum 23. 29. 30. In diebus ejus aſcendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Aſſyriorum, ad flumen Euphratem; & abiit Joſias Rex in occurſum ejus; & occiſus eſt in Mageddo, cum vidiſſet eum. Et portaverunt eum ſervi ſui mortuum de Mageddo; & pertulerunt eum Jeruſalem, & ſepelierunt eum in ſepulcro ſuo.

Error Joſephi in Hiſtoria Jechoniæ. XXXV. Joſephus de Joakim ſeu Jechonia loquens Libro 10. Antiquitatum, Capit. 9. perperam ipſum Joakimum vocat. Sed turpius aberrat, cum illum natura bonum & juſtum fuiſſe ſcribit, de quo Scriptura 4. Regum 24. 9. ait: Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus. De quo Dominus Jeremiæ 22. 24. 28. Vivo ego dicit Dominus: Quia ſi fuerit Jechonias filius Joachim Regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum . . . Numquid vas fictile atque contritum vir iſte Jechonias? Numquid vas abſque omni voluptate?

Error Joſephi in Chronologia Regum Judæ. XXXVI. Joſephus enarrata Zedekiæ clade & Hieroſolymorum excidio Cap. 11. ejuſdem Libri ſubdit: Atque hic fuit Davidici generis Regum exitus, qui unus & viginti regnaverunt deinceps, idque temporis ſpatium quingentos & quindecim annos continet, & menſes inſuper ſex cum diebus decem annumeratis viginti annis primi Regis Sauli, qui fuit Tribus alterius. Duo & viginti Reges in Davidis Solio regnarunt. Prætermiſit Joſephus Athaliam, qui prætermitti non debet, ut conſtet annorum numerus, quibus ſuper Solium Davidis regnatum eſt. Sed nec hac quidem ratione conſtat Joſephi calculus, comprehenſis & Saulis annis qui ex alia Tribu fuit, ut ex ſequenti ſchemate patet.

1. Saul regnavit 20. annis. . . . (Ex Joſepho.)
2. David annis 40. . . . . (III. Regum II. 11. & I. Paralipomenon XXXIX. 27.)
3. Salomon annis 40. (III. Regum XI. 42. & II. Paralipomenon IX. 30.)
4. Roboam annis 17. (III. Regum XIV. 21. & II. Paralipomenon XII. 13.)
5. Abias annis 3. (III. Regum XV. 2. & II. Paralipomenon XIII. 2.)
6. Aſa annis 41. (III. Regum XV. 10. & II. Paralipomenon XVI. 41.)
7. Joſaphat annis 25. (III. Regum XXII. 42. & II. Paralipomenon XX. 31.)
8. Joram annis 8. (IV. Regum VIII. 17. & II. Paralipomenon XXI. 5.)
9. Ochozias anno 1. (IV. Regum VIII. 26. & II. Paralipomenon XXII. 2.)
10. Athalia annis 6. (IV. Regum XI. 3. II. Paralipomenon XXII. 12.)
11. Joas annis 40. (IV. Regum XII. 1. & II. Paralipomenon XXIV. 1.)
12. Amaſias annis 29. (IV. Regum XIV. 2. II. Paralipomenon XXV. 1.)
13. Ozias annis 52. (IV. Regum XV. 2. & II. Paralipomenon XXVI. 3.)
14. Joatham annis 16. (IV. Regum XV. 33. II. Paralipomenon XXVII. 1.)
15. Achaz annis 16. (IV. Regum XVI. 2. II. Paralipomenon XXVIII. 1.)

16.

26. *Ezechias* annis 29. (IV. *Regum* XVIII. 2. II. *Paralipomenon* XXIX. 1.)

27. *Manaſſes* annis 55. (IV. *Regum* XXI. 1. & II. *Paralipomenon* XXXIII. 1.)

28. *Amon annis* 2. (IV. *Regum* XXI. 19. & II. *Paralipomenon* XXXIII. 21.)

29. *Joſias* annis 31. (IV. *Regum* XXII. 1. & II. *Paralipomenon* XXXIV. 1.)

20. *Joahaz* menſibus 3. (IV. *Regum* XXIII. 31. II. *Paralipomenon* XXXVI. 2.)

21. *Joakim* annis 11. (IV. *Regum* XXIII. 36. II. *Paralipomenon* XXXVI. 5.)

22. *Joakin* ſive *Jechonias* menſibus 3. ac diebus 10. (IV. *Regum* XXIV. 8. II. *Paralipomenon* XXXVI. 9.)

23. *Sedekias* annis 11. (IV. *Regum* XXIV. 18. & II. *Paralipomenon* XXXVI. 11.)

Reſultat ſumma annorum 404. menſium 6. dierum cum *Joſephus* quingentos & quindecim annos numeret.

CAPUT III.

DE HISTORIA REGUM JUDA & Iſrael ut ab Ethnicis Scriptoribus interpolata vel confirmata.

Davidis & Salomonis Hiſtoria ab Eupolemo partim confirmata, partim interpolata.

1. EUpolemus, quem *Joſephus Libro* 1. *Contra Apionem* inter eos Gentium Scriptores numerat, qui de rebus Judaicis non multum a veritate aberrarunt: Quibus, inquit, venia danda eſt quod Codices Hebraicos non eſſent aſſecuti, in ſuo quoddam *De Elia Prophetia* Opere ab *Euſebio* laudato Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 40. ſcripſit: *Davidem, poſtquam annos quadraginta regnaſſet, Imperium Salomoni filio annos duodecim nato, coram Helia Sacerdotum Principe, ac Tribubus duodecim, cum auro, argento, ære, lapidibus, lignisque omnibus expreſſinis ac cedrinis tradidiſſe. Salomonem vero, cum defuncto Patre Regnum capeſſiſſet, ad Vaphren Ægypti Regem eam, quæ ſequitur, Epiſtolam ſcripſiſſe.*

SALOMON REX VAPHRÆ Ægypti Regi Amico Paterno, ſalutem.

Epiſtola ſuppoſita.

Noveris me Summi Numinis beneficio Regnum a Davide Patre accepiſſe, a quo Templum Deo cœli terrarumque Molitori ædificare juſſus fuerim, ſimulque abs te per Literas petere, uti ad me ex Regni tui hominibus fabriſque mittas, qui ſuam mihi operam navent, donec, uti par eſt, cuncta prout juſſus ego ſum, accurate perfecero.

Sequitur *Vaphris* Reſponſum.

VAPHRES REX SALOMONI Regi Magno ſalutem.

Literas tuas ſimul atque perlegi, cum ingentem animo cepi lætitiam, tum geniulem cum univerſo Exercitu populoque meo diem egi, quod a Viro optimo, tantoque Numini probatiſſimo Regnum acceperis. Quod autem a nobis homines fabroſque poſtulas, eorum octoginta millia ad te miſi, quorum etiam natale tibi ſolum indicare juvat. Ex Sebrithide Præfectura, decem millia; ex Mendeſia & Sebennitide viginti millia; ex Buſiritide, Leontopolitide, & Bathribitide circiter triginta millia numerantur. Supereſt ut iis quæcumque opus fuerint abunde ſuppeditari cures, partim ne quid inter eos turbarum excitetur, partim ut ædificatione perfecta ſalvi ad ſuos incolumeſque revertantur.

Sequitur Cap. 33. *Salomonis* Epiſtola ad *Suronem* (*Hiromum* intellige) Regem Tyri.

SALOMON REX SURONI Tyri, Sidonis, ac Phœniciæ Regi, Amico paterno ſalutem.

Noveris me Summi Numinis beneficio Regnum a Davide Patre accepiſſe, a quo Templum Deo cœli terrarumque Molitori ædificare juſſus fuerim, ſimulque abs te per Literas petere, uti ad me ex Regni tui hominibus fabriſque mittas, qui ſuam nobis operam navent, donec divinum illud opus, prout juſſus ego ſum, accurate perfecero. Cæterum in Galilæam, Samariam, Moabitidem, Ammanitidem, & Galaditidem ſcripſi, uti ex Regionibus illis quæcumque opus fuerint, iis affatim ſuppetant; nempe in ſingulos menſes cororum tritici decem millia, qui ſinguli artabas ſex continent; itemque cororum vini decem millia, qui ſinguli metra decem efficiunt, oleum autem ac cætera ex Judæa, boſtias vero quarum ipſi carnibus veſcuntur, ex Arabia ſuppeditari juſſi.

Sequitur Cap. 34. *Suronis* Reſponſum.

SURON SALOMONI REGI MAGNO ſalutem.

Benedictus Deus Terræ ac Cœli Conditor, qui Virum optimum ac Parentis optimi filium elegerit. Literas tuas ſimul atque perlegi, ſummam animo voluptatem cepi, Deoque gratias egi, quod Regnum capeſſiſſes. Quod autem a nobis homines operaſque poſcis, Tyriorum ac Phœnicum octoginta millia ad te miſi, atque inter cæteros, Architectum patria quidem Tyrium, ſed Matre Judæa, eademque ex Davidis Tribu natum: Qui tibi, quæcumque ex eo quæſieris quæ cœli hujus ambitu continentur, ſi modo ad Architecturam pertinebunt, ea cum ſcienter ediſſeret omnia, tum ocium facile perficiet. Quod ſupereſt, partium tuarum erit ad locorum Præfectos ſcribere: uti huic tanta hominum multitudini quæcumque neceſſaria fuerint, diligenter abundeque provideant. Has Epiſtolas confictas eſſe nemo non videt qui ſagacitate aliqua præditus ſit. 1. Eadem eſt ad Regem Ægypti & ad Regem Tyri Epiſtola. 2. *Pharao Vaphres* longe poſterior eſt *Salomone*. Ægypto enim imperabat temporibus *Sedeciæ* & Babylonicæ Captivitatis, ut conſtat ex *Jeremia* 44. 30. ubi *Ephree* vocatur. *Herodotus* Lib. 2. *Apriee* appellat. 3. Initio Regni ſui, & antequam Templi fundamenta jaceret, *Salomon affinitate conjunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti: Accepit namque filiam ejus, & adduxit in civitatem David, donec compleret ædificans domum ſuam & domum Domini, & murum Jeruſalem per circuitum.* (3. Regum 3.) Quomodo igitur ad Socerum ſuum hunc in modum ſcripſit: *Noveris me ſummi Numinis beneficio Regnum a Davide patre accepiſſe:* Quaſi id ipſi ignorum eſſet? 4. Artifices ad fabricam Templi ex Ægypto accerſitos, in Sacra Hiſtoria non legimus, ſed *de omni Iſrael*, & de Regno Tyri & Sidonis. 5. *Vaphres* Rex Ægypti octoginta millia fabrorum ad *Salomonem* mittere ſe ſcribit, eorumque patriam indicare, & tamen in illa enumeratione ſexaginta millia dumtaxat inveniuntur, ſcilicet decem millia ex Sebrithide Præfectura, ex Mendeſia & Sebennitide viginti millia, ex aliis Provinciis triginta millia. 6. Rex Tyri temporibus *Salomonis* non *Suron*, ſed *Hiromus*, ut conſtat ex *Menandro Epheſio*, & ex *Dione* rerum Phœnicarum Scriptore, apud *Joſephum Libro* 1. *contra Apionem*, & *Libro* 8. *Antiquitatum*, Cap. 2. 7. Numerus operariorum his in literis expreſſus cum Scriptura Sacra non quadrat, quæ octoginta millia latomorum, Præfectos operum ter mille & ſexcentos & bajulorum ſeptuaginta millia enumerat, omnes ex Proſelytis Iſrael & triginta millia ſelectorum virorum ex omni Iſrael, quos mittebat *Salomon* ad Libanum decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita ut duobus menſibus eſſent in domibus ſuis. Phœnicum numerum Scriptura non exprimit. Si fides habeatur Epiſtolis illis ex *Eupolemo* deſcriptis, centum ſexaginta millia Ægyptiorum ſimul & Phœnicum adhibita fuerunt ad fabricam Templi, quibus ſi Proſelyti & Iſraelitæ ad numerum centum octoginta millium ex 3. *Reg.* 5. & 2. *Paralipom.* 2. addantur, fiet numerus trecentorum quadraginta millium hominum, præter Præpoſitos operum ter mille & ſexcentos. Qui numerus ad hujuſmodi fabricam ſuperfluus ac pene incredibilis videtur. 8. Literæ ad *Hiramum* Regem Tyri a *Salomone* ſcriptæ, prout referuntur 3. *Regum* 5. & plenius 2. *Paralipomenon* 2. illarum quæ ex *Eupolemo* ſunt deſcriptæ ſuppoſitionem arguunt. (3. Regum 5.) *Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens: Tu ſcis voluntatem David patris mei,*

& quia

Google

& quia non potuerit ædificare Domum Nomini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum ejus. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non eſt Satan, neque occurſus malus. Quamobrem cogito ædificare Templum Nomini Domini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus David patri meo dicens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit Domum Nomini meo. Præcipe igitur ut præcidant mihi ſervi tui cedros de Libano, & ſervi mei ſint cum ſervis tuis: Mercedem autem ſervorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris; Scis enim quomodo non eſt in Populo meo vir qui noverit ligna cædere ſicut Sidonii: Cum ergo audiſſet Hiram verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait: Benedictus Deus hodie, qui dedit David filium ſapientiſſimum ſuper Populum hunc plurimum. Et miſit Hiram ad Salomonem dicens: Audivi quæcumque mandaſti mihi: Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis. Servi mei deponent ea de Libano ad Mare: & ego componam ea ratibus in Mari, uſque ad locum quem ſignificaveris mihi; & applicabo ea ibi, & tu tolles ea; Præbebiſque neceſſaria mihi, ut detur cibus domui meæ.

II. Paralipomenon 2. *Miſit quoque ad Hiram Regem Tyri dicens: Sicut egiſti cum David patre meo, & miſiſti ei ligna cedrina ut ædificaret ſibi domum, in qua & habitavit: Sic fac mecum ut ædificem Domum Nomini Domini Dei mei, ut conſecrem eam ad adolendum incenſum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propoſitionem panum ſempiternam, & ad holocautomata mane & veſpere, Sabbatis quoque & Neomeniis, & Solemnitatibus Domini Dei noſtri in ſempiternum, quæ mandata ſunt Iſraeli. Domus enim quam ædificare cupio magna eſt: Magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes Deos. Quis ergo poterit prævalere ut ædificet ei dignam domum? Si cœlum, & cœli cœlorum capere eum nequeunt: Quantus ego ſum ut poſſim ædificare ei domum? Sed ad hoc tantum ut adoleatur incenſum coram illo. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro & argento, ære & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui ſciat ſculpere cælaturas, cum his artificibus quos mecum habeo in Judæa, & Jeruſalem, quos præparavit David pater meus. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano. Scio enim quod ſervi tui noverint cædere ligna de Libano, & erunt ſervi mei cum ſervis tuis, ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim quam cupio ædificare, magna eſt nimis & inclyta. Præterea operariis, qui cæſuri ſunt ligna, ſervis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia.*

Dixit autem Hiram Rex Tyri per literas quas miſerat Salomoni: Quia dilexit Dominus Populum ſuum, idcirco te regnare fecit ſuper eum. Et addidit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit cœlum & terram, qui dedit David Regi filium ſapientem & eruditum, & ſenſatum atque prudentem, ut ædificaret Domum Domino, & Palatium ſibi. Miſi ergo tibi virum prudentem & ſcientiſſimum Hiram, patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque & hyacintho, & byſſo & coccino; & qui ſcit cælare omnem ſculpturam, & adinvenire prudenter quodcumque in opere neceſſarium eſt, cum artificibus tuis, & cum artificibus Domini mei David patris tui. Triticum ergo & hordeum, & oleum, & vinum, quæ pollicitus es, Domine mi, mitte ſervis tuis. Nos autem cædemus ligna de Libano quot neceſſaria habueris, & applicabimus ea ratibus per Mare in Joppe; Tuum autem erit transferre ea in Jeruſalem.

Dicit Phœnicum Hiſtorici de Salomone teſtimonium.

II. *Dius* Rerum Phœniciarum Scriptor, referente *Joſepho* Lib. 1. *contra Apionem*, & Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 2. dicit, *Salomonem Hieroſolymorum Regem ænigmata ad Hiramum miſiſſe, & ab eo ſolutionem popoſciſſe; addito ut qui non poſſet dirimere, pecuniam ſolveret propoſitori. Hiramum autem aſſentientem, cum non poſſet ſolvere, multa pecunia mulctatum eſſe. Deinde Abdemonum virum Tyrium Quæſtiones propoſitas ſolviſſe, aliaſque propoſuiſſe; quas cum Salomon non ſolveret, pecuniam rurſus Hiramo rependit.*

Herodotus meminit expeditionis Seſach Regis Ægypti adverſus Judæos.

III. Expeditionis *Seſac* Regis Ægypti adverſus Judæos anno quinto Regni *Roboam*, de qua Liber 2. *Paralipomenon* Cap. 12. meminit *Herodotus* Libro 2. Hiſtoriæ, ut *Joſephus* agnoſcit Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 5. *Hanc*, inquit, *contumeliam Deus per Suſacum Ægyptiorum Regem ultus eſt, cujus res geſtas Herodotus per errorem Seſoſtri adſcribit. Hic enim Suſacus anno quinto Roboami Regni numeroſiſſimum Exercitum contra illum adduxit . . . . Meminit autem hujus Expeditionis etiam Halicarnaſſenſis Herodotus, in nomine tantum errans; & quod pervaſit multis aliis Gentibus etiam Palæſtinam Syriam ſubjugavit, hominibus non expectata vi deditionem facientibus: Apparet autem ſatis quod noſtram Gentem dicere velit ab Ægyptio ſubactam. Narrat enim hunc columnas reliquiſſe apud eos, qui priuſquam Martem experirentur, deditionem feciſſent, in quibus pudenda muliebria inſculpta fuerint. Roboamus autem is fuit Rex noſter, qui Urbem, antequam oppugnaretur, dedidit.* Seſak idem cum *Seſonchi* primo vigeſimæ-ſecundæ Dynaſtiæ Regum Ægyptiorum ſecundum *Manethonem*, non cum *Seſoſtri* qui longe ante Bellum Trojanum floruit, ut conſtat ex ipſo *Herodoto* Libro 2. *Ariſtotele* Libro 7. Politicorum, *Dicæarcho* apud Scholiaſtem *Apollonii* Libro 4. 5. 275. *Diodoro Siculo* Libro 1. *Strabone* Libro 17. *Joſepho Libro 1. contra Apionem*, *Euſebio in Chronico*, &c.

Juliani Apoſtatæ de igne in Eliæ ſacrificia cœlitus delapſo teſtimonium.

IV. *Julianus Apoſtata* apud *S. Cyrillum* Lib. 10. ad *Moſis* atque *Eliæ* Sacrificia ignem cœlitus delapſum teſtatur. *Vos*, inquit, *ea quæ Deus ab initio quidem eſt abominatus cum per Moſem, tum per Prophetas, ſectamini: Sed victimas Aris admovere & ſacrificare defugitis. Ignis enim non deſcendit, quemadmodum Moſis tempore, qui victimas conſumat. Semel hoc ſub Moſe factum eſt, & ſub Elia Theſbite iterum, longo poſt tempore.*

Menander Hiſtoriæ Phœnicum Scriptor meminit ſummæ ac diuturnæ ſiccitatis, quæ Eliæ temporibus contigit.

V. *Menander* in ſuis de Rebus Phœnicum Commentariis meminit ſummæ illius ſiccitatis, quæ *Eliæ* florente contigit, regnante apud Tyrios *Ithobalo*, eamque vim tonitruum & imbrium ſecutam teſtatur. (Apud *Joſephum* Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 7.)

Fabula Græcorum ex Hiſtoria Jonæ derivata.

VI. Ex Libro & Hiſtoria *Jonæ*, fabulæ quædam Græcorum manarunt, Id ſcilicet quod de *Hercule* finxere; Illum ad liberandam *Heſionem*, in os & alvum canis Tritonis, ſive canis Carchariæ, qui ad eam depaſcendam mittebatur a *Neptuno*, inſiliiſſe, triduumque in ejus viſceribus latuiſſe, neque hinc aliud ipſi acceſſiſſe incommodi, quam capillorum aliquot defluvium, ut narrant *Lycophron*, & Lycophronis Interpres *Iſacius Tzetzes*, *Sextus Empiricus*, & *Phavorinus*. Hoc vero diſcrimen adiiſſe eam, compage navis, qua vehebatur ſoluta, refert *Æneas Gazæus* in Dialogo *De Immortalitate Animarum*. Qua de re *S. Cyrillus Alexandrinus* Commentario in *Jonam* hæc habet; *Reſpondemus vere præter opinionem, & rationem, & ſupra conſuetudinem merito haberi poſſe quod accidit. Sed ſi Deus præclari hujus Miraculi auctor dicatur quis erit qui altera dubitet? Divino enim Numine nihil potentius, a quo rerum natura nullo negotio in quod ipſe voluerit transmutatur, & nihil eſt quod nutui ipſius ineffabili repugnet . . . . . Natura enim rerum eſt Creatoris arbitrium. Veruntamen & illud ſciendum, Græcos in fabulis a ſe compoſitis narrare, Herculem Alcmenæ & Jovis filium devoratum quidem a ceto, redditum tamen, ab inſito piſci calore capite dumtaxat pilis denudato. Hiſtoriæ meminit Lycophron; Ait enim de ipſo:*

Leonis trinum noctium, quem aliquando maxillis,
Tritonis aſperæ dentatus canis marinus comprehendit.

Verum nos ex illorum figmentis divinorum Myſteriorum probationem ac fidem non petimus: Sed eorum opportunam mentionem inivimus, ut incredulos redarguamus, quando hujuſmodi narrationes etiam apud ipſos ſolita narrari hiſtoria non aſpernabiles reddit. Nonnulli etiam *Arionis* hiſtoriam a Nautis in Mare miſſi, & a Delphine, quem cantu delinivit, excepti, Corinthum delati, ex *Jonæ* hiſtoria detortam exiſtimant.

VII.

Eupolemus & Alexander Polyhiſtor Joachimi Regis Juda, & Jeremiæ Prophetæ meminerunt.

VII. *Joachimi* Regis Juda, & *Jeremiæ* Prophetæ meminit *Alexander Polyhiſtor* ex *Eupolemo* hunc fragmentum referens, apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 39. *Tum Joakimum, inquit, Regnum capeſſiſſe, cujus tempore Jeremias Propheta Oracula ſua ediderit. Quippe hunc a Deo miſſum, Judæos, interim dum Idolo cuidam aureo (Baalem vocabant) Sacrificium facerent, deprehendiſſe, quibus impendentem calamitatem prædixerit. Ac Joakimum quidem vivum illum ac ſpirantem cremare voluiſſe. At contra denunciaſſe Prophetam, hoc eos lignorum genere Babyloniæ obſonia curaturos, & canales ad derivandas Tigris & Euphratis undas foſſuros eſſe, poſtea quam eorum in manus ac poteſtatem veniſſent. Itaque Nabuchodonoſorem Babyloniorum Regem, ubi eam quomodo ab Jeremia prænuntiata fuerat, rescivisset, Aſtibarem Medorum Regem, uti hujus Expeditionis ſocius eſſe vellet, obſecraſſe; conjunctoque Babyloniorum ac Medorum Exercitu, qui præter decem curruum milia peditum octoginta ſupra centum, ac equitum viginti millibus conſtaret, primum quidem Samariam, Galilæam, Scythopolim, & Judæos Galaaditidem incolentes deleviſſe: Mox vero ipſam quoque Hieroſolymam, Joachim cumque Regem vivum cepiſſe, & quicquid in Templo auri, argenti, ærisque fuit, detractum Babylonem miſiſſe; præter Arcam, & incluſas in ea Tabulas: Hanc enim penes Jeremiam remanſiſſe.*

Beroſus Babylonicæ Judæorum Captivitatis meminit.

VIII. Babylonicæ Judæorum Captivitatis ſub Nabuchodonoſore meminit *Beroſus* a *Joſepho* laudatus Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 12. *Joſephi* locum *Euſebius* inſeruit Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Capite 40.

CAPUT IV.

DE HISTORIA EXOTICA Quintæ Mundi Ætatis.

ARTICULUS I.

De Rebus Ægyptiacis.

Ægypti Reges.

I. S*alomonis* temporibus regnabat in Ægypto *Sezonchis*, quem in 22. Regum Ægyptiorum Dynaſtia, quæ *Bubaſtitarum* eſt, primum collocant *Manetho* & *Julius Africanus* apud *Georgium Syncellum*. Hic ille *Seſacus* eſt *Roboamo* infeſtus, 3. *Regum* 14. & 2. *Paralipomenon* 12. *Seſachim* Septuaginta Interpretes appellant. Annis quinquaginta novem regnaſſe *Manetho* teſtatur. Ipſi Succeſſorem ſubjungit *Oſorthonem*, cui annos quindecim Regni tribuit. Huic *Tacelothin* annis tredecim. Novem Reges hac in Dynaſtia recenſet *Julius Africanus*, ſed trium dumtaxat nota nomina. Sequitur vigeſima tertia Dynaſtia, Regum Tanitarum. Quatuor in ea Reges a *Manethone* & *Julio Africano* numerantur, adſcriptis Regni annis, ſcilicet *Petubateo*, cujus initia ad annum quartum *Joas* Regis Juda referuntur, annis quadraginta: *Oſorchon* ab Ægyptiis *Hercules* vocatus, annis octo, *Pſammus* annis decem. *Zeth* annis triginta & uno.

22. Dynaſtia Bubaſtitarum. Sezonchis.

23. Dynaſtia Regum Tanitarum.

24. Dynaſtia Saitarum.

Bocchoris.

II. *Oziæ* Regis Juda temporibus regnabat in Ægypto *Bocchoris*, quem in Dynaſtia vigeſima quarta *Saitarum* unum conſcribunt *Manetho*, *Julius Africanus*, & *Georgius Syncellus*, eique annos Regni tribuunt quadraginta quatuor. *Gnephactum* nihilominus ejus patrem ante ipſum regnaſſe conſtat ex *Diodoro Siculo*, Libro 1. *Technatem* illum vocat *Plutarchus* Libro *De Iſide*, narratque, quod cum in Arabes expeditionem faceret, morarenturque impedimenta, cibo obvio ſuaviter uſus, cepit ſuper toro profundum ſomnum: Inde *Menem* execratus eſt, & Sacerdotibus approbantibus execrationem in columna incidi juſſit. Columna hæc, in qua execratio in *Menem* Regem, qui primus Ægyptios a tenui & inopum pecuniæque non indigente victus ratione deduxiſſet, Thebis poſita fuit in Templo Jovis. Hæcque in cauſa fuit ne honores *Meni* in poſterum perdurarent, teſte *Diodoro Siculo*. Patrem Bocchoridis, *Neochabim* vocat *Alexis* apud *Athenæum* Libro 10. patriſque & filii frugalitatem commendat. *Bocchoris* ſapientiæ & juſtitiæ laude excelluit, quam obſcuravit avaritia. De commerciis has Leges a *Bocchoride* latas refert *Diodorus Siculus* Libro 1. p. 71. 1. *Ut ſi quis pecuniis mutuo acceptis abſque ſyngrapha ſe debere neget, interpoſito juramento abſolvatur a debito. 2. Ut per interventum ſyngraphæ fœnerantes, ultra duplum per uſuram ſortem non augeant. 3. Ut de obæratorum facultatibus dumtaxat uſura exigantur, ſed corpus nullo modo in nexum ducatur.* Hanc Legem *Solon* Athenas invexiſſe videtur, quam *Seiſachtiam*, id eſt, *onerum excuſſionem* appellavit, qua cives univerſos ab ære alieno, in corporis nexum credito liberavit, ut *Diodorus Siculus* obſervat; pleroſque Legum latores vituperio dignos ſignificans, quod vetuerint ob fœnus pignori capere arma, aratrum, aliaque operi faciendo neceſſaria, ſed eos qui illis uti debebant nectendos permiſerint. Regnante in Ægypto *Bocchoride*, agnum locutum fabulantur.

Leges Bocchoridis.

25. Dynaſtia Sabbacon.

III. *Bocchoridi* Regnum eripuit *Sabbacon* Rex Æthiopum ſive Arabum Mari Rubro vicinorum, illumque vivum combuſſit, ut *Africanus*, *Euſebius*, & *Georgius Syncellus* teſtantur. In vigeſima-quinta Dynaſtia primus *Sabbacon* recenſetur, & duodecim annis regnaſſe fertur. Annos quinquaginta quatuor illum Ægyptiis imperaſſe ſcribit *Herodotus*. Succeſſit ipſi filius ejus *Sevechus*, & annis duodecim regnavit. Hic idem eſt cum *Sua*, cujus auxilium contra *Salmanaſſarem* Aſſyriorum Regem imploravit *Oſee* Rex ultimus Iſraelis. (4. *Regum* 17. 4.) *Sua* ſive *Sevechus* Succeſſorem reliquit *Taracum*, quem annos viginti regnaſſe ſcribit *Euſebius*. Hunc Regem Æthiopiæ pariter fuiſſe teſtatur *Iſaias*, Cap. 37. 9. Hunc in belli ſocietatem contra *Sennacherib* Regem Aſſyriorum *Ezechias* vocavit. (4. *Regum* 19. 9. & *Iſaiæ* 30. 2.) *Taraco* defuncto, *Sabacon* qui in Æthiopiam receſſerat relicto filio Ægypti Regno, in Ægyptum regreſſus, ſub initium *Manaſſis* Regis Juda, *Nechaonem* 1. *Saitarum* in Ægypto Regem profligavit, occidit. Ante *Nechaonem* illum *Nechepſus*, & *Stephinates* in vigeſima-ſexta Dynaſtia a *Manethone* & *Julio Africano* deſcribuntur. Poſt *Nechaonem* Primum Δωδεκαρχία in Ægyptum eſt introducta, ſive Duodecim Virorum Principatus communi conſilio Regnum adminiſtrantium. Quiſque ſuum Nomum ſive ſuam Præfecturam moderabatur. Habito *Memphi* Senatu, mutuæ concordiæ fideique Leges conſcriptæ. Commune Monumentum reliquerunt Labyrinthum paulo ſupra ſtagnum Mœrios, maxime Urbem verſus quæ dicitur Crocodilorum, quem ſe aſpexiſſe fama majorem teſtatur *Herodotus* Libro 2. Cap. 147. & 148. Ibi ſepultos fuiſſe *Diodorus Siculus* auctor eſt Libro 1. p. 59. & 60. Dominationis annos quindecim ipſis tribuit. Horum unus erat *Pſammitichus* Saitarum Princeps. *Dodecarchiæ* hujus initio, quæ in *Manaſſis* Regis Juda tempora incidit, editum ferunt Oraculum: *Qui in Templo Vulcani area phiala libaſſet, eum totius Ægypti Regno potiturum.* Stato tempore cum in Templo *Vulcani* ſanctificaſſent, & ultimo die feſto libaturi eſſent, porrexit eis Pontifex aureas phialas, quibus libare conſueverant, aberrans numero duodecim videlicet viris undecim phialas. *Pſammitichus*, qui poſtremus eorum ſtabat, cum non haberet phialam, detractam ſibi æream galeam tenuit, libavitque. Apud cæteros Principes Oraculi memores propterea in ſuſpicionem veniens, in Paluſtria relegatus eſt, ne reliquæ Ægypti adminiſtrationi ſe immiſceret.

Nechao primus.

Dodecarchia in Ægypto.

Pſammitichus.

IV. *Pſammitichus* injuriæ impatiens, icto cum Ionibus & Caribus fœdere Ægyptum univerſam Imperio ſuo ſubjecit, quod felix fuit ac diuturnum, annorum ſcilicet quinquaginta-quatuor, ſecundum *Herodotum* & *Africanum*. Horum viginti novem in obſidione *Azoti*, quæ Palæſtinæ Urbs eſt, conſumpſit, quam demum expugnavit. Nulla Urbis diuturniorem ſuſtinuit obſidionem (inquit *Herodotus* Libro 2. Cap. 157.)

Nechao ſecundus.

V. *Pſammitichus* filium habuit Regni Succeſſorem, cui nomen *Nechaoni* hujus nominis ſecundo. *Nechao* bellicoſus Princeps anno Regni ſui octavo Phœniciæ & Syriæ bellum intulit, & ad Euphratem uſque

pro-

progreſſus, *Chareamas* expugnavit, urbem Babylonicæ ditionis. Miſſis ad *Joſiam* Regem Juda ſibi ex adverſo cum Exercitu occurrentem nunciis, ait: *Quid mihi & tibi eſt, Rex Juda? Non adverſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit: Deſine adverſum Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te. Noluit Joſias reverti, ſed preparavit contra eum bellum, nec acquievit ſermonibus Nechao ex ore Dei: Verum pervenit ut dimicaret in campo Mageddo.* (2. Paralipomenon 35. 20. 21. 22.) Hujus Expeditionis meminit *Herodotus* Libro 2. Cap. 159. *Terreſtri acie*, inquit, *congreſſus cum Syris in Magdolo, victoria potitus eſt, & poſt prælium, Cadyti, magna Syriæ urbe.* Foſſam ſeu alveum, quæ Nilum cum Mari Rubro jungeret, primus aggreſſus eſt, longitudinis quidem quatuor dierum navigationis; latitudinis, ut per eam duæ poſſent ſimul agi triremes. In ea fodienda centum viginti millia Ægyptiorum perierunt. In medio opere *Nechao* deſtitit, hoc interpellatus Oraculo, Eum id opus barbaro, id eſt, extraneo homini præmunire. Is *Darius* Perſa, qui foſſam ſecundo loco depreſſit, ut refert *Herodotus*. *Joachazum* Regem Juda *Joſiæ* filium *Nechao* captivum duxit in Ægyptum, & tributo Judæis impoſito, *Joakimum* Hieroſolymis Regem conſtituit. (4. *Regum* 23. 33. 34.) Poſt quadriennium, *Nabuchodonoſor* filius *Nabopollaſſaris* Regis Chaldæorum, a patre in conſortium Imperii aſſumptus, *Nechaonem* debellavit, ipſique abſtulit quicquid ejus ditionis fuerat a Rhinocorura uſque ad Euphratem. (4. *Regum* 24. 7. & *Jeremiæ* 46.) Sex annos Regni *Nechaoni* tribuit *Africanus*, ſeptemdecim *Herodotus*.

Pſammuthis.

VI. Poſt *Nechaonem* Ægyptiis imperavit *Pſammuthis* alter, ſive *Pſammis* ejus filius, facta in Æthiopiam Expeditione celebris. Sex annis regnavit, ut *Herodotus* & Africanus teſtantur.

Apries, ſeu Ephree ab Amaſi Saite exturbatus & interfectus.

VII. Eo vita functo Regnum obtinuit *Apries* ejus filius, 70. Interpretibus *Vaphres*, Latino interpreti *Jeremiæ* 44. 30. *Ephree*. Bellum Sidoni intulit, & cum Tyriis pugna navali dimicavit. Ad ipſum Jeruſalem ab Aſſyriis capta Judæorum reliqui confugerunt. Ipſius exitium vaticinatus eſt *Jeremias* Cap. 44. 30. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius: Sicut tradidi Sedeciam Regem Juda in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis inimici ſui, & quærentis animam ejus.* Traditus revera eſt in manus *Amaſis*, cui Ægyptii Regnum detulere, cum ab *Aprie* defeciſſent. *Fertur Apries ea fuiſſe perſuaſione, ut nullus neque Deorum, neque hominum poſſet ſibi adimere Regnum.* Et tamen cum *Amaſi* congreſſus, prælio fugatus eſt, vivuſque captus, & ab Ægyptiis ſtrangulatus. (Ex *Herodoto* Libro 2. Cap. 164) Hunc *Draconem magnum* ob ſuperbiam Deus vocat Ezechielis 29. 3. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, Meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum. Et ponam frenum in maxillis tuis: & agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorum, & univerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt. Et projiciam te in deſertum: & omnes piſces fluminis tui: Super faciem terræ cades, non colligeris, neque congregaberis: Beſtiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad devorandum. Et ſcient omnes habitatores Ægypti quia Ego Dominus: Pro eo quod fuiſti baculus arundineus domui Iſrael.* Huic Regi annos Imperii unde viginti tribuit *Julius Africanus*, viginti-quinque *Herodotus*.

ARTICULUS II.

De Rebus Aſſyriorum, & Medorum.

Aſſyriorum Reges.

I. S*Alomonis* temporibus Aſſyriis imperabat *Eupales*, cujus annus Regni trigeſimus cum primo *Salomonis* concurrit. Hic in *Georgii Syncelli* laterculo non comparet; ejus loco ponitur *Empacmes*. In laterculo *Euſebii* annos triginta-octo regnaſſe dicitur *Eupales*. Poſt hunc regnaſſe ſcribuntur *Laoſthenes* annis quadraginta-quinque, *Pyritiades* triginta, *Ophratæus* viginti, *Ophratanes* quinquaginta, *Ocrazapes* quadraginta-duobus. Pro his poſtremis in laterculo *Syncelli* habentur *Ephecheres*, cui anni quinquaginta-duo, & *Acraganes*, cui duo ſupra quadraginta tribuuntur. *Ocrazapes* Sardanapali pater in Hiſtoria Sacra *Phul* vocatur, qui *Manahem* Regem Iſrael tributarium fecit, 4. Regum 15. 19. *Caſtorem Rhodium* ſecutus eſt *Euſebius*: Ille vero *Cteſiam Gnidium*, qui *Catalogo Regum a Nino & Semiramide uſque ad Artaxerxem* Hiſtoriam ſuam clauſit, teſte *Photio* Cod. 72. Poſt hos Reges ſequitur *Sardanapalus*, qui & *Tonos-Concoleros*, Aſſyriorum Rex trigeſimus ſextus ſecundum *Euſebium*, trigeſimus ſecundum *Diodorum Siculum*, quadrageſimus primus ſecundum *Syncellum*. Annis viginti regnavit *Sardanapalus ille vitiis multo quam nomine ipſo deformior*, ut ait *Cicero* Libro 3. *De Republica* omnes ſuos majores luxuria atque ignavia ſupergreſſus eſt. Nam præter quam quod a nemine extra familiam conſpiciebatur, vitam quoque duxit muliebrem. Inter concubinarum enim greges ſe volutans, purpuram lanaſque molliſſimas tractare, ſtola muliebri indui; faciem & totum corpus fuco, aliiſque ſcortorum lenociniis componere quavis delicata muliere laſcivius. Femineam quoque vocem imitari; nec tantum cibo & potu ad voluptates accommodatiſſimo uti, ſed utroque ſexu ad venereas oblectationes propudioſiſſime abuti. *Arbaces* Medi, copiarum, quæ ſingulis annis ex Media Ninivem mittebantur, Præfecti, & *Beleſis* Chaldæorum ſeu Babyloniorum Ducis conjuratione oppreſſus eſt. Illi Medos Babylonios, & Arabes ad defectionem pertraxere. *Sardanapalus* muliebrem animum ad tempus exuens, ter collatis ſignis hoſtes vicit. Sed mox ad genium rediens, Bactrianis ad *Arbacem* deficientibus, *Ninivem* ſe recipere compulſus eſt, caſtris ab hoſte expugnatis, magnaque ſuorum ſtrage edita. Rege in Urbe obſeſſo, multæ Provinciæ ad hoſtes defecere. *Sardanapalus* Regnum in maximo diſcrimine verſari videns, tres filios, totidemque filias magna cum gaza in Paphlagoniam mittit ad *Cottam* Præfectum ipſi addictiſſimum, & ad obſidionem tolerandam ſe comparat, donec auxiliares copiæ e Provinciis adveniant. Vetus oraculum ferebat, A nullo poſſe capi *Ninivem*, *niſi fluvius Urbi prius hoſtis evaderet*. Id Urbem numquam expugnandam *Sardanapalo* perſuadebat. Protracta per biennium obſidione, inanes hoſtium inſultus videbantur. Tertio demum anno *Euphrates* continuis imbribus excreſcens, *Ninives* partem inundavit, & murum ad ſtadia viginti dejecit. Tum vero finem habere Oraculum, fluviumque manifeſte Urbi hoſtem eſſe Rex judicans, ſpem ſalutis abjecit. Itaque ne in hoſtium manus perveniret, rogo ingenti in Regia extructo, & ſe & Reginam, cum Concubinis, Eunuchis, & divitiis omnibus incendio abſumpſit. Ita refert *Diodorus Siculus* Libro 2. *Sardanapalus* duas in Cilicia Urbes, Anchialem & Tarſum uno die condidiſſe dicitur. *Anchiali* Monumentum fuit fœdi illius Regis, lapidea imagine ornatum hominis conferentis dextræ manus digitos, ac ſi crepitum digitis editurus eſſet, cum hac Inſcriptione Literis Aſſyriis exarata: *Sardanapalus Anacyndaraxæ filius Anchialem & Tarſum una die ædificavit. Tu autem, hoſpes, ede, bibe, lude: Cætera enim ne hujus ſunt digna*; Id eſt, ne hujus quidem digitorum crepitationis digna ſunt. Hoc Epitaphium *Sardanapalus* ipſe ſibi compoſuit, *Diodoro Siculo* teſte. Illud ex *Clitarcho* refert *Athenæus* Libro 12. Legitur, & apud *Strabonem* Libro 14. & *Arrianum* Libro 2. *De geſtis Alexandri*. Epitaphium *Sardanapali* Verſibus expreſſit *Chœrilus* Poeta. Hos Verſus ex *Chryſippo* profert *Strabo* Libro 14.

Sardanapali monumentum.

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Deliciis animum: Poſt mortem nulla voluptas.
Namque & ego, cinis ecce, Nini Rex Maximus olim,
Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: At illa jacent multa & præclara relicta,

Hoc Epitaphium Philoſophi tum Stoici tum Peripatetici deriſerunt. *Cicero* Libro 2. *De Finibus* ipſum his verbis ſugillat: *Corporis autem voluptas, ſi etiam præterita delectat, non intelligo cur Ariſtoteles Sardanapali Epigramma tantopere derideat, in quo ille Rex Aſſyriæ glorietur, ſe omnes ſecum libidinum voluptates abſtuliſſe.* Et Libro 5. Tuſculanarum Quæſtionum: *Sardanapali*, inquit, *opulentiſſimi Aſſyriæ Regis error agnoſcitur, qui incidi juſſit in buſto,* Hæc habeo quæ edi, *&c. Quid aliud (inquit Ariſtoteles) in bovis, non in Regis ſepulcro inſcriberes? Hæc habere ſe mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutius habebat, quam fruebatur.*

Aſſyriorum Imperium ad Medos devolutum.

Extincto *Sardanapalo*, conjurati per collapſam muri partem ingreſſi, *Niniven* ceperunt, & *Arbacem* Regem ſalutarunt. Is Urbem non diruit, ut *Diodorus* & *Strabo* Libro 16. aſſerunt, (Scriptura Sacra repugnante,) ſed Imperium ad Medos tranſtulit. Sic Aſſyriorum Imperium deſtructum eſt. Quot annis ſteterit, non omnino conſtat. *Cteſias* annos illi tribuit mille & trecentos; *Diodorus Siculus* annos plus mille quadringentos, Libro 2. p. 115. At idem paulo ante, ſcilicet pag. 109. ſcribit: *Sardanapali tempore Aſſyriorum Imperium, cum annos mille trecentos ſexaginta, (ut Cteſias Gnidius Libro 2. tradit) duraviſſet, ad Medos devolutum eſt.* Agathias Libro 2. teſtatur *Diodorum ſcripſiſſe, ex Cteſia, Aſſyriorum Imperium deſtructum fuiſſe paulo amplius annis mille trecentis ſex elapſis, ex quo Ninus ibi ſummam rerum obtinuerat.* Ita vero Syncellus: *Diodorus ad verbum ſic ſcribit: Eorum Imperium duravit annos ſupra mille trecentos juxta Cteſiam.* Huic lectioni conſentiunt Trogus Pompejus & Juſtinus: *Imperium (inquiunt) Aſſyrii mille trecentis annis tenuere.* Ad hunc numerum accedit *S. Auguſtinus*, annos mille trecentos & quinque hujus Imperii numerans *Lib.* 18. *De Civitate Dei*, Cap. 20. *Herodotus* Aſſyrios ſuperiorem Aſiam annis quingentis & viginti a Nini initio obtinuiſſe ait Lib. 1. Cap. 95. *Caſtor* ipſi tribuit annos mille ducentos octoginta. *Euſebius* mille ducentos quadraginta, *Vellejus Paterculus* annos mille trecentos ſeptuaginta, *Syncellus* annos mille quadringentos ſexaginta. Hæc mutatio contigit, *Ariphronis* noni Athenienſium *Archontis* tempore, *Joram* filio *Joſaphat* apud Judæos regnante.

II. *Arbaces*, Straboni *Orbacus* Vellejo Paterculo *Pharnaces* dictus, Medis ſuis ab Aſſyriorum jugo liberatis αὐτονομίαν reddidit, id eſt ipſis permiſit ut Reipublicæ more ſuis Legibus viverent. Quamdiu hæc αὐτονομία duraverit, incertum. Poſt Anarchiam illam *Dejoces* Rex a Medis electus eſt annis ante *Cyri* initium centum quinquaginta, ut auctor eſt *Herodotus* Libro 1. quem ſecuti ſunt *Dionyſius Halicarnaſſæus*, & *Appianus Alexandrinus*, in Romanarum ſuarum Hiſtoriarum exordio. *Dejoces* Medorum Imperium uſque ad Halym fluvium propagavit. Regnavit annis quinquaginta quatuor, ſecundum *Herodotum*. Succeſſit ipſi *Phraortes* ejus filius, qui annis viginti duobus regnavit. Hunc excipiens *Cyaxares* filius, annis quadraginta Regnum obtinuit. Adverſus Aſſyrios, Scythas, & Lydos bellum geſſit. Lydis imperabat *Halyattes* Crœſi pater. Sexto anno belli Medos inter & Lydos geſti ineunte, cum utrimque æquo Marte certaretur, Eclypſis Solis facta eſt, quam futuram Thales *Mileſius* prædixerat. Uterque Exercitus diem videns in noctem verti, a pugna deſtitit. Deinde pax inter utrumque Regem conciliata eſt. *Ariana Halyatis* filia *Aſtyagi Cyaxaris* filio in Matrimonium collocata. *Mandanem* unicam filiam *Cambyſi* Perſarum Regi collocavit *Aſtyages*, patre Cyaxare adhuc ſuperſtite. Ex *Cambyſe* & *Mandane* natus eſt *Cyrus*, ut *Herodotus* & *Xenophon* teſtantur. Mortuo Cyaxare, Medis imperavit *Aſtyages*, annis triginta quinque. (Ex *Herodoto* Libro 1. Cap. 130.)

Dejoces Rex Medorum.

Cyri educatio.

Hic *Cyrum* nepotem ab *Harpago* occidi juſſit. *Harpagus* bubulco tradidit in deſertis montibus exponendum. Filium mortuum forte pepererat uxor bubulci, quem *Cyri* loco exponendum marito dedit, ipſum vero *Cyrum* aluit. Re poſtea ab *Aſtyage* cognita, cum puer a ſociis per ludum Rex electus, viri cujuſdam primarii filium virgis cædi juſſiſſet, *Aſtyages Harpagum* ad cœnam invitatum proprii filii carnibus pavit. Tum interrogatis Magis, qui *Cyrum* Medis imperaturum auguraſſi fuerant, quod ex *Mandanis* Matris illius utero vitem prodire ſomniaſſet *Aſtyages*, quæ Aſiam univerſam occuparet, iiſque reſpondentibus, Somnium Regis, prædictionemque ſuam jam impletam fuiſſe, puero a Sociis Rege appellato, nec illum deinceps regnaturum, illum in Perſidem remiſit ad parentes. Ab iis Regio More educatus ac inſtitutus, jamque vir factus, Perſis ad defectionem a Medorum Imperio ſolicitatis, *Harpagi* conſilio & ope *Aſtyagem* Regno exuit. Ita narrat *Herodotus* Libro 1. *Xenophon Aſtyagem* Regia dignitate & auctoritate ornatum obiiſſe ſcribit, Regnumque filio *Cyaxari* reliquiſſe, cum *Cyrus* adhuc eſſet puerulus. Præterea de *Cyri* puerili educatione longe aliter ſcribit *Xenophon*. Non enim a bubulco ruſticos inter educatum, ſed a patre & avo in Regia Perſarum More Principis inſtitutum. Cui potius fidem adhibebimus? *Herodoto* magis credendum quam *Xenophonti*, qui *Cyropædiam* ſcripſit *non ad Hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti Imperii*, ut obſervat *Cicero* Epiſtolarum ad *Quintum* fratrem Lib. 1. Epiſtola prima. Certe *Aſtyagi* filium non fuiſſe, ſed unicam filiam *Mandanem*, adeoque *Cyaxarem* illum *Xenophontis* fictitium eſſe, conſtat ex cæteris Scriptoribus. *Aſtyagem* Regum Medorum ultimum *Cteſias*, *Diodorus Siculus*, *Euſebius*, & *Georgius Syncellus* ſummo conſenſu aſſerunt, quamvis in Regum ſerie, numero, nominibus, anniſque plurimum differant ab *Herodoto*. Diodorus enim ex *Cteſia* decem Reges Medorum recenſet, eoque ordine regnaſſe ſcribit: *Arbacem* annis viginti-octo, *Mudaucem* Arbacis filium annis quinquaginta, *Soſarmum* annis triginta, *Articam* annis quinquaginta. *Arbianem* annis vigintiduobus, *Arſæum* annis quadraginta, *Artynæum* annis vigintiduobus, *Artibarnam* annis quadraginta, *Aſtibaram* & *Aſpadam* qui & *Aſtyages*, quibus nulla regnandi tempora aſſignat. *Euſebius*, nec *Cteſiam*, nec *Herodotum* ſecutus, ex utroque duplicem octo Regum Dynaſtiam compoſuit, prioribus quatuor *Cteſiæ* Regibus quatuor *Herodoteos* ſubjungens hoc ordine: *Arbaces* annis viginti-octo, *Soſarmus* triginta, *Medidus* (Is eſt Cteſiæ *Madauces*) triginta, *Cardiceas* (hic eſt Cteſiæ *Articas*) tredecim; *Dejoces* quinquaginta-quatuor; *Phraortes* viginti-quatuor; *Cyaxares* triginta duobus; *Aſtyages* triginta & octo. *Euſebii* laterculum exſcripſit *Syncellus*. Hos Medorum Regum Indices, annoſque dubiæ eſſe fidei merito aſſerit *Marshamus* in Canone Chronico, Sæculo 17. p. 525. *Herodotum* itaque Hiſtoriæ patrem ſequi præſtat, & cum eo quatuor dumtaxat Medorum Reges agnoſcere, quorum ultimus fuerit *Aſtyages* a *Cyro* debellatus, ac Medorum Imperio annos centum quinquaginta dumtaxat tribuere. *Appianus Alexandrinus* in Præfatione Hiſtor. Rom. *Herodoti* calculo ſubſcribit. *Aſſyriorum (inquit) Medorum & Perſarum, trium maximorum Imperiorum tempora ſimul congeſta, uſque ad Alexandrum Philippi filium, non tamen quidem nongentos attingunt.* Aſſyriorum Imperio annos quingentos & viginti tribuit cum *Herodoto*; Medorum, centum & quinquaginta; Perſarum, ducentos & triginta a primo Olympiadis quinquageſimæ-quintæ ad ſecundum Olympiadis centeſimæ duodecimæ, quo *Darius* ab *Alexandro* victus eſt. *Herodotum* etiam ſecutus eſt *Dionyſius Halicarnaſſenſis* Libro 1. *Aſſyriorum Imperium* (inquit) *quod antiquum fuit, & ad tempora fabuloſa productum, non magnam Aſiæ partem obtinuit: Medorum autem, cum illud Aſſyriorum ſuſtuliſſet, & majore potentia auctum eſſet non longo tempore duravit, ſed quarta generatione everſum eſt.*

Quatuor dumtaxat Medorum Reges.

Novum Aſſyriorum Regnum Ninive excitatur.

III. Interim dum Medorum Imperium aſſurgeret, Aſſyrii Jugum ſervitutis ab ipſis impoſitum ſtatim excuſſerunt, novumque Regnum Ninive excitarunt, auctore *Nino* Juniore, ut colligitur ex fragmento *Caſtoris Rhodii* apud *Euſebium* in Chronico Græco. Hunc *Thilgamum* Ælianus appellat Libro 12. Hiſtoriæ Animalium, Cap. 21. Sacra Hiſtoria *Teglatphalaſſar* 4. *Regum* 15. 29. & 16. 7. & 2. *Paralipomenon* 28. 20. *Thelgatphalnaſar*. Hic magnam eiſdem Iſraelitis intulit regnante Phacee Rege Iſrael, multiſque eorum Civitatibus occupatis, tres Tribus in Aſſyriam deportavit. (4. *Regum* 15. 29.) Ab *Achaz* Rege Juda in belli ſocietatem contra *Raſinem* Syriæ Regem vo-

Aſſyriorum Reges Jeſremi.

ca-

catus, Damaſcum vaſtavit, Damaſcenos Cyrenem tranſtulit, *Rezinem* interfecit. (4. *Regum* 16. 7. 8. 9.) Annos unde viginti regnavit, ut ex *Caſtore Rhodio* refert *Euſebius*. Poſt hunc Regnum obtinuit *Salmanaſſar*, qui Regnum Iſraelis deſtruxit, & decem Tribus in Aſſyriam tranſtulit. (4. *Regum* 16. 6. & 18. 9. 10. 11.) Huic ſucceſſit *Sennacherib*, *Sargon* etiam appellatus *Iſaia* 20. 1. qui munitiſſimis Regni Juda Civitatibus occupatis, *Ezechiæ* Regi graviſſimum tributum indixit, totamque Judæorum Gentem exterminaſſet, niſi Deus per Angelum ſuum centum octoginta quinque millia Aſſyriorum in ejus caſtris una nocte occidiſſet. Niniven ab illa expeditione reverſus, ab *Adramelech* & *Sarasar* filiis ſuis in Templo *Nesroch* occiſus eſt. (4. *Regum* 19.) Ipſi ſucceſſit *Aſarhaddon*, filiorum minimus, qui & *Eſarhaddon*. Hic deficiente Babyloniorum Stirpe Regia poſt octo annorum Interregnum, Babyloniæ Regnum occupavit, illudque per annos tredecim obtinuit, ut ex Canone Regum Ptolemaico diſcimus. Poſt *Aſarhaddonem* ſive *Eſarhaddonem*, Aſſyriis ſimul & Babyloniis imperavit *Saoſduchinus* annis viginti, ut conſtat ex *Ptolemæi* Canone.... Huic in utroque Regno ſucceſſit *Chyniladanus*, qui annis viginti duobus rerum potitus eſt, ut docet idem *Ptolemæus*. Hunc Alexander Polybiſtor *Saracum* appellat. *Nabopollaſarus* Babylonius præfectus Exercitui, inito fœdere cum *Aſtyage Cyaxaris* Medorum Regis filio, junctaque affinitate, Ninivem Aſſyriorum Metropolim, & in ea *Chyniladanum* expugnavit, ut ex *Alexandri Polybiſtoris* fragmento a *Georgio Syncello* relato colligitur. Everſam Ninivem *Joſia* regnante ſcribit *S. Hieronymus* in Proœmio Commentariorum in *Jonam* Prophetam. Iſtud Ninives Excidium & Aſſyriaci deſtructionem Imperii prædixerant *Iſaias* Cap. 10. *Nahum* Cap. 1. 2. 3. Cujus jam peractæ deſcriptionem elegantem lege *Ezechielis* 31.

Aſſyriaci Regni, & Ninives Excidium.

ARTICULUS III.

De Rebus Chaldæorum ſive Babyloniorum.

Babylonici Regni exordium.

I. Regnante apud Judæos *Joathamo*, Chaldæi Medicæ dominationis pertæſi, excuſſo jugo, Babyloniæ Regnum excitarunt, *Nabonaſſarum* Regem creaŕunt, anno Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, Olympiadis octavæ anno ſecundo, Urbis conditæ ſecundum *Varronem* anno ſeptimo, annis ante Æram Chriſti vulgarem ſeptingentis quadraginta ſex, primo die Menſis Ægyptiaci *Thot*, die videlicet Februarii vigeſima-ſexta. Inde celebris illa Epocha incipit, quæ *Æra Nabonaſſari* nuncupatur ex *Ptolemæi* Canone, & ex *Cenſorini* Libro *De Die Natali*, Cap. 21. De hac vide *Sethum Calviſium* in *Iſagoge Chronologica* Cap. 21. *Petavium* Libro 9. *De Doctrina Temporum*, Cap. 51. 52. & ante hos *Scaligerum* in *Canone Iſagogico*. Annos quatuordecim Babylone regnavit *Nabonaſſar*. Ipſi ſucceſſit *Nadius*, & annis duobus regnavit. Poſt hunc Regnum obtinuerunt *Chinziras* & *Porus* annis quinque. Hos excepit *Ilulæus*, qui totidem annis imperavit. Succeſſorem habuit *Mardokempadum*, quem *Merodach Baladan* Iſaiæ 39. 1. nuncupatum Viri Eruditi ſuſpicantur, eum qui ad *Ezechiam* Regem Juda Legatos miſit, (4. Regum 20.) *Mardokempado*, poſtquam duodecim annos in Babylonia regnaſſet, ſuccedens *Arkianus* annis quinque regnavit. Poſt hunc duorum annorum Interregnum fuit. Poſtea regnarunt *Belibus* annis duobus; *Apronadius* annis ſex; *Regebelus* anno uno; *Meſeſſimordakus* annis quatuor. Poſt hujus mortem octo annis abſque Rege Babylonia fuit, quibus elapſis, Regnum tredecim annis obtinuit *Jeariadinus*, ſive *Aſſar-adinus*, quem Scriptura Sacra *Aſſarhaddonem* vocat, qui Babylonium & Aſſyriacum Regnum antea diviſa conjunxit, Colonias Samariam, & *Manaſſem* Regem Juda Babylonem deduxit. *Jeari-adino* ſive *Aſſar-adino* ſuccedens *Saoſduchinus*, aliis *Saoſduchæus* annis viginti, aut novem ſecundum alios, utrumque Regnum adminiſtravit. *Saoſduchinum* ſequutus *Chyniladanus* regnavit annis viginti duobus, ſecundum alios quatuordecim. Iſta conſtant ex Canone Ptolemaico Babyloniorum Regum.

Nabopolaſſar Nabuchodonoſoris Magni pater.

II. *Chyniladano* ſucceſſit *Nabopolaſſar*, ſeu *Nabuchodonoſor* Primus, pater *Nabuchodonoſoris Magni*, qui annis viginti uno Babyloniæ regnavit, ſecundum alios viginti-quinque. Hunc eſſe *Sardanapalum* falſo arbitratus eſt *Alexander Polybiſtor*, ut Excerpta Euſebiana docent; cum *Nabonaſſarus*, qui centum viginti-quatuor annis *Nabopolaſſarum* anteceſſit, poſterior ſit *Sardanapalo* annis centum triginta circiter. Anno Regni ſui vigeſimo *Nabuchodonoſorem* filium in conſortium Regni aſſumpſit *Nabopolaſſarus*, eumque cum ingenti Exercitu miſit adverſus perduellem Satrapam, quem Ægypto, Cœleſyriæ, ac Phœniciæ, domitis a ſe regionibus præfecerat, anno tertio *Joakimi* Regis Juda deſinente, ſeu anno quarto ineunte ut conſtat ex *Danielis* 1. 1. ubi hæc leguntur: *Anno tertio Regni Joakim Regis Juda, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Jeruſalem & obſedit eam, & tradidit Dominus in manu ejus Joakim Regem Juda, &c.* Item ex Jeremiæ 25. 1. *Verbum quod factum eſt ad Jeremiam de omni Populo Juda, in anno quarto Joakim filii Joſiæ Regis Juda, (Ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis.)* Idem ex 4. *Regum* 24. 12. colligitur. *Nabopolaſſaro* poſt annum defuncto, *Nabuchodonoſor* ſolus regnavit, ut docet Fragmentum *Beroſi* Libro 3. *Chaldaicarum Originum*, quod poſteritati ſervarunt *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum Judaicarum*, Cap. 11. & Libro 1. contra *Apionem*, & *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 11. *Nabopolaſſarus pater illius audita Satrapæ defectione, quem Ægypto, Cœleſyriæ, ac Phœnicia præfecerat; cum par labori amplius non eſſet, Nabuchodonoſorem filium cum parte copiarum adverſus illum proficiſci jubet. Is contra rebellem acie commiſſa, victor totum illum tractum cum auctore defectionis in poteſtatem recepit. Per idem tempus Nabopolaſſarus Babylone moritur, cum regnaſſet annis uno & viginti. Quo accepto nuntio, Nabuchodonoſor rebus in Ægypto, ac reliqua omni Regione compoſitis, captivisque e Phœnicia, Syria, & Ægypto, cum omni ſuo Exercitu ac præda quibuſdam amicorum traditis, cum mandato ut in Babyloniam deportaret, ipſe cum paucis Babylonem per ſolitudinem properato advolat.* Iſtum *Beroſi* locum a *Joſepho* deſcriptum ita reſtituit ac vertit *Petavius* Libro 9. *De Doctrina Temporum*, Cap. 61. *Jeremias*, & Sacra Regum Hiſtoria Regni *Nabuchodonoſoris* epocham ducunt ab Expeditione ejus in Syriam & Judæam vivente patre ſuſcepta, *Beroſus* autem in tertio Chaldaicæ ſuæ Hiſtoriæ Libro, *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 11. & Ptolemæus in Regum Babyloniorum Canone, annos ejus ab obitu Patris numerant, a quo tres & quadraginta Imperii annos ipſi tribuunt. *Daniel* vero licet *Nabuchodonoſorem*, cum primam adverſus Judæos Expeditionem ſuſciperet anno tertio *Joakim*, *Regem Babylonis* propter Regni cum patre tum vivente conſortium appellet, (*Cap.* 1. 1.) Annorum tamen Regni ejus numerum more Chaldæorum, apud quos agebat, ab obitu patris deducit, *anno illius ſecundo* ſomnium ipſius a ſe expoſitum ſignificans, (*Cap.* 2. 2. 30.) & tamen jam tres anni Captivitatis elapſi fuerant, quibus privatim in Literis & Lingua Chaldæorum inſtitutus eſt, prius quam ſtaret in conſpectu Regis, ut dicitur Cap. 1. 4. 5. adeoque & tertius erat annus Regni *Nabuchodonoſoris*, ex quo in Regni conſortium a patre *Nabopolaſſaro* aſſumptus fuerat. Hæc obſervare operæ pretium eſt. Cætera quæ ad *Nabuchodonoſorem* & ejus Succeſſores Babyloniorum Reges pertinent, non ſunt hujus Ætatis.

Nabuchodonoſor a patre in Regni conſortium aſſumptus.

Regni Nabuchodonoſoris Epocha.

Chaldæorum Religio, Doctrina, & Mores.

III. De Chaldæorum Religione, doctrina, moribus, hæc accipe ex *Diodoro Siculo Libro* 2. *p.* 115. & *ſequentibus*. „Chaldæi Babyloniorum vetuſtiſſimi eum in Republica ordinem tenent, quem Ægypti Sacerdotes ſibi vendicant. Deorum enim cultui addicti, per omne vitæ tempus philoſophantur, & præcipuam ex Aſtrologia gloriam naneiſcuntur. Interim divinationis magnopere ſtudioſi, res futuras prædicunt, & vel expiamentis vel Sacrificiis, vel incantationibus quibuſdam averruncationes malorum, bonorumque effectiones producere conantur. Auguralia eti-„am

„ am divinationis peritiam habent, ſomniaque & prodigia interpretantur. Nec inſolenter aruſpicinam factitantes, vera exacte prædicere exiſtimantur. At horum omnium doctrinam non eo modo, quo Græci his ſtudiis dediti, percipiunt. Apud Chaldæos enim per generis ſeu familiæ traditionem hæc Philoſophia obtingit, filiuſque a patre illam accipit; ab aliis interim publicis Muneribus omnino liber... Cæterum Chaldæi Mundi quidem naturam ſempiternam eſſe perhibent, quæ neque certum Principii ortum habeat, neque corruptionem ullo deinceps tempore admittat: Sed ordinem hunc & ornatum Univerſi a divina quadam providentia exiſtere; quæque nunc in cœlo fiunt ſingula, non caſu aut ſua quadam ſponte, ſed determinato ac firmiter rato Deorum judicio perfici. Ex longa igitur Siderum obſervatione, & exacta motuum atque virium cujuſque cognitione, qua univerſis præſtant mortalibus, multa hominibus eventura prædicunt. Maximam vero conſiderationem & ſingularem motus efficacitatem eſſe in quinque Stellis, quos alii planetas, ipſi Interpretes nominant, quod Deorum benevolentiam hominibus Interpretum loco enuncient... His Stellas triginta ſubſtituunt, quos Deos vocant conſiliarios, quorum dimidia pars loca infra terram inſpiciat: altera ſupra terram res mortalium, & quæ in cœlo fiunt, contempletur: Decemque intervallo dierum unum a ſupernis ad infernos veluti Stellarum nuncium ablegari, & ab inferioribus ad ſuperiores viciſſim unum... Deos Principes numerant duodecim: Singulis menſem, & de duodecim Zodiaci ſignis unum attribuunt... Extra Zodiacum porro viginti-quatuor definiunt Stellas, quarum duodecim borealem, duodecim Auſtralem ſibi regionem vindicent. Inter has, quæ apparent, viventibus deputant, quæ latent, vita functis congregatas exiſtimant; & has omnium rerum Judices appellant. Infra hæc jam dicta omnia Lunam ferri dictitant, quæ ob parvitatem terræ proxima, exiguo tempore, non ob velocitatem curſus, ſed circuli brevitatem iter ſuum conficiat. De Solis autem defectionibus infirmiſſimas afferunt demonſtrationes, quas nec prædicere, nec ad certum redigere tempus audent. De terra quoque peculiares omnino ſententias proferunt, dum ſcaphæ ſimilem, cavamque eſſe affirmant.... Numerum annorum quibus Mundi ſe conſiderationi vacaſſe collegium Chaldæorum aſſeverat, haud facile crediderIs. Nam ad Expeditionem Alexandri in Aſiam quadringenta & ſeptuaginta duo millia numerant, ex quo ſidera obſervati cœptum ſit.

ARTICULUS IV.

De Rebus Tyriorum.

Tyri Reges.

TYrum annis ducentis quadraginta ante extructionem Templi Salomonici conditam Auctor eſt *Joſephus* Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 2. Tyriorum Regum nomina ante *Abibalum* ignoramus. *Joſephus* Lib. 1. contra *Apionem*, & Lib. 8. *Antiquit.* Cap. 2. ex *Menandro Epheſio*, qui Tyriorum Regum Hiſtoriam literis prodidit, refert, *Abibalo* defuncto ſucceſſiſſe in Regnum filium ejus *Hiromum*, qui vixit annos quinquaginta tres, regnavit annos triginta quatuor.

Joſephi & Menandri Epheſi vitioſus calculus.

Vitioſum eſſe *Joſephi* & *Menandri Epheſi* calculum ſic demonſtrat *Petavius* Libro 9. *De Doctrina Temporum*, Cap. 62. Refert Scriptura 2. *Regum* Cap. 5. *Davidem*, poſtquam mortuus eſt *Isboſeth*, toto Iſraelitico Regno potitum, ſtatim Jebuſæorum Arcem expugnaſſe, ibique domicilium Regni ſui collocaſſe; ac tum *Hiromum* Regem Tyri Nuncios ad *Davidem* miſiſſe, & ligna cedrina, artificeſque lapidum ad parietes, a quibus *Davidis* Palatium exſtructum eſt. Idem narrat Lib. 1. *Paralipomenon* Cap. 14. 1. Acta ſunt hæc anno ſaltem *Davidis* nono, hoc eſt, primo circiter labente Monarchiæ paulo poſt *Isboſethi* necem. At idem ille Tyri Rex *Hiromus Davidi* ſuperſtes non modo *Salomonem* in magnificis illis deſignandis operibus adjuvit; ſed etiam poſt vigeſimum *Salomonis* annum mutuis inter ſe donis Reges ambo certarunt. (3. *Regum* 9. 10. 11. *Paralipomenon* 8.) Ab anno *Davidis* nono ad vigeſimum-primum *Salomonis* anni ſunt ſolidi quinquaginta-duo. Totidem ergo ſaltem *Hiromus* in Regno explevit. Hic, *Menandro* teſte, latum ſpatium aggeſſit Urbi, & columnam auream poſuit in Jovis Templo. Ex ſylvoſo Monte Libano ligna cedrina excidit, ad facienda Templorum tegmina; & Templa vetera demolitus, exſtruxit nova: Delubrum dedicavit tam *Herculi* quam *Aſtartæ*. Titiceis, ignoto Populo, bellum intulit, quod tributa non ſolverent. *Hiromo* ſucceſſit *Baleazarus* ejus filius, qui vixit annis quadraginta tribus, & ſeptem regnavit. Hunc excepit *Abdaſtratus* ejus filius. Vixit annis viginti novem, regnavit novem. Hic a Nutricis ſuæ filiis quatuor occiſus eſt, quorum primus regnavit annos duodecim. Inde *Aſtartus Delaaſtarti* filius annis duodecim regnavit, annis quinquaginta quatuor vixit. Poſt cujus obitum frater ejus *Aſerymus* Regnum novem annis obtinuit, & cum annis quinquaginta quatuor vixiſſet, a fratre *Phelete* interfectus eſt, qui regnavit annis octo, & cum quinquagenarius eſſet, occiſus eſt ab *Ithobalo Aſtartæ* Sacerdote: *Ithobalus* ille annos Regni triginta duos, vitæ ſexaginta & octo numeravit. Hic *Ethbaal* ille, cujus filiam *Jezabelem* Rex Iſrael *Achab* uxorem duxit. (3. *Regum* 16. 31.) Idque *Joſephus* etiam teſtatur Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 7. ſunt tamen qui *Ethbaal* illum *Achabi* ſocerum & *Jezabelis* patrem, alium ab *Ithobalo* Tyri Rege eſſe contendant, quod Scriptura 3. *Regum* 16. *Ethbaal* patrem *Jezabelis* Regem Sidoniorum, non Regem Tyri appellet: Alios autem Sidonis, alios Tyri Reges extitiſſe, ut ex *Jeremia* Cap. 25. 22. colligere ſibi videntur: *Et cunctis Regibus Tyri, & univerſis Sidonis, & Regibus terræ Inſularum, qui ſunt trans Mare.* Et Cap. 27. 2. 3. *Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem filiorum Amon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis.*

Iidem Tyri Sidoniſque Reges.

Id confirmant ex *Strabone* Libro 16. ſcribente: *Aradii olim per ſe Reges habuerunt, ſicut & quælibet alia Urbs Phœnicum.* Contra vero *Hiromo* Regi Tyri, & Succeſſoribus, non ſolum Tyrios, ſed & Sidonios ſubditos fuiſſe, colligitur ex 3. *Reg.* 5. 6. ubi *Salomon* ad ipſum ſcripſiſſe dicitur his verbis: *Præcipe igitur ut præcidant mihi ſervi tui cedros de Libano, & ſervi mei ſint cum ſervis tuis ... Scis enim quomodo non eſt in Populo meo vir qui noverit ligna cædere ſicut Sidonii.* Et 1. Paralipomenon 22. 4. *Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David.* Idem conſtat ex *Eupolemo* apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, & ex *Joſepho* locis ſupra laudatis.

Ithobalo ſucceſſit filius ejus *Badezorus*, qui vixit annis quadraginta quinque, ſexennio vero regnavit. Poſt ipſum annis decem regnavit filius ejus *Matgenus*, obiit anno ætatis trigeſimo ſecundo. Excepit hunc *Pygmalion* frater *Didonis*, regnavitque annis quadraginta ſeptem, vixit quinquaginta ſex. De poſterioribus Tyri Regibus Ætate ſequenti dicemus.

ARTICULUS V.

De Rebus Græcorum.

Athenis Archontes perpetui.

I. SAlomone Regnum ineunte, Athenienſis Reſpublica ab Archontibus perpetuis regebatur. Corinthiis, Lacedæmoniis, Argivis, Spartanis Reges præerant. Sub *Salomonis* Regis initia *Smyrna* Urbs condita eſt a Cumæis in Hermæi Sinus receſſu.

Smyrna fundata.

Ab uxore Smyrna nomen illi *Theſeus* impoſuit, referente *Herodoto* in Vita Homeri. Epheſios & Smyrnæos olim una habitaſſe, ita ut Epheſus etiam Smyrnæ nomen geſſerit, & ipſos Epheſios *Callinus* Poeta Smyrnæos appellaverit, auctor eſt *Strabo* Libro 14. *Smyrnam* autem fuiſſe *Amazonem*, quæ Epheſum tenuit, & ab ea nomen & hominibus & Urbi factum eſſe.

Lo-

Lucum vero quemdam Epheſi Smyrnam vocatum fuiſſe, cujus mentionem fecerit *Hipponax*. Diſceſſione vero ab Epheſiis facta, Smyrnæos eo profectos eſſe ubi nunc Smyrna eſt, quem tum Leleges tenebant lucum: Quibus ejectis, veterem condiderunt Smyrnam, ab ea quæ nunc eſt ſtadiis circiter viginti diſſitam. A Cumæis primum, deinde ab Æolenſibus, tandem ab Jonibus Colophone erumpentibus occupata eſt, ut *Pauſanias* in *Achaicis*, & *Herodotus* Lib. 2. teſtantur.

Ætas & patria Homeri incerta. II. His temporibus *Heſiodus*, & *Homerus* Poetæ in Græcia floruiſſe putantur. *Homerum* centum ſexaginta octo annis poſt everſionem Trojæ natum ſcribit *Herodotus*. At ea de re inter veteres Auctores non convenit, quorum diſcrepantes ſententias *Tatianus*, & *Clemens Alexandrinus* Libro 1. *Stromatum* commemorant. *Crates* dixit illum floruiſſe ante reditum Heraclidarum intra annos octoginta poſt bellum Trojanum. *Eratoſthenes* poſt annum centeſimum a Troja capta. *Ariſtarchus*, circa Jonicam migrationem id eſt, poſt annum centeſimum quadrageſimum a caſu Trojæ. *Philocorus*, poſt Jonicam migrationem, ſub *Archippo* Athenarum Archonte, annis centum octoginta poſt exeidium Trojæ. *Apollodorus* annos numerat centum poſt migrationem Jonicam, ut ſint anni ducenti quinquaginta poſt Trojam captam. *Euthymenes* dicit eum floruiſſe cum *Heſiodo*, natum fuiſſe Chii, ſub *Acaſto*, circa annum ducenteſimum poſt captam Trojam. Ejuſdem ſententiæ fuit *Archemachus*. *Theopompus* 43. Rerum Philippicarum refert *Homerum* fuiſſe quingentis annis poſt eos qui in Ilio militarunt. *Euphorion* in Opere *De Aliadibus*, dicit eum fuiſſe tempore *Gygis*, qui cœpit regnare 18. Olympiade. *Soſibius Lacon* in *Deſcriptione Temporum*, redigit *Homerum* in octavum annum Regni *Charilli Polydecti*. Regnabat ille apud Lacædemones annos ſexagintaquatuor: Poſt quem filius *Nicander* annis trigintanovem: In trigeſimo ejus anno dicunt fuiſſe inſtitutam primam Olympiadem; adeo ut eſſet *Homerus* nonaginta annis antequam inſtituta eſſent Olympia. Alii dicunt *Homerum* fuiſſe paulo ante Olympiadas, id eſt, annis quadringentis & ſeptem poſt caſum Trojæ. Marmor Arundellianum ſub *Diogneto* Athenarum Regem *Homerum* ponit, annis poſt Trojam cladem trecentis & duobus, anno Æræ Atticæ ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Periodi Julianæ ter milleſimo octingenteſimo ſeptimo. *Meleſigenes* antea vocabatur ille Græcorum Poetarum Princeps, quod prope *Meletem* fluvium apud Smyrnæos natus eſſet: Poſtea vero a cæcitatis calamitate *Homerus* dictus eſt. Ita quidem *Herodotus*, & *Pauſanias* in *Achaicis*. At aliæ civitates ambitioſe *Homerum* ſibi vendicant. *Homerum* (inquit *Cicero* in Oratione pro Archia) *Colophonii civem eſſe dicunt ſuum; Chii ſuum vendicant; Salaminii repetunt; Smyrnæi vero ſuum eſſe confirmant: Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii præterea pugnant inter ſe atque contendunt.* Qua de re iſtud *M. Varronis* Epigramma apud *Aulum Gellium* Lib. 3. Cap. 11.

Septem Urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.

Auctor Agonis *Heſiodi* & *Homeri* teſtatur, *Hadriano* Imperatore *Pythiam* ſciſcitante undenam eſſet *Homerus*, & quibus parentibus natus, Oraculum reſpondiſſe:

Ignotum a me quæris generationem, & terram patriam.
Ambroſia Sirenis: Solo Ithacenſis eſt:
Telemachus illi pater, & Neſtoria Epicaſte mater,
Quæ peperit hominum longe ſapientiſſimum.

Lucianus Sententiarum diverſitatem irridens, fingit *Homerum* in Elyſiis ſibi reſpondiſſe; ſe Babylonium eſſe, & a civibus ſuis non *Homerum* ſed *Tigranem* vocatum: poſtea vero, cum obſes eſſet apud Græcos, nomen mutaſſe. Apion *Grammaticus*, teſte *Plinio* Libro 30. Cap. 2. ait ſe evocaſſe umbras ad interrogandum *Homerum*, qua patria, quibuſque parentibus genitus eſſet, non tamen auſum profiteri quid ſibi reſpondiſſet. Quæſtio iſta ex earum genere eſt quæ minori cum detrimento ignorantur, quam diſceptantur, judice *Seneca* Epiſtola 89. *Quatuor millia librorum* (inquit) *Dydimus Grammaticus ſcripſit: Miſer ſi tam multa ſupervacua legiſſet. In his Libris de patria Homeri quæritur, in his de Æneæ matre vera; in his libidinoſior Anacreon, an Ebrioſior vixerit? In his an Sappho publica fuerit, & alia, quæ erant dediſcenda, ſi ſcires.* De *Homeri* patria curioſum magis quam utilem Tractatum edidit *Leo Allatius*, vir cæteroquin Scriptis aliis doctiſſimis de Eccleſia benemeritus. Non ſolum ſtatuis, ſed divinis honoribus apud Smyrnæos, Chios, Argivos donatus eſt *Homerus*, ut teſtantur *Cicero Oratione pro Archia Poeta*, *Strabo* Libro 14. *Ælianus Varia Hiſtoria* Libro 9. Cap. 15. *Aulus Gellius* Libro 3. Cap. 11. & Auctor *Agonis Heſiodi & Homeri*. Docet etiam Ælianus *Ptolemæum Philopatorem* Templum *Homero* Alexandriæ extruxiſſe, & circa ejus decorè ſedentis ſimulacrum poſuiſſe civitates, quæ *Homerum* ſibi vendicabant. Chii in ejus honorem quinquennales Ludos celebrabant, quibus illius carmina recitabantur, ſicut & Athenis in quinquennali *Panathenæorum* feſto. *Homeri* Poemata varias in partes diſſecta, & ſub diverſis titulis a veteribus Rhapſodis recitari ſolita, *Solon* in unum Poematis corpus colligi ac diſponi juſſit teſte *Diogene Laertio* in *Solonis* Vita. *Piſiſtratus* ea in *Iliadem* & *Odyſſeam* digeſſit, ut referunt *Cicero* Libro 3. *De Oratore*, & *Ælianus* loco ſupra laudato. *Homero* Poeta nullus felicior extitit, ſive Operis fortuna, ſive materia æſtimetur. *Alexander Magnus*, inter ſpolia *Darii* Perſarum Regis, unguentorum ſcrinium cepit, quod erat auro gemmiſque ac margaritis pretioſum, varios ejus uſus amicis demonſtrantibus, (quando tædebat unguenti Bellatorem & militari pulvere glorioſe ſordidum.) *Imo hercle*, inquit, *Librorum Homeri cuſtodiæ detur:* Ut pretioſiſſimum humani animi opus quam maxime diviti Operi ſervaretur. Ille enim *Iliadem virtutis bellicæ viaticum* appellavit, eamque ab *Ariſtotele* correctam, cum pugione ſub pulvino ſemper repoſitam habebat. Referunt *Plinius* Libro 7. Cap. 29. & *Plutarchus* in Vita *Alexandri*. Narrat idem in Apophtegmatibus, *Alcibiadem* ad ludum literarium aliquando venientem, Iliadem a Magiſtro popoſciſſe: Qui cum ſe nihil Homericum habere diceret, colapho ei impacto tranſit. *Caſſander* Rex Macedoniæ, ut refert *Caryſtius* ab *Athenæo* laudatus Libro 5. adeo fuit *Homeri* ſtudioſus, ut carmina plurima memoriter haberet, & tum Iliadem, tum Odyſſeam propria manu deſcriptam. Notum eſt illud *Dionis Chryſoſtomi* de *Homero* Judicium: *Homerus & medius & ultimus & primus, omni puero, & viro, & ſeni legendus tantum ex ſe præbens, quantum unuſquiſque capere poteſt.* Quod certe de Scripturæ Divinæ Libris, quam de Poeticis illis lucubrationibus, quas idem Auctor ægrorum ſomniis comparat, aptius diceretur. *Plato* a ſua Republica exulare voluit *Homerum*. Eumdem *Longinus* in Tractatu *De Sublimi*, & *Philoſtratus* reprehendunt, quod Diis & Heroibus indigna facinora, cupiditateſque tribuerit. Qua de re eleganter *Cicero* Libro 1. Tuſcul. Quæſtion. *Humana*, inquit, *ad Deos transferebat, divina mallem ad nos.* Quam Oratoris ſententiam laudans *S. Auguſtinus* Lib. 4. *De Civitate Dei* Cap. 26. ait: *Merito diſplicuit vir gravi divinorum criminum Poeta conſictor.*

III. Uter antiquior fuerit *Heſiodus*, an *Homerus*, Quæſtio eſt apud Auctores controverſa. Nullum Scriptum inveniri, de quo conſtet quod ſit *Homeri* carminibus antiquius, *Joſephus* aſſerit Libro 1. contra Apionem. *Homerus primus doctrinarum & antiquitatis parens a Plinio* vocatur Libro 26. Cap. 2. *Philocorus* & *Xenophanes* Heſiodum majorem natu fecerunt, *Accius* Poeta & *Ephorus* Hiſtoricus minorem, ut refert *Aulus Gellius* Libro 3. Cap. 11. *Vellejus Paterculus* Libro 1. *Heſiodum* annis circiter centum & viginti *Homero* antiquiorem fuiſſe ſcripſit. *M. Varro* coævos probavit ex Epigrammate quod in Monte *Helicone* ab *Heſiodo* poſitus dicitur, *Aulo Gellio* referente. Idem ſenſit *Herodotus* Libro 2. Cap. 53. *Solon* in ſeptem Sapientum Convivio, apud *Plutarchum*, refert *Heſiodum* apud Locros, de imminuta hoſpitis filiæ pudicitia immerito ſuſpectum, a puellæ fratribus, apud Locrenſe Nemejum ex inſidiis trucidatum fuiſſe, ejuſque cadaver in Mare projectum a Delphinorum grege ad Rhium & Molycriam deportatum. *Uter antiquior, Heſiodus, an Homerus?*

A Lo-

A Locris, qui tunc forte apud Rhium conventum ſolemnem agebant *Heſiodi* recens interfecti cadaver agnitum. Illos protinus hominis gloria permotos, cædis auctores ab *Heſiodi* cane proditos in Mare vivos præcipitaſſe, eorumque domum diruiſſe: *Heſiodum* autem ad *Nemejum* ſepultum eſſe. De *Heſiodi* Operibus legi poteſt *Pauſanias* Libro 9. Pater *Heſiodi* Cumanus erat, ſed Cuma Æolica profectus, in Bœotiam commigravit. Ibi genitus eſt *Heſiodus* in pago cui *Aſcra* nomen.

Olympiorum Agonum inſtitutio. Lycurgus Lacedæmonum Legiſlator.

IV. *Ochozia* apud Judæos regnante, *Iphitus*, *Lycurgus*, & *Cleoſthenes* Olympios Agones inſtituerunt, vel potius inſtaurarunt & perpetuos eſſe ſanxerunt, anno Æræ Atticæ ſexcenteſimo nonageſimo nono, Periodi Julianæ ter milleſimo octingenteſimo trigeſimo. *Iphitus* Elidenſium Rex fuit. *Lycurgus* Rex Spartanorum, *Polydecta* fratri ſuccedens, menſes octo dumtaxat regnavit. Nato enim *Charilao Polydectæ* filio poſthumo, Regnum abdicavit, puerique tutelam ſuſcepit deluſa Matre quæ abortum meditata fuerat, & proponere anſa fuerat, modo ipſi *Lycurgo* nuberet. A *Leonida* Reginæ matris fratre aliiſque propinquis objecta per ſpeciem convitii ſpe regnandi, Regiam ipſam tutelam depoſuit, & peregrinationem in Cretam, Joniam, & Ægyptum ſuſcepit, ut mores hominum, populorumque Leges, Ritus, & Sacra pernoſceret. Poſt decem annos in Græciam reverſus, Lacedæmoniis Leges condidit, quibus ut auctoritatem conciliaret, *Apollinis Delphici* Oraculo confirmatas vulgavit. Ita referunt *Plutarchus* in Vita Lycurgi, *Strabo* Libro 10. *Herodotus* Libro 1. *Cicero* Libro 1. De Divinatione, *Polyænus* Libro 1. Strategematum, *Trogus Pompejus*, & ex eo *Juſtinus* Libro 3. Hiſtoriæ. Ingratos cives expertus eſt *Lycurgus*: Sæpe enim lapidibus petitus, aliquando furore publico ejectus, etiam privatus oculo, ad ultimum ipſa patria pulſus eſt, quod nimiam auri & argenti poſſeſſionem, luxumque ſevere prohibuiſſet. (Ex *Pauſania* in Laconicis, *Valerio Maximo* Libro 5. Cap. 3. *Æliano* Variæ Hiſtoriæ Libro 13. Cap. 23. & *Plutarcho* in Vita *Lycurgi*.) Ut vero Legibus ſuis æternitatem daret, jurejurando Lacedæmonios obligavit, nihil eos in hujuſmodi Legibus mutaturos, priuſquam reverteretur, ſeque ad Oraculum Delphicum proficiſci ſimulans, conſulturum quid addendum mutandumque videretur, profectus eſt Cretam, ibique perpetuum exilium egit, oſſaque ſua in Mare objici moriens juſſit, ne relata Lacedæmonem, ſolutos ſe Spartani jurisjurandi religione in diſſolvendis Legibus arbitrarentur. (Ex *Trogo Pompejo* & *Juſtino* Libro 3.)

Olympiadum Epocha.

V. Quia vero de Olympiadum initiis dicere cœpimus, operæ pretium eſt obſervare, Olympiadum Epocham eſſe duplicem, veram & vulgarem. Vera illa eſt, quæ ab *Iphiti* inſtitutione prima eſt, ſeu ab eo tempore quo *Iphitus* Ludos Olympios inſtauravit. Vulgaris eſt ea quæ ab eo tempore petitur, quo in vulgarem Chronologorum uſum Olympiades receptæ ſunt. Sic prima Olympias eſt vigeſima octava Iphitea, illa ſcilicet qua *Corœbus Eleus* ſtadio vicit, ab æſtate anni ter milleſimi nongenteſimi trigeſimi-octavi Periodi Julianæ, ante Chriſtianam Æram vulgarem ſeptingenteſimi ſeptuageſimi-ſexti, anni Mundi ter milleſimi ducenteſimi vigeſimi-octavi, anni *Oziæ* Regis Juda trigeſimi-quinti, *Æſchylo* Athenis regnante, anno Æræ Atticæ octingenteſimo ſeptimo numeranda eſt. Primam illam Græcorum Chronologorum Olympiadem eſſe Iphiteam 28. oſtendit *Julius Africanus* in Græcis Euſebianis *Scaligeri*, ex *Ariſtodemi Elei*, & *Polybii* Scriptis. Idemque ex *Phlegontis Tralliani* fragmento *De Olympiis* confirmatur. Hic apud Ethnicos Auctores temporis illud intervallum definit, quod a Varrone *Myſticum* nominatur, quod in eo multa fabuloſa referantur: incipit illud quod dicitur *Hiſtoricum*, quia res in eo geſtæ veris Hiſtoriis continentur. Tetraeterica Olympiadum computatio in uſum Chronologicum aſſumi cœpit annis amplius ſexcentis poſtquam *Iphitus* Olympicos Agones inſtauravit. Primus omnium *Timæus* id præſtitit in Hiſtoria Ptolemæi Philadelphi temporibus conſcripta, ut conſtat ex *Polybio*, in Excerptis Valeſianis, & ex *Suida*. Poſt *Timæum* floruit *Eratoſthenes* ſub *Ptolemæo Evergete*, & *Canones*, *Temporum* adornavit, ut *Dionyſius Halicarnaſſenſis* Libro 1. & *Plinius* Libro 4. Cap. 5. teſtantur: Atque ab illis demum temporibus Olympiades ad uſum Hiſtoriæ & Chronologiæ vulgo aſſumptæ ſunt.

Phydon Rex Argivorum.

VI. *Iphito* Olympiorum inſtauratori æqualis fuit *Phidon* Rex Argivorum, quem menſuras & pondera Peloponnenſis primum inſtituiſſe, & Monetam Æginæ cudi juſſiſſe, teſtantur *Herodotus* Libro 6. Cap. 127. *Ephorus* apud *Strabonem* Libro 8. *Euſebius*, & *Georgius Syncellus* in Chronicis, & Marmor Arundellianum.

Regni Macedonici exordia.

VII. *Phidonis* frater fuit *Caranus*, Macedonici Regni conditor vulgo exiſtimatus. (Ex *Trogo Pompejo*, & *Juſtino* Libro 7. Cap. 1. *Tito Livio*, *Velleio Paterculo*, *Pauſania*, *Dexippo*, *Euſebio*, *Georgio Syncello*.)

Regum Macedoniæ ſucceſſio.

At *Herodotus* Macedonici Regni conditorem *Perdiccam* facit Libro 8. Cap. 139. Reges novem ante *Alexandrum* hujus nominis Primum *Dexippus*, *Euſebius*, & *Georgius Syncellus* numerant; ſcilicet *Caranum*, *Cœnum*, *Tyrimmam*, *Perdiccam*, *Argæum*, *Philippum*, *Æropam*, *Alcetam*, *Amyntham*, quibus *Alexander* I. ſucceſſit. *Herodotus* vero ſex Reges dumtaxat ante *Alexandrum* illum recenſet. *Ab hoc autem Perdicca*, inquit, *hunc in modum Alexander, oriundus eſt: Amyntha filius fuit Alexander, Amyntas Alceta, pater Alcetæ fuit Æropus, Æropi Philippus, Philippi Argæus, hujus Perdiccas, qui paravit Imperium. Ita Amyntha fuit Alexander filius.* Caranus, Cœnus, Tyrimmas, *Herodoto* judice ex Laterculo Macedonum Regum expungendi. *Solinus* Cap. 15. *Perdiccam* ſucceſſiſſe dicit *Carano*, ſed illum nihilominus *Primum Regem* nominatum. In Temenidarum Genealogia, quam ex Satyro profert *Theophilus Antiochenus*, Perdiccas abnepos Carani cenſetur. *Ex Ariſtomacho*, inquit, *ortus eſt Temenus; ex hoc Ciſſus; ex hoc Maron; ex hoc Theſtius; ex hoc Acous; ex hoc Ariſtomidas; ex hoc Caranus; ex hoc Cœnus; ex hoc Tyrimmas; ex hoc Perdiccas; ex hoc Argæus; ex hoc Philippus; ex hoc Æropus; ex hoc Alcetas; ex hoc Amyntas.* Ex iſta Genealogia *Caranus*, *Cœnus*, & *Tyrimmas* in Macedonorum Regum laterculum perperam aſciti videntur. *Perdiccæ* initia ad annum Periodi *Julianæ* quater milleſimum primum, atque adeo ad tempora *Ezechiæ* Regis Juda referuntur. Regnavit annis quadraginta & octo, *Argæus* annis triginta-duobus, *Philippus* annis triginta-quinque, *Æropus* annis quadraginta tribus, *Alcetas* annis viginti-octo, *Amyntas* annis quadraginta-novem, *Alexander* annis quadraginta-tribus. Sequitur in laterculo *Perdiccas* alter, qui regnaſſe dicitur annis viginti-tribus; *Archelaus*, quatuordecim; *Oreſtes*, tribus; *Archelaus* alter, quatuor; *Amyntas* alter, uno; *Pauſanias*, uno; *Amyntas Tertius*, quinque; *Argæus Secundus*, duobus; *Amyntas Quartus*, duodecim; *Alexander Secundus*, uno; *Ptolemæus*, quatuor; *Perdiccas Tertius*, ſex; *Philippus*, viginti-quatuor; *Alexander Magnus*, duodecim.

Colonia ab Archia Corinthio Syracuſas ducta.

VIII. Anno Periodi Julianæ ter milleſimo nongenteſimo quadrageſimo quinto Æræ Atticæ octingenteſimo decimo-quarto, & quarto Olympiadis ſecundæ, *Archias* Corinthius Coloniam deduxit Syracuſas anno vigeſimo-primo *Æſchyli* Regis, ut ex Arundelliano Marmore colligitur. A novis Colonis primo occupata eſt inſula *Ortygia*: & in ea Urbs condita. Poſt annos ſeptuaginta *Acræ* a Syracuſanis conditæ ſunt; & *Caſmena*, annis circiter viginti poſt *Acras*. Urbis celeberrimæ deſcriptionem elegantem legere eſt apud *Ciceronem* Libro 4. *in Verrem*. Lege & *Pauſaniam* Libro 5. & *Strabonem* Libro 6.

Bellum Meſſeniacum primum.

IX. Anno ſecundo Olympiadis nonæ Lacedæmonii Meſſeniis bellum intulerunt, quod annos amplius viginti inter utramque Gentem exarſit. Spartanarum Virginum violationem in ſolemni Meſſeniorum Sacrificio, & *Teleeli* Lacedæmoniorum Regis cædem, bellum iſtud accendiſſe ajebant Lacedæmonii; contra vero *Meſſenii* aſſerebant. Primoribus ſuis ad Templum venientibus inſidias a *Teleclo* factas, ut qui diſpoſuerit adoleſcentes in morem Virginum ornatos, cum pugionibus, qui *Meſſeniorum* Primores illos ſedentes ex improviſo adorirentur. Tum Meſſenios ad vim arcendam accurriſſe, & cum *Teleclum* ipſum,

tum

Digitized by Google

tum juvenes illos ſexum diſſimulantes interfeciſſe. Ita *Pauſanias* in *Meſſeniacis*. Ejus belli meminit & *Strabo* Libro 8. & *Trogus Pompejus* ac *Juſtinus* Libro 3.

Archontes Athenis decennales.

X. *Joathami* Regis Juda temporibus, Athenienſes Archontas ſuos, ſive Prætores, antea perpetuos, decennali poteſtate contentos eſſe voluerunt, teſte *Pauſania* in *Meſſeniacis*. Primus Archon decennalis *Charops* fuit, *Æſchili* filius. Iiſdem circiter temporibus,

Ephori apud Lacedæmones inſtituti.

Lacedæmoniorum Regum poteſtas inſtitutis *Ephoris* a *Theopompo* Rege temperata eſt. Annuus erat hic Magiſtratus, & Popularis. Quinque numero ex Populo eligebantur, Gravioribus negotiis præerant, Primi Ephori nomine Anni in Faſtis atque Annalibus ſignabantur, ut Conſulum nominibus apud Romanos. Quamobrem Ephorus ille Ἐπώνυμος dicebatur. Primus Lacedæmoniorum Ephorus fuit *Elatus*. Uxori exprobranti quod Regnum poteſtate imminutum filiis relinqueret, reſpondit Theopompus: *Minime vero; trado enim diuturnius*. De his *Plutarchus* in Vita *Lycurgi*, & in Libello ad Principem indoctum, *Ariſtoteles* Libro 2. Politicorum Cap. 8. *Pauſanias* in Laconicis, *Cicero* Lib. 3. de Legibus, *Valerius Maximus* Lib. 4. Cap. 1.

Bellum Thyreaticum.

XI. Regnante apud Lacedæmonios *Theopompo*, bellum inter Argivos & Lacedæmonios geſtum eſt de Thyreatum finibus, *Thyreaticum* inde nominatum. Inter utramque Gentem conventum eſt, ut utrinque diſcedente Exercitu, viri trecenti dimicarent, eorumque regio foret, qui bello ſuperiores eſſent. Ex ſexcentis pugnantibus, tres dumtaxat ſuperſtites fuere; *Alcinor* & *Chromius* Argivi, qui præcipiti curſu, quaſi victoriam nunciaturi Argos contenderunt: Ex Lacedæmoniis unus *Othryades*, qui ſpoliatis Argivis, eorum arma ad ſuorum caſtra deferens, ex eorum ſcutis Trophæum erexit, & ſanguine ſuis ex vulneribus manante id inſcripſit: *Jovi. Trophæali. Lacedæmonii. De Argivis.* Cum vero duo illi ſuperſtites Argivi litem integrarent, Amphictyones victoriam Lacedæmoniis adjudicarunt. De his *Pauſanias* in Laconicis & Argolicis; *Plutarchus* in Parallelis; *Herodotus* Lib. 1. *Stobæus* Sermone *De Fortitudine*, & *Euſebius* ad annum quartum Olympiadis 14.

Athenienſium Archontes annui.

XII. Olympiadis 25. anno ſecundo; Archontes annui Athenis electi, & novem Magiſtratuum Imperium conſtitutum eſt, ut ait *Euſebius* in Chronico. *Archon* dignitate cæteris antecibat, ejuſque nomine ſignabantur Anni, unde *Eponymus* dicebatur, teſte *Pauſania* in Laconicis. Primus Archon annuus fuit *Creon*. Secundum Archontem erant *Theſmothetæ* ſex, quorum munus erat Legum curam gerere, eaſque quotannis emendare, ut ex *Æſchine* notavit *Harpocration*. Sequebatur Βασιλεὺς *Rex*. Ita vocabatur Magiſtratus qui Myſteriorum curam gerebat, Pompiſque & Sacrificiis præerat, ut docet Scholiaſtes *Ariſtophanis* ſub finem Acharnenſium. *Polemarchus*, Magiſtratuum poſtremus, cauſas peregrinorum judicabat, qui etſi inter Athenienſes degerent, jus tamen civitatis non habebant. De his *Julius Pollux* Lib. 8. Cap. 25. & 24.

Bellum Meſſeniacum ſecundum.

Ejuſdem Olympiadis anno quarto Bellum Meſſeniacum ſecundum conſignandum eſt, de quo prolixe *Pauſanias* Lib. 4. Lacedæmonii Meſſenios profligarunt, captaque poſt annos undecim obſidionis *Eira*, Meſſenia potiti ſunt.

Chalcedon condita.

XIII. Olympiadis vigeſimæ-ſextæ anno ſecundo, *Chalcedon* Urbs in Bithynia condita eſt a Megarenſibus, ut docet *Euſebius* in Chronico. A *Chalcide* amne propinquo nomen accepit, ut *Stephanus Byzantinus* teſtatur. Olympiadis trigeſimæ anno tertio Byzantium Thraciæ oppidum conditum notat *Euſebius*. Argivorum coloniam fuiſſe ſcripſit *Heſychius*; Athenienſium *Ammianus*; Mileſiorum *Velleius Paterculus*; Megarenſium *Marcianus Periegetes*. Byzantii conditorem *Byzantem* Megarenſium Ducem fuiſſe docet *Euſtathius* in Dionyſii Periegeſim. *Hæmum* Thraciæ Regem a *Byzante* ſingulari certamine victum fuiſſe, legimus in *Heſychii* Libro *De Rebus Patriis Conſtantinopoleos*. Poſtea, cum Scytharum Rex Byzantium obſideret, *Phidaleo Byzantis* uxor ſerpentes in vaſcula conjectos ſagittarum inſtar emiſit in hoſtes, & plurimis hoc modo interfectis, Urbem abſente marito ſervavit, Idem refert *Joannes Tzetzes* Chiliade 2. Hiſt. 9. Iis, qui (condita jam a Megarenſibus Chalcedone) Byzantium condiderunt, *Apollo* mandaſſe dicitur, ut *e regione cæcorum* Urbem extruerent, cæcorum nomine Megarenſes deſignans, qui, cum priores ad iſta loca navigaſſent, omiſſo ulteriori littore, in quo tanta eſſet commoditas, deterius ſolum occuparunt. Ita narrant *Strabo* Lib. 7. & *Cornelius Tacitus* Lib. 12. Annalium.

Thales Mileſius naſcitur.

XIV. Olympiadis trigeſimæ-quintæ anno primo Mileti in Jonia natus eſt *Thales*, *a patria Mileſius* appellatus, Phyſicorum Philoſophorum primus, ut ex *Apollodori* Chronico refert *Laertius* in ejus Vita, & *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 1. contra *Julianum*. Ipſum e Phœnicia genus duxiſſe, quamvis Mileti natus ſit, docet *Herodotus* Lib. 1. quod a *Clemente Alexandrino* Lib. 1. *Stromatum* obſervatum eſt; *Quinetiam* (inquit) *Thales*, *ut referunt Leander & Herodotus erat Phœnix*.

Draco Athenienſium Legiſlator.

XV. Olympiadis trigeſimæ-nonæ anno primo, *Draco* Athenienſibus Leges tulit, ut teſtantur *Tatianus* Oratione adverſus Græcos, *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum, *Euſebius* in Chronico, & *Suidas*. Neque eſt ulla apud Græcos tabula publica his Legibus antiquior, (inquit *Joſephus* Libro 1. contra *Apionem*).

Draconis Leges acerbæ.

Draconis Leges non diu in honore fuerunt propter acerbitatem. Peccatis enim omnibus unum ſupplicium, capitale ſcilicet conſtituit: Adeo ut & qui otii damnarentur, & qui olus aut poma ſurripuerent, morte mulctarentur, non ſecus ac ſacrilegi atque homicidæ.

Lex contra otioſos.

Hinc *Demades* poſtea ſcite dixit, *Draconem Leges ſanguine, non atramento ſcripſiſſe*. Refert *Plutarchus* in Vita *Solonis*. Legem de otioſis capite plectendis ex Ægypto a *Solone* advectam eſſe, ſcribunt *Herodotus* Libro 2. Cap. 177. & *Diodorus Siculus* Libro 1. At *Draconi*, non *Soloni*, Lex iſta ab aliis tribuitur. Neque tamen de pœna illa ſatis convenit inter Auctores. Reclamat ſcilicet *Julius Pollux* Libro 8. Cap. 6. *Juxta Draconem* (inquit) *otii pœna erat infamia; Juxta Solonem, tertio reus otii infamis erat.* Et *Laertius* in Vita Solonis ex Lyſia refert, *Draconem* Legem ſcripſiſſe his verbis: *Otioſi nomen deferre cuivis liceat.* Areopagitis tamen *Solon* negotium dedit, *Ut viderent unde quiſque viveret, & in otioſos animadverterent*, ut refert *Plutarchus*. Legem de homicidiis ad pecudes ipſas *Draco* extendit, ſtatuens *Ut animalia* bruta etiam ipſa quæ mortis fuiſſent cuiquam in cauſa, cædis tenerentur. Quod ex Moſaica Lege de bove cornupeta ſumptum eſt. Imo ad inanimata Legem de homicidiis etiam pertinere voluit, ut ex *Pauſania* in *Eliacis* colligitur. *Cum Theagenis ſtatua*, inquit, *hominem ſubito caſu oppreſſiſſet, ejus filii ſtatuam de cæde poſtularunt; & Thaſii eam in Mare abjecerunt ex Lege Draconis, qui cum Leges ſcriberet, ſanxit, Urbe agroque exterminanda etiam inanimata, ſi quid forte eorum corruens hominem interemiſſet.* Rogatus *Draco*, cur delicta pene omnia capitis ſupplicio plectenda ſanxiſſet, reſpondit: *Se exiſtimare exigua peccata morte digna; Sed pro magnis ſe non habere majus ſupplicium.* Ita refert *Plutarchus*. Peccata ſcilicet omnia æqualia cenſebat *Draco*, quæ Stoicorum doctrina poſtea fuit.

Maſſilia a Græcis condita.

XVI. Olympiade quadrageſima-quinta, regnante apud Judæos *Sedekia*, annis ante Chriſtum paulo minus ſexcentis, *Maſſilia* Urbs Galliæ Narbonenſis, portu & emporio celeberrima, a Phocæenſibus condita eſt, teſte *Solino*, Cap. 8. Phocæenſes autem cum Phocenſibus Auctores nonnulli, etiam ex Veteribus, perperam confundunt: Illi ab Urbe Joniæ *Phocæa*, hi a *Phocide* Regione, cujus Metropolis erat *Delphi*, denominantur, ut conſtat ex *Stephano Byzantio* Libro *De Urbibus & Populis*. Maſſiliam Phocæenſium eſſe Coloniam docent *Strabo* Libro 4. *Pomponius Mela* Libro 2. Cap. 5. *Athenæus* Libro 13. & alii. Ex *Ariſtotele* Libro *De Republica Maſſilienſium* hanc hiſtoriam refert poſtremo laudatus Auctor. *Phocæenſes Jonios mercatores Maſſiliam condidiſſe: Euxenum inter illos Nanni ejus ora Principis fuiſſe hoſpitem. Is, cum eſſent filiæ preparatæ Nuptiæ, Euxenum invitat ad convivium. Sic porro fieri Nuptiæ conſueverant: Poſt cœnam Virgo intrabat, temperatumque phialam porrigebat cui vellet ex adſtantibus procis: Cui tradidiſſet, is Sponſus erat. Accedit tum Virgo nomine Petta, &*

ſive

ſive caſu, ſive ob quamdam aliam cauſam, phialam offert. Ita cum accidiſſet, & pater Deorum providentia contigiſſe crederet, lubens filiam deſpondit: Mutato vir nomine Ariſtoxenam illam vocavit, & oblitus patriæ, una cum illa vitam exegit. Protis quidem Euxeni fuit & Ariſtoxenæ filius. Ab eo genus propagato nunc Maſſiliæ Protiada appellatur. Conditam a *Proto* Maſſiliam ſcribit *Plutarchus* in Vita *Solonis* Cap. 3 *Juſtinus* ex Trogo Pompejo *Protin* vocat Libro 43. Cap. 3. Filiamque *Nanni* Segobrigiorum Regis, *Gyptin* nomine, ipſi traditam uxorem narrat, cum ipſi, omiſſis omnibus, aquam inter epulas, more gentis virgo Princeps porrexiſſet. Condita Maſſilia eſt prope oſtia Rhodani amnis, in remoto ſinu velut in angulo Maris. Sed Ligures incrementis Urbis invidentes, Græcos aſſiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulſando in tantum enituerunt, ut victis hoſtibus, captivis agris multas colonias conſtituerent. *Ab his igitur Galli, & uſum vitæ cultioris, depoſita & manſuefacta barbaria, & agrorum cultus & Urbes mœnibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis vivere, tunc & vitem putare, tunc & olivam ſerere conſueverunt: Adeoque magnus & hominibus & rebus impoſitus eſt nitor, ut non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam tranſlata videretur.* Mortuo Rege *Nanno* a quo locus acceptus condendæ Urbis fuerat, cum Regno filius ejus *Comanus* ſucceſſiſſet, ſucceſſit Regulus quidam, *Quandoque Maſſiliam exitio finitimis Populis futuram, opprimendamque in ipſo ortu; ne mox validior ipſum obrueret.* Subnexuit & aliam fabulam: *Canem aliquando partu gravidam locum a Paſtore precario petiiſſe, in quo pareret: Quo obtento, iterato petiiſſe ut ſibi eodem in loco educare catulos liceret: Ad poſtremum adultis catulis, fultam domeſtico præſidio, proprietatem loci ſibi vindicaſſe. Non aliter Maſſilienſes, qui nunc inquilini videantur, quandoque Dominos regionum futuros.* His incitatus, Rex, inſidias Maſſilienſibus ſtruit. Itaque ſolemni * Floraliorum die multos fortes ac ſtrenuos viros hoſpitii jure in urbem miſit, plures ſcirpis latentes, frondibuſque ſupertectos induci vehiculis jubet; & ipſe cum exercitu in proximis Montibus delitescit; ut cum nocte a Maſſilienſibus apertæ portæ forent, tempeſtive ad inſidias adeſſet; Urbemque ſomno ac vino ſepultam armatis invaderet. Sed has inſidias Mulier quædam Regis cognata prodit, quæ adulterare cum Græco adoleſcente ſolita, in amplexu juvenis miſerata formæ ejus, inſidias aperit, periculumque declinare jubet. Ille rem ſtatim ad Magiſtratum defert: Atque ita patefactis inſidiis, cuncti Ligures comprehenduntur latenteſque de ſcirpis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis, inſidianti Regi inſidiæ tenduntur. Cæſa ſunt cum ipſo Rege hoſtium ſeptem millia. *Exinde Maſſilienſes feſtis diebus portas claudere, vigilias agere, ſtationem in muris obſervare, peregrinos recognoſcere, curas habere, ac veluti bellum habeant, ſic Urbem pacis temporibus cuſtodire. Adeo illic bene inſtituta, non temporum neceſſitate, ſed recte faciendi conſuetudine ſervantur.* Ita *Juſtinus* loco ſupra laudato. Ingenuarum literarum ſtudia adeo Maſſiliæ floruerunt, ut Romani pro Athenienſi peregrinatione Maſſilienſem amplecterentur; ac *tantum Græcarum literarum ſtudium apud Gallos excitarunt* Maſſilienſes, *ut contractuum quoque formulas græce conſcriberent.* Ita refert *Strabo* Libro 4. Reſpublica Maſſilienſium per Optimates adminiſtrabatur, Concilio 600. . . . virorum, quos ab honore perpetuo *Timuchos* appellabant. Huic Concilio quindecim Viri præerant, occurrentium negotiorum ordinarii Judices. Ex his rurſum tres præſidebant maxima poteſtate. Nullus *Timuchi* dignitatem conſequebatur, cui nulli eſſent liberi, aut cujus ſtirps per tres ætates inter cives non duraviſſet. Legibus Jonicis utebantur. *Dianam Ephesiam* & *Apollinem Delphicum* olim colebant. Romani *Dianæ* ſimulacrum a Maſſilienſibus amicis ſuis acceptum in Aventino dedicarunt. *Frugalitatis ac modeſtiæ Maſſilienſium non minimum eſt argumentum, quod apud eos maxima dos eſt centum aurei, & ultra quinque in veſtitum, ac totidem in ornatum aureum inſumere non licet.* Verba ſunt *Strabonis* loco ſupra laudato. *Maſſiliæ ſocietate & viribus fultam aliquando legimus Romam* (inquit *Ammianus Marcellinus* Libro 16. Cap. 21.) Maſſilienſium Rempublicam egregie laudat *Cicero* pluribus in locis, præſertim vero in Oratione pro L. V. Flacco. *Neque vero te*, inquit, *Maſſilia prætereo, quæ L. Flaccum Militem, Quæſtoremque cognoſti: Cujus ego Civitatis diſciplinam atque gravitatem, non ſolum Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis Gentibus anteponendam jure dicam: Quæ tam procul a Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguaque diviſa, cum in ultimis terris cincta Gallorum Gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, ſic Optimatum conſilio gubernatur, ut omnes ejus Inſtituta laudare facilius poſſint, quam æmulari.* Denique de Maſſilienſibus hæc habet *Valerius Maximus* Lib. 2. *Maſſilienſes ad hoc tempus uſurpant diſciplinæ gravitatem, priſci Moris obſervantia, caritate Populi Romani præcipue conſpicui, qui tres in eodem manumiſſiones reſcindi permittunt, ſi ter ab eodem deceptum Dominum cognoverint: Quarto errori ſubveniendum non putant: Quia ſua jam culpa injuriam accepit, qui ei ſe toties objecit. Eadem Civitas ſeveritatis cuſtos acerrima eſt, nullum aditum in ſcenam Mimis dando, quorum argumenta majore ex parte ſtuprorum continent actus: Ne talia ſpectandi conſuetudo & imitandi licentiam ſumat. Omnibus autem, qui per aliquam Religionis ſimulationem alimenta inertiæ quærunt, clauſas portas habet, & mendacem, & fucoſum Superſtitionem ſubmovendam eſſe exiſtimans.*

* *Feſtus dies erat in honorem Deæ Floræ apud Græcos & Romanos inſtitutus.*

Maſſilienſium Reſpublica.

XVII. Olympiadis quadrageſimæ-ſextæ anno ſecundo, Athenas *Cylonis* piaculo contaminatas. (de quo *Thucydides* Libro 1. *Herodotus* Libro 5. Cap. 71. & *Plutarchus* in *Solone*) expiari viſum eſt *Pythiæ* reſponſo, cum cives peſtilentia, nocturniſque ſpectris vexarentur. Itaque *Nicea* filio *Nicerati* cum nave in Cretam miſſo, *Epimenidem* acciverunt; qui cum veniſſet, Urbem luſtravit hunc in modum: Oves nigras & albas in Areopagum duxit: illinc eas quo vellent, ire permiſit; eis qui ſequebantur præcipiens, ut ubi quæque recubuiſſet, ibi mactaretur τῷ προσήκοντι Θεῷ, *Deo cui conveniret.* Atque peſtilentiam ita deſiiſſe ferunt. Hinc factum ut in Athenienſium vicis *Aræ nullo inſcripta nomine* ſint erectæ, memoriam ejuſdem placationis ferentes. *S. Paulus* Actuum 17. ait ſe Athenis vidiſſe *Aram* inſcriptam, *Ignoto Deo*. Cujus inſcriptionis cauſam affert *S. Iſidorus Peluſiota* Libro 4. *Epiſtola* 69. *Ajunt, peſtem occupaſſe Athenienſium Civitatem: Cum igitur Deos Lege ſancitos coluiſſent, nihil inde utilitatis perceperunt. Quare cum cogitationibus ſubiiſſet fieri poſſe ut Deus eſſet aliquis, quem ipſi, utpote incognitum, ſine honore & cultu reliquiſſent, qui ob ſui contemptum peſtem immiſiſſet, Templum extruxerunt, & Aram cui inſcripſerunt*, ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ: *Cumque Illi hoſtias immolaſſent, ſanati ſunt*: Lucianus in *Philopatride* bis meminit τοῦ ἐν Ἀθήναις Ἀγνώστου. *Suidas* in Τιμαῖος ait: *Athenis ignotorum etiam Deorum Aræ ſtatuuntur*. Pauſanias in *Eliacis* ait, Jovis Olympii Altari adjacere Aram Ἀγνώστων Θεῶν. S. Hieronymus Commentario in Epiſtolam ad Titum, Aræ illius Inſcriptionem hanc fuiſſe dicit: *Diis Aſiæ, & Europæ, & Africæ, Diis ignotis & peregrinis.* Athenienſes præterea, *Epimenide* ſuadente, fecerunt *Contumeliæ* fanum, & *Impudentiæ*, teſte *Cicerone*, Libro 2. De Legibus. Quod quidem vitioſum (inquit) *Virtutes enim, non vitia conſecrare* decet. *Epimenides* ille quem *Clinias Cretenſis* apud *Platonem* Lib. 1. De legibus, *Virum divinum* prædicat; quem *divinandi peritiſſimum*. & *Diis amiciſſimum* Laertius; *Inclitum fatiloquum & Poetam* Apulejus, *Florid.* Lib. 2. quem *Virum Deo charum, & in rebus ſacris præcellentem ſapientia, tum fanatica tum Myſtica*, Plutarchus in *Solone* appellat; quem ætatis illius homines Nimphæ *Balte* filium dicebant, & *Novum Cureta*; quem nonnulli in numero ſeptem Sapientum recenſebant, expuncto *Periandro*; quem de *præteritis quidem, at obſcuris* vaticinatum ait *Ariſtoteles* Libro 3. *Rhetoricorum*, Cap. 17. quem *Cicero Libro* 1. *De Divinatione* inter Vates numerat, qui concitatione quadam animi, & per furorem futura præſenſerunt atque prædixerunt: Ille (inquam) ipſe eſt quem Apoſtolus ad *Titum* ſcribens Cap. 1. Verſ. 12. Cretenſium Prophetam appellat: *Dixit quidam*

Cylonis piaculum Athenienſium expiatio ab Epimenide.

Ara apud Athenienſes Ignoto Deo unde erecta?

ex

ex illis, proprius ipſorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

Solon Athenienſium Legiſlator.

XVIII. Olympiadis 46. anno tertio, regnante apud Judæos *Sedekia*, Magiſtratum apud Athenienſes geſſit *Solon*, ſeptem Sapientum unus, eiſque Leges conſcripſit, teſte *Soſicrate*, & *Diogene Laertio*, in ejus Vita. Athenienſis Reipublicæ ſtatum ea tempeſtate *Plutarchus* in *Solonis* Vita deſcribit. *Quia vero* (inquit) *flagrabat ea tempeſtate pauperum cum divitibus ex inæqualitate diſſenſio, Civitas prorſus in lubrico verſabatur. Una autem ſupereſſe ratio videbatur ad ſalutem & quietem, ſi res delata ad dominatum eſſent. Totus erat enim Populus ære alieno divitibus oppreſſus. Nam aut illis arabant, ſextantem fructuum penſitantes, unde ſextantuli & capite cenſi vocabantur: Aut verſuram facientes, corporis nexu a creditoribus poterant, quorum partim ſerviebant ibi, partim extra patriam venundabantur. Multi etiam liberos ſuos diſtrahere compellebantur, (neque enim vetabat Lex) & Urbem propter fœneratorum crudelitatem deſerere. Ibi maxima & validiſſima pars coitione facta ſeſe mutuo cohortati ſunt ne ea tolerarent, ſed unum caperent Ducem virum fidum, eoſque qui intra diem judicatam non feciſſent, eximerent, agrum dividerent, atque in totum Reipublicæ ſtatum invecterent. Hi qui inter Athenienſes maxime ſani erant, advertentes Solonem præcipue vacare criminia, neque opulentorum in injuria ſocium eſſe, neque neceſſitatibus implicatum inopum, oraverunt eum ut Rempublicam ſuſciperet, & componeret controverſias civium. Phanias Lesbius ipſum dicit Solonem ad ſervandam Rempublicam dolo utramque partem circumveniſſe, atque oſtendiſſe occulte egenis Legem Agrariam, pactorum firmitatem pecunioſis.... Creatus fuit ſecundum Philombrotum Archon, ſimulque concordiæ Arbiter, & Legiſlator. Fuit autem pergratus divitibus, ut locuples: ut probus, pauperibus.* Vox etiam dicitur ejus, quam antea emiſerat, in ore Populi fuiſſe: *Æqualitatem certaminis auctorem non eſſe*: Eamque tam locupletibus placuiſſe, quam inopibus: Quod æqualitatem hi menſura & numero ſe aſſecuturos confiderent, illi dignitate & virtute. Summa fuit *Solonis* in gerenda Republica, Legibuſque condendis moderatio. Nam *ubi res tolerabilis erat: ibi nihil correxit, vel movit, veritus ne ſi Rempublicam undequaque miſcuiſſet & confundiſſet, viribus deficeretur ad eam denuo ſtabiliendam, & optima ratione temperandam.* At quæ ſuadendo ſperabat ſe apud obſecundantes, & vim adhibendo obtenturum apud tolerantes, ea egit una vim & juſtitiam copulans. Quare poſtea rogatus qua ratione optimas Leges Athenienſibus ſcripſiſſet: *Optimas* (inquit) *quas accepturi illi erant.* Æris alieni condonationem, emollita nominis invidia, *Novas Tabulas* appellavit. Hoc fuit in Actis ejus primum. *Siquidem tulit ut reliqua remitterentur, & ne quis fœneraret deinceps in corpus.* Cum Magiſtratus omnes penes locupletes relinquere ſtatueret, reliqua autem munia Reipublicæ, quorum plebs hucuſque particeps non fuerat, facere promiſcua, cenſum civium egit. Ac quorum facultates aridorum ſimul & liquidorum fructuum menſuras quingentas redderent, hos primæ claſſis fecit, vocavitque *Pentacoſiomedimnos*. Secundæ claſſis eos, qui equum alere, aut trecentas valerent efficere: Atque hos *Ordinem Equeſtrem* nuncupavit. *Zeugitæ*, quaſi *Opifices*, tertiæ claſſis cives dicti, quibus modus utriuſque generis ſimul erat ducentarum. Reliqui omnes appellati *Thetes*, id eſt, *Capite cenſi*. His nullum Magiſtratum permiſit, ſed conceſſit ſuffragium in concione, & calculum in Judiciis. *Legibus ſcribendis impeditioribus & multum contortis, vim amplificavit ſubſelliorum. Cum enim dirimi per Leges non poſſent lites, evenit ut nunquam opus non haberent Judicibus, ad quos, ſicut Legum quodammodo Dominos, controverſiae omnes deferrent.* Cum Populum ex æris alieni remiſſione inflatum ferocientemque videret, præter Areopagum, alteram Curiam conſcripſit, legitque ex ſingulis quatuor Tribubus Centenos Viros, qui ut Decretum facerent ante Concionem, ſanxit; *neque quiſquam, niſi ex Senatuſconſulto Populus rogaretur.* Supremum Senatum *omnium arbitrum & cuſtodem conſtituit Legum.* Plurimi Areopagitarum Curiam ad *Solonem* auctorem referunt, ſed eam antiquiorem eſſe, ex Tabula Solonis ra. probat *Plutarchus*.

Civium Athenienſium claſſes & cenſus.

Solonis Leges ſingulares.

Ex cæteris Solonis Legibus illa eſt imprimis ſingularis & nova, quæ eum notat *infamem*, qui neutram partem in ſeditione ſecutus fuiſſet. Indignum enim optimo cive exiſtimabat, publicis incommodis patriæque malis non moveri; officii vero ejus eſſe, juſtioribus ac melioribus partibus ſe adjungere, cumque his periculo ſe committere potius, quam rebus ſuis in tuto collocatis expectare unde ſtet victoria.

Notat infamia eum qui in ſeditione neutram partem ſecutus fuerit.

Abſurda & ridicula videtur Lex illa, quæ puellæ orbæ ac diviti permittit ut corporis ſui copiam faciat proximis viri, ſi ille ſit impotens. Conſilium ejus in ea condenda Lege fuit, ut avaritiæ & improbitatis pœnas darent viri, qui impotentiæ ſuæ conſcii, pecuniæ tamen cupiditate puellas illas ducebant, *ob Legis privilegium, vim Naturæ inferentes*. Hanc etiam Legem eatenus tolerandam cenſet *Plutarchus*, Quod non quemlibet velit ex viri neceſſariis admittat orba, *quo proles de familia ſit & de ſtirpe ejus*. Id ex Moſaica Lege *Solonem* ſumpſiſſe manifeſtum eſt. Cæteris conjugiis dotes detraxit, ſponſamque præter tres ſtolas, & ſuppellectilem parvi pretii, afferre quicquam vetuit. *Neque enim meritorium aut venale volebat eſſe fœdus Nuptiarum, ſed liberorum cauſa, & gratia atque amicitia virum inter & mulierem conſociari.*

Lex Solonis de matrimoniis puellarum. Orbarum ac divitum:

Lex Solonis ex Moſaica Lege accepta.

Commendatur item Lex *Solonis*, quæ maledicta vetat in defunctos congerere. *Eſt enim putare eos qui deceſſerunt ſanctos, ... Abſtinere ab iis qui non extant, juſtum, & civile, odii tollere æternitatem. In vivum contumelias effundere in Sacris Judiciis, Curiis, & Ludis interdixit. Mulctam pendendam privato tres drachmas, binas alteras Ærario præſcripſit. Nam ira nuſquam moderari, illiberale putavit & effrene, ubique arduum, nonnullis etiam impoſſibile. Debet vero ad id quod effici poteſt Lex accommodari, dummodo intendat eum fructu paucos, & non multos incaſſum punire.*

Solon maledicere defunctis vetat Lege lata.

Jam probatur Lex ejus teſtamentaria. Etenim antea non erat jus teſtamentum condendi, ſed familia defuncti pecunia & hereditas relinquenda erant. Hic liberum fecit, non extantibus liberis: cui viſum eſſet, ſua donandi, amicitiamque propinquitati, & gratiam prætulit neceſſitati, pecuniamque mancipium fecit poſſeſſorum. Nec indefinite tamen circa delectum dare indulſit: Sed ſi non per morbum vel medicamentum, nec vinculis, vel vi adſtrictus, vel uxoris inductus eſſet blanditiis.

Lex Solonis de Teſtamentis.

Traduxit ad artificia cives, tulitque Legem, *Ne filius Parentem, qui non ipſum docuiſſet artem, cogeretur alere.... Curia præcepit Areopagitarum, quonam ſe quiſque tueretur quæſtu obſervare, atque in otioſos animadvertere.* Ad alendos parentes non adſtrinxit eos, qui ex meretricibus eſſent procreati, quod ſolius voluptatis, non liberorum gratia, parentes eorum commixti eſſent, filiiſque reddidiſſent *probroſam nativitatem*.

Leges Solonis de officiis parentum & filiorum, & de artificiis.

Has de Mulieribus Leges tulit, pleriſque viris ſapientibus non probatas. Adulteram interficere deprehendenti permiſit: Sin vero liberam feminam rapueris quis, eique vim intulerit, huic centum drachmarum indixit mulctam. Si lenocinetur, viginti drachmarum. Præterea, filias aut ſorores vendere prohibuit, niſi in ſtupro deprehenſas. Pecuniæ inopia, quæ tunc temporis apud Athenienſes erat, Solonem impulit ut graviſſima crimina mulctis pecuniariis emendaret.

Solonis Leges de Mulieribus.

Leges ſuas omnes in centum annos ſanxit. Relatæ fuerunt in axes, vel tabulas quadratas ligneas, quas *Axones* dixere, thecis incluſas aliquanto longioribus, quam largioribus, in quibus vertebantur. Appellabantur, auctore Ariſtotele, *Cyrbes*. Aliqui volunt eas, in quibus Sacra & Sacrificia ſunt deſcripta, proprie *Cyrbes*, cæteras *Axonas* fuiſſe appellatas. Senatus ad Legum *Solonis* obſervantiam ſolemni ſe juramento obſtrinxit. Singuli vero Theſmothetæ peculiari Sacramento, ſi quam violaſſent Legem, auream ſtatuam paris ſibi ponderis ſe Delphis dicaturos. Hæc ex *Plutarcho* in *Solone* diſcimus.

Septem Græciæ Sapientes.

XIX. Iiſdem pene temporibus ſeptem Græciæ Sapien-

pientes floruere, quos *Plato in Protagora* hoc ordine recenſet : *Thales Mileſius*, *Pittacus Mitylenæus*, *Bias Prieneus*, *Solon Athenienſis*, *Cleobulus Lydius*, *Myſon Chenæus*, & *Chilon Lacedæmonius*. *Hi omnes Laconicæ breviloquentiæ ſtudioſi fuerunt*, & *ex communi conſenſu verba brevia memorabilia ab unoquoque dicta*, *Sapientiæ primitias*, *Apollini Delphico dedicarunt*, *quæ Templo inſcripta ab omnibus celebrantur*. NOSCE TE IPSUM .... NE QUID NIMIS .... MODUS OPTIMUS.... SPONDE, NOXA PRÆSTO EST .... OMNES HOMINES MALI ; VEL : PLURIMI HOMINUM MALI.... OMNIA VINCIT DILIGENS MEDITATIO .... NOSCE OCCASIONEM ... Cui autem quæque Sententia tribuenda ſit non conſentiunt Auctores, ut docet *Clemens Alexandrinus* Libro 1. *Stromatum*, p. 300. Cum Scytha quidem *Anacharſis* nomine Græciam Sapientiæ ſtudio peragraret, Chenia occurrit *Myſoni*. *His nihil aliud noverat quam familiam recte adminiſtrare*, *terram perite colere*, *cum uxore caſte vivere*, *liberos liberaliter educare*. *Suſpexit hoc Scytha*, *nec ſapientiam verboſam ſibi quærendam putavit*, *cum inveniſſet opera ; in quorum contemplatione aliquandiu defixus hæſit : Cumque jam ſatis perſpexiſſet ſingula*, *Myſon illi dixit : Hæc ſunt*, *mi Anacharſi*, *quorum cauſa* (*neſcio quam vere*) *homines me Sapientem vocant*. *Quod ſi hic Sapientis nomen mereor*, *non video quis non Sapiens dici debeat*. *Anacharſis utrumque in homine Græco valde miratus eſt*, & *abundantiam operum*, & *paucitatem verborum*. Refert *Maximus Tyrius* Diſſertatione 15. *Chilon Lacedæmonius* dixit ; *Providentiam rerum futurarum*, *ratiocinatione comprehenſibilem*, *eſſe viri virtutem*. TALES MILESIUS Græcorum Philoſophorum primus defectionem Solis prædixit : *Solemque docuit deficere*, *quando Luna ad lineam infra eum fertur*, *quæ eſt natura terreſtri*, *Idque in ſpeculis cerni*, *ſubtexi Soli diſcum Lunæ*. *Principium rerum eſſe dixit Aquam*, *Mentem Mundi ſtatuit Deum*. Sectæ *Jonicæ* Princeps fuit. Hæc ejus celebratur Sententia ; *Validiſſima omnium eſt neceſſitas : Omnia enim ei ſubſunt*. Cum in Ægypto Philoſophiæ operam dediſſet, Miletum rediit ætate jam grandior. Hæc diſcimus ex *Plutarcho* Lib. *De Placitis Philoſophorum*. Loco *Myſonis Chenæi* quidam *Periandrum Corinthium* inter Septem Sapientes numerant (ex *Diogene Laertio*,) Lege *S. Auguſtinum* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 25. *Biantis* honorifice meminit *Cicero* Paradoxo 1. *Sæpe laudabo* (inquit) *Sapientem illum Biantem*, *qui numeratur in ſeptem ; Cujus cum patriam Prienam cepiſſet hoſtis*, *cæterique ita fugerent*, *ut multa de ſuis rebus aſportarent*, *cum eſſet admonitus a quodam*, *ut idem ipſe faceret : Ego vero inquit facio*, Nam OMNIA MEA MECUM PORTO. *Ille hæc ludibria fortunæ ne ſua quidem putavit*. Pittaci Mitylenæi dictum *Plutarchus* memorat in *Sympoſio*. Orta enim diſputatione coram *Myrſilo* Tyranno, *quodnam* eſſet animalium omnium peſſimum, reſpondit : *Peſſimam ferarum eſſe Tyrannum ; de cicuribus*, *Adulatorem*. Adverſus Phrynonem dimicaturus propter controverſias finium quæ erant inter Atticos & Mitylenæos, rete in eum conjecto ipſum impedivit, & occidit, ut referunt *Strabo* Lib. 13. *Polyænus* Lib. 1. Stratagematum, & *Plutarchus* Lib. *De Herodoti Malignitate*. Cum Mitylenæi magna ei dona offerrent, conjecta haſta id dumtaxat agri petiit, quo cuſpis pertigiſſet. Unde loco nomen factum, *Pittacium*, ut referunt *Herodotus* ibidem, & *Valerius Maximus* Lib. 6, Cap 5. Tritici molendi exercitium *Pittaco* fuiſſe teſtatur *Clearchus* apud *Laertium*. Et *Plutarchus* in Sympoſio *Thaletem* inducit ita loquentem : *Ego cum in Leſbum veniſſem*, *audivi hoſpitam ſic cantantem ad piſtrinum : Mole piſtrinum*, *mole ; Nam & Pittacus molit*, *Rex magnæ Mitylenæ*. Meminit & *Clemens Alexandrinus* in Pædagogo : *Pittacus ille Mitylenæorum Rex molere ſolebat*, *operoſo utens exercitio*. Sed & *Pittacum* de laude Molæ ſcripſiſſe docet *Ælianus* Lib. 3. *Var. Hiſt.* Cap. 4.

Rerum ſententiæ.

Plutar. Lib. 2. De Plac. Philoſ. c. 24. Idem Lib. 2. c. 3. & 7.

ARTICULUS VI.

De Rebus Romanorum.

I. ÆRa Urbis conditæ varie ab Auctoribus aſſignatur. M. *Portius Cato* ex Tabulis Cenſoriis, & ex Faſtis Capitolinis inveſtigato Urbis Natali, ſtatuit Romam conditam anno ab Excidio Trojæ quadringenteſimo trigeſimo ſecundo, Olympiadis ſextæ anno quarto, vel (ut *Dionyſius Halicarnaſſenſis* numerat) anno primo Olympiadis ſeptimæ. Tribuitque Romanis Regibus a *Romulo* ad Regifugium & ad creatos Conſules, annos ducentos quadraginta tres. Hunc calculum approbant *Polybius* & *Solinus*. M. *Terentius Varro* Catonianam Epocham anno uno antevertit. Ex characteribus enim Aſtronomicis, ope L. *Tarrutii Firmani*, Mathematici inſignis, a *Cicerone* laudati Lib 2. *De Divinatione*, ſtatuit Urbem conditam anno tertio Olympiadis ſextæ, annos Urbi ab incunabulis ad Regifugium tribuens ducentos quadraginta quatuor. Hunc *Varronis* calculum ſecuti ſunt *Cicero*, *Auguſtus*, aliique Imperatores in ſuis Sæcularibus Ludis, *Velleius Paterculus*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Tacitus*, *Cenſorinus*, *Joſephus*, *Euſebius*. Alii Urbis Natales conjiciunt in annum primum Olympiadis octavæ, auctore *Q. Fabio Pictore*, Hiſtorico Romano antiquiſſimo. Æram illam *Fabianam* probatam volunt a *Diodoro Siculo*, *Tito Livio*, & *Julio Africano*. Æra Varroniana toto quinquennio *Fabiana* anterior eſt. Longe tardius Romam conditam *S. Auguſtinus* exiſtimavit, *Achaz* ſcilicet vel *Ezechiæ* Regum Juda temporibus, cum Populus Iſrael haberet in Terra Promiſſionis annos ſeptingentos decem & octo. (Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 22.) At *Joatham* regnante, anno ejus ſexto, ſecundum *Varronem* ; vel ſeptimo, ſecundum *Catonem* ; vel undecimo, juxta *Fabium Pictorem*, Roma condita eſt in Feſto Palilitio, 11. Kalend. Maii, *Propertius* Libro 4.

Urbi Feſtus erat, dixere Palilia Patres ;
Hic primus cœpit Mœnibus eſſe dies.

Palilia a *Pale* Dea pabuli, aliis *Parilia* a *pariendo*, ut obſervat *Feſtus*.

II. Roma nomen accepit a *Romulo* conditore, qui recens conditam Urbem fraterno *Remi* ſanguine fœdavit, Centumviralem Senatum inſtituit. *Patres* ab honore, *Patricii* progenies eorum appellati. Bellum a Cæninenſibus, Cruſtuminis, Antemnatibus, & Sabinis ſuſtinuit, ob Raptum Virginum quas ad conjugium Romani abduxerant. *Titus Tatius* Sabinorum Rex erat. Ad Sabinos primum, tum ad Romanos inclinante victoria, Sabinæ Mulieres, quarum ex injuria bellum ortum erat, pacem a parentibus virisque rogarunt, impetrarunt, Fœdus inter utramque Gentem firmatum, conſociatum Regnum. Imperium omne Romam collatum eſt. Ut tamen Sabinis aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati. Populo in triginta Curias diviſo, Sabinarum Mulierum Urbis Primoribus nuptarum nomina honoris gratia ipſis impoſita. Bellum deinde contra Fidenates & Vejentes proſpere geſtum. Cum ad Exercitum recenſendum concionem in campo haberet, orta ſubito tempeſtas cum magno fragore tonitribuſque tam denſo Romulum operuit nimbo, ut conſpectum ejus concioni abſtulerit. A Senatoribus, quibus inviſus erat, obtruncatum, ejuſque corpus diſcerptum fama fuit. Hanc *Proculus Julius* diſſipavit, Populo perſuadens *Romulum* in cœlos raptum, immortalitate donatum, ac inter Deos relatum ſibi viſum eſſe. Annos ſeptem & triginta regnavit. Hæc ex *Livio* Lib. 1. *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, *Aurelio Victore*, *Floro*, & *Plutarcho*, in Vita *Romuli*, excerpta ſunt. Sub *Quirini* nomine conſecratus eſt, Unde *Virgilius* Æneidos 1.

——————, *Remo cum fratre Quirinus*
Jura dabunt. ————

Quæ verba *Servius* ita commentatur : *Romulus Quirinus ideo dictus*, *vel quod haſta utebatur*, *quæ Sabinorum lingua Curis dicitur : vel ἀπὸ τοῦ κοιράνου qui Græce Rex dicitur ; Vel propter generis nobilitatem : Nam*

Æra Urbis Romæ conditæ.

Palilia.

Romulus Urbis conditor, & Rex primus.

enim

enim eum ſævit, Gradivus dicitur; cum tranquillus eſt, Quirinus. Ita in Urbe duo ejus Templa ſunt; unum Quirini, intra Urbem, quaſi Cuſtodis, & tranquilli; aliud in Appia Via extra Urbem, prope portam, quaſi Bellatoris, vel Gradivi. De Romuli Apotheoſi lege S. Auguſtinum Libro 3. De Civitate Dei, Cap. 15. ubi ex ipſis Hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus, & Cicerone probat, ejus inter Deos receptionem commentitiam exiſtimatam.

Interregnum poſt Romuli mortem. Numa Pompilius Rex 2. Romanorum & Legiſlator.

III. Poſt Romuli mortem, annum Interregnum fuit, Senatoribus alternis imperantibus. Rex tandem a Romanis ex Sabinorum Gente creatur eſt Numa Pompilius. Is Romam antea commigraverat, ſed Curibus degebat, celebri Sabinorum Urbe, unde ſe Romani una cum receptis Sabinis Quirites nominaverunt. Leges Novæ Urbi condidit, inde forſan Numa cognominatus, ἀπὸ τῶν νόμων, ut Servius obſervat. Ferocem Populum armorum deſuetudine mitigandum ratus, Janum indicem pacis, bellique fecit: Apertus ut in armis eſſe civitatem; clauſus, pacatos circum omnes Populos ſignificaret. Clauſo eo, cum finitimorum animos ſocietate ac fœderibus junxiſſet, poſitis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos metus hoſtium diſciplinaque militaris continuerat, Deorum metum injiciendum ratus eſt. Qui cum deſcendere ad animos ſine aliquo commento miraculi non poſſet, ſimulat ſibi cum Dea Egeria congreſſus nocturnos eſſe: Ejus ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, Sacra inſtituere. Sacerdotes ſuos cuique Deorum præficere (inquit Titus Livius.) Flaminem Jovi aſſiduum creavit, alterum Marti, tertium Quirino. Virgines Veſtæ legit, eiſque ſtipendium de publico ſtatuit. Creato Pontifice Numa Marcio, ei Sacrorum omnium Ritus præſcripſit, ejuſque ſcitis publica omnia privataque Sacra ſubjecit. Annum ad curſum Lunæ in duodecim Menſes deſcripſit: Nefaſtos Dies, Faſtoſque fecit. Romuleum annum decem duntaxat menſium fuiſſe, Numam vero duos menſes addidiſſe, teſtantur Ovidius Lib. 2. & 3. Faſtorum, Solinus Cap. 3. Macrobius Lib. 1. Saturnal. Cap. 12. & 13. Cenſorinus Lib. De Die Natali, Cap. 20. Verumtamen vetuſti duo Annalium Scriptores, Licinius Macer & Lucius Feneſtella, Annum Romanum ſtatim initio Urbis duodecim Menſium fuiſſe tradiderunt, Cenſorino teſte. Quorum ſententiam ſecutus Plutarchus, in Vita Numæ, Menſium duntaxat ordinem ab eo tranſpoſitum ſcripſit: Januario ſcilicet, qui ſub Romulo fuerat undecimus, primum locum datum; Februario, qui duodecimus, ſecundum; Martio, qui primus, tertium. Eamdem opinionem amplexi ſunt Scaliger Lib. 2. De Emendatione temporum, & Lydiatus Tractatu De variis Annorum formis. Numam cum Pythagora Lacedæmonio, qui Olympiis curſu victor fuit 16. Olympiade conſuetudinem aliquam habuiſſe Plutarchus in Vita Numæ teſtatur. Hæc cauſa eſſe potuit, cur Pythagoreus dictus ſit. Quod cum poſteri non recte caperent, Numam Pythagoræ Philoſophi Auditorem fuiſſe perperam aſſeruerunt, cum centum poſt annos & amplius, regnante Romæ Servio Tullio, floruerit. Ita Titus Livius Lib. 1. & Cicero Lib. 4. Tuſcul. Quæſt. & 2. De Oratore, Nummos æreos Romæ regnante Numa, ſignatos fuiſſe. & ab eo nomen accepiſſe putarunt S. Epiphanius Libro De Ponderibus & Menſuris, verſus finem, S. Iſidorus Libro 16. Originum, Cap. 17. & Suidas hujus opinionis auctorem laudans Suetonium Tranquillum. Alii Nummum ex Græco νόμισμα, & νόμος derivatum cenſent. Ariſtoteles 5. Ethnicorum: Numiſma ex eo nomen habet, quia non natura, ſed lege eſt, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Græcam nomiſmatis & nummi originem pariter aſſerit Julius Pollux Libro 9. Annos tres & quadraginta regnavit Numa: De quo legi poſſunt T. Livius Lib. 1. Dionyſius Halicarnaſſenſis & Plutarchus in ejus Vita. Libros Numæ quibus Sacrorum cauſæ reddebantur, cum poſt ejus mortem a Terentio quondam inventi fuiſſent, & ad Senatum delati, Patrum Conſcriptorum decreto combuſtos, teſtantur Varro Lib. 1. De Cultu Deorum, Livius Lib. 40. Valerius Maximus Lib. 1. Cap. 1. Plinius Libro 13. Cap. 13. Lactantius Lib. 1. Cap. 22. & S. Auguſtinus Libro 8. De Civitate Dei, Cap. 34. ubi ſcribit, Numam Pompilium curioſitate illicita ad ea Dæmonum perveniſſe ſecreta, quæ literis mandavit. Senatus autem, cum Religiones formidaret damnare majorum; & ideo Numæ aſſentiri cogeretur; illos tamen Libros tam pernicioſos eſſe judicavit, ut nec obrui rurſus juberet, ne humana curioſitas multo vehementius rem jam proditam quæreret, ſed flammis aboleri nefanda Monumenta: Ut quia jam neceſſe eſſe exiſtimabant Sacra illa facere, tolerabilius erraretur cauſis eorum ignoratis, quam cognitis Civitas turbaretur. Et Cap. 35. Nam & ipſe Numa, ad quem nullus Dei Propheta, nullus Sanctus Angelus mittebatur, hydromantiam facere compulſus eſt, ut in aqua videret Imagines Deorum, vel potius ludificationes Dæmonum, a quibus audiret, quid in Sacris conſtituere atque obſervare deberet. Quod genus divinationis idem Varro a Perſis dicit allatum, quo & ipſum Numam, & poſtea Pythagoram Philoſophum uſum fuiſſe commemorat: Ubi adhibito ſanguine etiam Inferos perhibet ſciſcitari, & νεκρομαντείαν Græce dicit vocari.... His artibus didicit Sacra illa Pompilius, quorum Sacrorum facta prodidit, cauſſas obruit; ita timuit & ipſe quod didicit: quarum cauſſarum proditos Libros Senatus incendit.... Quod ergo aquam egeſſerit, id eſt, exportaverit Numa Pompilius, unde hydromantiam faceret, ideo Nympham Ægeriam conjugem dicitur habuiſſe, quemadmodum in ſupradicto Libro Varronis exponitur. Ita enim ſolent res geſtæ adſperſione mendaciorum in fabulas verti.

Libri Numæ poſt ejus mortem combuſti.

Tullus Hoſtilius Rex 3. Romanorum.

IV. Numæ morte ad Interregnum res rediit. Inde Tullum Hoſtilium, nepotem Hoſtilii, cujus clara pugna adverſus Sabinos fuerat, Regem eſſe Populus juſſit. Patres auctores facti. Hic ſeneſcere civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat. Forte evenit ut agreſtes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano prædas invicem agerent. Id bello cognatas inter Gentes occaſionem dedit, quod trium Horatiorum fratrum a Romanis, & totidem Curatiorum ab Albanis partibus, condicto certamine finitum eſt. Conſertis manibus, duo Romani ſuper alium alius, vulneratis tribus Albanis expirantes corruerunt. Qui ſupererat Horatius, quamvis integer, quia tribus impar erat fugam ſimulat, & duos per intervalla, ut vulnerum dolor patiebatur, inſequentes interficit. Tum in tertium irruens, Duos, inquit, fratrum Manibus dedi: Tertium cauſſæ belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Victori Horatio Soror Virgo, uni ex Curiatiis deſponſa, obvia fuit, cognitoque ſuper humeros fratris paludamento Sponſi, ſolvit crines, & flebiliter nomine Sponſum mortuum appellat. Indignatione commotus Horatius ſtricto gladio, ſimul verbis increpans, transfigit puellam. Abi hinc cum immaturo amore ad Sponſum, inquit, oblita fratrum mortuorum, vivique oblita patriæ. Sic eat quæcumque Romana lugebit hoſtem. Atrox viſum id facinus Patribus, Plebique. In jus raptus Horatius, & Duumvirum judicio damnatus, auctore Tullo Rege, clemente Legis interprete, cum provocaſſet, rogante patre a Populo abſolutus eſt, admiratione magis virtutis quam jure cauſæ, ut ait T. Livius. Lege S. Auguſtinum Libro 3. De Civitate Dei, Cap. 14. quod inſcribitur, De impietate Belli quod Albanis Romani intulerunt, & de victoria dominandi libidine, adepta. Bellum deinde Fidenatibus & Vejentibus illatum. Albani in belli ſocietatem vocati. Mettius Fuffetius Dux Albanorum aciem in collem ſubduxit, ut fortunam belli ſequeretur. Tullus Romanorum Rex, victis Fidenatibus Mettium violatæ fidei, ruptique fœderis reum inter duos currus alligari, & equis in diverſa concitatis diſcerpi juſſit. Mox Alba diruta, opes Urbis, Populumque Romam tranſtulit. Albam quadringentis annis Livius, alii quingentis ſtetiſſe volunt. Verſa poſt hæc in Sabinos arma. Pugna atrox ad Silvam malitioſam fuit: Sabini profligati, Tullus Hoſtilius cum annos duos ſupra triginta regnaſſet, fulminis icto periit. Multis vero perſuaſum eſt, eum oppreſſum fuiſſe inſidiis Anci Martii, ut qui procelloſo die, cum Rex domi Sacra faceret, Regiam ingreſſus ſit, ibique Tullo cum uxore ac liberis interfecto, domum ipſam incenderit. Vide Dionyſium Halicarnaſſenſem Libro 3.

Bellum inter Albanos & Romanos.

V. Poſt Tullum Hoſtilium, quartus a Romulo re-

Ancus Marcius Rex 4. Romanorum.

regnavit *Ancus Marcius*, Numæ ex filia nepos. Medium ipſi erat ingenium, & *Numæ & Romuli* memor. Bellum priſcis Latinis indixit ſolemni rito, ac tum primum inſtituto, Politorio, aliiſque Latii Urbibus expugnatis, multitudinem omnem Romam traduxit: & cum circa Palatium ſedem veteres Romani, Sabini Capitolium atque Arcem, Cœlium Montem Albani impleſſent; Aventinum novæ multitudini datum. Janiculum Ponte ſublicio in Tiberi facto Urbi conjunxit. Nec Urbs tantum hoc Rege crevit, ſed etiam ager fineſque. Silva Meſia Vejentibus adempta: Uſque ad Mare Imperium prolatum, & in ore Tiberis *Oſtia* urbs condita; Salinæ circa factæ, egregieque rebus bello geſtis, Ædes *Jovis Feretrii* amplificata. Regnavit *Ancus* annos quatuor & viginti. Hæc ex *Livio*, *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, aliiſque Romanæ Hiſtoriæ Scriptoribus excerpta.

Tarquinius Priſcus Rex 5. Romanorum.

VI. *Anco* ſucceſſit *Tarquinius Priſcus*, qui Aquilæ volatu carpento illius inſidentis, pileumque ejus capiti detrahentis, rurſumque imponentis, ab uxore Augurinorum perita ad ſperandum Imperium olim inflammatus, primus illud ambitioſe poſtulaſſe, & orationem dicitur habuiſſe ad conciliandos plebis animos compoſitam. *Virum, cætera egregium, ſecuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio eſt* (loquit T. Livius.) *Nec minus Regni ſui firmandi, quam augendæ Reipublicæ memor, centum in Patres legit; qui deinde minorum Gentium ſunt appellati, Factio haud dubia Regis, cujus beneficio in Curiam venerant*. De Latinis, Sabiniſque triumphavit. Auguriorum ſuperſtitioni plurimum tribuit. Cum enim *Accius Navius* belli Sabini tempore auguratus fuiſſet, *Tarquinium* Regem novacula cotem diſciſſurum, idque illud haud cunctanter feciſſet, Statua *Accio* poſita eſt velato capite, juxta cotem ipſam, in perpetuum rei monumentum. Exindeque *Auguriis*, *Sacerdotiique Augurum tantus honos acceſſit, ut nihil belli domique poſtea niſi auſpicato gereretur: Concilia Populi, Exercitus vocati, ſumma rerum, ubi aves non admiſiſſent, dirimerentur*. Puero in Regia *Tarquinii* dormienti cui *Servio Tullio* nomen fuit caput flamma circumdatum viſum eſt. Regina *Tanaquil* prodigii teſtis. *Tarquinium* conjugem ad puerum adoptandum impulit. *Vide tu ea puerum hunc*, inquit, *quem tam humili cultu educamus? Scire licet hunc lumen quondam rebus noſtris dubiis futurum, præſidiumque Regiæ afflictæ. Proinde materiem ingentis publice privatimque decoris, omni indulgentia noſtra nutriamus*. Puer eruditus iis artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur, evaſit vere indolis Regiæ, filiamque ei ſuam Rex deſpondit. Hæc adoptio *Anci Marcii* Regis filios in *Tarquinium* commovit, indigne ferentes ſervum ſerva natum Regno deſtinari, quo *Tarquinii* tutoris ſui fraude pulſi fuerant. Eorum itaque inſidiis occiſus eſt *Tarquinius*, cum annos octo & triginta regnaſſet. Paulo ante Captivitatem Babylonicam regnare cœperat, anno ſecundo quadrageſimæ primæ Olympiadis, cum *Joſiæ* Regis Juda trigeſimo concurrentis. Quæ de ipſo diximus, ex *Tito Livio* Lib. 1. ſunt excerpta. De eodem legi poſſunt *Dionyſius Halicarnaſſenſis*, & alii Romanæ Hiſtoriæ Scriptores.

IN HISTO-

IN HISTORIAM SACRAM QUINTÆ MUNDI ÆTATIS, DISSERTATIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO I.

DE TEMPLO SALOMONIS.

Utrum a ruditate & moribus Gentium originem traxerit?

JOANNIS *Marshami in Canone Chronico* pag. 34. & 210. & *Joannis Spenceri* Lib. 3. *De Legibus Hebræorum Ritualibus, diſſertatione* 6. nova & ſingularis opinio huic Diſſertationi occaſionem dedit. Aſſerunt enim Viri illi Eruditi, Templum *Salomonis* a ruditate Gentium originem traxiſſe. Et *Marshamus* quidem id preſſius & quaſi obiter exequitur: *Spencerus* vero prolixa & eleganti Diſſertatione ſpecioſum illud commentum adſtruere nititur, cui ſequentem propoſitionem opponimus.

PROPOSITIO UNICA.

Templi Salomonici origo ad Ægyptiacam Superſtitionem, vel ruditatem Gentium referenda non eſt; ſed ad Dei Optimi Maximi conſilium, afflatum, auctoritatem, Davidiſque & Salomonis pietatem.

PRobatur primo ex Scriptura Sacra 2. *Regum* Cap. 7. ubi narratur quomodo *David* indignum æſtimaverit Dei Majeſtate, indecorumque iis beneficiis quibus ſe Deo Optimo Maximo obſtrictum palam profitebatur, ut Arca Dei in tentorio poſita eſſet, dum ipſe in domo cedrina habitaret: Atque ita Regiæ ſuæ intuitu, quam Deo favente ædificaverat, ad Ædem magnificam Deo cœli terræque ſupremo Domino, & Regi Regum fabricandam & dicandam excitatus eſt. Hujuſmodi autem conſilium a Dei afflatu proficiſci *Nathan* Propheta declaravit. Neque id ut Ægyptiacæ Superſtitionis reliquias condonavit, ſed ut eximiæ pietatis affectum probavit. Et tantum abeſt ut profanorum Templorum intuitu, quæ Iſraelitæ olim in Ægypto viderant, Deus Gentium ruditati, ſæculique moribus ſe accommodans, Templi fabricam conceſſerit; ut contra nihil ſe de tali Æde locutum ſignificet, quo tempore Ægyptiacorum Templorum, ſi quæ eſſent memoria apud Majores eorum recens erat. *Factum eſt autem cum ſediſſet Rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem undique ab univerſis inimicis ſuis, dixit ad Nathan Prophetam: Videſne quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne quod eſt in corde tuo, vade, fac: Quia Dominus tecum eſt. Factum eſt autem in illa nocte; & ecce ſermo Domini ad Nathan, dicens: Vade, & loquere ad ſervum meum David: Hæc dicit Dominus: Nunquid tu ædificabis mihi Domum ad habitandum? Neque enim habitavi in Domo ex die illa qua eduxi filios Iſrael de Terra Ægypti, uſque in diem hanc: Sed ambulabam in Tabernaculo & in Tentorio. Per cuncta loca, quæ tranſivi cum omnibus filiis Iſrael, nunquid loquens locutus ſum ad unam de Tribubus Iſrael, cui præcepi ut paſceret Populum meum Iſrael, dicens: Quare non ædificaſtis mihi Domum cedrinam? Et nunc hæc dices ſervo meo David; Hæc dixit Dominus Exercituum; Ego te tuli de paſcuis ſequentem greges, ut eſſes Dux ſuper Populum meum Iſrael: Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulaſti, & interfeci univerſos inimicos tuos a facie tua: Fecique tibi nomen grande juxta nomen Magnorum qui ſunt in terra. Et ponam locum Populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo, & non turbabitur amplius: Nec addent filii iniquitatis ut affligant eum ſicut prius, ex die qua conſtitui judices ſuper Populum meum Iſrael; & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum ejus. Ipſe ædificabit Domum Nomini meo, & ſtabiliam thronum Regni ejus uſque in ſempiternum.* Pietatem *Davidis* de Templo ædificando cogitantis non ſolum Deus commendat, verum etiam amplius promiſſionibus munerat; & in numero benedictionum, quibus filium ejus *Salomonem* cumulabit, hanc velut principem recenſet, quod divinæ Majeſtati ſuæ Templum ſit ædificaturus. Non ergo ad Ægyptiacam Superſtitionem, vel ruditatem Gentium referenda eſt origo Templi Salomonici, ſed ad Dei Optimi Maximi conſilium, afflatum, auctoritatem, & ad *Davidis* ac *Salomonis* pietatem.

Confirmatur ex 1. *Paralipomenon* Cap. 22. ubi de *Davide* dicitur: *Vocavitque Salomonem filium ſuum: & præcepit ei ut ædificaret Domum Domino Deo Iſrael. Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem Domum Nomini Domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: Non poteris ædificare Domum Nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me: Filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: Faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Iſrael cunctis diebus ejus. Ipſe ædificabit Domum Nomini meo, & ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in Patrem.*

Firma-

Digitized by Google

Firmaboque ſolium Regni ejus ſuper Iſrael in æternum : Nunc ergo, fili mi, ſit Dominus tecum, & ædifica Domum Domino Deo tuo, ſicut locutus eſt de te . . . . Præcepit quoque David cunctis Principibus Iſrael ut adjuvarent Salomonem filium ſuum, Cernitis, inquiens, *quod Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos veſtros in manus veſtras, & ſubjecta ſit terra coram Domino, & coram Populo ejus, Præbete igitur corda veſtra & animas veſtras, ut quæratis Dominum Deum veſtrum ; & conſurgite, & ædificate Sanctuarium Domino Deo, ut introducatur Arca fœderis Domini, & vaſa Domino conſecrata, in Domum quæ ædificatur Nomini Domini :* Quid in toto illo *Davidis* Regis ſermone pietatem non ſapit ? Num aliquem ad Ægyptiacam Superſtitionem, ad ruditatem Gentium, ad profanos ſæculi mores reſpectum exprimit ? Nonne Deo placuiſſe ſignificat ut *Salomon* ipſi Domum ædificaret ? *David* Rex & Propheta Sanctiſſimus *Salomoni* filio ſuo jubet ut ſacrum illud opus ſecundum voluntatem Dei perficiat, divina illi promiſſa & beneficia proponit, quibus ad id exequendum excitetur : Principes Iſrael acceptorum pariter beneficiorum memoria inſtigat & permovet ut *Salomonem* in fabrica Templi adjuvent. Tantum abeſt ut eos Ægyptiacæ Superſtitionis æmulatione, vel ruditatis Gentium, profanarumve ſæculi morum imitatione, & quadam veluti contagione id præſtituros dicat ; ut potius hoc opere Deum quæri Deo immortali corda præberi aſſerat. Denique finem exponens ob quem ædificatio Templi ab ipſo ſuſcepta ſit, & *Salomoni* filio ſervata, non ait id factum ut ſæculi moribus conformarentur, ſed ut Arca fœderis Domini, & vaſa Domino conſecrata in eo deponerentur ac ſervarentur.

Confirmatur ſecundo, ex Literis Salomonis ad *Hiramum* Regem Tyri ſcribentis. (3. Regum 5.) *Tu ſcis voluntatem David Patris mei, & quia non potuerit ædificare Domum Nomini Dei ſui propter Bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum ejus, Nunc autem requiem dedit Dominus Deus mihi per circuitum : & non eſt ſatan, neque occurſus malus. Quamobrem cogito ædificare Templum Nomini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus David Patri meo, dicens : Filius tuus, quem dabo pro te ſuper Solium tuum, ipſe ædificabit Domum Nomini meo.*

Confirmatur tertio, ex Cap. 8. ejuſdem Libri, ubi Templi Dedicatio deſcribitur : *Factum eſt autem, cum exiſſent Sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit Domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam : impleverat enim gloria Domini Domum Domini. Tunc ait Salomon : Dominus dixit ut habitaret in nebula. Ædificans ædificavi Domum in habitaculum tuum, firmiſſimum Solium tuum in ſempiternum. Convertitque Rex faciem ſuam & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael : Omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat. Et ait Salomon : Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt ore ſuo ad David patrem meum, & in manibus ejus perfecit dicens : A die qua eduxi Populum meum Iſrael de Ægypto, non elegi civitatem de univerſis Tribubus Iſrael ut ædificaretur Domus, & eſſet Nomen meum ibi ; Sed elegi David ut eſſet ſuper Populum meum Iſrael : Voluitque David pater meus ædificare Domum Nomini Domini Dei Iſrael ; & ait Dominus ad David patrem meum : Quod cogitaſti in corde tuo ædificare Domum Nomini meo, bene feciſti, hoc ipſum mente tractans. Veruntamen tu non ædificabis mihi Domum, ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis ipſe ædificabit Domum Nomini meo. Confirmavit Dominus ſermonem ſuum quem locutus eſt : Stetitque pro David patre meo, & ſedi ſuper thronum Iſrael, ſicut locutus eſt mihi Dominus : & ædificavi Domum Nomini Domini Dei Iſrael. Et conſtitui ibi locum Arcæ, in qua fœdus Domini eſt, quod percuſſit cum Patribus noſtris, quando egreſſi ſunt de Terra Ægypti.* Confer cum 2. *Paralipomenon Cap.* 6. & Cap. 7. quo poſtremo loco dicitur : *Cumque compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & devoravit holocauſta & victimas : & Majeſtas Domini implevit Domum. Nec poterant Sacerdotes ingredi Templum Domini, eo quod impleſſet Majeſtas Domini Templum Domini. Sed & omnes filii Iſrael videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper Domum : & corruentes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lapide, adoraverunt & laudaverunt Dominum : Quoniam bonus ; quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Bonam fuiſſe ac Deo gratam *Davidis* voluntatem de Templo Nomini Domini ædificando, Spiritus Sanctus teſtatur. Deo placuiſſe ut operis executio ſervaretur *Salomoni.* Abſoluta Templi fabrica, cum Dedicatio ſolemni ritu celebraretur, Deum immortalem editis Miraculis ſignificaſſe quam ſibi acceptum eſſet Sacrum opus ; Ignem quippe de cœlo delapſum holocauſta & victimas conſumpſiſſe ; & Nebulam Dei Majeſtatis indicem Templum impleviſſe, qua ſe in hac Æde ſingulari quadam ratione præſentem eſſe teſtatus eſt ut Populi ſui Sacrificia preceſque ſuſciperet, ſuaque beneficia in Templo iſto orantibus conferret. An, quæſo, ab Ægyptiaca Superſtitione, & ruditate Gentium profectum Opus ita Deus approbaſſet, ac Miraculis illuſtraſſet ?

Probatur ſecundo, Ædes quam ædificari Deus juſſit ut Chriſti & Eccleſiæ figura & Prophetia ſenſibilis eſſet, ab Ægyptiaca ſuperſtitione, ac Gentium ruditate non ducit originem : Sed Templum *Salomonis* Deus ædificari voluit ut eſſet figura & ſenſibilis quædam prophetia Chriſti & Eccleſiæ : Illius igitur origo ad Ægyptiacam Superſtitionem & ruditatem Gentium inconſulto refertur. *Templum Salomonis Chriſti & Eccleſiæ figura.*

Minor Propoſitio *S. Auguſtini* verbis probatur Libro *De Symbolo ad Cathechumenos,* Cap. 5. *Templum habet Deus : Nam & Salomon Rex & Propheta juſſus eſt ædificare Templum Deo . . . . Et unde ædificavit ? De lignis & lapidibus : Quia dignatus eſt Deus facere ſibi per ſervum ſuum Domum in terra, ubi rogaretur, ubi memoraretur. Unde dicit Beatus Stephanus :* Salomon ædificavit illi Domum, ſed Altiſſimus non in manufactis Templis inhabitat. *Act. 7. 47. & 48.* *Si ergo corpora noſtra Templum eſt Spiritus Sancti, qualis Deus eſt, qui ædificavit Templum Spiritui Sancto ? Sed Deus. Si enim Templum Spiritus Sancti ſunt corpora noſtra, ille Spiritui Sancto ædificavit templum, qui & corpora noſtra.* Et in Pſalmum 137. explicans illa verba, *Adorabo ad Templum Sanctum tuum,* ait : *Ipſa congregatio Angelorum Templum Dei eſt . . . . Eccleſia deorſum, & Eccleſia ſurſum. Eccleſia deorſum in omnibus Fidelibus : Eccleſia ſurſum in omnibus Angelis.* Et in Pſalmum 44. *Templum Regis ipſa Eccleſia, intrat in Templum ipſa Eccleſia. Unde conſtructum Templum ? De hominibus qui intrant in Templum. Lapides vivi qui ſunt, niſi Fideles Dei ? . . . . Templum Regis in unitate eſt : Templum Regis non eſt ruinoſum, non diſciſſum, non diviſum. Junctura lapidum viventium, caritas eſt . . . . Templum ſuum Deus ubique collocavit, fundamenta Prophetarum & Apoſtolorum ubique firmavit.* Et in Pſalmum 64. explicans illa verba, *Replebimur in bonis Domus tuæ, Sanctum eſt Templum tuum, mirabile in æquitate ;* hæc habet : *Iſta ſunt bona Domus illius. Non dixit, Templum Sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, ſed mirabile in juſtitia. Habes foris oculos unde videas marmora & aurum. Intus eſt oculus unde videatur pulchritudo juſtitiæ . . . . Et ipſum Templum, fratres, nolite præter vos cogitare. Amate juſtitiam, & vos eſtis Templum Dei . . . Ille unus vir qui aſſumitur in Templum Dei, & plures ſunt, & unus eſt. Ex unius perſona dixit : Exaudi Deus orationem meam ; & quia ipſe unus ex pluribus conſtat, modo ait : Exaudi nos Deus Salvator noſter.* Ibidem loquens de Civitate Jeruſalem, ait : *Civitas ergo quædam illa terrena cujuſdam Civitatis æternæ in Cœlis umbram gerebat : At ubi cœpit illa quæ ſignificabatur, evidentius prædicari, umbra, qua ſignificabatur, dejecta eſt : Propterea ibi modo Templum non eſt, quod fabricatum fuerat in imaginem futuri corporis Domini. Tenemus lucem, umbra tranſivit.* Denique Libro 18. *De Civitate Dei,* Cap. 48. *Hæc autem Domus,* inquit, *ad Novum pertinens Teſtamentum, tanto utique majoris eſt gloriæ, quanto meliores ſunt lapides vivi, quibus credentibus renovatiſque conſtruitur. Sed ideo per iſtius renovationem Templi illius ſignificata eſt, quia ipſa renovatio illius ædificii ſignificat eloquio prophetico alterum Teſtamentum, quod appellatur Novum. Quod ergo Deus dixit*

per

Aggæi 2. per memoratum Prophetam, Et dabo pacem in loco
10. iſto: Per ſignificantem locum ille qui eo ſignificatur,
intelligendus eſt: Ut quia illo loco inſtaurata ſigni-
ficata eſt Eccleſia, quæ fuerat ædificanda per Chriſtum,
nihil aliud accipiatur, quod dictum eſt, Dabo pacem
in loco iſto, niſi dabo pacem in loco quem ſignificat
locus iſte. Quoniam omnia ſignificantia videntur quo-
dam modo earum rerum, quas ſignificant, ſuſtinere per-
ſonas: Sicut dictum eſt ab Apoſtolo, Petra erat Chri-
ſtus; quoniam petra illa, de qua hoc dictum eſt, ſi-
gnificabat utique Chriſtum. Major eſt itaque gloria
Domus hujus Novi Teſtamenti, quam domus prioris
Veteris Teſtamenti; & tunc apparebit major, cum
Aggæi 2. dedicabitur. Tunc enim Veniet Deſideratus cunctis
8. Gentibus, Sicut legitur in Hebræo. Nam prius ejus
adventus nondum erat deſideratus omnibus Gentibus.
Non enim quem deberent deſiderare ſciebant in quem
non crediderant. Tunc etiam ſecundum Septuaginta In-
terpretes, (Quia & ipſe Propheticus ſenſus eſt,)
Ephes. 1. venient quæ electa ſunt Domini de cunctis Gentibus.
4. Tunc enim vere non venient, niſi electa, de quibus
dicit Apoſtolus, Sicut elegit nos in ipſo ante Mun-
Matt. 22. di conſtitutionem. Ipſe quippe Architectus, qui dixit:
4. Multi vocati, pauci autem electi. Non de his, qui
vocati ſic venerunt, ut de convivio projicerentur, ſed
de electis demonſtraturus eſt ædificatam Domum, quæ
nullam deinceps formidabit ruinam. Nunc autem quan-
do & hi replent Eccleſias, quos tamquam in area ven-
tilatio ſeparabit non apparet tanta gloria Domus hu-
jus, quanta tunc apparebit, quando quiſquis ibi e-
rit, ſemper erit.

Ps. 126. Et Præfatione in Pſalmum 126. Salomon ædificave-
rat Templum Domino, in typo quidem & in figura
futuræ Eccleſiæ, & corporis Domini: Unde dicit in
Evangelio: Solvite Templum hoc, & in triduo ex-
citabo illud. Quia ergo ipſe ædificaverat illud Tem-
plum, ædificavit ſibi Templum verus Salomon Domi-
nus noſter Jeſus Chriſtus, verus Pacificus.... De quo
dicit Apoſtolus: Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit
utraque unum. Ipſe eſt verus Pacificus, qui duos pa-
rietes e diverſo venientes in ſe copulavit, quibus fa-
ctus eſt Lapis angularis, venienti populo ex præputio
Gentium & ipſorum credentium; fecit unam Eccle-
ſiam de duobus Populis, factus eſt illis lapis angu-
laris, & ideo verus Pacificus. Quia ergo ille verus Sa-
lomon; Salomon autem ille filius David de Muliere
Berſabee, Rex Iſrael, figuram geſtabat hujus Pacifi-
ci, quando Templum ædificavit: Ideo ne illum putes
Salomonem, qui ædificavit domum Deo, alium Salo-
monem tibi oſtendens Scriptura ſic cœpit in Pſalmo:
Ps. 126. „ Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum la-
„ boraverunt qui ædificant eam. Dominus ergo æ-
dificat domum, Dominus Jeſus Chriſtus ædificat domum
ſuam..... Quæ autem Domus Dei, & ipſa Civi-
tas. Domus enim Dei Populus Dei. Et quid dicit A-
1. Cor. 3. poſtolus? Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis
17. vos. Omnes autem Fideles, quos eſt Domus Dei, non
ſolum qui modo ſunt, ſed & qui ante nos fuerunt,
& qui poſt nos futuri ſunt, adhuc qui naſci habent
in rebus humanis uſque in finem ſæculi, congregati
in unum Fideles innumerabiles, ſed Domino numerati,
2. Timoth. de quibus dicit Apoſtolus, Novit Dominus qui ſunt
3. 19. ejus; Grana illa quæ modo gemunt inter paleas, quæ
maſſam unam factura ſunt, quando area in fine fue-
rit ventilata: Omnis ergo numerus Fidelium San-
ctorum, ex hominibus commutandorum ut fiant æqua-
les Angelis Dei, adjuncti etiam ipſis Angelis, qui mo-
do non peregrinantur, ſed exſpectant nos quando a pe-
regrinatione redeamus, omnes ſimul unam Domum Dei
faciunt, & unam Civitatem. Ipſa eſt Jeruſalem.

Confirmatur ex Theodoreto Quæſtione 1. in Lib. 1.
Paralipomenon, dicente: Non ipſe (DAVID) ſed ejus
filius Templum ædificavit. Nam quoniam Chriſtus, ſe-
cundum carnem quidem Davidis filius, ut Deus au-
tem Dominus & herus Davidis erat ædificaturus Ec-
cleſias, quæ ſunt in toto orbe terrarum, non ſivit Da-
videm ædificare Templum Judaicum: Sed juſſit illius
filium hoc facere, cujus appellatio præfigurabat pacem
noſtri Servatoris. Salomon enim interpretatur Pacifi-
cus; & Dominus noſter Pax appellatur. Teſtis eſt Bea-
Ephes. 2. tus Paulus clamans: Ipſe eſt Pax noſtra, qui fecit
utraque unum.

Confirmatur ſecundo, ex Venerabili Beda Lib. 2. De
Tabernaculo, Cap. 1. Tabernaculum (inquit) a Moy-
ſe factum in ſolitudine, ſicut &. Templum quod fe-
cit Salomon in Jeruſalem, ſtatum ſanctæ univerſa-
lis Eccleſiæ deſignat, quæ partim jam cum Domino
regnat in cœlis, partim in præſenti adhuc vita de-
cedentibus ac ſuccedentibus ſibi membris ſuis peregri-
natur a Domino. Et quidem in utriuſque conſtructione
Domus hæc principalis ſolet eſſe diſtantia figurarum,
quod Tabernaculum præſentis ædificium Eccleſiæ, quæ
quotidie in laboribus exercetur: Templum futuræ re-
quiem deſignat, quæ quotidiana animarum hinc poſt
labores exeuntium receptione perficitur: Quia nimi-
rum Tabernaculum Moyſes cum Populo Dei in via ad-
huc poſitus, qua ad Terram repromiſſionis pergebat,
condidit: Salomon autem Templum in Jeruſalem,
quæ interpretatur Viſio pacis: Quoniam hic quidem
Eccleſia in labore & ærumna vitæ labentis, in ſiti
& eſurie Regni perennis ædificatur: Illic autem in
viſione ac perceptione veræ pacis conſummatur. Unde
„ bene in Templi conſtructione dictum eſt, quod Mal-
„ leus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt
„ audita in eo, cum ædificaretur, præparatis ante
Jeruſalem cunctis lapidibus ac lignis, atque in poſi-
tionem ordinis ſui decenter aptata eſſe; quæ ibi fa-
cillime ſuo quæque loco reddita, aut cæmento necte-
rentur aut clavis: Quia videlicet in pace ſupernæ
beatitudinis non eſt tribulationibus noſtra examinanda
fides, aut vita probanda. Sed quæ in præſenti jam
ſatis caſtigata, & cœleſtibus erat ſedibus regulariter
aptata, ibi glutino & vinculis mutuæ caritatis, ne per-
petuo diſſolvi queat, in conſpectu etiam ſui condito-
ris ac Regis ad invicem copulanda. Nam cum in hac
vita multitudinis credentium ſit cor & anima una,
& ſint illis omnia communia, quid niſi lapides vi-
vi in ædificium futuræ domus Domini quadrantur,
qui hinc inde tranſlati abſque alicujus labore tar-
ditatis, ſuis quique ordinibus inſerantur, & ſibi-
met alterutrum, ſepta divino ſimul & propria di-
lectionis jungantur: Item figura utriuſque Sanctua-
rii poteſt ita generaliter diſtingui. Opus Tabernaculi
tempus Synagogæ, hoc eſt, antiquæ Dei plebis: Opus
vero Templi Eccleſiam, id eſt, illam electorum mul-
titudinem, quæ poſt Incarnationem Dominicam ad vi-
tam venit, ſignificat. Quoniam videlicet Tabernacu-
lum Moyſes cum ſola Hebræorum plebe conſummavit;
Templum vero Salomon collecta Proſelytorum multitu-
dine perfecit, adjuvante etiam Tyrio Rege, cum Ar-
tificibus ſuis, qui neque natura Judæi, neque profeſ-
ſione fuerunt. Conſtat quia priori Dei Populo non ni-
ſi ex ipſa eorum Gente præfuerunt: At vero Eccleſiæ
Rectores primi quidem fuere de Hebræis: Verum mox
creſcente ea ac dilatata per orbem, etiam de Gentibus
ſtructores ejus ſunt exorti; adeo ut ipſe etiam Evan-
geliſta Lucas, & Timotheus, ac Titus, Viri Apoſto-
lici, devotione Gentium ad Præſulatum ejus pervene-
rint. Verum ſi diligentius ſingula inſpiciamus, utri-
uſque Domus ædificatio totius Eccleſiæ præſentis ſtatum
myſtice deſcribit, quæ ab initio mundanæ conditionis
uſque ad ultimum, qui in fine ſæculi naſciturus eſt
Electum, ſemper ædificari non deſinit; & futuræ quo-
que gloriam vitæ, qua nunc ex parte fruitur, ſed
poſt hujus terminum ſæculi, in omnibus ſuis membris
in æternum fruitura eſt, miraculi figurarum verita-
te depingit. Unde nos aliquo de Tabernaculo, Domi-
no opitulante, dicturi, primum ipſum invocantes,
humili etiam prece depoſcimus revelari oculos cordis
noſtri, ut conſiderare queamus mirabilia de Lege ejus:
& in pretioſorum decore metallorum ac veſtimentorum,
intelligamus ornatum nobis morum, fide ac devotione
fulgentium, eſſe commendatum. Neque enim nobis a- 2. Cor. 6.
liter ſermo ille Apoſtolicus poteſt convenire, quo ait: Levit. 26.
„ Vos enim eſtis Templum Dei vivi; ſicut dicit
„ Deus. Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos
„ ambulabo; & quod Joannes audivit vocem magnam Apoc. 21.
„ de Throno dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum
„ hominibus, & habitabit cum eis, quam ſi ornatum
Tabernaculi ſive Templi materialem religioſe mundi
cordis & corporis cultu imitemur. Legatur ejuſdem
Venerabilis Doctoris Liber De Templo Salomonis.

Confirmatur tertio, ex Angelomo Luxovienſi Mona-
cho, Auctore Eccleſiaſtico noni ſæculi, Stromatia
in

in Lib. 3. Regum Cap. 5. *Domus Domini, quam ædificavit Rex Salomon in Jeruſalem, in figuram facta eſt Sanctæ univerſalis Eccleſiæ, quæ a primo Electo uſque ad ultimum qui in fine Mundi naſciturus eſt, quotidie per gratiam Regis pacifici, ſui videlicet Redemptoris ædificatur: Quæ partim adhuc peregrinatur ab illo in terris, partim evaſis peregrinandi ærumnis, cum illo jam regnat in cælis: Ubi peracto ultimo Judicio, tota eſt regnatura cum illo. Ad hanc Domum pertinent electi Angeli, quorum nobis ſimilitudo in futura vita promittitur . . . . Ad hanc pertinet ipſe Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Jeſus, ipſo*
„ *atteſtante, cum ait:* Solvite Templum hoc, & in
„ tribus diebus excitabo illud. *Quod exponens Evan-*
„ *geliſta ſubjunxit:* Hoc autem dicebat de Templo
„ corporis ſui *Dixit Apoſtolus de nobis*: Neſcitis quia
„ Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?

Joan. 2.
1. Cor. 6.

Si ergo ille Templum Dei per aſſumptam humanitatem factus eſt, & nos Templum Dei per inhabitantem Spiritum ejus in nobis efficimur: Conſtat utique quia figuram omnium naſtrum, & ipſius videlicet Domini & membrorum ejus, quæ nos ſumus, Templum illud materiale tenuit: Sed ipſius tanquam lapidis angularis ſingulariter electi & pretioſi, in fundamento fundati; Noſtri autem tanquam lapidum vivorum ſuperædificatorum ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, hoc eſt, ſuper ipſum Dominum, &c. Hæc ex Libro Venerabilis *Bedæ De Templo Salomonis*, Cap. 5. *Angelomus* exſcripſit.

Spenceri objectio.

Obiicit *Spencerus*, Summam Templorum antiquitatem probare Templum *Salomonis* a Gentium ruditate & uſu traductum. Ethnicos ſcilicet Deos ſuos in Ædibus quibuſdam ſacris Templorum nomine donatis coluiſſe, diu antequam *Salomonis* Templum, aut *Moſis* Tabernaculum ſtrueretur. Id ex Sacris Scripturis probari Levitici 26. 30. *Deſtruam Excelſa veſtra, & ſimulacra confringam*. Item Numerorum 33. 52. *Diſperdite cunctos habitatores Terræ illius: Confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia Excelſa vaſtate*. Vocabulum Hebræum, quod Vulgatus Interpres *titulos* transfert, Chaldæus *Domum adorationis* ſeu *Templum* interpretatus eſt. Id confirmat ex *Joſepho Lib. 4. Antiquitatum*, p. 120. ubi Deum ſic Iſraelitas alloquentem introducit: *Præterea Lucos, & Aras, & Templa, quotquot habeat, ad unum tolli jubeo, ferroque & flammis ita deleri, ut memoria eorum omnis aboleatur*. Hæc *Joſephi* verba cum Legiſlatoris mente congruere probat *Spencerus*, ex eo quod Scriptura Sacra vix unquam veteris alicujus Numinis aut Idoli meminit, quin & alicubi domum aut Templum illius, *Beth* Hebraice dictum memoret. Occurrit enim *Beth-Peor*, Deuteronomii 34. 6. *Beth-Dagon*, 1. Regum 5. 2. *Beth-Aſhtaroth*, 1. Regum 31. 10. *Beth-Baal-Berith*, Judicum 9. 4. *Beth-Baal*, 3. Regum 16. 32. *Beth-Niſroch*, 4. Regum 19. 3. 7. *Beth-Baal-Mehon*, Joſue 13. 17. Addit *Spencerus* cum *Marſhamo*, Ægyptios primos fuiſſe Templorum fundatores, quod teſtimonio *Herodoti* probant, in *Euterpe* Cap. 4. ſcribentis: *Dicunt Ægyptii duodecim Deorum cognomina primos inſtituiſſe, & ab illis Græcos fuiſſe mutuatos. Illos etiam primos Diis & Aras & ſimulacra, & Templa ſtatuiſſe*. Idem aſſerit *Lucianus Lib. De Dea Syria* ſcribens: *Primi homines Ægyptii dicuntur, & Deorum notitiam accepiſſe, & Templa condidiſſe*. Ibidem Templum Deæ Syriæ pleroſque dicere a *Deucalione* ſtructum. Ægyptii (referente *Julio Firmico* Lib. De Errore Profanarum Religionum) *Joſepho poſt mortem, patrio ſuæ Gentis inſtituto Templa fecerunt*. Refert etiam *Artapanus*, cum Ægyptii grandine & terræ motu affligerentur, *Domos quidem univerſas, & Templorum pleraque corruiſſe*. Lyſimachus apud *Joſephum* Lib. 1. contra *Apionem*, Moſem & comites ejus convitiari ſtudens, eos *ubique Deorum & Templa & Aras, in quas nempe inciderent, evertiſſe* dicit. Hebræi Veteres locum illum, *Et in Deos eorum fecit Dominus Judicia*, de Templis in Ægypto tunc temporis everſis interpretati ſunt, referente *S. Hieronymo Epiſtola ad Fabiolam, Manſione* 1. Macrobius Lib. 1. *Saturnalium*, Cap. 9. e *Xenone* tradit, *Janum* (qui Deorum Deus, hoc eſt, primus & antiquiſſimus a Veteribus credebatur) *in Italia primum Diis Templa feciſſe, & Ritus inſtituiſſe Sacrorum*. Arnobius Lib. 6. *Adverſus Gentes* Templorum originem *Salomone* antiquiorem agnoſcit: *Si quæris*, inquit, *audere quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merope tibi fuiſſe monſtrabitur: Aut, ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus*. Ex quibus omnibus colligit *Spencerus*, Templum a Gentium ruditate derivatum fuiſſe, & Deum Judæis (utpote cultus alibi recepti formam impotenter expetentibus) Templum indulſiſſe.

Reſponſio.

Reſpondetur, Certum quidem eſſe ex Scriptura Sacra, profanas Gentes Templa falſis Numinibus dicata habuiſſe, antequam Templum vero Deo a *Salomone* extrueretur: Sed pariter certum non eſſe quod Moſaico Tabernaculo fuerint antiquiora. Titulorum & Excelſorum nomine in Pentateucho Templa ſignificari probandum incumbit Viro Erudito: Lucos falſis Numinibus dicatos, Altaria, ſeu quævis Monumenta illis conſecrata, his nominibus ſignificari probabilius eſt. At veri Dei cultores, ex quo Deus coli cœpit, Altaria ipſi erexerunt, titulos etiam poſuerunt, ut *Jacobi* probat exemplum, Geneſis 28. *Cumque evigilaſſet Jacob de ſomno, ait: Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pavenſque, Quam terribilis eſt, inquit, locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Appellavitque nomen Urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo . . . . Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei*. Id æmulatus diabolus Dei ſimia, & divinorum honorum prædo, deceptis a ſe hominibus perſuaſit ut Altaria, Tituloſque illi ſub falſorum Deorum nominibus erigerent, conſecrarent, quorum nomina ſuis etiam Urbibus impoſuerunt. *Joſephus* Deum Iſraelitas alloquentem introducit, ut ipſi placet, mentionemque Templorum ab immortali Deo factam ſupponit, ex temporum poſteriorum uſu ac moribus exiſtimans jam tunc Idololatras Templa habuiſſe. *Herodotus* & *Lucianus* hæſitanter & ex incertis opinionibus Templorum originem ad Ægyptios referunt, ut indicant illa verba, *Dicunt, dicuntur*. & *Lucianus* ipſe de ſuæ Deæ Syriæ Templo ſcribit: *Complures igitur Deucalionem Scytham Templum hunc conſecraſſe tradunt, eum puta Deucalionem, cujus temporibus aquarum Diluvium fuit*. Idem aſſerit *Apollonius Libro* 3. Porro *Noachum* nomine *Deucalionis* ipſos intellexiſſe, parum perſpicax eſt qui non videt. Quæ de Templis Ægyptiorum Veterum ab *Artapano*, & *Julio Firmico* dicuntur, Scriptoribus ab illa Antiquitate tot ſæculorum ſerie remotis, non magni ſunt momenti. *Macrobii* & *Arnobii* teſtimonia confirmant quam incerta ſit Origo Templorum . . . . Sed etſi demus Gentium Templa Salomonico eſſe antiquiora, imo & nonnulla prius condita fuiſſe quam *Moſis* Tabernaculum ſtrueretur, non ſequitur Templum *Salomonis* a Gentium ruditate derivatum fuiſſe, & Deum Judæis cultus alibi recepti formam impotenter expetentibus illud indulſiſſe. Quin imo ſequitur potius, Deum Tabernaculi primum, deinde Templi fabricam præcepiſſe, ut Populum ſuum electum ab Idololatria averteret, ut eum in unius veræ Religionis ſocietate contineret, dum in uno loco dumtaxat veri Dei Nomini cultuique dicato Sacrificia offerre legitime poſſet: Ut denique umbris illis ac typis Eccleſiam ſignificaret, delinearet.

Spenceri objectio altera.

Obiicit *Spencerus*, Ipſam formalem Templi notionem & conceptum argumento eſſe, Gentium ruditatem, eique conſentaneam Hebræorum imbecillitatem Templo extruendo cauſam præbuiſſe. Quid enim Deus in Templo manufacto habitaret, niſi ut ſe accommodaret ad Populi puerilis & increduli deſiderium, qui Deum in proximo agentem, & rebus precibuſque ſuis modo ſenſibili præſentem poſtulaſſe videatur, ex Ethnicorum utique moribus & ſtudiis, qui Templa ſua hinc vel maxime æſtimarunt, quod eorum ope Deos ſemper in propinquo haberent, & ſi uſus poſtularet, facile & familiariter adeundos. Unde *Arnobius Lib. 6.* Ethnicum ſic loquentem introducit: *Non idcirco attribuimus Diis Templa, tanquam hunc dos ab his imbres, ventos, pluvias, aut Solis arcea-*

menta

Digitized by Google

mus ? ſed ut eos poſſimus coram & cominus contueri, aſſari de proximo, & cum præſentibus quodammodo venerationum colloquia miſcere, ſub axe enim nudo, ſub ætherio tegmine invocati ſi fuerint, nihil audiunt: & niſi de proximo admoveantur his preces, tanquam nihil dicatur, obſtructi atque immobiles ſtabunt. Hinc etiam *Cæcilius* Ethnicus apud *Minutium Felicem* ait: *Intende Templis ac Delubris Deorum, quibus Romana Civitas & protegitur, & ornatur: Magis ſunt auguſta Numinibus incolis, præſentibus, inquilinis, quam cultus inſignibus & muneribus opulenta.*

Reſponſio. Addit *Spencerus*, Ipſa Scripturæ de Templo loquentis verba cauſam opinandi præbere, Deum ob Gentium conſuetudinem Templum Judæis conceſſiſſe. Quamvis enim Scriptura Templum *Dei domum* & habitaculum multoties dixerit, & Deum in illo habitare locis bene multis aſſeruerit; aliis tamen, Dei in Templo habitationem in dubium vocavit, nonnullis aperte denegavit. (3. Regum 8. 27.) *Ergone putandum eſt quod vere Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis Domus hæc quam ædificavi?* (Et Iſaiæ 66. 1.) *Hæc dicit Dominus: Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi? Et quis eſt iſte locus quietis meæ?* (Et Actuum 7. 47.) *Salomon autem ædificavit illi Domum. Sed non Excelſus in manufactis Templis habitat.*

Reſponſio. Reſpondetur; *Davidem*, *Salomonem*, & fideles quoſvis Iſraelitas ab illa Gentium profanarum ruditate & errore fuiſſe alieniſſimos, quo Deos ſuos ita Templis alligatos credebant, ut alibi obſtructas aures ad eorum vota haberent; neque ſub axe nudo, aut ſub æthereo tegmine invocati audirent ac præſto eſſent, ut loquitur Ethnicus ille apud *Arnobium*. Noverant enim Antidiluvianos Patriarchas, noverant *Noachum*, *Abrahamum*, *Iſaacum*, *Jacobum*, *Moſen*, Deo extra Templum & Tabernaculum preces, vota, Sacrificia obtuliſſe, & Religionis officia in omni loco impleviſſe. Noverant *Davidem* ad Deum in cœlis habitantem oculos animumque convertiſſe: Deum ubique præſentem credebant, adorabant in cœlo, in extremis Maris: Ubique ſuccurrere omnibus invocantibus eum in veritate, reſpicere in orationem humilium, nec ſpernere preces eorum: Oculos Domini in Juſtos reſpicere, & aures benignas ac faciles illorum precibus Optimum Deum præbere. Unde *David* ſepties in die laudem Deo dicebat, media nocte ſurgebat ut illum oraret; in ſtrato lectuloque ſuo preces ex contrito corde cum lacrymis fundebat. *Salomon* vero nonne Sapientiam a Deo poſtulavit & impetravit antequam Templum condidiſſet? Non itaque ex ruditate illa & errore Gentium, ſed ex Dei afflatu & juſſu, qui piam illam ædificandi Templi voluntatem *Davidi* & ipſi *Salomoni* dedit, atque confirmavit, arceſſenda Templi origo eſt. Scriptura quidem Sacra Deum in Templo manufacto habitare negat ex neceſſitate & indigentia; aut quaſi Templi anguſtiis includatur aut diſtringatur ejus Majeſtas. Quod Ethnici de ſuis Numinibus opinabantur, eorum potentiam & gratiam Sacris Ædibus, & ſtatuis obligatam credentes. Quo ſpectant verba illa *Arnobii* Lib. 6. *Nonne prima & maxima contumelia eſt, habitationibus Deos habere diſtrictos?* Hunc etiam ſenſum *Minutius Felix* rejicit: *Quod ſimulacrum* (inquit) *Deo fingam, cum, ſi recte exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulacrum? Templum quod ei exſtruam, cum totus hic Mundus, ejus opere fabricatus, eum capere non poſſit? Et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ Majeſtatis includam?* Hunc priſcorum Ethnicorum errorem excludit Scriptura locis a *Spencero* laudatis, ut conſtat ex verbis illis Apoſtoli in Areopago prædicantis: *Deus, qui fecit Mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat; nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia.* Verum non negat Scriptura, imo diſerte docet, Deum qui ubique præſens eſt, ſingulari quadam ratione in Templo ejus Majeſtati conſecrato præſentem eſſe, ex dignatione, & propenſiſſima erga homines ipſius cultui devotos voluntate, ut eorum preces exaudiat, ipſis in omnibus neceſſitatibus & periculis præſentiſſimam opem ferat, ſuiſque gratiis ac beneficiis illos cumulet. Unde *Moyſes* Deuteronomii 4. 5. 7. *Nec eſt*, inquit, *alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Et *Salomon* ſolemnem Templi dedicationem peragens, ut habetur 3. Regum Cap. 8. Deum quidem Templi ſeptis incluſum & circumſcriptum non eſſe profitetur; ſed tamen in Templo Nomini illius dicato ſingulari quadam ratione præſentem eſſe, quatenus in Templo, aut contra Templum orantes benigne exaudit. Denique Templum condidit *Salomon*, ut in illud Populus Dei ad Deum colendum & orandum conveniret, non quaſi ejus potentia & gratia ſacræ huic Ædi alligata eſſet. Unde non ſolum *de Templo ſancto ſuo*, ſed de Cœlo, illum Populi ſui preces exauditurum profitetur. *Ergone putandum eſt quod vere Deus habitet ſuper terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis Domus hæc quam ædificavi? Sed reſpice ad orationem ſervi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: Audi hymnum & orationem, quam ſervus tuus orat coram te hodie: Ut ſint oculi tui aperti ſuper Domum hanc nocte ac die: Super Domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: Ut exaudias orationem, quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus. Ut exaudias deprecationem ſervi tui, & Populi tui Iſrael, quodcumque oraverint in loco iſto, & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo; & cum exaudieris, propitius eris. Si peccaverit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod juramentum, quo teneatur adſtrictus, & venerit propter juramentum coram Altari tuo in Domum tuam, tu exaudies in cœlo: & facies, & judicabis ſervos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput ejus, juſtificanſque juſtum, & retribuens ei ſecundum juſtitiam ſuam. Si fugerit Populus tuus Iſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes Nomini tuo venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in Domo hac; exaudi in cœlo, & dimitte peccatum Populi tui Iſrael, & reduces eos in Terram quam dediſti Patribus eorum. Si clauſum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto pœnitentiam egerint Nomini tuo, & a peccatis ſuis converſi fuerint propter afflictionem ſuam; Exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſervorum tuorum, & Populi tui Iſrael: & oſtende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluviam ſuper terram tuam, quam dediſti Populo tuo in poſſeſſionem. Fames ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus, portas obſidens omnis plaga, univerſa infirmitas cuncta devotatio & imprecatio, quæ acciderit omni homini de Populo tuo Iſrael: Si quis cognoverit plagam cordis ſui; & expanderit manus ſuas in Domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum) Ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti Patribus noſtris. Inſuper & Alienigena, qui non eſt de Populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum .... & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus invocaverit te Alienigena: Ut diſcant univerſi Populi terrarum Nomen tuum timere, ſicut Populus tuus Iſrael, & probent, quia Nomen tuum invocatum eſt ſuper Domum hanc, quam ædificavi. Si egreſſus fuerit Populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos, per viam, quocumque miſeris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegiſti, & contra Domum quam ædificavi Nomini tuo, & exaudies in cœlo orationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum. Quod ſi peccaverint tibi (Non eſt enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captivitatis, & converſi deprecati fuerint in captivitate ſua dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie geſſimus, & reverſi fuerint ad te in univerſo corde*

de ſuo . . . & oraverint te contra viam Terræ ſuæ, quam dediſti Patribus eorum, & civitatis quam elegiſti, & Templi quod ædificavi, Nomini tuo: Exaudies in cælo, in firmamento Solii tui orationes eorum, & preces eorum, & facies Judicium eorum, & propitiaberis Populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati ſunt in te, & dabis miſericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut miſereantur eis. Populus enim tuus eſt, & hereditas tua, quos eduxiſti de Terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ. Ut ſint oculi tui aperti ad deprecationem Servi tui, & Populi tui Iſrael, & exaudias eos in univerſis pro quibus invocaverint te.

Objectio tertia Spenceri.

Obiicit Spencerus, Iſraelitas non Dei juſſu, ſed animi ſui inductione, & plane ſponte Templum fabricaſſe, neque Deum eorum propoſitum gratum aut acceptum habuiſſe: Idque colligit ex verbis Salomonis (3. Regum v.) *Ego cogito ædificare Templum Nomini Dei mei, ſicut locutus eſt Dominus David Patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te ſuper Solium tuum, ipſe ædificabit Domum Nomini meo.* Conſentaneum itaque eſſe opinari, Gentium aliarum, Ægypti præcipue mores, hujuſmodi ſtudiis ac deſideriis occaſionem præbuiſſe, adeoque Templi originem a Gentium ruditate & uſu non male deduci.

Reſponſio.

Reſpondetur, Dei afflatu, conſilio, auctoritate, non arbitratu dumtaxat ſuo, *Davidem* & *Salomonem* illam extruendi Templi provinciam ſuſcepiſſe; Iſtam voluntatem, & illius executionem fuiſſe Deo gratam & acceptam, idque multis momentis a nobis probatum. Et locus ipſe a *Spencero* laudatus id liquido probat. Qui enim decernit ædificare Templum ſicut locutus eſt Dominus non ſuo utique dumtaxat arbitratu, ſed Dei afflatu & auctoritate fabricam illius ſuſcipit: Sed *Salomon* Templum ædificare decrevit, ſicut locutus erat Dominus ad *Davidem*: Non igitur proprio arbitratu, cui dederint occaſionem profanarum Gentium, præſertim Ægyptiorum mores, ſed Dei afflatu, nutu, auctoritate, ſacram illam fabricam ſuſcepit. Quam temere vero aſſeritur Deo non fuiſſe gratam, quam Deus approbavit, laudavit, nec ſolum verbis gratam ſibi eſſe ſignificavit, dicens Davidi: *Quod cogitaſti in corde tuo ædificare Domum Nomini, meo bene feciſti hoc ipſum mente tractans*: Sed & miraculis inſignibus confirmavit? Præterea jam olim Deus mandatum Populo Judaico per *Moyſem* dederat, de Sacrificiis offerendis in loco, quem Divina ſua Majeſtas deſignaſſet ac elegiſſet, Deuteronomii 12. 13. *Cave ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris: Sed in eo quem elegerit Dominus. in una Tribuum tuarum, offeres hoſtias, & facies quæcumque præcipio tibi.* Et verſ. 26. *Quæ autem ſanctificaveris & voveris Domino tolles & venies ad locum quem elegerit Dominus: & offeres oblationes tuas carnem & ſanguinem ſuper Altare Domini Dei tui.* Locus autem quem elegit Dominus eſt Jeruſalem Civitas Sancti, Mons Sion, Templum ibi a *Salomone* conditum, ut paſſim in prophetis, aliiſque Libris Sacris habetur. Pſalmo 78. *Sed elegit Tribum Juda, Montem Sion quem dilexit.* Id a *Moyſe* prædictum agnoſcunt Hebræi: E quibus *Joſephus* Lib. 7. *Antiquitatum*, Cap. 4. de *Davide* ſic loquitur: *Decrevit coædificare Deo Templum quemadmodum Moyſes prædixerat.* Idem aſſerunt *Maimonides in Præcept. Affirm.* 20. & Thalmudici *Gemar. Sanhedr. Cap.* 2. §. 6.

Objectio quarta Spenceri.

Obiicit *Spencerus*, Gentilium Templa ab ultima pene rerum ſuarum memoria ſupra Heroum ſuorum loculos & ſepulcra erecta fuiſſe, ut fuſe probavit *Euſebius* Lib. 2. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 6. cui titulus eſt: *Sepulcra Mortuorum eſſe, quæ Deorum Templa nominantur.* Et *S. Cyrillus Alexandrinus* Lib 10. *contra Julianum* exemplis bene multis indicat, celeberrima Gentium Templa fuiſſe ſepulcra vel monumenta mortuorum. Idem ante illos docuerat *Clemens Alexandrinus* ab utroque laudatus in Cohortatione ad Gentes. Quibus conſona ſunt illa *Arnobii* Lib. 6. *Multa ex his Templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, Auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres atque oſſa, & functorum eſſe corporum ſepulturas. Ex eo nonne patet & promptum eſt, aut vos Diis immortalibus Mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri Numinibus contumeliam, quorum Delubra & Templa Mortuorum ſuperlata ſunt buſtis.* His etiam conſona ſunt illa *Prudentii* verba Lib. 2. contra *Symmachum*:

Et tot Templa Deum Romæ, quot in Urbe Sepulcra
Heroum, numerare licet.

Cum itaque Gentes antiquiores Heroibus ſuis haud ita pridem divinitate donatis cultum exhiberent, ipſa Religionis Ethnicæ principia ſentire ſuadeos Templa e ruditate Gentium initia traxiſſe.

Reſponſio.

Reſpondetur, quod etſi Templa falſis Numinibus conſecrata, & ad mortuorum hominum cultum ſuper eorum tumulos extructa e ruditate Gentium originem traxerint, inde tamen abſurde colligi quod Templum a *Salomone* Deo vivo & immortali extructum & conſecratum, ex Gentium ruditate & ſuperſtitione originem habuerit: Imo ſequitur excitatum eſſe ut Populus Dei a Gentilium moribus averteretur, ac Templi ſanctitatem ex ſanctitate Numinis quod colebat, & Religionis qua eum colebat, puritate æſtimaret: Moreſque ſuos ad divinæ Legis & ſanctimoniæ normam ita componerent Iſraelitæ, ut ipſi Templa Dei fieri mererentur.

Objectio quinta Spenceri.

Obiicit *Spencerus*, Templum quatenus habitaculum Deo Sacrum tam multa ruditatis antiquæ monumenta mentibus noſtris obiicere ut Gentium ruditas Templo originem dediſſe facile cenſeatur. Nam qui primi Templum, aut habitaculum Deo poſuere, crediſſe videntur, illum aut honorem, aut quietem, aut tegumentum ad cœli injuriam propulſandam deſiderare. 2. Qui hujuſmodi habitacula primi ſtatuerunt, eo animo feciſſe videntur, ut Deum tamquam præſentem adire, affari de proximo, & quaſi coram & cominus intueri poſſent: Perſuaſi ſcilicet ſemotam a rebus humanis Dei in cœlo habitantis curam, & preces niſi in ipſo Numinis habitaculo effuſas, nunquam exaudiri. 3. Qui Templum pro habitaculo divino primi fabricarunt, de naturæ divinæ ſanctitate & excellentia plane ſingulari parum pro dignitate cogitaſſe videntur. Nam domicilium manu fabrili & e vili materia factum, nullum cum Dei natura & ſanctitate conſenſum colit. 4. Primi Templorum Auctores Divinitatem ſeptis quibuſdam contineri, & illius vim & præſentiam Templi parietibus includi poſſe cenſuerunt. At Judæos non minus craſſe de Deo judicaſſe, e Prophetæ verbis intelligitur: *Cælum Sedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum; Quæ eſt iſta Domus quam ædificabitis mihi? Et quis eſt iſte locus quietis meæ?* Quæ verba *S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 2. contra Julianum* elegante Paraphraſi ſic illuminavit: *Ædificarat Hieroſolymis celeberrimum illud Templum Salomon Sapientiſſimus, quo mirifice lætabantur Judæorum Populi, eo quod in illo circumſcriptum habuere univerſorum Deum, Tardi enim ac rudes cum eſſent ad intelligendum quæ de Deo dicebantur, cumque Jeruſalem Dei Urbem eſſe putarent, in ea ſola Ipſum habitare contendebant, propterea quod Davidis ore dictum eſſet*, Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei. *Quare cum crebro de Deo ſentirent illi, arguit hic verbis:* Quam domum ædificabitis mihi, cui ſedes cœlum, terra autem ſcabellum? *Oportebat enim clare oſtendere iis, qui naturam illius circumſcribi ac coerceri locis arbitrabantur, & illum eſſe ubique, nec ulla re capi, ſed potius ore per omnia, & cælum ipſo plenum eſſe, terram item plenam.*

Iſai. 66.1.

Reſponſio.

Reſpondetur, Etſi Judæorum quidam ita craſſe de Deo judicarint, *Davidi* tamen, *Salomoni*, Prophetis ac ſpiritalibus Iſraelitis abſque temeritate & impietate affingi non poſſe tam inepta deliria, quod ſcilicet Templum Deo neceſſarium eſſe crediderint, ne hyemalia ſentiret frigora, aut Solibus torreretur æſtivis, aut pluvialibus nimbis perflueretur, aut ventorum turbinibus vexaretur; ut Gentiles de Diis ſuis ſomniaſſe indicat *Arnobius Lib.* 6. Aut quod opinati ſint *David* & *Salomon* Deum exaudire non poſſe niſi eos qui in Templo orarent; & magis rudes atque cæci fuerint *Demonacte*, qui (ut refert *Lucianus* in ejus Vita) quopiam ex amicis dicente, *Abeamus, o Demonax, in Æſculapii Templum, pro filii ſalute oraturi*, reſpondit: *Vehementer ſurdum exiſtimat Æſculapium, ſi nec iſthic nos orantes exaudire*

po-

poſſit: Aut quod *David*, *Salomon*, Prophetæ, ſpiritales Iſraelitæ, da Naturæ Divinæ ſanctitate & excellentia parum pro dignitata cogitaverint, vimque ſummi Numinis & præſentiam Templi parietibus includi poſſe cenſuerint; minuſque perſpicaces fuerint quam *Heraclitus* Ethnicus, ad *Hermodorum* ſcribens: *O rudes homines, docete nos, quis ſit ille Deus, qui in Templis concluditur . . . . O indocti, non ſcitis, quod Deus manufactus non ſit, neque a principio fundamentum ſuum habeat, aut circumferentiam? Univerſus Mundus ejus Templum eſt, animalibus, plantis, & ſtellis variegatus.* Qua fronte Sapientiſſimo & tunc Religioſiſſimo *Salomoni*, craſſæ illæ & abſurdæ Gentium, aut forte carnalium etiam Judæorum opiniones tribui poſſent, cum Deum Templo, imo cœlo & terra, totoque orbe capi & circumſcribi non poſſe palam profiteatus; & de cœlo preces illum invocantium exaudire? (3. *Regum* 8. & 2. *Paralipomenon* 6.) Cum etiam *Joſephus* Lib. 8. *Antiquitatum Judaicarum*, Salomonem Templum Dedicantem ſic orare faciat: *Tu quidem ſempiternam Domum habes, Domine, nec ignoramus Te tibi ipſi hanc univerſi molem condidiſſe, quæ cœlo, aere, terra, & mari conſtat: Quam totam imples, nec tamen ab ea caperis. Hoc vero Templum ideo Nomini tuo adornavimus, ut in hoc Sacrificiis ac precibus in cœlum miſſis tibi propitio litaremus, certo perſuaſi quod & hic adeo & nuſquam interim abes. Cum enim omnia videas, audias omnia, nihil obſtabit hæc Ædes, quominus ubicumque Te dignum eſt habites, a nemine alienus, & omnibus proximus, præcipue his qui te deſiderant nocte dieque, præſens ac propitius.* Et rurſus: *Supplex oro, ut aliquid de tuo Spiritu ad hoc Templum incolendum deducas, ut nobis appareat in terris quoque te degere. Alioquin tibi parvum eſt domicilium univerſum hoc cœli convexum, nedum hoc qualecumque Templum.* Eſto vero carnales Judæi ita craſſe de Deo judicaverint ut illum Templi ſeptis circumſcriptum arbitrarentur: An ita deſipiendum eſt ut *Davidem* & *Salomonem* hanc Templi extruendi provinciam ſuſcepiſſe dicamus, ad palpandum carnales illos Judæos, quos vel hac ratione in tam craſſa & abſurda opinione fovendos perviddiſſent: & Deum operis eo fine & ea occaſione ſuſcepti executione verbis & miraculis approbaſſe?

Objectio ſexta. Spencerii.

Obiicit *Spencerus*, Templi magnificentiam Gentium ruditati, & vulgari Hebræorum ingenio originem ſuam debuiſſe. Gentilium enim Templa (Salomonis multo vetuſtiora) ea amplitudine, ſplendore, & ſtructuræ elegantia inclaruere, quod ad eorum magnificentiam adaugendam, materia cum opere, natura cum arte, certaſſe videantur. Hujus rei teſtem eſſe *Diodorum Siculum*, *Lib* 1. ubi perantiquum illum Ægypti Deum *Oſirin* memorans, ait: *Multi tradunt eum poſuiſſe Jovi & Junoni Templum magnitudine & ſumptu nobile: Fana inſuper duo Jovi aurea, majus cœleſti, minus ei quem Ammonem vocant, ipſum dedicaſſe ferunt.* Idem Auctor poſt paucas paginas quatuor Templorum meminit, ab antiquiſſimis Ægypti Regibus Heliopoli extructorum, quorum unum ſtadiorum tredecim circuitum, & quadraginta quoque cubitorum altitudinem habuit. *Cui magnificentia par erat rerum ibi conſecratarum* ornatus, tum impenſis admirandus, tum manuum opere exquiſite elaboratus. Refert etiam *Herodotus Lib* 1. de fano quodam inferiore ad magnificum *Jovis Beli* Templum pertinente, aurea ſupellectile tam illuſtri, quod Chaldæi *octingentorum talentorum auri opus æſtimaverint.* Euſebius etiam Lib. 10. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 4. Ægyptiorum, Phœnicum, & Græcorum ante tempora Trojana florentium mores referens, *Templa magnifica, omnique ſignorum ac donariorum genere ad eximiam ſpeciem ornata, apud omnes in uſu* eſſe memorat. Niſi itaque teſtibus hiſce fidem omnem detrahendam cenſeamus, neceſſe videtur exiſtimare, magnifica Gentilium Templa Salomonicum antiquitate ſuperaſſe, & eorum magnificentiam Templi illius dignitati & apparatui ſplendidiſſimo cauſam & occaſionem præbuiſſe.

Reſponſio.

Reſpondetur, Ut ut ſe res habeat de Templorum apud Gentes magnificentia ante Salomonis tempora, falſum eſſe quod eorum pulchritudo, elegantia, ſplendor, opulentia, Templi Salomonici Magnificentiæ occaſionem dederit. Hæc enim in *Davidis* & *Salomonis* pietatem, de Dei majeſtate ut par eſt ſentientium, omnio refundenda eſt. Templa magnifica Diis ſuis excitarunt Gentiles, quod Deorum excellentiam pretioſiſſima quæque decere perſuaſum haberent. Unde illa *Ovidii*:

Nos quoque Templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea: Majeſtas convenit iſta Deo.

Cum itaque *David* & *Salomon* Dei Optimi Maximi Majeſtatem ſummam, infinitam, immenſam, perfectiſſimam, omnipotentiſſimam, ſanctiſſimam eſſe firmiſſime crederent, utpote qui ſit primum rerum omnium principium & finis ultimus, operæ pretium exiſtimarunt Templum Ipſi magnificentiſſimum & auguſtiſſimum extruere & conſecrare, quod ejus magnitudinem teſtaretur. Unde *Salomon* ad Regem Tyri *Hiramum* ſcribebat (2. Paralipomenon 2.) *Domus quam ædificare cupio, magna eſt: Magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes Deos. Quis ergo poterit prævalere ut ædificet ei dignam Domum? Si cœlum & cœli cœlorum capere eum nequeunt: Quantus ego ſum ut poſſim? Sed ad hoc tantum ut adoleatur incenſum coram illo.* Deum præcipua & ſingulari quadam ratione Iſraelitici Populi Regem eſſe, *David*, *Salomon*, omneſque ſpirituales Iſraelitæ perſuaſum habebant, & aliis perſuadere totis viribus nitebantur. Propterea Templum Palatii Regii formam habuit, in quo omnia ad pompam & ſplendorem magnificentiſſime compoſita. Unde R. *Schem Tob* hæc expendens, ubi varia Altaria & Conclavia, Excubitores, Miniſtros, tibicines, ſuffimenta, Regiæ Menſæ apparatum, purpuratus Aulicos, Regium Conclave, Soliumque ob oculos poſuit, ſubdit: *Atque hæc omnia eo ſpectabant ut intelligeret vulgus Regem, nempe Dominum Exercituum inter nos verſatum eſſe. Eſt enim Ille Rex Magnus, omnibuſque Gentibus metuendus*, Hanc *Salomonis* fuiſſe mentem verba ejus probant (3. *Reg.* Cap. 8. 13.) *Ædificans ædificavi Domum in habitaculum tuum firmiſſimum Solium tuum in ſempiternum.* Hanc etiam ſpiritualium omnium Iſraelitarum fuiſſe mentem, probat illud *Jeremiæ* Cap. 17. *Solium gloriæ altitudinis a principio locus ſanctificationis noſtræ.* Illa præterea Templi magnificentia, virtutum omnium apparatum & ſplendorem ſignificabat, quibus Deus in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus pectore. Eccleſiæ denique pulchritudinem & gloriam adumbrabat.

Obiicit *Spencerus*, Templum *Salomonis* in Monte conditum fuiſſe. Id vero ex Gentium rudiorum uſu profectum, qui Templa ſua in locis editis ædificabant. Hinc illud Jeremiæ 3. 23. *Vere mendaces erant colles, & multitudo Montium; Vere in Domino Deo noſtro ſalus Iſrael.* In Montibus Luci ſacri ac Templa condita paſſim leguntur in Hiſtoriis, & apud Poetas, Geographoſque. Templum *Jovis Labradenſis* in Monte Cariæ apud Labrada vicum *Strabo* memorat Lib. 14. Montem ſublimem *Veneri* ſacrum ad Pedalium Promontorium (*Ibidem.*) Templum *Dianæ Pergææ*, in loco excelſo, in Pamphylia: & in Rhodo Inſula Templum *Jovis Atabyrii* in Monte Atabyri altiſſimo, cui etiam *Iſidis* Templum addit *Appianus* in Mitridaticis. (*Ibidem*) Idem *Strabo* Lib. 6. *Apollinis Delphici* Templum locat in Monte: Lib. 8. *Veneris* Templum in ſummo Coslotbi vertice; & Lib. 7. *Apollinis* Templum in colle eidem Numini ſacro, ad Actium Epiri oppidum. Mons Meros in India *Jovi* ſacer refertur *Mela* Lib. 3. Cap. 7. In Græcia præcipue mos obtinuit Templa in Montibus extruendi. Iſque Gentilium antiquiorum dogmatis apprime convenit, qui ſumma Montium faſtigia Deo alicui dicata eſſe, & ſingulare quoddam cum cœleſtibus commercium habere credebant. Hinc illa *Virgilii Lib.* 4. *Æneidos*: *Objectio ſeptima Spencerii.*

——— Atque hunc frondenti vertice collem,
Quis Deus incertum eſt, habitat Deus.

Ad hunc Antiquitatis deluſæ morem & errorem alludunt forte verba Pſalmi 95. *Quoniam in manu ejus ſunt omnes fines terræ, & altitudines Montium ipſius ſunt.* Quæ ſic explicat *Theodoretus* in Commentario: *Ipſius ſunt etiam Montium cacumina, licet*

tot Dæmones ſtolidis hominibus militer perſuaſeriat, ut in illis ſibi Templa erigerent.

Reſponſio. Reſpondetur, Nullo veteris Hiſtoriæ teſtimonio probari quod Templa illa in Montibus ab Ethnicis ædificata Salomonico antiquiora fuerint, quamvis forte Diis ſuis interdum Sacrificia in Montibus obtulerint, vel Numen aliquod in iis reſidere commenti ſint. Veriſimilitudine non caret, *Diabolum* Dei ſimiam Gentibus perſuaſiſſe ut ſibi Templa ſub falſorum Deorum nominibus in Montibus erigerent Dei æmulatione, cujus Templum in Monte conditum erat. Ut ut eſt, Templi loco mos Gentium rudiorum occaſionem non adminiſtravit, ſed Angeli Populum peſtilentia percutientis & cædentis apparitio juxta aream *Aravna* Jebuzæi in Monte Moria *Davidi* facta, in qua *David* Altare Domino erexit jubente *Gad* Propheta, & Sacrificia obtulit, quibus placatus Deus, cohibuit peſtilentiam. Videns autem Rex Sanctus quod exaudiviſſet eum Deus *in igne de cœlo ſuper Altare*
1. Paralip. 20. & 22. *holocauſti*, dixit, *Hæc eſt domus Dei, & hoc Altare in holocauſtum Iſrael*. Hoc (inquam) in loco a Deo per Angelum, & per ignis cœleſtis immiſſionem ſuper victimas deſignato *Salomon* Templum ædificavit, ut habetur 2. Paralipomenon, Cap. 3. 1. *Et cœpit Salomon ædificare Domum Domini in Jeruſalem in Monte Moria, qui demonſtratus fuerat David Patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornam Jebuſæi*. Adde, Montem illum *Iſaaci* oblatione celebrem fuiſſe. (*Geneſ. 22.*) Præterea, ſi *Salomon* Templum in monte extruxiſſet ut ſe Gentium ruditati accommodaret, Populique mori indulgeret, non ſolum Montem, ſed Montem totius Terræ Sanctæ celſiſſimum ad fundandum Templum elegiſſet. At Mons Sion non erat totius Paleſtinæ celſiſſimus. Nam Mons Hermon Montem Sionis adeo celſitudine ſuperabat, ut *Pſalmo* 133. Ros Hermon deſcendere dicatur in Montem Sion. Denique ſatis eſt nobis Deum voluiſſe ut ſibi Templum in Monte Sion extrueretur, & eum locum elegiſſe: Cur elegerit, noſtrum non eſt curioſius indagare, ratio penes ipſum eſt. Aliæqui & rationes aſſignentur cur Chriſtus in Monte Tabor transfiguratus fuerit, in Montem ſeceſſerit oraturus, in monte Sermonem illum celeberrimum habuerit, quem totius Evangelii Breviarium jure dixerimus. (*Matthæi 5. & Lucæ 6.*) Cur in Monte Calvariæ crucifixus ſit, & morte ſua opus Redemptionis noſtræ conſummaverit: Cur e Monte Oliveti in Cœlos glorioſus aſcenderit. An Servatorem noſtrum Gentium ruditati & ſæculi moribus hæc indulſiſſe *Spencerus* aſſeret, & conjecturis ſolo eloquentiæ fuco ſplendidis perſuadere ſe poſſe confidet?

Objectio octava Spenceri. Obiicit *Spencerus*, Oraculum in Tabernaculi & Templi receſſu poſitum, & Reſponſa inde data ſæculi, mori & infirmitati, tanquam cauſæ & origini ſuæ tribuenda. Gentes enim Oracula, & Templa Reſponſis divinis illuſtria diu ante *Moſis* ætatem habuiſſe. Unde *Herodotus* Ægyptios omnium mortalium primos
In Euterpe. in Templis Oracula quæſiviſſe, & ab iis illam divinandi rationem ad Græcos derivatam aſſerit, ac *Mycerinum* Ægypti Regem, qui *Moſem* anteceſſit, *vim magnam pecuniarum in Deorum Oracula & reſponſa inſumpſiſſe ut Populi erga ſe benevolentiam provocaret.*

Reſponſio. Reſpondetur, *Herodoto*, aut profanis aliis Hiſtoricis, in Rebus Ægyptiacis *Moſe* antiquioribus fidem leviter adhibendam non eſſe; cum ea certis documentis eas non tradiderint, nulluſque fuerit Ægyptiacæ Hiſtoriæ Scriptor niſi multis poſt *Moſem* ſæculis. Quamvis ergo & apud Ægyptios & apud Græcos, Oracula perpetuo quaſi fœdere Templis conjuncta fuerint, veriſimile eſt nullum Dæmonis Oraculum Tabernaculo Moſaico fuiſſe antiquius. Sed nequiſſimum illum Dei & hominum Inimicum, ut vidit Deum Optimum Maximum ſolemni quodam ritu ſua dantem Oracula in Tabernaculo Moſaico, ſua etiam in Templis æmula operatione inſtituiſſe, ut cæcos homines deluderet. Denique Deus & ex Tabernaculi & ex Templi adyto dedit Oracula, ut voluntatem ſuam Iſraelitis manifeſtaret, eoſque ab Idololatria magis ac magis averteret, non ut profanarum Gentium moribus ſuos ritus accommodaret. Hanc rationem affert *Origenes Lib. 3. contra Celſum*, Cur Deus Prophetas apud Judæos excitaverit. *Quomodo* (inquit) *oſtendent nobis iſti, qui ſtultitiam Judæis atque Chriſtianis obiiciunt, potuiſſe Judæorum Gentem conſiſtere ſine ulla promiſſionum præſcientia: & cum circumvicinæ Gentes ſingulæ in ſuorum Numinum fanis peterent Oracula, hos ſolos qui contemptum externorum Numinum didicerant, ut non Deorum, ſed Dæmonum, nimirum Prophetarum voce moniti omnes Gentium Deos eſſe Dæmonia, Neminem habuiſſe qui Divinæ mentis Interpretem ſe profeſſus a vanis illis retraheret eos, qui aliæqui naſcendorum futurorum cupidine deſciviſſent ad cultus ab aliis Dæmones? Conſidera igitur an non neceſſe fuerit eos domi habere meliorum Vatum copiam, qui externos contemnebant cum ſuis Numinibus.*

Obiicit *Spencerus*, Templi ſitum reſpectu plagæ cœlorum, ex Gentium ruditate & moribus originem habuiſſe. Ita enim Templum ſitum erat, ut ejus Sacrarium verſus Occidentem, & frons aut veſtibulum verſus Orientem dirigeretur: Contra quam Chriſtianorum mos eſt, in quorum Sacris Ædibus Altare verſus Orientem, veſtibulum verſus Occidentem, collocari ſolent. Templi ſitum jam dictum colligi ex Ezechielis 8. 16. *Et introduxit me in Atrium Domus Domini interius; & ecce in oſtio Templi Domini inter Veſtibulum & Altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis.* E quibus verbis apertum eſt, Templi veſtibulum vel ingreſſum, ſolis ſurgentis regionem reſpexiſſe: Nam aliter non poterant Idololatræ illi terga in Templum, & ora in Orientem ſimul convertere. Id confirmatur *Maimonidis* teſtimonio in *More Nevochim* P. 3. Cap. 45. Templorum autem apud Ethnicos hunc etiam ſitum fuiſſe teſtantur *Porphyrius, De Antro Nymph. Dionyſius Trax Lib. 3. Diares, Hyginus Lib. 1. De Agrorum limitibus conſtituendis, Clemens Alexandr. Lib. 7. Stromatum.* *Objectio nona Spenceri.*

Reſpondetur, incertum eſſe an Ethnicorum Templa ſic ſita eſſent ante Salomonicum Templum, & *Moſis* Tabernaculum. Gentium Templa pene omnia adytis ſive ſacrariis ad Orientem converſis olim extructa fuiſſe, docet *Vitruvius Lib. 4. De Architectura, Cap. 5.* hæc ſunt verba: *Ædes Sacræ Deorum Immortalium ſic erunt conſtituendæ, ut ſignum quod erit in cella collocatum ſpectet ad veſpertinam cœli regionem: Ut qui adierint ad Aram immolantes, aut Sacrificia facientes, ſpectent ad partem cœli Orientis, & ſimulacrum quod erit in Æde: & ita vota ſuſcipientes contueantur Ædem, & Orientem cœli: Ipſaque ſimulacra videantur contueri ex Oriente ſupplicantes & ſacrificantes: Quod Aras omnes Deorum neceſſe eſſe videatur ad Orientem ſpectare.* Quamobrem longe veriſimilius eſt Deum Tabernaculi Templique ſui adyta ad Occidentem collocari voluiſſe, ut Iſraelitas a Gentilium moribus, qui ſolem ad Orientem adorare ſolebant, avocaret quam ut Gentium ruditati ſe accommodaret. *Theodoreti* doctiſſimi Patris ea mens eſt, *Quæſtione 13. in 3. Regum*, ubi de Templo *Salomonis* ait: *Verſum autem erat non ad Orientem, ut qui precabantur non adorarent Solem Orientem, ſed Dominum Solis.* Quod totidem verbis repetit *Anaſtaſius Sinaita in Reſponſione ad Quæſtionem 44.* *Reſponſio.*

Obiicit *Marshamus*, Templum *Salomonis* ad Templorum formam ſtructum eſſe, quæ pridem in Ægypto viderant Iſraelitæ, qualia delineat *Strabo* Libro *17. Geographia*, his verbis: *Templorum ſtructura talis eſt, In Fani ingreſſu pavimentum eſt latitudine jugeri, aut paulo minus, longitudine tripla aut quadrupla: Unde Callimacho Δρόμος Curſus dicitur. Poſtea magnum Πρόπυλον, Veſtibulum, & ubi proceſſeris, aliud Veſtibulum, rurſuſque aliud. Poſt Veſtibula, Templum Atrium habens magnum & eximium. Delubrum vero mediocre. Simulacrum aut nullum, aut non ad hominis, ſed alicujus beſtiæ formam effictum.* Templi itaque Ægypti quatuor fuere partes: *Αὐλὴ ἐξωτέρα*, Προπύλαιον, Πρόναον καὶ ὁ Ναός. Non abſimile erat Sanctuarium a *Moſe* Dei juſſu conſtructum, & Templum deinde Salomonis ad eamdem formam ædificatum. Ubi obſervare licet Atrium non unum, deinde Sanctum, denique Sanctum Sanctorum; ſuis ſingula velis diſtincta. Ezechiel etiam in ſui Templi de- *Objectio Marshami.*

ſcri-

Ezech 42. ſcriptione memorat *Pavimentum ſtratum lapide*, (id eſt) Αὐλῆς ἐσωτέρας *Atrii exterioris, ubi erat Porticus juncta Porticui triplici*.

Reſponſio. Reſpondetur, Quod etſi aliqua formæ ſimilitudo inter Ægyptiorum Templa, prout a *Strabone* deſcribuntur, & Templum Hieroſolymitanum interceſſerit, non tamen illa hujus exemplar fuiſſe inde colligendum eſt. Nullo enim momento probari poteſt, ea quæ a Geographorum Principe in Ægypto viſa ſunt, Hieroſolymitanum antiquitate ſuperaſſe. Imo vero cum Hieroſolymitani Templi fama non in vicinis ſolum, ſed & remotioribus Gentibus celebris fuerit ac pervagata, ut patet ex 3. Regum 8. 41. & 42. veriſimile eſt Gentes externa Templa ſua ad præſtantiſſimi iſtius exemplaris formam exſtruxiſſe. Sane Deus pium *Davidis & Salomonis* propoſitum de Templo conſtruendo approbans, non ex peregrinis operibus, aut Architectorum peritia, propriove ingenio, illos typum ſibi formam paſſus eſt, ſed ſua ipſe Sapientia omnium artifice ſtructuram omnem delineavit, ut conſtat ex 1. Paralipomenon 28. 2. 22. 20. *Dedit autem David Salomoni filio ſuo deſcriptionem Porticus, & Templi, & Cellariorum, & Cœnaculi, & Cubiculorum in adytis, & Domus Propitiationis. . . . Omnia inquit, venerunt ſcripta manu Domini ad me ut intelligerem univerſa opera exemplaris*. Confirmatur teſtimonio *Theodoreti* Quæſtione 28. in 3. Regum. *Eſt ergo perſpicuum* (inquit) *quod ſicut magno Moſi oſtendit Deus exemplum Tabernaculi, & dixit ei*, „ Facies omnia ſecundum exemplum quod tibi oſtenſum eſt in monte: *Ita etiam Beatum Davidem docuit gratia Spiritus formam ædificii. Ipſe autem hoc oſtendit filio. Eſt autem notandum quod Dominum appellavit Sanctiſſimum Spiritum. Nam cum di-„ xiſſet Scriptor*, Quod dedit ei exemplum omni-„ um quæ erant in Spiritu cum ipſo, *paulo poſt ad-„ jecit*, Omnia in Scriptura ex manu Domini dedit David.

S. Joannis Chryſoſtomi locus explicatur. Obiiciunt *Marshamus* & *Spencerus* locum *S. Joannis Chryſoſtomi Sermone 31. in diem Natalem Chriſti*, ubi ait: *Quo tempore ab Ægyptiacis turbis, & barbara Pharaonis tyrannide, Hebræorum Populum Deus liberavit; videas ipſos impietatis adhuc ſecum reliquias habere, rebuſque omnibus ſub ſenſum cadentibus ad inſaniam uſque addictos, Templorumque magnitudinis ac pulchritudinis admiratione duci, Templum ipſis exædificari præcepit, quod non modo materia magnificentia atque artis varietate, ſed & ſtructura forma, cætera omnia quæ ubique terrarum erant, Templa obſcuraret. . . . Et quemadmodum pater liberorum ſuorum indulgenter amans, filium profligatis, perniciosis, laſcivis hominibus uſum, nimioque luxu diſſolutum, ad ſe longo temporis intervallo recipiens, tuto & cum dignitate in majori rerum abundantia conſtitueret, ne in anguſtias aliquas conjectus, priorum recordatione, atque etiam cupiditate corripiatur: Ita Deus Judæos ad res ſenſibiles cum ſtupore propenſos videns, in hiſce ipſis rebus præſtantiſſimum aliquid effecit; ne umquam poſtea Ægyptiorum, aut eorum quæ apud Ægyptios experti fuerint, cupiditate caperentur*. Templum igitur e Gentium ruditate, & Ægyptiorum moribus ortum traxit, judice *S. Joanne Chryſoſtomo*.

Reſpondetur, Ea in Quæſtione ſingularem eſſe *S. Joannis Chryſoſtomi* opinionem, a qua diſcedere cogimur, ſalva quæ tanto Nomini debetur reverentia, cum repugnantem habeat Scripturam, nec aliorum Patrum conſenſu fulciatur. A Scriptura porro quam longe abeat in Concione illa populari, patet, cum Templum non eo primum tempore ſit extructum, *quo Populum ab Ægyptiacis turbis, & barbara Pharaonis tyrannide Deus liberavit*, & quo *impietatis Ægyptiacæ reliquiæ* quædam illi adhærebant, ſed multis exinde ſæculis. Nec tamen ad formam Ægyptiacorum Templorum Salomonicum exſtructum, ſed ad mundi exemplar, *S. Chryſoſtomus* docet. *Templumque* (inquit) *ipſis ſtatuit ad Mundi exemplar, totiuſque Univerſi; tam quod ſenſu, quam quod ſolo intellectu percipi poteſt. Sicut enim terra eſt, & cœlum, & medium ſepimenti inſtar hoc firmamentum: Ita & illud quoque fieri juſſit. Duaſque in partes diviſo hoc Templo, & ad medium obtento velo, eam partem quæ extra velum erat, omnibus ingrediendi poteſtatem fecit: Ad alteram vero illam interiorem nemini, præter quam Summo Sacerdoti aditum atque introitum patere permiſit. Cæterum quod hæc non noſtra conjectura ſit, ſed quod Templum revera totius Mundi ad exemplum exſtructum fuerit, audi quid Paulus de Chriſto in cœlum aſcendente loquens dicat: Non enim in manufacta Sancta introivit Chriſtus exemplaria verorum, oſtendens, quod quæ apud nos ſunt, verorum ſint ſimulacra. Quod porro velum dirimeret Sancta Sanctorum a Sanctis extra poſitis, ſicut hoc cœlum quæ ſuper ſe ſita ſunt, ab omnibus quæ apud nos ſunt disjungit; Audi quomodo etiam hoc, obſcurius tamen indicaverit, cum cœlum velum appellat. De ſpe namque diſſerens, quod ſicut anchoram ipſam animæ habeamus tutam ac firmam, deinde ſubjungit: Et incedentem uſque ad interiora velaminis; ubi Præcurſor pro nobis introivit Jeſus ſupra cœlum ſurſum. . . Vides quomodo cœlum velamen appellaverit?* Hebr. 9. 2. Hebr. 6. 19.

DISSERTATIO II.

DE REGINA SABA,

Quæ Salomonis auditura Sapientiam, Heroſolymam venit,

DE Regina *Saba* Quæſtio duplex diſceptari ſolet, prima de ejus patria, altera de illius Religione. Quod patriam ſpectat, quidam Regnum ejus in Arabia, alii in Æthiopia collocant. Suis utraque ſententia nititur momentis. Prior rationibus, altera Veterum teſtimonio ſe tuetur. Religionem quod attinet, quæritur utrum in Idololatria permanſerit, an ad veri Dei cultum converſa fuerit?

PROPOSITIO I.

Reginam Saba ex Æthiopia veniſſe ad Sapientiam Salomonis audiendam probabilius videtur, quam ex Arabia.

PRobatur primo, ex verbis Chriſti. Matthæi 12. 42. *Regina Auſtri ſurget in Judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam. Quia venit a finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic*. At ſi veniſſet ex Arabia, non diceretur a finibus terræ veniſſe, cum Arabia Judææ finitima eſſet. Non itaque Saba Arabica hic intelligenda eſt, ſed Saba Æthiopica, quæ Terra longinqua dicitur Jeremiæ 6. 20. *Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuaveolentem de terra longinqua?* Et Joelis 3. 8. *Et vendam filios veſtros, & filias veſtras in manibus filiorum Juda, & venundabunt eos Sabæis Genti longinquæ, quia Dominus locutus eſt*. Præterea, Arabia Felix non eſt Auſtralis, ſed potius Orientalis reſpectu Hieroſolymorum & Terræ Sanctæ.

Probatur ſecundo, ex *Joſepho* Lib. 8. *Antiquitatum*, Cap. 2. ubi *Ægypti & Æthiopiæ Reginam* vocat incomparabilem illam Heroinam, quæ ad *Salomonem* venit, ſapientiæ illius fama permota. Hujus Regni Metropolis erat *Meroe* olim *Saba* nuncupata, donec *Cambyſes* Perſarum Rex de ſororis ſuæ nomine *Meroen* appellavit, ut obſervat idem *Joſephus* Lib. 2. Cap. 5. At Urbem a *Cambyſe* conditam, & de nomine Matris ab eo appellatam ait *Diodorus Siculus* Lib. 2. Ibi multis ſæculis feminæ imperarunt ſub *Candaces* nomine, ut conſtat ex Actis Apoſtolorum Cap. 8. 27. ex *Plinio* Lib. 6. Cap. 29. ex *Strabone* Lib. 17. & *Dione* in *Auguſto*. Unde ad Sabæos Æthiopes, ſive Meroitas referri videntur illa *Claudiani* in *Eutropium* Lib. 1.

——— Medis, levibuſque Sabæis
Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Probatur tertio, teſtimonio Patrum. *Origenis Homilia 2. in Canticum Canticorum*, dicentis, Hiſtoriam Re-

Reginæ Saba *in tantum convenire ad perſonam Eccleſiæ, quæ ex Gentibus venit ad Chriſtum, ut ipſe Dominus in Evangeliis Reginæ hujus faceret mentionem, dicens, Eam veniſſe a finibus terræ, ut audiret Sapientiam Salomonis. Auſtri autem Reginam dicit eam, pro eo quod Æthiopia in Auſtri partibus jaceat; & a finibus terræ, quaſi in ultimo poſita. Invenimus autem hujus ipſius Reginæ Joſephum in Hiſtoria ſua fecere mentionem .... Refert autem quod non ſolum Æthiopiæ, ſed & Ægypti Regnum tenuerit.*

S. Gregorii Nazianzeni Oratione 40. in Sanctum Baptiſma: *Ecquando* (inquit) *tantum laborem ſuſceperit, quantum Æthiopum Regina, quæ ab extremis terræ finibus pervenit, ut Salomonis Sapientiam audiret? Et ecce pluſquam Salomon hic .... Ne viæ longinquitatem reformides, nec Maris ſpatia, nec ignem ſi adhibentur, nec aliud quodcumque impedimentum, quo Gratiam conſequaris.*

S. Gregorii Nyſſeni Homilia 7. in Cantica: *Æthiopiſſa autem Myſterium, quemadmodum relicto Regno Æthiopum, & tranſmiſſo tanto quod intercedebat ſpatio, properat ad Salomonem propter laudem Sapientiæ, gemmis, & auro aromatiſque pretioſis Regem honorifice proſequitur, manifeſtum fuerit animum advertenti ad quodnam Evangelicum aſpicit Miraculum. Quis enim neſcit, quod quæ ex Idololatria ab initio eſt in gentibus Eccleſia, prius quam fieret Eccleſia, longo interjecto ignorantiæ intervallo, procul habitabat a veri cognitione? Sed quando apparuit Gratia Dei, & illuxit Sapientia, & Lux vera ad eos qui ſedebant in tenebris & umbra, miſit radium, tunc Iſraele ad lucem claudente oculos, & ſeipſum abducente a bonorum participatione veniunt Æthiopes ii qui ad fidem accedunt ex Gentibus, & qui aliquando longe erant, prope accedunt, nigrore ablato aqua myſtica? Adeo ut Æthiopia pervenerit manus Deo ea quæ obtulerit dona Regi, pietatis aromata, & aurum Dei cognitionis & gemmas præceptorum, & virtutum operationis.*

S. Cyrilli Alexandrini Lib. 5. Commentariorum in Iſaiam, Tom. 4. ad illa verba Capitis 60. *Venient omnes ex Saba ferentes aurum, & thus, &c.* ubi ait: *Saba regio eſt altra Terram Arabum & prope Mare Rubrum, ex qua Saba Æthiopum Regina, temporibus Salomonis acceſſit Jeruſalem. Fertiliſſima eſt regio thure, auro, & lapidibus Indicis. Venient igitur, inquit, fructum parientes in gloriam, & adducentes thus, & aurum, ac lapides, ſive bonorum operum ſuavem fragrantiam, & ſplendorem ſub intelligentiam cadentem, divitiaſque ſpirituales.*

Theodoreti Quæſtione 33. in 3. Regum, his concepta verbis; *Quænam eſt Gens Saba?* Ad quam reſpondet: *ÆTHIOPICA. Sitos autem eos dicunt eſſe citra Mare Indicum. Nominant autem eos Homeritas. Sunt autem a regione Auxumitarum. Inter hos autem illos medium eſt Mare. Eorum Regina fuit admirabilis illa Mulier, cujus ſtudium laudavit Chriſtus in Sacris*
Luc.11. *Evangeliis. Nam cum audiviſſet quæ vulgo jactabantur de Sapientia Salomonis contulit viam multorum dierum & laborem exiſtimavit, eſſe levem, &c.* Et Quæſtione 22. in Numeros: *Sephoram igi-*
Luc.2. *tur appellavit Æthiopiſſam. Siquidem Saba Gens eſt Æthiopica. Evangeliſta enim ait:* Regina Æthiopum ſurget, & condemnabit generationem iſtam. *Regnorum autem Hiſtoria nuncupavit eam Regina Saba. Porro Saba Gens Homeritarum appellatur, quibus vicini ſunt Madianitæ.* Reginam auſtri in Evangelio nuncupatam, *Theodoretus* Reginam Æthiopum intellexit. *Theodoreto* ſubſcribit *Procopius* in 3. *Regum*.

S. Hieronymi Commentario in Cap. 3. Joelis: *Sabæim* (inquit) *Gens trans Indiam dicitur: de qua fuit & Regina Saba, quæ venit Sapientiam audire Salomonis, De quibus & Iſaias loquitur:* Et Sabaim viri
Iſai.45. excelſi ad te tranſibunt: *Unde & thus venire perhibetur, dicente* Virgilio:

——— Centumque Sabæ
Thure calent Aræ:

Licet quidam Sabæos Arabes ſuſpicentur. Et Lib. 17. Commentariorum in *Iſaiam* ad Caput 60. Regionem Saba ultra Arabiam poſitam reſtatur. Poſt „ divitias Maris, *inquit*, & fortitudinem Gentium „ greges quoque camelorum & dromadarii Madian „ & Epha promittuntur Jeruſalem: Qui omnes veni„ ent de Saba portantes aurum & thus: & quod his ma„ jus eſt, annuntiantes Domini ſalutare ... Madian & „ Epha regiones ſunt trans Arabiam fertiles came„ lorum, omniſque Provincia appellatur Saba. Un„ de fuit & Saba Regina, quæ venit Sapientiam „ audire Salomonis: Et ipſa deferens aurum & thus, „ Pacifico Regi multa deportans, & ab eo majo„ ra ſuſcipiens.

Auctoris Sermonis in Dedicatione Eccleſiæ, alias 253. De Tempore inter Auguſtinianos, nunc 231. „ Appendicis qui de Eccleſia ſic loquitur: Hæc eſt „ illa Regina, quæ venit a partibus Æthiopiæ au„ dire Sapientiam Salomonis. Sed hæc non tam ex „ una regione, quam ex univerſis Mundi partibus „ Reges paritura convenit, ſicut etiam Evangeliſta „ commemorat: *Regina Auſtri venit a finibus terræ*
„ *audire Sapientiam Salomonis.* Venit Eccleſia ad Ra- Matth.12. 42.
„ demptorem & Eruditorem ſuum; ut de ſtultitia „ erroris doctrinam perciperet veritatis .... Ergo „ in figura Reginæ hujus Eccleſia venit ex Genti„ bus, & a finibus terræ, imponens finem cupidita„ tibus vitiiſque terrenis, ut audiret Sapientiam Sa„ lomonis, id eſt, veri Pacifici Domini noſtri Jeſu „ Chriſti, qui fecit utraque unum, ſolvens inimici„ tias inter Deum & hominem in carne ſua.

Quarto, nonnullius momenti eſt Abyſſinorum Æthiopum traditio multis licet deformata fabulis. Celebrem enim illam Heroinam Reginam ſuam fuiſſe gloriantur, & Abyſſinorum Imperator ſe *Regem de Sebaim, unde fuit Regina Saba*, inſcribit; ut conſtat ex Epiſtolis ab ipſo datis tum ad Regem Luſitaniæ anno MDXXI. tum ad Romanum Pontificem anno MDXXIV. quas Latinitate donatas refert *Paulus Jovius*.

Obiiciunt *Pineda*, *Solianus*, *Bochartus*, & alii vocem *Saba* quoties per *ſchin* ſcribitur, ad Arabiam Felicem pertinere; (*Geneſis* 10. 7. *Job.* 1. *Iſaia* 43. 60. *Pſalmo* 71. v. 10.) Cum vero ſcribitur per *ſamech*, ſignificare Sabam Æthiopiam. Atqui 3. *Regum* 10. & 11. *Paralipomenon* 9. *Saba* cujus hæc Heroina Regina dicitur, ſcribitur per *ſchin*, non vero per *ſamech*. Regio itaque Arabica eſt.

Secundo, Scriptura teſtatur, nunquam talia, neque tam multa aromata advecta fuiſſe in Jeruſalem, quanta a Regina Saba allata ſunt. Illam etiam Salomonis vim ingentem auri obtuliſſe. (3. *Regum* 10.) „ Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in „ nomine Domini venit tentare eum in ænigma„ tibus. Et ingreſſa Jeruſalem multo cum comitatu, „ & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum „ infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad „ Regem Salomonem, & locuta eſt ei univerſa quæ „ habebat in corde ſuo. Et docuit eam Salomon o„ mnia verba quæ propoſuerat. Non fuit ſermo qui „ poſſet Regem latere, & non reſponderet ei .... „ Dedit ergo Regi centum talenta auri, & aroma„ ta multa nimis, & gemmas pretioſas. Non ſunt „ allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ de„ dit Regina Saba Regi Salomoni. At Arabia tho„ ris aliorumque aromatum ferax eſt, ex *Diodoro Siculo*, *Lib.*3. *Cap.* 3. *Plinio Lib.*2. *Cap.* 14. *Tibullo* „ ita canente:

Urantur pia thura focis, urantur odores:
Quas tener e terra divite mittit Arabs.

Et *Virgilio*:

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Balſamum etiam, quod huic acceptum Reginæ fert *Joſephus*, Æthiopica planta non eſt, ſed Arabica, ut teſtantur *Agatharcides*, *Strabo*, *Diodorus*, &c. Præ cæteris etiam regionibus aurifera eſt Arabia, ut probat illud Pſalmi 71. *Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ.*

Reſpondetur, Linguæ Hebraicæ peritos non convenire quod *Saba* per *ſchin* ſemper ad Arabiam pertineat. *Genebrardus in Pſalmum* 71. & alii Commentatores, contendunt, *Saba* per *ſchin*, ſignificare Æthiopiæ regionem Sabeam. *Pineda* ipſe Commentario in *Job* Cap. 1. & Lib. 5. *De rebus Salomonis*, Cap. 6. §. 4. ait. Non magnopere curandum diſcrimen horum nominum iiſdem fere literis & permutabilibus conſtantium, ac potius ex ſubjecta materia, & aliis

Digitized by Google

& aliis circumſtantiis conjecturam ſumendam, qua de regione ſermo ſit, quam ex nudo ipſo vocum diſcrimine. Simile quid notat *Malvenda* noſter Lib. 6. de Antichriſto, Cap. 28. ubi quærit, cur nomen Reginæ Saba Hebraice per *ſch u* ſcribatur, ſi ex Æthiopia venerit, cum *Saba* per *ſebin* ſignificet Arabiam Felicem? & reſpondet: Id factum propter literarum utriuſque nominis ſimilem ſonum, & propter locorum viciniam. Nam ut vocabula una tantum ſimiliſque litera diſtinguit, ita & regiones ipſas anguſtiſſimum dumtaxat fretum terminat Maris Erythræi: Siquidem inter Felicem Arabiam & Æthiopiam non interjacent niſi ſtrictæ fauces Sinus Arabici.

Ad ſecundum reſpondetur, Æthiopiam eſſe pariter aromatum feraciſſimam, ut teſtantur *Strabo* Lib. 16. *Solinus* Cap. 33. *Philoſtratus in Vita Apollonii* Lib. 6. *Cap.* 1. Nec verum eſt quod *Herodotus & Plinius* ſcribunt, thus ſola in Arabia naſci: Nam & in India oriri ubertim *Theophraſtus* affirmat Lib. 4. *De Hiſtoria Plantarum*, Cap. 5. quod jam experientia compertum eſt. Nec in Arabia ſolum, ſed etiam in Ægypto naſci balſamum, *Dioſcorides* & alii teſtantur; & *Joſephus* qui Reginam Saba ex Æthiopia veniſſe ſcribit, balſami radicem in Judæam illam intuliſſe Auctor eſt. Æthiopiam quoque auriferam eſſe teſtantur *Herodotus* Lib. 3. & *Diodorus Siculus* Libro etiam tertio. Et tanta quidem eſt Æthiopibus auri copia, ut ſuos antiquitus reos compedibus aureis onerarent, teſtibus eodem *Herodoto & Pomponio Mela* Lib. 3. Cap. 10. *Solino* Cap. 33. *Plutarcho in Erotico & Heliodoro* Lib. 8. *Æthiopicorum*, Cap. 24. Quo ſpectat illud *Tertulliani* 1. Libro *De Cultu Feminarum*, Cap. 10. *Quamquam & aurum ipſum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula ſervire ferunt Gentilium litera.* Et Lib. 2. Cap. 6. *Apud Barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum, & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.*

PROPOSITIO II.

Probabile eſt Reginam Saba ad veri Dei cognitionem cultumque converſam fuiſſe.

ID enim probabiliter colligitur ex 3. *Regum* Cap. 10. ubi fama Sapientiæ Salomonis *in nomine Domini* excitata dicitur ut Hieroſolymam veniret, periculum ejus factura: Saque cognita benedixiſſe Deo Iſraelis. *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus... Videns autem omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos menſæ ejus, & habitacula ſervorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in Domo Domini: Non habebat ultra ſpiritum. Dixitque ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua; & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nunciata non fuerit: Major eſt ſapientia & opera tua, quam rumor quem audivi. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. SIT DOMINUS DEUS TUUS BENEDICTUS, CUI COMPLACUISTI, ET POSUIT TE SUPER THRONUM ISRAEL, EO QUOD DILEXERIT DOMINUS ISRAEL IN SEMPITERNUM, UT FACERES JUDICIUM ET JUSTITIAM.*

Huic ſententiæ magnum pondus addit auctoritas *Theodoreti*, qui Reginam Saba in eorum ponit numero, qui ſine Lege ſunt juſtificati. *Quæſtione* 33. *in Lib.* 3. *Regum*, ubi de Regina Saba loquens, hæc habet: *Per Salomonem laudavit Largitorem ſapien-*,, *tiæ.* Sit, *enim inquit*, Dominus Deus tuus bene- ,, dictus, qui voluit te dare ſuper Thronum Iſraelis, ,, ut ſtatuas eum in æternum; & poſuit te Regem ,, ſuper ipſos, ut facias judicium in juſtitia & in ,, judiciis ejus. *Ego autem ſum recordatus Doctrinæ Apoſtolicæ, quæ eos laudavit, qui ſine Lege ſunt juſtificati*, Quando enim, *inquit*, Gentes quæ Legem ,, non habent, natura quæ Legis ſunt faciunt, ipſi ,, Legem non habentes, ſibi ſunt Lex. *Ipſa enim cum eſſet alienigena, & neque divinam accepiſſet Legem, neque Propheticam percepiſſet agriculturam, contenta fuit Lege Naturæ, & admirata fuit juſtitiam, & juſtum commendavit judicium, & per Eum qui ſapientiæ donum accepit, laudavit Datorem ſapientiæ.* Rom. 2.

Eadem propoſitio confirmatur ex *S. Paulino* Epiſtola I. *Habens*, inquit, *non Legem littera, ſed fidem Legis in tabulis cordis; barbara natione, non animo; & in aperto peregrina, ſed in occulto Judæa, currebat ut lucem ſcientiæ qua carebat hauriret; Sanctorum fieri civis oportebat; & Chriſtum in Salomonem mirata, verum Regina cæleſtis affectum in imagine myſtica Eccleſiæ impleverat.* His germana ſunt quæ habet *S. Iſidorus Hiſpalenſis in* 3. *Regum* Cap. 5. Addidit, dumtaxat, quod *Non ſolum præmio cæleſtis Reſurrectionis beata, ſed etiam Poteſtate Apoſtolica de Judæis adulteriis judicandis in ipſo ore Judicis digna cenſetur.* Eadem habet *Angelomus*, *Stromatis in* 3. *Regum*, Cap. 10.

Ut ut eſt, hæc Regina typus fuit Eccleſiæ, ut diſerte explicat *Origenes* Homilia 1. in Canticum Canticorum. *Venit ergo & hæc*, inquit, *imo ſecundum figuram ejus, Eccleſia venit ex Gentibus audire Sapientiam Salomonis veri, & veri Pacifici Domini noſtri Jeſu Chriſti. Venit & hæc primo quidem tentans eum per ænigmata & quæſtiones, quæ ei prius inſolubiles videbantur: Atque ab ipſo de agnitione Verbi Dei, & de creatione Mundi, vel de immortalitate Animæ, & Judicio futuro, quod apud eam, & apud Doctores ejus, Gentiles dumtaxat Philoſophos, incertum ſemper aut dubium manebat, abſolvitur. Venit ergo in Jeruſalem, ad Viſionem ſcilicet pacis, cum multitudine & virtute multa. Non enim cum una ſola Gente, ut prius Synagoga, ſolos habuit Hebræos: ſed cum totius Mundi Gentibus venit, deferens etiam munera digna Chriſto, odoramentorum ſiquidem ſuavitates, opera ſcilicet bona, quæ ad Deum per odorem ſuavitatis aſcendunt. Sed & auro venit repleta, ſenſibus ſine dubio & rationalibus diſciplinis, quas ante fidem adhuc ex communi & ſcholari eruditione collegerat. Detulit etiam lapidem pretioſum, quem ornamenta morum poſſumus intelligere. Cum hoc ergo apparatu intrat ad Pacificum Regem Chriſtum: & ipſi aperit cor ſuum, in Confeſſione & Pœnitentia ſcilicet præcedentium delictorum: & locuta eſt ei omnia quæ erant in corde ſuo. Propter quod & Chriſtus, qui eſt pax noſtra, enuntiavit ei omnia verba ejus: & non eſt verbum quod omiſerit Rex, & non enuntiaverit ei. Denique cum jam tempus Paſſionis appropinquaret, ſic loquitur* ,, *ad eam, id eſt, ad electos Diſcipulos ſuos*: Jam non ,, dicam vos ſervos, ſed amicos: Quia ſervus neſ- ,, cit quid faciat Dominus ejus. Ego autem nota ,, feci vobis omnia quæcumque audivi a Patre meo. Joan. 15. *Sic ergo impletur quod dixit: Quia non fuerit verbum quod non enuntiaverit Pacificus Dominus Reginæ Saba, id eſt, Eccleſiæ ex Gentibus congregatæ. Quod ſi intuearis Eccleſiæ ſtatum, & diſpenſationes ejus, ordinationeſque ejus conſideres: Tunc advertes quomodo Regina mirata ſit omnem prudentiam Salomonis. Simul & require, cur non dixerit omnem ſapientiam, ſed omnem prudentiam Salomonis: Quoniam quidem eruditi viri prudentiam de humanis negotiis, ſapientiam de divinis intelligi volunt. Idcirco fortaſſis & Eccleſia nunc interim Chriſti prudentiam miratur, dum in terris eſt, & inter homines converſatur. Cum autem venerit quod perfectum eſt, & de terris tranſlata fuerit ad cælum, tunc videbit omnem ſapientiam ejus, cum jam non per ſpeciem, non per ænigmata, ſed facie ad faciem de ſingulis quibuſque perſpiciet. Vidit autem & domum quam ædificavit, ſine dubio Incarnationis ejus Myſteria. Vidit & cibos Salomonis;* Joan. 4. ,, *illos puto, de quibus dicebat*: Meus cibus eſt, ut ,, faciam voluntatem ejus qui miſit me, ut perficiam ,, opus ejus. *Vidit & ſedem puerorum ejus: Eccleſiaſticum puto Ordinem dicit, qui in Epiſcopatus vel Presbyterii ſedibus habetur. Vidit & orationes ſive ſtationes Miniſtrorum ejus: Diaconorum, ut mihi videtur, Ordinem memorat, aſtantium divino Miniſterio. Sed & veſtes ejus vidit; illas credo, quibus induit* ,, *eos, de quibus dicitur*: Quicumque autem in Chri- Galat. 3. ,, ſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Sed & vi-*

ni

ni fuſores ejus ; arbitror dici Doctores : Qui verbum Dei & doctrinam quaſi vinum Populis miſcent, quod auditorum corda lætificet. Vidit & holocauſta ejus ; orationum ſine dubio ſupplicationumque Myſteria. Hæc ergo ubi vidit in domo Regis pacifici, imo Chriſti, Nigra hæc & formoſa, obſtupuit, & ait ad Eum ; Verus eſt ſermo quem audivi in Terra mea de verbo tuo & de prudentia tua. Propter enim verbum tuum, quod agnovi verum eſſe verbum, veni ad te. Omnia etenim verba quæ mihi dicebantur, & quæ audiebam, cum eſſem in Terra mea, a Doctoribus ſcilicet ſæculi, & Philoſophis, non erant vera : Iſtud ſolum verum verbum, quod eſt in te.

S C H O L I O N.

Vetus Auctor Sermonis inter Auguſtinianos, olim 253. De Tempore, nunc in Append. 231.

„ Cum pervenerit Eccleſia ſive quælibet Anima ſancta, (Cujus Regina Saba typus fuit) in æternam Jeruſalem, & ingreſſa fuerit beatam regionem & gloriam cœleſtium promiſſorum ; multo plura & magnificentiora perſpiciet, quam ei ſunt in hac terra per Sacra Eloquia, per Prophetas atque Apoſtolos nuntiata. Nunc enim tanquam in ſpeculo & in ænigmate ; tunc autem oculis ſuis videbit, id eſt, facie ad faciem. Tunc beata Anima inter ſtupendas Remuneratoris ſui conſtituta divitias, Reginæ hujus verbis uti ad Deum poterit : *Verus eſt ſermo quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus tuis & ſuper ſapientia tua. . . . Major eſt ſapientia & opera tua, quam rumor quem audivi.* Et revera id quod parat Deus diligentibus ſe, fide non comprehenditur, ſpe non attingitur, caritate non capitur, deſideria & vota tranſgreditur ; acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. Habebit de perceptione fructum, non habebit de ſatietate faſtidium.

DISSERTATIO III.

DE ÆTERNA SORTE Salomonis.

SCripturæ Sacræ Interpretes pro ſuo quiſque ſtudio *Salomonem* in electorum album referunt, vel in reproborum numero collocant. Nec deſunt utrique ſententiæ probabilia quædam argumenta : Sed non ea ſunt quæ ad aſſenſum cogant, & quibus probabilis etiam reſponſio adhiberi non poſſit. Unde ſors æterna *Salomonis* unum ex divinæ providentiæ arcanis pleriſque videtur, quæ ſcrutari curioſius non oporteat.

P R O P O S I T I O U N I C A.

Sors æterna Salomonis incerta eſt.

I. ILlius enimvero ſors æterna reſpectu hominum in terris mortalem vitam agentium incerta eſt, cujus ſalus, aut damnatio æterna, ex nullo Scripturæ Sacræ loco certo probari poteſt ; neque ex Traditione, aut communi conſenſu Patrum, vel Eccleſiæ judicio : Atqui *Salomonis* æterna ſalus vel damnatio, nullo Scripturæ Sacræ loco certo probari poteſt ; neque ex Traditione, aut communi conſenſu Patrum, vel Eccleſiæ judicio : Itaque ſors æterna *Salomonis* incerta eſt.

Cauſa Salomonis ex Scriptura Sacra in utramque partem diſceptatur.

A Scriptura Sacra ut incipiamus, qui ſaluti *Salomonis* patrocinantur, ajunt, Librum *Eccleſiaſtæ*, quem ſub vitæ finem edidit, pœnitentis dolorem & gemitus exprimere his verbis, Cap. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Id confirmari volunt ex his *Proverbiorum* 24. ſecundum Verſionem 70. Interpretum. *Noviſſime ego egi pœnitentiam, reſpexi ut eligerem diſciplinam.* Et Cap. 30. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum : Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum.* Quæ verba, inquiunt, procul dubio *Salomonis* ſunt pœnitentis, & præteritam ſuam ſtultitiam nempe libidinem & idololatriam lugentis.

II. Verum contrariæ ſententiæ Vindices reſpondent, Falſo ſupponi quod Librum *Eccleſiaſtis*, & *Proverbiorum* ſub vitæ finem *Salomon* ediderit, tum quia Capit. 2. *Eccleſiaſtie* ait : *Sapientia quoque perſeveravit mecum* : Quæ verba *Salomoni* in libidinem effuſo, & in idololatriam lapſo non conveniunt : Tum etiam quia *Eccleſiaſtici* 47. Sirachides lapſum *Salomonis* poſt ejus Libros commemorat. *Salomon*, inquit, *imperavit in diebus pacis, cui ſubjecit Deus omnes hoſtes, ut conderet Domum in nomine ſuo. & pararet ſanctitatem in ſempiternum : Quemadmodum eruditus es in juventute tua. Et impletus es, quaſi flumen, ſapientia, & terram retexit anima tua . . . In Cantilenis, & Proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratæ ſunt terræ, & in nomine Domini Dei, cui eſt cognomen, Deus Iſrael . . . . Et inclinaſti femora tua mulieribus : Poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua,* &c. Quod igitur in Proverbiis ait, ſecundum Verſionem τῶν Septuaginta, *Noviſſime egi pœnitentiam*, ex propria perſona non dixit, ut & alia quæ in ejus Libris, aliorumque Scriptorum Canonicorum leguntur plurima, quæ vel ex perſona peccatorum, vel pœnitentium, vel Juſtorum, vel Chriſti, vel Eccleſiæ ab iis dicta, quivis in Scripturæ Sacræ lectione non penitus hoſpes & peregrinus intelligit. Adde, magis congruere Textui Hebræo Vulgatam Verſionem Latinam, quæ ſic habet : *Quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Nulla etiam pœnitentiæ mentio in Chaldaica Paraphraſi : *Et vidi ego*, inquit, *& poſui cor meum, & vidi, & ſuſcepi diſciplinam.* Nulla in Syriaca Verſione : *Id ego vidi*, inquit, *& repoſui in corde meo, & eruditionem accepi.* Non eſt etiam certum, an hæc verba Capitis 30. *Stultiſſimus ſum virorum*, &c. ſint *Salomonis*, an alterius cujuſpiam a Deo afflati hominis. Dubitandi rationem præbent hæc verba, quæ velut inſcriptionis locum tenent. *Verba Congregantis, filii Vomentis,* quibus reſpondentia in Hebræo nomina eſſe propria, *Agur & Jace*, Viri Eruditi cenſent. Unde ſic legi volunt : *Verba Agur filii Jace, ad Ithiel & Ucbal.* Cujus *Aguris* Sententia ob argumenti ſimilitudinem Parabolis *Salomonis* adtexuerint *Viri Ezechiæ Regis Juda*, (Proverb. 25. 1.) Id eſt, qui *Ezechiæ* Regi a Commentariis erant. Et quamvis ipſius *Salomonis* ſint, qui myſticum nomen ſibi ſumpſerit, non ideo pœnitentiam ejus probant, aut ſtultitiam perſonalium peccatorum *Salomonis* ſignificant, ſed errorem & ignorantiam quibus homo in ſtatu naturæ corruptæ obnoxius eſt, adeoque rebus arduis & ſpiritualibus explicandis impar, niſi cœlitus illuminetur, & verbo Dei ducatur. Quia igitur *Salomon* ſapiens ex ſe non erat, ſed Dei dono, cujus perenne beneficium eſſe agnoſcebat, ne in tenebras & inſipientiam naturæ corruptæ congenitam delaberetur, ex modeſtia & humilitate ait : *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum. Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? Quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? Quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? Quod nomen eſt ejus, & quod nomen filii ejus ſi noſti? Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe : Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inveniariſque mendax.* Sic *Amos* Cap. 7. Verſ. 14. ait : *Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ ; ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros.* Et Apoſtolus ad *Epheſios* 3. 8. ſe *omnium Sanctorum*, id eſt Chriſtianorum *minimum* profitetur. Quæ voces modeſtiæ ſunt & humilitatis, qua agnoſcunt Viri Sancti quid ex ſe ipſis ſint, quid ex gratia Dei. Ita de *Salomone* dicendum, ſe ſtultiſſimum virorum proclamante, quo tempore ſapientiſſimus erat.

III. Divinas promiſſiones in medium proferunt, *Salomonis* Patroni, eam præſertim quæ *Davidi* ejus parenti a Deo facta eſt, ut 2. *Regum* 7. 14. refertur : *Ego ero ei in Patrem, & ipſe erit mihi in filium : Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul, quem amovi a facie mea.*

At

At contrariæ Sententiæ Vindices reſpondent, Hoc loco ſolam tranſmiſſionem Regni ad *Salomonis* poſteros, non ſalutem æternam *Salomonis* ipſius contineri: ut ſit ſenſus, Aliis quidem pœnis caſtigandum *Salomonem* ejuſque filios, ac nepotes, non autem privatione Regni, inſtar *Saulis*. Huic loco lucem affert ille 1. Paralipomenon 17. 2. *Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad Patres tuos, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filiis tuis, & ſtabiliam Regnum ejus. Ipſe ædificabit mihi Domum; & firmabo Solium ejus uſque in æternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: & miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli ab eo qui ante te fuit. Et ſtatuam eum in domo mea, & in Regno meo uſque in ſempiternum: & thronus ejus erit firmiſſimus in perpetuum.* Quæ promiſſio impleta eſt, cum adverſus Salomonem in alienigenarum amores, & idololatriam lapſum ſuſcitavit Deus fortiſſimos hoſtes, *Adad Idumæum de ſemine Regio, Razon filium Eliada*, Regem Damaſci, & *Jeroboam*, cui *Abias* Silonites Propheta occurrens, ſciſſo in duodecim partes pallio novo, ait: *Tolle tibi decem ſciſſuras: Hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindam Regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus. Una porro Tribus remanebit ei propter ſervum meum David, & Jeruſalem civitatem quam elegi ex omnibus Tribubus Iſrael: eo quod dereliquerit me, & adoraverit Aſtarthen Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Moloch Deum filiorum Ammon; & non ambulaverit in viis meis, ut faceret juſtitiam coram me, & præcepta mea, & judicia, ſicut David pater ejus. Nec auferam omne Regnum de manu ejus, ſed Ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ propter David ſervum meum, quem elegi, qui cuſtodivit mandata mea & præcepta mea. Auferam autem Regnum de manu filii ejus, & dabo tibi decem Tribus: Filio autem ejus dabo Tribum unam, ut remaneat lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Jeruſalem civitate, quam elegi ut nomen meum eſſet ibi.* De miſericordia itaque temporali, non de ſpirituali & æterna, id eſt de Regno, non de gratia & de gloria æterna, intelligenda eſt illa Dei promiſſio *Salomoni* facta, ſive *Davidi* in gratiam Salomonis: *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli a Saul, quem amovi a facie mea.*

IV. Pro *Salomonis* etiam ſalute ab ejus Patronis afferuntur illa verba 3. Regum 11. 43. *Dormivitque Salomon cum Patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David Patris ſui.* Ex quibus verbis *Bacchiarius* Auctor Eccleſiaſticus V. Sæculi, in Epiſtola ad Januarium, *De recipiendis Lapſis*, colligit *Salomonem* alienum a venia non fuiſſe: *Veniam*, inquit *ex hoc conſecutam eſſe agnoſcimus, quia cum ſolutus fuiſſet a corpore, ſepultum illum inter Regum Iſraelitarum corpora Scriptura commemorat. Quod tamen alibi peccatoribus Regibus abnegatum eſſe cognoſcimus, qui uſque in finem vitæ ſuæ in propoſiti perverſitate manſerunt. Et ideo quia inter Reges juſtos meruit ſepeliri, non fuit alienus a venia. Veniam autem ſine pœnitentia non potuit promereri.*

Sed reſpondent adverſæ Sententiæ Vindices, Hac loquendi formula, *Dormivit cum patribus ſuis*, nihil aliud ſignificari, quam naturali placidaque morte obiiſſe *Salomonem*: Idemque dici de aliis Regibus impiis, & de quorum ſalute dubitatur. Nam de *Roboam* dicitur 3. Regum 14. 31. *Dormivit cum patribus ſuis, ſepultuſque eſt in Civitate David*: De quo tamen ſcriptum eſt 2. Paralipomenon 12. 14. *Fecit autem malum & non præparavit cor ſuum ut quæreret Dominum.* Item de *Abia* filio *Roboam* dicitur 3. Regum 15. 8. *dormivit Abias cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in Civitate David*: De quo tamen ibidem ſcriptum eſt Verſ. 3. *Ambulavitque in omnibus peccatis patris ſui, quæ fecerat ante eum: Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus.* De *Amaſia* dicitur 2. Paralipomenon 25. 28. *Sepelierunt eum cum patribus ſuis in Civitate David*: De quo tamen Verſ. 14. ſcriptum eſt: *Amaſias vero poſt cædem Idumæorum & allatos Deos filiorum Seir, ſtatuit illos in Deos ſibi, & adorabat eos, & illis adolebat incenſum.* Et propter Idololatriam in manus hoſtium volente Deo traditus eſt. (*V. 20.*) Nec ejus pœnitentia legitur. Quamvis itaque multi Reges impii, nempe *Joram* filius Joſaphat, *Ochozias, Joas, Achaz*, in Sepulcris Regum Juda ſepulti cum piis Regibus non fuerint, inde colligi non debet omnes, quorum corpora in eadem Sepulcra illata ſunt, ſalutem æternam eſſe conſecutos. Sicut nec omnes qui in piorum Regum Sepulcris non ſunt conditi, æternam damnationem incurrerunt: Alioqui *Manaſſes* Rex pœnitens in reproborum numerum rejiciendus eſſet; Quia ſepultus eſt *in domo ſua*: ut habetur 2. *Paralipomenon* 33. 20. Quod igitur in Civitate David *Salomon* ſit ſepultus, is honos non ejus ſanctitati, aut pœnitentiæ, ſed *Davidis* patris ejus memoriæ habitus eſt. Sicut *Ochoziam* Regem Juda filium *Joram* & *Athalia*, impietatis Domus *Achab* æmulatorem & heredem, a *Jehu* quem ad excidium Domus Achab Deus elegerat, interfectum, quamvis honore ſepulturæ indignum, *ſepelierunt, eo quod eſſet filius Joſaphat, qui quæſierat Dominum in toto corde ſuo.*

V. Patroni *Salomonis* hæc verba 2. *Paralipomenon* 11. 17. ejus ſaluti ſuffragari putant: *Et roboraverunt Regnum Juda, & confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: Ambulaverunt enim in viis David & Salomonis, annis tantum tribus.* Viæ igitur *Salomonis* perinde ac *Davidis* probantur. Id enim Scriptura Sacra non diceret, ſi poſtremam ætatem in Idololatria totam egiſſet, in eaque defunctus eſſet.

Reſpondent contrariæ ſententiæ Vindices, *Roboamum* & Populum Juda in viis Salomonis prioribus ambulaſſe annis tantum tribus: Ejus itaque viæ, antequam mulierum alienigenarum amoribus irretitus, ad earum Idola defeciſſet; cum viis *Davidis* comparantur, & pariter laudantur, non viæ poſteriores; ſeu vitæ finis. Sicut cum dicitur de *Ammone* Rege Juda, 4. Regum 21. 20. 21. 22. *Fecitque malum in conſpectu Domini, ſicut fecerat Manaſſes pater ejus. Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus: Servivitque immunditiis quibus ſervierat pater ejus, & adoravit eas, & dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non ambulavit in via Domini*: Reſpectus habetur ad vias priores *Manaſſis*, non ad poſteriores; ad impietatem ejus & Idololatriam, non ad pœnitentiam.

VI. Contra vero qui ſaluti *Salomonis* adverſantur opponunt, Solere Scripturam Sacram, recenſitis aliquorum hominum peccatis, eorum commemorare pœnitentiam, ſi ad meliorem frugem redierint. Sic *Davidis* peccatum & pœnitentiam literis proditam 2. *Regum* 11. 12. *Pſalmo* 50. &c. & *Eccleſiaſtici* 47. Sic *Manaſſis* impietatem & converſionem ad Deum deſcribi Lib. 2. *Paralipomenon* Cap. 33. *Salomonis* vero libidinem & idololatriam narrari 3. *Regum Cap.* 11. & *Eccleſiaſtici* Cap. 47. Pœnitentiam nullibi legi. Immo Dei ultionem ſuper liberos ejus incubuiſſe ob illius peccata, ſignificat Sirachides. *Inclinaſti femora tua mulieribus .... Dediſti maculam in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari ſtultitiam tuam, ut faceres Imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare Imperium durum.*

Reſpondent Patroni *Salomonis*, Certam eſſe multorum Veteris Teſtamenti hominum Pœnitentiam, quæ tamen explicite ac diſerte in Scriptura Sacra non memoratur, ut *Adami, Lothi, Samſonis.* Pœnitentiam *Salomonis* probabilius colligi ex Scriptura, quam negari. Rerum a *Salomone* geſtarum plurimas oblivione ſepultas eſſe, quia ſingulari aliquo Libro conſcriptæ erant, qui quidem periit. Indicant autem (3. Regum 11. 41.) *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & Sapientia ejus: Ecce univerſa ſcripta ſunt in Libro verborum dierum Salomonis.* Intercidiſſe etiam aliorum Scriptorum monumenta de rebus geſtis *Salomonis*, de quibus 2. Paralipomenon 9. 29. *Reliqua autem operum Salomonis priorum & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in Libris Abia Silonitis, in Viſione quoque Addo Videntis contra Jeroboam filium Nabat.* In his porro Libris veriſimile eſſe deſcriptam accuratius *Salomonis* Pœnitentiam, quæ in Scriptura Sacra, quam habemus, obſcurius indicatur.

VII. Obiiciunt qui *Salomonis* ſalutem deſperatam eſſe cenſent: Quos peccatorum ſincere pœnitet, illi quantum in ipſis eſt, peccandi occaſiones aliis datas auferunt. At *Salomon* peccandi occaſiones populo datas non abſtulit. Idola quippe & fana eorum a ſe erecta non evertit: Siquidem hæc ad *Joſiæ* pii Regis tempora permanſerunt. De quo ſcriptum eſt 4. Regum 23. 13. *Excelſa quoque, quæ erant in Jeruſalem ad dexteram partem Montis Offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth Idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit Rex. Et contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos: Replevitque loca eorum oſſibus mortuorum.*

In omne latus ſe vertunt Patroni *Salomonis*, ut iſtius vim argumenti quadamtenus infringant. Reſpondent ſcilicet, *Salomonem* Fana illa & Idola forſe evertiſſe, ſed vel ab *Ammon*, vel ab aliis impiis Regibus inſtaurata fuiſſe in iiſdem fundamentis: Quo factum eſt ut antiquum nomen Excelſorum *Salomonis* ſervaverint. Et hæc funditus diruiſſe *Joſiam*. Vel *Salomonem* Templa quidem & Idola evertiſſe, ſed non complanaſſe fundamentis tenus. Ruinas itaque & parietinas dumtaxat manſiſſe, cum peccati *Salomonis*, tum pœnitentiæ teſtes. Illas *Ezechiam* Regem Sanctum intactas reliquiſſe, quod criminis occaſionem præbere nemini viderentur. *Joſiam* vero divinæ gloriæ zelo, & ſingulari pietatis ardore commotum, infames illas antiquæ ſuperſtitionis & impietatis reliquias funditus deleviſſe. Addunt, cauſſas eſſe potuiſſe legitimas, cur *Salomon* Excelſa illa & Templa Idolorum non everterit; quia vel illa clauſit, vel alios in uſus convertit. Excelſa illa, quæ ædificaverat *Salomon*, ab aliis Regibus, & quidem Sanctis, qui ante *Joſiam* vixerunt, everſa non fuiſſe, præſertim ab *Ezechia*: Cui tamen crimini non datur, quod illa non everterit, immo pietas illius commendatur 4. Regum Cap. 18. 3. 4. 5. & Eccleſiaſtici 48. 25 *Manaſſen* Regem acta pœnitentia pie obiiſſe; & tamen Idolorum Altaria ab ipſo erecta uſque ad *Joſiæ* tempora manſiſſe, de quo ſcriptum eſt 4. Regum 23. 12. *Altaria quoque, quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant Reges Juda, & Altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus Atriis Templi Domini, deſtruxit Rex; & cucurrit inde, & diſperſit cinerem eorum in Torrentem Cedron.* Si quæ igitur probabilis ratio ad *Ezechiæ* & *Manaſſe* excuſationem affertur, eamdem vel alteram non minoris ponderis, pro Salomone afferri poſſe.

Salomonis cauſa Patrum teſtimoniis librata, Patres Salomoni propitii.

VIII. Si Patrum teſtimoniis cauſa *Salomonis* agatur æque dubia manebit ejus ſalus; Cum alii ipſi patrocinentur, alii adverſentur. Inter *Salomonis* patronos laudantur.

S. Irenæus Libro 4. *Adverſus Hæreſes* Cap. 45. Quaſi *Salomonem* æque ac *Davidem* inter eos recenſeat, *Quibus curatio & remiſſio peccatorum mors Domini fuit*, Locus tamen ille *S. Irenæi* non expreſſe favet *Salomoni*. Oſtendit ſcilicet eo in Capite *S. Irenæus*, Deum Antiquorum peccata in Scripturis corripuiſſe, quod probat exemplis *Davidis* & *Salomonis*. Addit, Chriſtum deſcendiſſe ad Inferos, ut evangelizaret illis qui in eum crediderant, Adventum ſuum illis remiſſionem peccatorum attuliſſe. Credidiſſe autem in eum omnes qui ſperabant in eum; id eſt, *Qui Adventum ejus prænunciaverunt, Juſti, & Prophetæ, & Patriarchæ: Quibus ſimiliter ut nobis remiſit peccata, quæ non oportet nos imputare his, ſi quominus contemnimus gratiam Dei. Quemadmodum enim illi non imputant nobis incontinentias noſtras, quas operati ſumus prius quam Chriſtus in nobis manifeſtaretur: Sicut & nos non eſt juſtum imputare ante adventum Chriſti his qui peccaverunt. Omnes enim homines egent gloria Dei. Juſtificantur autem non a ſemetipſis, ſed a Domini adventu, qui intendunt in lumen ejus. In noſtram autem correptionem conſcriptos eſſe actus eorum, ut ſciremus primum quidem quoniam unus eſt Deus noſter & illorum. cui non placeant peccata, etiamſi a claris fiant: Deinde ut abſtineamus a malis. Si enim hi qui præceſſerunt nos in charismatibus Veteres, propter quos mundum Filius Dei paſſus erat, delinquentes in aliqua, & concupiſcentiæ carnis ſervientes, tali affecti ſunt ignominia: Quid paſſuri ſunt qui nunc ſunt, qui contempſerunt adventum Domini, & deſervierunt voluptatibus ſuis? Et illis quidem curatio & remiſſio peccatorum mors Domini fuit. Propter eos vero qui nunc peccant, Chriſtus jam non morietur .... Non debemus ergo (inquit ille Senior) ſuperbi eſſe, neque reprehendere Veteres: Sed ipſi timere, ne forte poſt agnitionem Chriſti, agentes aliquid quod non placeat Deo, remiſſionem ultra non habeamus delictorum, ſed excludamur a Regno ejus.* Licet ergo *Salomonis* longo ante intervallo meminerit *S. Irenæus*, diſertis verbis illum non numerat inter eos, quibus mors Domini curatio & remiſſio peccatorum fuit.

Apertius favent Salomoni *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi 2. Illuminatorum. *Cernis, inquit, quod Pœnitentibus datur ſalus? Et Salomon ceciderat: Sed quid inquit? POSTEA EGO POENITENTIAM EGI.*

,, S. Hilarius *in Pſalmum* 52. Et ne (*inquit*) per
,, Aaron, David, & Salomonem, pluresque iſtiuſ-
,, modi, bonitatis Dei exempla percurram, quibus
,, increpitis demutationum offenſis ob fidei tamen
,, meritum adfuit venia proclivis: Conſcius Do-
,, minus infirmitatis humanæ, cum Apoſtolis dixiſ-
,, ſet: *Omnes vos ſcandalum patiemini in nocte hac*; Matt. 26.
,, & Beato Petro ter, non tam ad denuntiationem
,, damnatæ negationis, ſed quia per timorem carnis
,, demutabilis homo, id quod negaturus eſſet ad-
,, monito, neganti quidem claves tamen Regni Cœ-
,, lorum non ademit. *Et in Pſalmum* 126. Salomo-
,, nem *Sanctum vocat*. Volunt plures (*inquit*) San-
,, ctum Salomonem ædificationi Civitatis & Templi
,, ſtudentem, in eo ipſo molitionis ſuæ tempore e-
,, verſionem civitatis, & Templi, quod conderet,
,, propheraſſe.

,, *S. Epiphanius* Hæreſi 42. quæ eſt Marcionita-
,, rum, ubi inter Marcionis errores refert quod di-
,, xerit: ad Inferos uſque deſcendiſſe Dominum, ut
,, & Caino, & Core, ac Dathani, & Abironi,
,, nec non Eſau, ac Nationibus omnibus, quibus Ju-
,, dæorum Deus fuerat ignotus, ſalutem afferret,
,, Abelum vero, Enochum, Noemum, Abraam, I-
,, ſaacum, Jacobum, Moyſen, Davidem, ac Salo-
,, monem illic relictos; quoniam Judæorum Deum,
,, inquiunt, agnoverunt. qui univerſitatis conditor
,, ac fabricator eſt, ejuſque Leges & inſtituta ſe-
,, cuti ſunt: Ac non ſe potius alteri illi Deo, qui
,, videri oculis nequit, addixerunt. *Eamdem itaque*
,, Salomonis *æternam ſortem eſſe ſenſit* S. Epiphanius,
,, *ac* Abeli, Enochi, Noe, Abraami, Iſaaci, Jaco-
,, bi, Moyſis, & Davidis *quos a Chriſto ex Limbo*
liberatos, & æternam gloriam conſecutos eſſe certum eſt.

S. Ambroſius, ſeu alius Auctor *Apologia* 2. *Pro Davide*, inter ejus Opera & ſub ejus nomine editæ Cap. 3. ubi *Samſonis*, *Davidis Salomonis* lapſus refert, Pœnitentiam prædicat, & Juſtos vocat. Si David
,, infirmus (*inquit*) tu fortis es? Si Salomon la-
,, pſus eſt, tu immobilis? Si Paulus primus pecca-
,, torum, tu potes primus eſſe Sanctorum? Ergo ſi
,, erraverunt Juſti, erraverunt tanquam homines: Sed
,, peccatum ſuum tamquam Juſti agnoverunt.

,, Bacchiarius *in Epiſtola ad* Januarium *De recipien-*
,, *dis Lapſis*: Salomon ille mirabilis (*inquit*) qui me-
,, ruit Aſſiſtrici Dei, hoc eſt, Sapientiæ copulari, in
,, alienigenarum mulierum incurrit amplexus, & vin-
,, culo libidinis illaqueatus, ſacrilegii errore ſe pol-
,, luit, quia ſimulacrum Chamos Moabitico Idolo fa-
,, bricavit. Sed qui per Prophetam culpam erroris a-
,, gnovit, numquid miſericordiæ cœleſtis extorris
,, eſt? Ac forſitan dicas: Nunquam eum in Cano-
,, ne lego pœnituiſſe, neque miſericordiam conſecu-
,, tum. Audi ergo frater; Pœnitentia ejus quæ non
,, inſcribitur publicis Legibus: fortaſſe acceptabilior
,, judicatur, qui non ad faciem Populi, ſed in ſe-
,, creto conſcientiæ, Deo teſte pœnituit. Veniam
,, autem eum eſſe conſecutum ex hoc agnoſcimus,
,, quia cum ſolutus fuiſſet a corpore, ſepultum il-
,, lum inter Regum Iſraelitarum corpora Scriptura
,, commemorat; Quod tamen aliis prævaricatoribus Re-
,, gibus abnegatum eſſe cognoſcimus, qui uſque in
,, finem vitæ ſuæ in propoſiti perverſitate manſe-
,, runt.

S. Hie-

S. Hieronymus Epiſtola 9. *Ad Salvinam, De ſervanda Viduitate*, Salomonem Davidi ſupparem tam in peccato quam in pœnitentia facit. *Si David amicus Domini, & Salomon amabilis ejus, victi ſunt quaſi homines, ut & ruina nobis ad cautionem & pœnitudinis ad ſalutem exempla praberent; Quis in lubrica via lapſum non metuat?* Et Libro 13. *Commentar. in Ezechielem*, ad Cap. 43. ait Templum *Salomonis* tanto eſſe inferius illo quod *Ezechieli* oſtenſum eſt, *Ut non ſolum cultores ejus & Æditui, ſed & ipſe fabricator ejus Salomon peccaverit, & offenderit, Deum, licet poſtea egerit pœnitentiam, ſcribens Proverbia, in quibus ait: Noviſſime ego egi pœnitentiam, & reſpexi ut eligerem diſciplinam.* Et in Caput. 2. *Eccleſiaſtæ*, ad illa verba, *Magnificavi opera mea*, ſic loquentem inducit Salomonem: *In quamcumque voluptatem me cupido traxiſſet, inſaniæ ferebar & praceps; putabamque hunc eſſe fructum laborum meorum, ſi ipſe in libidine luxuriaque conſumerer. Tandem in me reverſus, & quaſi de gravi ſomno evigilans, aſpexi ad manus meas: & opera mea plena vanitate, plena ſordibus, plena ſpiritu erroris intuitus ſum. Nihil enim quod in Mundo putatur bonum, bonum potui reperire. Reputans igitur quæ eſſent ſapientia bona, & quæ ſtultitia mala, conſequenter in laudem illius hominis erupi, qui poſt vitia ſe refrenans, virtutum poſſit eſſe ſectator.*

Poſt Patres laudatos ſuffragium etiam pro *Salomone* fert *Tichonius* Vir Eruditus: cujus (etſi Donatiſtæ) Regulas pro Scripturæ Sacræ intelligentia paſſim approbando *S. Auguſtinus* ſuas fecit. Is igitur Regula 3. quæ eſt *De Promiſſis & Lege*, hæc habet: *Quid dicimus de Salomone? Cum Deo eſt, an poſt Idololatriam reprobatus eſt? Si cum Deo dixerimus, impunitatem ſpondebimus Idolorum cultoribus. Non enim dicit Scriptura pœnitentiam egiſſe Salomonem, aut recepiſſe ſapientiam. Si autem reprobatum dixerimus, occurrit vox Dei quæ dicit, Nec terra quidem Regnum auferre Salomoni propter David; ſicut ſcriptum eſt in Libro Regum..... Quid enim prodeſt David ſi propter eum filius ejus Regnum terræ conſequeretur, cœleſte perditurus? Quo manifeſtum eſt cum Deo eſſe Salomonem, cui Regnum quidem terræ ablatum non eſt propter David.*

Patres ſaluti Salomonis adverſi.

IX. Inter eos qui *Salomonis* ſalutem deſperatam eſſe cenſent, laudantur Patres eruditione, ſanctitate, antiquitate aliis non impares.

S. Cyprianus Epiſt. 6. ad *Rogatianum* & cæteros Confeſſores, quos ad perſeverantiam adhortatur. *Parum eſt* (inquit) *adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt quod adeptus es poſſe ſervare. Sicut & fides ipſa, & nativitas ſalutaris, non accepta, ſed cuſtodita vivificat. Nec ſtatim conſecutio, ſed conſummatio hominem Deo ſervat.* „ *Dominus hoc magiſterio ſuo docuit, dicens*: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. *Puta hoc illum & Confeſſori ſuo dicere: Ecce Confeſſor factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Salomon denique, & Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulaverunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: Recedente ab iis Diſciplina Dominica, receſſit & Gratia.* Et Lib. *De Unitate Eccleſiæ*, hæc habet: *Quiſquis ille Confeſſor eſt, Salomone major, aut melior, aut Deo charior non eſt. Qui tamen quandiu in viis Domini ambulavit, tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecutus, obtinuit: Poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ſicut ſcriptum eſt: Et excitavit Dominus Satanam ipſi Salomoni. Et ideo ſcriptum eſt: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod utique Dominus non minaretur, auferri poſſe coronam juſtitiæ; niſi quia recedente juſtitia, recedat neceſſe eſt corona.*

S. Joannes Chryſoſtomus Sermone De Pœnitentia: *Quis* (inquit) *ſceleratior Manaſſe? Et hunc Pœnitentia revocavit. Pœnituit Deum quod Saulem elegerit. Quapropter? Niſi quia idem Pœnitentiam ignoravit. Quis ſapientior Salomone? Sed neſciens Pœnitentiam, perdidit Gratiam.* Verum ingenue fatendum eſt, *S. Chryſoſtomum* modo in partem *Salomoni* propitiam, modo adverſam modo propendere, prout exemplum ex alterutra opinione deſumptum ad moralia quæ tractat argumenta flecti poteſt. Unde Homilia contra Concubinarios ait: *Dicite aliquem qui hanc ſervitutem tulerit aliquando, & deinde liberatus ad libertatem bonam recurrerit. Etenim Salomon cum ſæcularium rerum concupiſcentia teneretur, magnas eas & admirandas putabat, omnem, ut ita dicam, oblectationis & refrigerii viam ſectando; At ubi inde ad ſe reverſus, & quaſi ex umbroſa quadam abyſſo ad lumen veræ Sapientiæ reſpicere valuit; tunc ſublimem illam & cœlis dignam emiſit vocem!* VANITAS VANITATUM, ET OMNIA VANITAS.

S. Auguſtinus Libro 22. *contra Fauſtum*, Cap. 81. *Salomonem* non ſolum in Idololatriam lapſum, ſed plane demerſum aſſerit, adeoque ex naufragio non evaſiſſe ſignificat. De Salomone autem quid dicam (*inquit*) niſi quia gravius ipſius fidelis & Sanctæ Scripturæ teſtimonio redarguitur, quam petulantibus & nugacibus Fauſti conviciis? Illa enim de illo, & quid boni potius habuiſſet, & quid mali faciendo, bonum in quo primum fuerat, reliquiſſet, veraciter fideliterque locuta eſt: Iſte autem oculis clauſis, vel potius extinctis non quo lumine manifeſtante ducebatur, ibat; ſed quo malevolentia præcipitante ferebatur, irruebat. Hoc ipſo enim magis inſinuaverunt Sancti Libri religioſis lectoribus & electoribus ſuis, quam caſte habuerint ſancti viri plures uxores. Quod Salomon, qui eas non illo modo, ſed magis ad libidinem quam ad propaginem habuit, improbatus eſt & reprehenſus his verbis, ut appellaretur Amator Mulierum: & inde ad profundum Idololatriæ lapſus atque demerſus, eadem veritate, perſonam nullius acceptante proderetur.

Et Cap. 88. Jam de Salomone quid dicam? Quem vehementer arguit Sancta Scriptura atque condemnat, nihilque de Pœnitentia ejus vel indulgentia Dei omnino commemorat. Nec mihi prorſus occurrit, quid ſaltem in allegoria boni ſignificet hæc ejus flenda ſubverſio, niſi forte quis dicat, Mulieres alienigenas, quarum amore exarſerat, ſignificare Eccleſias electas de Gentibus. Poſſet hoc fortaſſe non abſurde intelligi, ſi illæ propter Salomonem deſererent Deos ſuos, & colerent Deum ejus. Cum vero ipſe propter illas offendit Deum ſuum, & coluit Deos earum, non eſt quid inde boni conjectare poſſimus: Nec tamen nihil arbitror ſignificare, ſed malum, ſicut de uxore, filiabuſque Loth diximus. Apparet enim in perſona hujus Salomonis & mira excellentia, & mira ſubverſio. Quod igitur in illo diverſis temporibus extitit, prius bonum & poſterius malum, hoc in Eccleſia in iſto adhuc ſæculo ſimul uno tempore oſtenditur. Nam bono illius bonos Eccleſiæ: Malo autem illius malos Eccleſiæ ſignificatos puto.

Et Libro 3. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 21. de *Davide* loquens, & cum illius peccato *Salomonis* peccatum comparans, ait: In iſto viro immoderatæ hujus libidinis non permanſio, ſed tranſitus fuit. Propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hoſpes vocatus eſt. Non enim dixit eum Regi ſuo, ſed hoſpiti ſuo vicini pauperis ovem ad epulandum exhibuiſſe. At vero in ejus filio Salomone, non quaſi hoſpes tranſitum habuit, ſed Regnum iſta libido poſſedit. De quo Scriptura non tacuit, culpans eum fuiſſe Amatorem Mulierum. Cujus tamen initia deſiderio ſapientiæ flagraverant; quam enim amore ſpirituali adeptus eſſet, amore carnali amiſit.

Et Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 20. *Salomon* (inquit) *bonis initiis malos exitus habuit. Quippe ſecunda res, quæ Sapientum animos fatigant, magis huic obfuerunt, quam profuit ipſa Sapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & tunc longe lateque laudata.*

Et narratione in Pſalmum 126. *Salomon erat tempore ſuo filius David, Magnus ille, per quem multa ſancta præcepta, & ſalubria monita, & divina ſacramenta Spiritus Sanctus in Divinis Literis operatus eſt. Nam ipſe Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus eſt a Deo: & uſque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, ut a mulieribus etiam Idolis ſacrificare cogeretur, ſicut de illo Scriptura teſtis eſt. Sed ſi illo cadente, quæ per illum dicta ſunt, delerentur, judica-*

aeretur quia ipſe dixerat, non per illum dicta erunt. Optime igitur etiam hoc egit miſericordia Dei & Spiritus ejus, ut quidquid boni per Salomonem dictum eſt, Deo tribueretur: Peccatum autem hominis homini. Quo loco diluitur & argumentum illud, quod Patroni *Salomonis* pro eo aſſerunt, credibile non eſſe quod Librorum Canonicorum Auctor aliquis perierit.

Auctor Libri *De Prædictionibus & Promiſſionibus Dei*, inter Opera *S. Proſperi* editi, P. 2. Cap. 27. nigrum in *Salomonem* calculum mittit. *Salomon* (inquit) *clarus, in ſenio fornicatus mente & corpore, Domino ipſum deſerente, male obiit: Metuendum exemplum poſteris relinquens, ne felicitate hujus vitæ turbati Chriſtum deſerant, qui eſt ſuorum æterna felicitas.*

S. Gregorius Magnus Lib. 2. Moralium in Job Cap. 2. ex circumſtantia nocturni temporis, æternæ damnationis mortem in Juda, Divite avaro, *Salomone* & Sodomitis colligit. *A qualitate quoque temporis* (inquit) *finis exprimitur actionis: Sicut non redi tuenc ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Judas exiiſſe perhibetur, cum egrediente illo ab Evan-*
Joann. 13. *geliſta dicitur:* Erat autem nox. *Hinc enim & i-*
Luc. 12. *niquo Diviti dicitur:* Hac nocte repetent animam tuam abs te. *Animæ quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repeti, ſed in nocte memoratur. Hinc eſt quod Salomon, qui Sapientiam non perſeveraturus accepit, in ſomnis hanc & nocte accepiſſe deſcribitur.*
3. Reg. 3. *Hinc eſt, quod Angeli ad Abraham meridie veniunt,*
Geneſ. 18. *puniturI autem Sodomam, ad eam veſpere veniſſe me-*
Geneſ. 19. *morantur.*

Venerabilis Beda Quæſtione 29. in Libros Regum, explicans locum illum 4. *Regum* 23. ubi dicitur *Joſiae* polluiſſe & omnino deleviſſe *Excelſa, quæ ædificaverat Salomon Aſtaroth Idolo Sidoniorum, & Chamos, offenſioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon* ... hæc habet: *Palam oſtenditur, quod utinam non oſtenderetur: Quia videlicet Salomon de admiſſa Idololatriæ ſcelere nunquam perfecte pœnituit. Nam ſi fructus pœnitentiæ dignos faceret, ſatageret ante omnia, ut Idola quæ ædificaverat, de Civitate Sancta tollerentur: & non in ſcandalum ſtultorum, quæ ipſe cum fuiſſet Sapientiſſimus erronea fecerat, quaſi ſapienter ac recte facta relinqueret.*

Obiiciunt Hiſpani in Gratiam *Salomonis* plumbeos Libros Granatenſes Arabice ſcriptos, quos a Sancto *Jacobo*, aut ab ejus Diſcipulis exaratos credunt, in quibus teſtimonium extat expreſſum de Pœnitentia *Salomonis* his verbis: *Et flevit ſcelus fletu vehementi, & condonatum eſt illi: & obiit fidelis & ſecurus.*

Verum *Salomonis* Adverſarii, & cordati quique hæc merito reiiciunt: Dolentque Hiſpanos pluribus præclaria Monumentis, quibus Eccleſiaſtica Antiquitas illuſtrari poſſet, in Eccleſiarum illius Regni Tabulariis, aut Bibliothecarum pulvere neglectis, Pſeudepigrapha Monumenta Eruditorum Hominum Genti venditare velle: Quaſi in tanta doctrinarum luce, in tanta Criticorum frequentia, fucum facere facile etiam nunc eſſet.

DISSERTATIO IV.

DE LIBRIS SALOMONIS

ARTICULUS I.

De numero Librorum Salomonis, eorumque auctoritate.

PROPOSITIO UNICA.

Tres duntaxat Libros Salomonis Eccleſiaſticus Canon recipit, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum.

PRobatur primo ex *Melitone* Sardiano Epiſcopo *Epiſtola ad Oneſimum*, apud *Euſebium* Lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Cap. 26. ubi Veteris Teſtamenti Libros recenſens, ait: *Ego igitur cum in Orientem profectus eſſem, & ad locum ipſum perveniſſem, in quo hæc & prædicata, & geſta olim fuerunt, Veteris Teſtamenti Libros diligenter didici, eorumque indicem ad te ſubjectum ad te miſi. Eſt autem ejuſmodi. Moyſis Libri quinque Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jeſus Nave, Judices, Ruth, Regnorum Libri quatuor, Paralipomenon duo, Pſalmi Davidis, SALOMONIS PROVERBIA, QUÆ ET SAPIENTIA, ECCLESIASTES, CANTICUM CANTICORUM, &c.*

Secundo, ex *Origene* in Expoſitione primi Pſalmi, quem locum deſcripſit *Euſebius* Libro 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Cap. 25. ubi Veteris Teſtamenti Libros enumerans: *Decimus tertius* (inquit) *Proverbia Salomonis, Hebraice Miſloth. 24. Eccleſiaſtes, Hebraice Cohelet. 25. Canticum Canticorum, Hebraice Sirhaſſirim.*

Tertio ex *Homilia 12. S. Baſilii in principium proverbiorum*, ubi hæc habet: *Tres omnino ſacros a Salomone Tractatus novimus exiiſſe. Hunc ipſius Proverbiorum, & Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. Quolibet autem proprium retinente materiam, cuncti ad hominum ſcripti ſunt utilitatem. Imprimis Proverbiorum Liber inſtructio morum eſt quædam, notum animi perturbationum correctio: denique vitæ in univerſum documentum, frequentes ac breves eorum quæ ſunt agenda continens præceptiones. Eccleſiaſtes vero phyſiologiam attingit, nobiſque in hac vita vanitatem palam oſtendit: Ut in iis quæ cito prætereunt minime ſit homini invigilandum, neque animi cura in rebus vanis collocanda. Cantica Canticorum animæ perfectionis modum demonſtrant. Sponſi namque ac Sponſæ concordiam continent, hoc eſt, Animæ cum Deo Verbo familiaritatem.*

Quarto ex *S. Gregorio Nyſſeno Homilia 1. in Canticum Canticorum*; ubi cum præmiſiſſet, *Salomonem* Chriſti typum fuiſſe, ſubdit: *Is uſus hoc Salomone tanquam inſtrumento per illum nobis loquitur, primum quidem in Proverbiis, deinde in Eccleſiaſte, & poſtea in propoſita Philoſophia Cantici Canticorum, via & ordine rationi oſtendens aſcenſum qui tendit ad perfectum ...... Aliter erudiunt Proverbia, & aliter diſſerit Eccleſiaſtes: & quæ per Canticum Canticorum traditur Philoſophia, utrumque ſuperant dogmatum ſublimitate: Nam quæ per Proverbia datur doctrina, ad eum qui eſt adhuc infans verbo facis, convenienter ætati adaptans admonitionem .... Adjungit illam quæ eſt in Eccleſiaſte Philoſophiam, ut qui per proverbialem inſtitutionem ſatis introduxiſſet ad deſiderium virtutum; & cum in eo Libro reprehendiſſet hominum ad id quod apparet habitudinem, & vanum eſſe dixiſſet quicquid eſt inſtabile & tranſiens, dicens:* Quicquid venit eſt vanitas; *Cuilibet quod ſenſu comprehenditur, profert naturalem animæ noſtræ motionem ad pulchritudinem quæ non cadit ſub aſpectum. Et cum ſic cor expurgaſſet ab habitudine quæ eſt ad id quod apparet, tunc per Canticum Canticorum myſtice introduxit cogitationem ad divina adyta: In quibus id quidem quod inſcribitur, eſt apparatus nuptialis: id autem quod intelligitur humanæ animæ cum Deo contemperatio.*

Quinto ex *S. Gregorio Nazianzeno* in Carmine ad *Seleucum*:

Salomonis etiam tres Libros, Paroemias,
Eccleſiaſten, Canticorum Cantica.

Sexto, ex *S. Hilario* Præfatione in Pſalmos, ubi inter Libros Veteris Teſtamenti 23. 24. & 25. numerat, *Salomonis Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum.*

Septimo, ex Concilio Laodiceno Canone ultimo eoſdem Libros inter Scripturas Sacras numerante, & *Salomoni* adſcribente.

Octavo, ex *S. Hieronymo* in Prologo Galeato; *Tertius ordo,* (inquit) *Hagiographa poſſidet. Et primus Liber incipit a Job. Secundus a David, quem quinque inciſionibus, & uno Pſalmorum Volumine comprehendunt. Tertius eſt Salomon tres Libros habens: Proverbia, quæ illi Miſle, id eſt, Parabolas appellant. Quartus, Eccleſiaſten, id eſt, Coheleth. Quintus, Canticum Canticorum quem titulo Sir-haſſirim prænotant.* Et Epiſtola ad Paulinum: *Salomon Paci-*

ficus

ſtas & Amabilis Domini, mores corrigit, (in Proverbiis) Naturam docet (in Eccleſiaſte) Eccleſiam jungit & Chriſtum, Sanctarumque Nuptiarum dulce canit Epithalamium, (in Canticis Canticorum.) Et Præfatione in Libros Salomonis; Tridui Opus (inquit) Nomini veſtro conſecravi, interpretationem videlicet trium Salomonis Voluminum, Miſle, quas Hebræi Parabolas, Vulgata autem Editio Proverbia vocat; Coheleth, quem Græce Eccleſiaſten, Latine Concionatorem poſſumus dicere: Sir-haſſirim, quod in noſtra Lingua vertitur Canticum Canticorum.

Et in Caput 1. Eccleſiaſtis, ubi obſervavit, Salomonem, tribus nominibus vocatum fuiſſe; Salomonem, id eſt, Pacificum; & Idida, hoc eſt Dilectum Domini; & Coheleth, id eſt, Eccleſiaſten; ſubdit; Is itaque juxta numerum vocabulorum, tria Volumina edidit; Proverbia, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum. In Proverbiis parvulum docens, & quaſi de officiis per ſententias erudiens. Unde & ad filium ejus ſermo crebro repetitur. In Eccleſiaſte vero maturæ virum ætatis inſtituens; Ne quidquam in Mundi rebus putet eſſe perpetuum, ſed caduca & brevia univerſa quæ cernimus. Ad extremum jam conſummatum virum, & calcato ſæculo præparatum, in Cantico Canticorum Sponſi jungit amplexibus. Niſi enim prius reliquerimus vitia, & pompis ſæculi renunciantes, expeditos nos ad Adventum Chriſti paraverimus, non poſſumus dicere: Oſculetur me oſculo oris ſui. Haud procul ab hoc ordine doctrinarum & Philoſophi Sectatores ſuos erudiunt; Ut primum Ethicam doceant, deinde Phyſicam interpretentur, & quem in his profeciſſe perſpexerint, ad Theologiam uſque perducant. Necnon & hoc diligentius attendendum, quod per hos tres Libros Auctoris diverſus ſit titulus. In Proverbiis ſolum notatur: PROVERBIA Salomonis filii David Regis Iſrael. In Eccleſiaſte vero: VERBA ECCLESIASTÆ filii David Regis Jeruſalem. In Cantico autem Canticorum, nec filius David, nec Rex Jeruſalem præſcribitur, ſed tantum CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS. Sicut enim proverbia quaſi Rudis inſtitutio ad duodecim Tribus, & ad totum pertinent Iſrael; & quomodo contemptus Mundi nonniſi Metropolitæ convenit, hoc eſt, habitatoribus Jeruſalem; Ita Canticum Canticorum ad eos proprie facit mentionem, qui tantum ſuperna deſiderant. At incipientes & proficientes, & paterna dignitas, & Regni proprii merito indicatur auctoritas. Ad perfectos vero, ubi non timore eruditur diſcipulus, ſed amore filius, proprium nomen ſufficit, & æqualis Magiſter eſt, & neſcit eſſe ſe Regem.

Nono ex S. Auguſtino, Lib. 2. De Doctrina Chriſtiana, Cap. 8. ubi explicans quibus Libris Canon Scripturarum continetur, recenſet Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum, & Eccleſiaſten. Et Libro 17. De Civitate Dei, Cap. 20. De Salomone ſic loquitur: Prophetaſſe etiam ipſe reperitur in ſuis Libris, qui tres recepti ſunt in Auctoritatem Canonicam, Proverbia, Eccleſiaſtes, & Canticum Canticorum.

Decimo, ex Theodoreto Præfatione in Canticum Canticorum. Illud etiam, inquit, profari neceſſarium eſt, tria Salomonis eſſe Volumina, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. Ac Proverbia quidem utilem de moribus diſciplinam complecti. Eccleſiaſten autem eorum quæ ſenſibus percipiuntur, naturam indicare, vitæque præſentis docere vanitatem: Ut ea ſtata & fragilia cognoſcentes, tamquam fugacia ac prætereuntia ſpernamus, & quæ futura ſunt, ut firma atque æterna & permanentia concupiſcamus. Canticum Canticorum myſticam Sponſæ & Sponſi neceſſitudinem, & conjunctionem continere. Ut univerſa Doctrina Salomonis ſit veluti ſcala quædam, quæ tribus gradibus conſtet, morali, naturali, & myſtico. Principio igitur qui ad pie recteque vivendi diſciplinam accedit, neceſſe eſt ut bonis affectionibus Animam purget. Atque ita deinceps fugacem rerum prætereuntium, quæ ſenſu jucunda videatur, vanitatem deſpiciat: & inde poſtremo ſublimis avolet ad Sponſum perpetua bona pollicentem amandum & complectendum. Idcirco tertio etiam loco hic conſtitutus eſt Liber, ut ratione & via ad perfectionem contendamus.

Undecimo, ex S. Joanne Damaſceno Lib. 4. De Fide Orthodoxa, Cap. 18. Tertius porro Librorum quinquernio, inquit, verſibus conſtat, nempe Liber Job, Pſalterium, Proverbia Salomonis, ejuſdem Eccleſiaſtes, & Cantica Canticorum.

Objices, Salomonis quinque Libros ab Innocentio I. in Epiſtola ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum, & ab Eccleſiæ Africanæ Patribus in Concilio Carthaginenſi 3. Canone 47. numerari. Sapientiæ Librum nomine Salomonis laudari ab Auctore Libri 3. De Symbolo ad Catechumenos apud S. Auguſtinum, Cap. 3. imo & a S. Cypriano Libro De Mortalitate, a S. Baſilio Libro 5. contra Eunomium, & a S. Ambroſio paſſim.

Reſpondetur; Libros Sapientiæ, & Eccleſiaſtici Salomoni ab Eccleſiaſticis Scriptoribus interdum tributos propter quamdam eloquii ſimilitudinem. Nam Salomonis non eſſe nihil dubitant quique doctiores; (inquit S. Auguſtinus, in Speculo, & Lib. 2. De Doctrina Chriſtiana, Cap. 8. & Libro 17. De Civitate Dei, Cap. 20.) Ex æquivocatione forte factum eſt, ut Liber Sapientiæ Salomoni tribueretur, quod ab antiquis Proverbia vocarentur Sapientia Salomonis. Sic enim Melito ſupra laudatus; Salomonis Proverbia, quæ & Sapientia. Sic Hegeſippus, S. Irenæus, & alii, teſte Euſebio Lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 22. Non ſolum autem ipſe, ſed etiam Irenæus, & omnes Antiqui, Proverbia Salomonis vocare ſolent Sapientiam omnium virtutum Præcepta continentem. Sed & S. Cyprianus Lib. 3. Teſtimoniorum ad Quirinum, Cap. 16. & 56. Proverbia laudat nomine Sapientiæ Salomonis.

ARTICULUS II.

De Libro Proverbiorum.

I. HIc Liber in primævo Canone tum Synagogæ, tum Eccleſiæ, divinæ ſemper auctoritatis habitus eſt. Unus e Chriſtianis Theodorus Mopſueſtenus aſſerere non dubitavit, Salomonem Proverbia humana tantum ſapientia dictaſſe, neque Prophetiæ gratiam, ut ea ſcriberet, accepiſſe; quod in Synodo Quinta Oecumenica refertur, & damnatur. Quo ab errore non longe abit Grotius in Caput 1. Proverbiorum. Videtur, inquit, hic Liber eſſe Ἐκλογὴ ſelectio, optimarum Sententiarum, ex plurimis, qui ante Salomonem fuere Scriptoribus, quales Ἐκλογὰς multi Imperatorum Conſtantinopolitanorum conſcribi in ſuos uſus fecere.

PROPOSITIO I.

Salomon Proverbia ſcripſit Sapientia divinitus infuſa, & Spiritu Sancto afflatus.

PRobatur ex 3. Regum Cap. 4. 29. Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus: Sapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol; & erat nominatus in univerſis Gentibus per circuitum. Locutus eſt quoque Salomon tria millia Parabolas; & fuerunt Carmina ejus quinque & mille. Locutus eſt Parabolas, ſive ſcripſit Proverbia, ea ſapientia quam ipſi dederat Deus, quæ humana utique non erat, ſed divinitus inſpirata.

Probatur ſecundo, ex Eccleſiæ auctoritate, quæ ab Apoſtolorum temporibus hunc ſemper Librum ut Canonicum habuit, adeoque & ad illius Auctorem pertinere exiſtimavit illud S. Petri Epiſtola 2. Cap. 1. 21. Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei Homines. Unde Theodori Mopſueſteni blaſphemiam in Synodo V. Oecumenica Collatione 5. execrata eſt, qui ſcripſerat, Salomonem Proverbia & Eccleſiaſten ex ſua perſona ad aliorum utilitatem compoſuiſſe, cum Prophetiæ quidem gratiam, non accepiſſet, prudentiæ vero gratiam quæ evidenter altera eſt præter illam, ſecun- 2. Cor. 11
dum B. Pauli vocem.

Pro-

Probatur tertio, ex *S. Auguſtino* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 20. ubi aliqua de Chriſto & Eccleſia in Libro *Proverbiorum a Salomone* prophetice ſcripta eſſe docet. *Tamen*, inquit, *quod in Proverbiis legitur, Viros impios dicere:* „ Abſcondamus in terra virum juſtum injuſte, abſorbeamus vero eum tanquam infernus viventem, & auferamus ejus memoriam de terra, poſſeſſionem ejus pretioſam apprehendamus; *non ita obſcurum eſt, ut de Chriſto & poſſeſſione ejus Eccleſia ſine laborioſa expoſitione non poſſit intelligi. Tale quippe aliquid etiam Dominus ipſe Jeſus per Evangelicam Parabolam oſtendit dixiſſe malos colonos:*

Matth. 21. 38. „ Hic eſt Heres, venite, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. *Itemque illud in eodem Libro, quod jam ante perſtrinximus, cum ageremus de ſterili qua peperit ſeptem, non niſi de Chriſto & Eccleſia mox ut fuerit pronuntiatum conſuevit intelligi ab eis, qui Chriſtum Sapientiam Dei eſſe noverunt.*

Proverb. 9. 1. &c. „ Sapientia ædificavit ſibi domum, & ſuffulſit columnas ſeptem; immolavit ſuas victimas, miſcuit in cratere vinum ſuum, & paravit menſam ſuam. Miſit ſervos ſuos convocans cum excellenti prædicatione ad craterem, dicens: Quis eſt inſipiens? Divertat ad me. Et inopibus ſenſu dixit: Venite, manducate de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. *Hic certe agnoſcimus Dei Sapientiam, hoc eſt, Verbum Patri coæternum, in utero virginali domum ſibi ædificaſſe corpus humanum, & huic tamquam capiti membra, Eccleſiam ſubjunxiſſe, Martyrum victimas immolaſſe, Menſam in vino & panibus præparaſſe, ubi apparet etiam Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech; inſipientes & inopes ſenſu vocaſſe, quia, ſicut dicit Apoſtolus:*

1. Cor. 1. 27. Infirma hujus Mundi elegit, ut confunderet fortia. *Quibus tamen infirmis quod ſequitur dicit:*

Proverb. 9. 6. „ Derelinquite inſipientiam, ut vivatis; & quærite prudentiam ut habeatis vitam. *Participem autem fieri Menſæ illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Nam & in alio Libro qui vocatur Eccleſiaſtes, ubi ait:*

Ecclef. 8. 15. Non eſt bonum homini niſi quod manducabit & bibet, *Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem Menſæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipſe Mediator Teſtamenti Novi exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de Corpore & Sanguine ſuo? Id enim Sacrificium ſucceſſit omnibus illis Sacrificiis Veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: Propter quod etiam vocem illam in Pſalmo trigeſimo & nono ejuſdem Mediatoris per Prophetiam loquentis agnoſcimus:*

Pſ. 39. 7. Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. *Quia pro illis omnibus Sacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur.*

PROPOSITIO II.

Liber Proverbiorum non eſt Ecloga optimarum Sententiarum, ex plurimis qui ante Salomonem floruerint Scriptoribus.

PRobatur primo, ex Scriptura Sacra, quæ *Salomonem* Proverbiorum Auctorem, non Compilatorem dumtaxat fuiſſe teſtatur. (3. Regum 4. 32.) *Locutus eſt quoque Salomon tria millia Parabolas.* (Et Proverbiorum 1.) *Parabolæ Salomonis filii David, Regis Iſrael.* Item in fronte Capitis 10. *Parabolæ Salomonis.* Et Cap. 25. 1. *Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt Viri Ezechiæ Regis Juda.* Et Eccleſiaſtis 12. 9. *Cumque eſſet Sapientiſſimus Eccleſiaſtes, docuit Populum, & enarravit quæ fecerat; & inveſtigans compoſuit Parabolas multas.*

Probatur ſecundo, ex ætate *Salomonis*, qui Gentilium Sapientibus longe antiquior fuit, ſiquidem ſeptem Sapientes temporibus *Cyri* floruerunt, & ante Olympiades vix ullum Eruditum nomen in Græcia auditum eſt. At longe ante primam Olympiadem regnavit *Salomon*, tempore ſcilicet *Menelai*, qui Trojanis temporibus fuit, a quibus quadringentos ſeptem annos ad primam Olympiadem numerat *Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum.* Liber itaque Proverbiorum non eſt Ecloga optimarum Sententiarum, ex plurimis qui ante *Salomonem* floruerint Scriptoribus.

Imo vero ex Libro Proverbiorum exquiſitas Sententias in Libros ſuos derivarunt Scriptores Ethnici. Quod legitur 13. Cap. 20. *Qui cum Sapientibus graditur, Sapiens erit: Amicus ſtultorum ſimilis efficietur;* Theognis expreſſit:

Sæpe bonis junctus diſces bona: Si comiteris
Sæpe malos, perdes quod tibi mentis erat.

Illud Capitis 14. 30. *Putredo oſſium invidia;* Menander mutuatus eſt:

Invidia vero, quod malorum peſſimum eſt,
Tabem creavit, & creabit, & creat,
Vera ſatelles animi corrupti impia.

Illud Capitis 15. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: Vota Juſtorum placabilia:* Plato in *Alcibiadem* ſuum derivavit. *Neque enim exiſtimo* (inquit) *tale Diis eſſe ingenium, ut donis ducatur, quomodo ſolent mali creditores; ſed & nos rem ſtultam dicimus, cum per eam rem volumus eſſe Lacedæmoniis ſuperiores. Res enim eſſet dura, ſi ad dona & victimas noſtras ſpectarent Dii, & non ad Animam, id eſt, an quis juſtus ſanctuſque ſit. Imo vero, ut ego arbitror, multo magis illi reſpiciunt, quam ſpecioſos ludos & ſacrificia, multa quidem Diis, frequenter vero etiam hominibus hallucinatis fieri ſolita, quæ facile quotannis exhibere poſſunt tum Civitates quam privati. At Dii, ut qui non ſint donis inſtabiles, contemnunt talia, ut ait Deus, & Deorum Propheta. Videtur ergo apud Deos & apud homines mente præditos juſtitia & prudentia maximum obtinere honorem.*

Illud Capitis 19. 4. *Divitiæ addunt amicos plurimos;* expreſſit Sophocles, *Aleadis:*

Divitiæ amicos comparabant mortalibus.

Quod in eodem Capite V. 8. legitur: *Qui poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam:* Ariſtoteles expreſſit 9. *Moralium* ad Nicomachum, Cap. 8. *Virum bonum* (inquit) *oportet ſui eſſe amantem: Nam & ſibi, & aliis proderit recte faciens. Virum autem malum non oportet eſſe ſui amantem: Nam & ſe, & alios lædet, pravis affectibus obſequens. In malo igitur homine differunt quæ facere debet, & quæ facit: At vir bonus quæ debet facere, ea & facit. Mens enim quævis eligit id quod ipſi optimum eſt.*

Illud ejuſdem Capitis 5. 13. *Dolor patris filius ſtultus;* expreſſit *Euripides* in *Oenomao:*

Ambiguus animi cernere haud valeo ſatis.
An ſit propago liberum mortalibus,
An ſterilis ævi vita fortunatior.
Conſpicio miſeros nulla queis proles domi eſt:
Sed nec parentum major eſt felicitas;
Nam dira peſtis moribus proles malis.

Illud Capitis 22. 2. *Dives & pauper obviaverunt ſibi;* imitatus eſt *Sophocles* in *Ajace:*

Plebs nuda tamen, ſolis Potentes,
Haud præſidii ſatis ipſa ſibi eſt:
Modicus validi, validuſque iterum
Modici ſe ſe ſuſtentant ope.
Sed non poſſunt mentes ſtupidæ
Tam provida dicta doceri.

Illud Capitis 23. 27. *Fovea enim profunda eſt Meretrix;* expreſſit *Anaxilaus* de *Phryne* Meretrice loquens:

At Charybdin nonne Phryne longe poſt ſe poſthumat?
Quæ Naviculatorem abſorpſit totum cum navi ſua.

Illud Proverbiorum 10. 7. *Memoria Juſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet:* Plato tranſtulit in Librum ſuum 7. De Legibus: *E Civibus* (inquit) *qui finem vivendi fecerint, eos ſi modo corpore vel animo præclare ſe geſſerint, Legibuſque paruerint, laudibus celebrari æquum fuerit. Quidni ante? At dum adhuc vivunt, hoc tot laudationum & cantuum profequi, minus ſecurum, omninoque prius quam decurſo quis toto vitæ ſpatio, laudabili eam exitu terminaverit. Atque hæc omnia nobis ex æque tam maribus quam fœminis, qui modo eximia probitate fuerimus, communia ſunto.* Ita refert *Euſebius* Lib. 12. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 24.

Illud Capitis 28. 20. *Qui feſtinat ditari, non erit innocens;* ita *Menander* expreſſit:

Nemo & repente dives & juſtus fuit.

Illud Proverbiorum 30. 8. *Mendicitatem & divitias ne*

Digitized by Google

ae ardevie mihi; expreſſit *Plato* Reipublicæ tertio, *E.g. alia quadam* (inquit) *ni fallor, repetimus, qua in civitatem furtim unquam & occulte ſubrant, ab ejus Moderatoribus omni proviſione cavendum erit. Quanam illa? Opes, inquam, & inopia: Quod illa quidem luxum, ignaviam, rerumque novarum molitionem invebant; hec vero preter factione illiberalitatem ſimul atque malitiam. Malitia autem nomine indignum omne factum continetur*, (Apud *Euſebium* Lib. 12. *Preparationis Evangelica*, Cap. 35.) Id *Alexis* Comicus & *Horatius* in ſua etiam Carmina tranſtulerunt.

Terram commotum iri *per ſervum cum regnaverit*, Proverbiorum 30. 22. dicitur. Id vero expreſſit *Menandre*,

Servire, ſerve, ei metur qui ſervus fuit:
Jugo abſoluti ſemet non norunt boves.

PROPOSITIO III.

Quamvis Proverbiorum Liber ſecundum omnes ſuas partes ſit Canonica Auctoritatis, ejuſque maximam partem Salomonis eſſe cujus nomine inſcribitur, certiſſimum ſit; non tamen certo conſtat, an duo poſtrema Capita Salomonem habeant Auctorem.

PRima & ſecunda pars Propoſitionis ſatis probatæ ſunt ſuperius; Eccleſiæ namque & Synagogæ Canon, Librique inſcriptio duplicem illam confirmant veritatem. In unum quidem Librum a *Salomone* redactæ non fuere Sacræ illæ Parobolæ, ſed ſparſim ſcriptæ pleræque vel dictitatæ, variiſque compilationibus in Librum unum collectæ. Unde initio Capitis 25. legitur: *He quoque Parabola Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechia Regis Juda*: Hoc eſt, Miniſtri qui erant illi a Commentariis; videlicet *Eliacim* filius, Helciæ, *Sobna* Scriba, & *Ioabe* filius Aſaph. Verſio 72. Interpretum ſic habet: *He ſunt diſciplina Salomonis indiſtincte, quas deſcripſerunt Amici Ezechia Regis Judaa.* Nemo autem cordatus non videt quam inepte ex hoc loco concludat *Theologico-Politici* Tractatus damnandus Auctor, Proverbia hæc ſuiſſe collecta tempore ſecundi Templi, vel certe *Joſia* Regis.

Paulo ſpecioſior eſt, ſed tamen leviſſima *Grotii* conjectura, qui en his verbis Capitis 24. 23. *Hae quoque Sapientibus*, colligit ſequentes Sententias e Sapientum Libris adjectas ſuiſſe poſt *Salomonem*, ante *Ezechia* tempora; ac ſi ſenſus ſit: *Hae quoque Sapientum.* Illius enim conjecturæ vanitatem detegunt Verſiones ſeptuaginta Interpretom. *Aquila*, *Theodotionis*, & *Symmachi*, ſuppleurium verbum *dico*, quod in Vulgara noſtra ſubintelligitur: ταυτα δε λεγω υμιν τοις σοφοις *Hac autem dico vobis Sapientibus*, Hunc ſenſum confirmant Chaldaica Paraphraſis, quæ ſic habet; *Has quoque Sapientibus dico: Accipere perſonam in iudicio, non eſt bonum*: & Verſio Syriaca, quæ ſic Latine redditur: *Hee Sapientibur dico: Rationem habere perſonarum in judicio, non eſt bonum.*

Major eſt dubitandi ratio, an *Salomon* duorum poſtremorum Capitum Auctor fuerit. Alterius eſſe Auctoris quibuſdam Interpretibus videtur, ob illa verba, quæ in fronte trigeſimi Capitis leguntur: *Verba congregantis, filii Vomentis* & illa quæ initio poſtremi Capitis *Verba Lamuelis Regis: Viſio, qua erudivit eum Mater ſua.* Priorem namque locum ita reddi debuiſſe ſecundum Hebræum Textum, Viri in hoc literarum genere eruditi plerique omnes obſervant: *Verba Agur filii Jake: prophetiam dixit vir ad Ithiel, & Uchal*, Quod Chaldaica Paraphraſis & Syriaca verſio confirmant, *Agur* itaque harum quæ ſequuntur, ſententiarum Auctorem fuiſſe cenſent. Hunc Sapientem inter Hebræos Magiſtrum tempore *Salomonis* floruiſſe volt *Aben-Ezra*. Alii nomen *Agur* proprium non eſſe putant, ſed appellativum, cujus ſignificatio *Salomoni* conveniat, qui Sapientiam ſuam in hunc Librum congregavit; collegit, filio *David* qui & ipſe Sapientiam effundit. Unde ait Pſalmo 44. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Ideoque latinum Interpretem horum nominum ſignificationem conſulto expreſſis his verbis: *Verba congregantis, filii Vomentis*. Unde & R. *Nathan* in *Avoth*, & R. *Levi Ben Gerſon* cenſent *Agurem* ipſum fuiſſe *Salomonem*. At quomodo hæc verba *Salomoni* conveniunt quæ ab *Agure* proferuntur? *Stultiſſimus ſum virorum & Sapientia hominum non eſt mecum: Non didici Sapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum*, Hæc ex modeſtia dixiſſe *Salomonem* reſpondebunt. Verum nonne æque modeſtus erat cum Librum ſcripſit *Eccleſiaſticis*? In quo tamen de ſe ait Cap. 1. 16. *Ecce magnus effectus ſum & precesſi omnes Sapientia qui fuerunt ante me in Jeruſalem: & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici?*

De *Lamuele* æque diſſentiunt Interpretes. *Grotius*, & alii *Ezechiam* eſſe putant, a Matre *Abia*, Zachariæ viri haud dubie Sapientis filia eruditum, Alii *Salomonem* intelligunt qui *Lamuel* a matre *Bethſabea* fuerit appellatus. Ita R. *Nathan* in *Avot*, aliique plures. A Matre autem ſua Muliere ſapiente & forti optimis præceptis inſtitutum fuiſſe *Salomonem*, colligunt ex Cap. 4. *Proverbiorum*, 3. 4. ubi ait: *Nam & ego filius fui Patris mei tenellus, & unigenitus coram Matre mea & docebat me atque dicebat: Suſcipiat verba mea cor tuum: cuſtodi precepta mea, & vives.* Apud Septuaginta Interpretes *Lamuelis* nomen non habetur. Sed hunc ſenſum reddit eorum Verſio: *Verba mea dicta ſunt a Deo Regis admonitio quem erudivit Mater ſua.* Syrus nomen illud mutilatum exhibet hunc in modum; *Sermones Muel Regis Prophete quem erudivit Mater ſua, dixit ad eum.* R. *Aben-Ezra* Salomonem appellatum fuiſſe putat *Lamuelem*, ut Deum cum illo eſſe ſignificaretur. Nam *Lammo El*, unde *Lamuel* idem eſt ac, *Cum illo Deus.* Ad quod forte alluſerit *Nathan* Propheta 3. *Regum* 1. 37. cum *Salomoni* bene precatur: *Quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, ſic ſit cum Salomone.* Ex his omnibus patet, nihil certo pronuntiari poſſe de Auctore poſtremorum duorum Capitum Libri Proverbiorum, ſed ſolis conjecturis eſſe locum quas Lectoris judicio permitto, dummodo certum habeat, hæc duo poſtrema Capita non minus eſſe canonica & divina, quam reliquum Librum.

ARTICULUS III.

De Libro Eccleſiaſtis.

LIbrum *Eccleſiaſtis* in primo Canonicorum Librorum ordine ſemper habuit Eccleſia, ut conſtat ex iis Patribus, Conciliis, & Pontificibus, qui Sacrorum Librorum Indices ſcripſerunt; Melitone, Origene, Auctore Synopſeos Scripturæ Sacræ, S. Athanaſii nomine inſcriptæ; Concilio Laodiceno, S. Gregorio Nazianzeno, Cyrillo Hieroſolymitano, SS. Hilario, Epiphanio, Hieronymo, Auguſtino, Innocentio I. Concilio Carthaginenſi 3. Gelaſio 1. in Synodo Romana, S. Joanne Damaſceno, Eugenio IV, & Tridentina Synodo. Soli illi Hæretici Anonymi, apud *Philaſtrium* hunc Librum ex Canone leguntur expunxiſſe. De illius Auctore Thalmudiſtæ, & ſæpe audacior *Grotius* nobiſcum non conveniunt, Illi enim in *Baba Bathra* Capit. 1. illum tribuunt *Ezechia* Regi. Hic vero *Zorobabeli*, ſive ſelectis ab eo Magiſtris, qui ut verba Sapientum colligerent, ac in unum corpus ſub perſona *Salomonis* congererent, Mandatum ab ipſo habuerint.

PROPOSITIO I.

Contra Canonicam Eccleſiaſtis Auctoritatem nulla militant ponderis alicujus Argumenta.

QUod enim obiici poſſet, Videri hujus Libri Auctorem negare creaturas eſſe bonas, & opera Dei quaſi vana & noxia calumniari his verbis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; leviſſimum eſt, cum nomine vanitatis mutabilitas & corruptibilitas hic ſignificetur. Creaturæ autem omnes mutationi obnoxiæ ſunt, & corruptioni, quæcumque in

in uſum hominis veniunt. Ac vapori fumi ſimiles ſunt, ſi cum Deo præſertim comparentur: Quamvis abſolute & ſecundum ſe bonæ ſint. Sic hanc ſententiam explicat *S. Hieronymus* in commentariis: *Si cuncta*, inquit, *quæ fecit Deus, ſunt valde bona, quomodo omnia vanitas: & non ſolum vanitas, verum etiam vanitas vanitatum? Ut ſicut in Cantico Canticorum inter omnia carmina excellens carmen oſtenditur: Ita in vanitate vanitatum vanitatis magnitudo demonſtretur. Tale quid & in Pſalmo ſcriptum eſt*, Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens.

Exodi 44. *Si homo vivens vanitas eſt: Ergo mortuus vanitas vanitatum. Legimus in Exodo, Glorificatum vultum Moyſis in tantum ut filii Iſrael in eum aſpicere non*

2. Cor. 3. *poſſent. Quam gloriam Paulus Apoſtolus ad comparationem Evangelicæ gloriæ dicit eſſe, non gloriam.* Nam „ nec glorificatum eſt, *inquit*, quod glorificatum „ fuit hac parte, propter excellentem gloriam. *Poſſumus igitur & nos in hunc modum cælum, terram, maria, & omnia quæ in hoc circulo continentur bona quidem per ſe dicere, ſed ad Deum comparata eſſe pro nihilo. Et quomodo ſi igniculum lucernæ videns, contentus eſſem ejus lumine, & poſtea orto Sole non cernerem quod lucebat: Stellarum quoque lumina jubare viderem Solis abſcondi: Ita reſpiciens elementa & rerum multiplicem varietatem admiror quidem operum magnitudinem, excogitans autem omnia pertranſire, & Mundum ſuo fine ſeneſcere, ſolumque Deum illud ſemper eſſe quod fuerit, compellor dicere, non ſemel, ſed bis*: Vanitas vanitatum, omnia vanitas.... *Caducum itaque nonnihil in hoc verbo vanitatis oſten*„ *ditur*. Quæ enim videntur, *ut ait Apoſtolus*, tem-

Rom. 8. „ poralia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. „ *Sive quia* Vanitati creatura ſubjecta eſt, & in-

1. Cor. 13. „ gemiſcit, & parturit, & præſtolatur revelationem „ filiorum Dei: *Et*, Nunc ex parte cognoſcimus, „ ex parte prophetamus. *Tamdiu enim omnia vana ſunt, donec veniat quod perfectum eſt.*

Gravioris ponderis non eſt quod objiciunt contra Divinam Libri iſtius Auctoritatem: Illum Epicureis favere, homines ad vitam belluarum more transigendam, & ad fruendas voluptates, quæ ex guſtu, aliiſque corporeis ſenſibus percipiuntur incitare: Quaſi ſit unicus ille hominis finis: Immortalitatem Animæ in dubium revocare. Cap. 2. 23. *Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis?* Cap. 3. *Omnis homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt.* Verſ. 19. *idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: Cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum? Et deprehendi nihil eſſe melius quam lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum reducet, ut poſt ſe futura cognoſcat?* Cap. 5. 17. *Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laboravit ipſe ſub Sole, numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus: & hæc eſt pars illius.* Cap. 8. 15. *Laudavi igitur lætitiam, quod non eſſet homini bonum ſub Sole, niſi quod comederet, & biberet, atque gauderet: & hoc ſolum ſecum auferret de labore ſuo.* Cap 9. 5. *Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros, Mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: Quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.* Verſ. 7. & ſequentibus: *Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.... Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum uxore tua quam diligis, cunctis diebus vitæ inſtabilitatis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub Sole omni tempore vanitatis tuæ: Hæc eſt enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras ſub Sole. Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos, quo tu properas.* Objectio (inquam) ex his locis petita nullius eſt momenti: cum hæc ex ſua ſententia *Salomon* non proferat, ſed ex perſona ſtultorum & impiorum hominum pleraque proponat. De finibus enim bonorum & malorum hoc in Libro differit.... Varias opiniones profert, diſcutit, falſas & erroneas repudiat, veras & pias adſtruit, confirmat; Diſquiſitiones de Dei arcanis temerarias & exitiales eſſe docet: Divinæ Providentiæ noſtra omnia, noſque ipſos permittere nos debere. Deum timendum, a quo datus eſt, & ad quem redit hominis Animus, dum corpus in terram ſolvitur: & qui homines de omnibus operibus, ſive bonis, ſive malis judicaturus eſt. Cap. 4. 17. & Cap. 5. Verſ. 1. & ſequentibus: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias. Multo enim melior eſt obedientia, quam ſtultorum victima, qui neſciunt quid faciunt mali. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram: Idcirco ſint pauci ſermones tui. Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus invenietur ſtultitia. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcumque voveris, redde. Multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam: Neque dicas coram Angelo: Non eſt providentia: Ne forte iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri: Tu vero Deum time.* Cap. 7. 1. 26. 28. 29. 30. *Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut umbra præterit?... Luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem & conſiderarem, & quærerem ſapientiam & rationem; & ut cognoſcerem impietatem ſtulti, & errorem imprudentium.... Ecce hoc inveni, dixit Eccleſiaſtes, unum & alterum, ut invenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inveni... Solummodo inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. Quis talis ut ſapiens eſt? & quis cognovit ſolutionem Verbi?* Cap. 8. 2. 3. 4. 5. 17. *Ego os Regis obſervo, & præcepta juramenti Dei. Ne feſtines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo: Quia omne quod voluerit, faciet: & ſermo illius poteſtate plenus eſt: Nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis? Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali?... Et appoſui cor meum ut ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtinctionem quæ verſatur in terra.... Et intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum quæ ſiunt ſub Sole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat....* Cap. 9. 1. *Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curioſe intelligerem: Sunt Juſti atque Sapientes; & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta* Cap. 11. 5. *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium* Verſ. 9. *Et ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in Judicium.* Cap. 12. 1. 7. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.... & revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Quibus verbis Animorum immortalitas adſtruitur. Denique ex duabus poſtremis Libri ſententiis, quibus totius diſputationis finem facit, exploratum eſt, quid de hominis officiis & fine ac de futura vita, *Eccleſiaſtes* ſenſerit. *Finem*, inquit, *loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & Mandata ejus obſerva. Hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ ſiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit.* Vel, ſi ex ſua ſententia, non ex impiorum perſona locutum *Eccleſiaſten* quis contendat in locis quæ objiciuntur, facile conciliabuntur cum his quæ mox prolata ſunt, dicendo illum de uſu modeſto & legitimo bonorum temporalium, quod *donum Dei eſt*, non de illorum fruitione intelligendum eſſe: & ſpiritalem præterea ſenſum ſub cortice literæ ſæpe latere. Unum etiam dixiſſe interitum hominis & jumentorum, & æquam utriuſ-

utriuſque conditionem ſecundum corpus, non ſecun-
dum animam. Pro Animæ noſtræ ſalute laborandum
in hac vita, & operandum bonum, dum tempus
habemus, quia poſt mortem nullus eſt meriti locus,
ſed præmii vel ſupplicii.

Confirmatur prima Reſponſio, quæ probabilior &
communior eſt ex *S. Gregorio Magno*, Lib. 4. *Dia-
logorum*, Cap. 4. *Salomonis*, inquit, *Liber in quo
hæc ſcripta ſunt, Eccleſiaſtes appellatus eſt. Eccleſiaſtes
autem proprie Concionator dicitur. In Concione vero ſen-
tentia promitur, per quam tumultuoſæ turbæ ſeditio
comprimatur. Et cum multi diverſa ſentiunt, per
Concionantis rationem ad unam ſententiam perducun-
tur. Hic igitur Liber idcirco Concionator dicitur, quia
Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſen-
ſum, ut ea per inquiſitionem dicat quæ fortaſſe per
tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſenten-
tias quaſi per inquiſitionem movet, quaſi tot in ſe
perſonas diverſorum ſuſcepit. Sed Concionator verax
velut extenſa manu omnium tumultus ſedat, eoſque
ad unam ſententiam revocat, cum in ejuſdem Libri
„ termino ait:* Finem loquendi omnes pariter au-
„ diamus; Deum time, & mandata ejus obſerva:
„ Hoc eſt enim omnis homo. *Si enim in Libro eo-
dem per locutionem ſuam multorum perſonas non ſuſce-
perat, cur ad audiendum loquendi finem ſecum pari-
ter omnes admonebat? Qui igitur in fine Libri di-
cit:* Omnes pariter audiamus; *Ipſe ſibi teſtis eſt, quia
in ſe multorum perſonas ſuſcipiens, quaſi ſolus lo-
cutus non eſt. Unde & alia ſunt, quæ in Libro eo-
dem per inquiſitionem moventur, atque alia quæ per
rationem ſatisfaciunt. Alia quæ ex tentati profert a-
nimo, atque adhuc hujus Mundi delectationibus dedi-
ti; alia vero in quibus ea quæ rationis ſunt diſſerit,
Eccleſ. 2. ut animum a delectatione compeſcat. Ibi namque ait:*
„ Hoc itaque mihi viſum eſt bonum, ut comedat
Eccleſ. 7. „ quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo.
„ *Et longe inferius ſubjungit:* Melius eſt ire ad do-
„ mum luctus quam ad domum convivii. *Si enim
bonum eſt manducare & bibere, melius videbatur ad
domum convivii pergere, quam ad domum luctus. Ex
qua re oſtenditur, quia illud ex infirmantium perſo-
na intulit, hoc vero rationis definitione ſubjunxit. Nam
ipſas protinus rationis cauſas ediſſerit, & de domo
Cap. 2. „ luctus quæ ſit utilitas oſtendit, dicens:* In illa e-
„ nim finis cunctorum hominum, & vivens cogitat
„ quid futurus ſit. *Rurſum illic ſcriptum eſt:* Læ-
„ tare juvenis in adoleſcentia tua. *Et paulo poſt ſub-
„ ditur:* Adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt.
*Qui dum hoc poſtmodum vanum eſſe redarguit, quod
prius admonuiſſe videbatur, patenter indicat, quia illa
quaſi ex deſiderio carnali verba intulit, hoc vero ex
judicii veritate ſubjunxit. Sicut ergo delectationem pri-
us carnalium exprimens, curis poſtpoſitis denuntiat bo-
num eſſe manducare & bibere, quod tamen poſtmodum
ex judicii ratione reprehendit, cum eſſe melius dicit ire
ad domum luctus, quam ad domum convivii; & fi-
ent lætari debere juvenem in adoleſcentia ſua, quaſi
ex deliberatione carnalium proponit, & tamen poſtmo-
dum per definitionem ſententiæ adoleſcentiam & volu-
ptatem vana eſſe redarguit: Ita etiam Concionator no-
ſter, velut ex mente infirmantium humanæ ſuſpicionis
Cap. 3. „ ſententiam proponit, dum dicit:* Unus interitus eſt
„ hominis & jumentorum, & æqua utriuſque condi-
„ tio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur:
„ Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo ju-
„ mentis amplius. *Qui tamen ex definitione rationis
Cap. 6. „ ſuam poſtmodum ſententiam profert, dicens:* Quid ha-
„ bet amplius Sapiens a ſtulto, & quid pauper, ni-
„ ſi ut pergat illuc ubi eſt vita? *Qui igitur dixit:*
„ Nihil habet homo jumentis amplius; *Ipſe rurſum
definit, quid habet aliquid Sapiens non ſolum amplius
a jumento, ſed etiam ab homine ſtulto, videlicet ut
pergat illuc ubi eſt vita. Quibus verbis primum indi-
cat, quia hic hominum vita non eſt, quam eſſe alibi
teſtatur. Habet ergo homo hoc amplius jumentis, quia
illa poſt mortem non vivunt; hic vero tunc vivere in-
choat, cum per mortem carnis hanc viſibilem vitam
„ conſummat. Qui etiam longe inferius dixit:* Quod-
Cap. 9. „ cumque poteſt manus tua facere, inſtanter opera-
„ re. Quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec
„ ſapientia erit apud Inferos, quo tu properas.
„ Quomodo ergo unus interitus eſt hominis & ju-
„ menti, & æqua utriuſque conditio? *Aut quomodo
nihil habet homo jumentis amplius, cum jumenta poſt
mortem carnis non vivunt; hominum vero ſpiritus
pro malis ſuis operibus poſt mortem carnis ad Inferos
deducti nec in ipſa morte moriuntur? Sed in utraque
tam diſpari ſententia demonſtratur, quia Concionator
verax & illud ex tentatione carnali intulit, & hoc
poſtmodum ex ſpiritali veritate definivit.* Id ſandem
agnovere priſci Hebræorum Rabbini, qui cum de Li-
bro *Eccleſiaſtis* reiiciendo, propter ea quæ in obje-
ctionibus continentur, aliquando deliberaſſent, ab eo
conſilio abſterriti ſunt, cum initium & finem Legi
conſentire obſervaſſent, ut refertur in Tractatu Tal-
mudico Sabbathi, Cap. 2. & a *Maimonide* in *More
Nevochim*, & *Aben-Ezra*. Quod & *S. Hieronymus* con-
firmat in Cap. 12. *Eccleſiaſtis*.

Reſponſionem utramque *S. Hieronymus* approbat,
Commentario in Caput 12. tum eorum qui *Eccleſia-
ſten* alieno loqui nomine exiſtimant, cum homines
incitat ad fruendas voluptates, quæ guſtu, aliiſque
ſenſibus corporeis percipiuntur, & proſopopejam fa-
cere more Rhetorum & Poetarum; quaſi dicat: *Hæc
aliquis loquatur Epicurus, & Ariſtippus, & Cyre-
naici, & cætera pecudes Philoſophorum: Ego autem
mecum diligenter retractans, invenio non, ut quidam
æſtimant male, omnia fortuito geri, & variam in
rebus humanis fortunam ludere, ſed cuncta judicio Dei
fieri.* Tum eorum etiam opinionem *S. Hieronymus* ap-
probat, qui *Eccleſiaſten* non ex alterius, ſed ex ſua
perſona loqui cenſent: Ut horum verborum, *Vade,
comede in lætitia panem tuum, &c.* hic ſit ſenſus:
*Quia didiciſti quod morte omnia finiantur, & in In-
ferno non ſit pœnitentia, nec aliquis ad virtutes re-
curſus: Dum in iſto ſæculo es, feſtina, contende age-
re pœnitentiam: Dum habes tempus, labora. Libenter
enim ſuſcipit Deus pœnitentiam. Aliter. Simpliciter
„ intellectum prodeſt, juxta illud:* Sive manducatis, 1. Cor. 10.
„ ſive bibitis, ſive aliquid facitis, omnia in nomi-
„ ne Domini facite. *Et in alio loco:* Cum conſilio Proverb.
„ vinum bibe. *Non enim habet veram lætitiam &* 31.
*ver bonum, qui creaturis ſupra bonum abutitur. Me-
lius autem eſt ſic ſentire: Cujus placuerunt opera co-
ram Deo, nequaquam indigere poterit vero pane &
vino, quod calcatum eſt de vinea Soreth. Dato nobis
„ itaque præcepto quod dicit:* Deſideraſti ſapientiam, Eccl. 1.
„ ſerva mandata, & dominus miniſtrabit tibi eam:
*& ſervemus mandata, & panem & vinum ſpiritua-
lia invenire poterimus.... Porro quod in 70. Inter-
„ pretibus dicitur,* Veni, comede in lætitia panem Joan. 7.
„ tuum, & bibe in corde bono vinum tuum: *E-
jus Eccleſiaſte vox eſt, qui in Evangelio loquitur:*
„ Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. *Et in Prover-
„ biis:* Venite, comedite panes meos, & bibite vi- Proverb. 9.
„ num meum.

Pium ſimiliter ſenſum habet locus ille Capitis 3.
12. *Et cognovi quod non eſſet melius niſi lætari, &
facere bene in vita ſua. Omnis enim homo qui come-
dit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc do-
num eſt Dei*, Hæc, inquam, ſententia rectum & pium
ſenſum habet, etiamſi *Eccleſiaſtes* illam ſuo nomine
protulerit. Id liquet ex Commentario quo hanc *S.
Hieronymus* illuſtrat. *Propterea*, inquit, *colonus &
hoſpes Mundi homo datus eſt, ut brevi vita ſua frua-
tur tempore, & ſpe prolixioris ætatis abſciſſa, cuncta
quæ poſſidet quaſi ad alia profecturus aſpiciat; & quod
poteſt, bene faciat in vita ſua: Nec fruſtra ob con-
gregandas opes cogitationibus torqueatur. Neque ſe pu-
tet plus de ſuo labore lucrari poſſe quam cibum & po-
tum, & ſi quid de opibus ſuis in bonis operibus ex-
penderit: Hoc ſolum donum Dei eſt. Ex quibus non*
(ut quidam æſtimant) *ad luxuriam, & delicias, &
„ deſperationem, ſecundum illud Iſaiæ:* Manducemus Iſai. 22.
„ & bibamus, cras enim moriemur: *inſtar animalium
„ provocamur: Sed ſecundum Apoſtolum:* Habentes
„ victum & veſtitum, his contenti ſimus; *& quic-* 1. Timoth.
quid ſupra habere poſſumus, in pauperibus nutriendis, 6.
*& egentium largitione conſumamus. Porro quia caro
Domini verus eſt cibus, & ſanguis verus eſt potus,
juxta ἀναγωγὴν, hoc ſolum habemus in præſenti ſæculo
bonum, ſi veſcamur carne ejus, cruoreque potemur, non
ſolum in Myſterio, ſed etiam in Scripturarum lectione.*

Verus enim cibus & potus, qui ex verbo Dei ſumitur, ſcientia Scripturarum eſt.

PROPOSITIO II.

Nec Ezechiæ, cum Thalmudiſtis; nec Zorobabeli, cum Grotio; ſed Salomoni, cum Eccleſia; Liber Eccleſiaſtis adſcribendus eſt.

PRobatur Propoſitio ex initio Libri: *Verba Eccleſiaſtæ, filii David, Regis Jeruſalem.* Quæ nec Ezechiæ proprie, nec *Zorobabeli* conveniunt. Nec enim *Ezechias* David filius, nec *Zorobabel* Rex Hieroſolymorum fuit. Ea quidem ratione filius *David* dici potuit *Ezechias*, quatenus ex ſtirpe *David* progenitus. Unde 2. *Paralipomenon* 29. dicitur: *Fecitque quod erat placitum in conſpectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.* Hac etiam ſignificatione communi Chriſtus *Filius David* appellatur, quia genus ejus ex *Davide* per *Mariam* Virginem ductum eſt. Sed cum *Ezechias* filius *Achaz* fuerit, ac appellatus ſit, eique commune fuerit cum aliis Regibus Juda ut *Davidis* filius, id eſt, ex *Davidis* genere propagatus diceretur: Veriſimile non eſt illum hanc Inſcriptionem Libro a ſe edito præfixurum: *Verba Eccleſiaſtæ filii David, Regis Jeruſalem:* Quæ non magis ipſum notaſſet Auctorem, quam alium Regem Juda. Sed quamvis hæc inſcriptio ad *Ezechiam* flecti utcumque poſſet, ipſi tamen iſta non conveniunt, uti nec Zorobabeli: *Locutus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes Sapientia, qui fuerunt ante me in Jeruſalem.* De *Ezechia* certe dici non poteſt, quod *Salomonem* Sapientia præceſſerit. Nec etiam *Ezechiæ* hæc aptari poſſunt: *Et propoſui in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub Sole.* Nec illa Cap. 7. 26. *Luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem & conſiderarem, & quærerem Sapientiam, & rationem, &c.* Nec iſta Capitis 2. 4. & ſeq. *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & pomaria, & conſerui ea cuncti generis arboribus: & extruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſilvam lignorum germinantium. Poſſedi ſervos & ancillas, multamque familiam habui: Armenta quoque & magnos ovium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Jeruſalem; & coacervavi mihi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum, ac Provinciarum: Feci mihi Cantores, & Cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & urceos in miniſterio ad vina fundenda; & ſupergreſſus ſum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jeruſalem: Sapientia quoque perſeveravit mecum.* Hæc autem apprime conveniunt *Salomoni*, ad quem hæc Dei verba leguntur (3. Regum 3. 12. 13.) *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi: Divitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus.* De quo etiam ſcriptum eſt (3. Regum 4. 30. 31. 33. 34.) *Et præcedebat Sapientia Salomonis Sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus. Locutus eſt quoque Salomon tria millia Parabolas; & fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et diſputavit ſuper lignis, a cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete; & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Et veniebant de cunctis Populis ad audiendam Sapientiam Salomonis, & ab univerſis Regibus terræ, qui audiebant Sapientiam ejus.*

Fruſtra vero quis obiiciat, *Ezechiæ* Regis divitias magnificis verbis deſcribi 2. *Paralipomenon* 32. 27. & ſeq. & de eo dici 4. *Regum* 18. 5. Similem illi non fuiſſe de Regibus Juda. Neque enim opibus omnes qui ante ipſum Hieroſolymis regnaverunt ſupergreſſus dicitur *Ezechias*, quod de ſe *Eccleſiaſtes* ait: Nec ſimilem habuiſſe negatur in opibus, felicitate, ſapientia, celebritate nominis, ſed in religionis dumtaxat pietatiſque ſtudio. *Ipſe diſſipavit Excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque Serpentem Æneum, quem fecerat Moyſes: Siquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum. . . . . In Domino Deo Iſrael ſperavit: Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis Regibus Juda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt; & adhæſit Domino, & non receſſit a veſtigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moyſi. Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat.*

Salomoni denique, non *Ezechiæ* conveniunt verba illa *Eccleſiaſtis*, Cap. 12. 9. 10. *Cumque eſſet Sapientiſſimus Eccleſiaſtes, docuit Populum, & enarravit quæ fecerat; & inveſtigans compoſuit Parabolas multas. Quæſivit verba utilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos.* Libros enim ſcripſit *Salomon*, Parabolas compoſuit: Nihil autem ſimile *Ezechiæ* Sacra tribuit Hiſtoria.

Probatur ſecundo ex ſummo Veterum conſenſu, qui Librum *Eccleſiaſtes* Salomoni tribuunt, ſcilicet *Melitonis, Origenis, SS. Gregorii Taumaturgi, Gregorii Nyſſeni, Hieronymi, Auguſtini*, Eccleſiæ Africanæ in Concilio Carthaginenſi 212. *Innocentii* 1. *Gelaſii* 1. in Synodo Romana, *S. Joannis Damaſceni*, &c. omniumque Sacrorum Interpretum ex Eccleſiæ Catholicæ gremio concordibus ſuffragiis. Quibus temulenti *Lutheri* petulantiſſima Cenſura confutatur. in *Serm. conviv. De Libris Veteris & Novi Teſtamenti* impudenter effutientis; *Eccleſiaſtes Liber non eſt plenus; multa habet abrupta; neque ocreis, neque calcoribus indutus eſt; hoc eſt, nullam habet perfectam Sententiam. Equitat in arundine longa, ſicuti & ego, dum eram in Monaſterio.*

Obiicit *Grotius*; in *Eccleſiaſte* occurrere vocabula, quæ non alibi quam in *Daniele, Eſdra*, & Chaldæis Interpretibus reperiuntur, adeoque poſt Captivitatem Babylonicam hunc Librum ſcriptum eſſe. Videri porro a *Zorobabele*, aut illius juſſu, e Sapientum verbis in unum codicem collectis compoſitum: Idque ſignificari Cap. 12. 2. his verbis: *Verba Sapientum, ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno.* Juxta Hebræum vertendum eſſe *Grotius* putat: *Auctores Collectionum dati ſunt a Paſtore uno*: Id eſt, qui hæc colligerent, ac ſub perſona *Salomonis* in unum corpus congererent, mandatum habuere ab *uno Paſtore*, id eſt, *Zorobabele*, qui ob res tenues Judæorum, & Perſici imperii reverentiam, Regem ſe dicere non auſus, quamquam inter ſuos pro Rege habebatur, nomen uſurpavit modeſtius *Paſtoris*. *Grotii objectionibus reſpondetur.*

Reſpondet *Calovius in Antigrotio*, Quatuor dumtaxat vocabula *Grotium* annotaſſe, quæ Chaldaica eſſe ait: Ex quibus tamen duo eſſe mere Hebraica fatentur Hebræi, & Linguæ Hebraicæ periti: Alia duo Hebraica etiam eſſe, quamvis eorum ſignificatio ex Chaldaica, aut Arabica Linguis cognatis petatur. Quamvis autem in Chaldaicis aut Arabicis ſcriptionibus aliqua vocabula inveniantur, quæ in Libro *Eccleſiaſtes* extant, & in aliis forte Scripturæ Sacræ Libris non leguntur, quia eorum adhibendorum nulla data eſt occaſio: Minime conſequens eſt voces illas vernaculas ac gentilitias Hebræis non fuiſſe, & Libri illius Auctorem non fuiſſe Captivitate Babylonica antiquiorem. Non enim ex voculis aliquot, quarum inter affinia idiomata facilis communicatio eſſe poteſt; ſed ex ſtylo, locutionibus, & peregrinarum dictionum numero, liber aliquis ab alterius patriæ aut linguæ homine conſcriptus judicatur, quam ſit ille, cujus nomine inſcriptus eſt, & cui vulgo adſcribitur. Adde, Veriſimile eſſe Sapientiſſimum *Salomonem* Chaldaicæ etiam & Arabicæ Linguæ fuiſſe peritum.

Porro inanis eſt *Grotii* conjectura, qui Auctores Collectionum ab uno Paſtore, id eſt, a *Zorobabele* datos ex undecimo Capitis 12. commate ſibi videtur extundere. De Collectionum enim Auctoribus, quatenus id nomen Scriptores ſignificat, qui ſapientum & doctorum hominum ſententias colligunt, & in unum corpus congerunt, nec Hebræus Textus, nec ulla Verſionum antiquarum aliquid habet: Uniuſque Paſtoris nomine non *Zorobabelem*, ſed *Moyſen* intellexit Chaldæus Paraphraſtes. Textum Hebræum ita reddit Sanctes Pagninus: *Auctores Congregationum* *Inanis Grotii conjectura.*

dati

Digitized by Google

dati ſunt a Paſtore uno. Auctores Congregationum non ſunt Gnomarum Collectores, ſed qui Cœtibus Eccleſiæ præſunt. Verſio 70. Interpretum ſic habet: *Sermones Sapientum tamquam ſtimuli, & quaſi clavi plantati. Qui a Conciliis dati ſunt a Paſtore uno*: οἳ παρὰ τῶν συναγμάτων. &c. Ita Chaldaica Paraphraſis: *Verba Sapientum aſſimilantur ſtimulis & ligonibus, quæ impellunt ad docendum ſcientiam indigentes ſcientia, ſicut docet ſtimulus bovem, & Magiſtri Sanhedrim ductores viarum & ſermonum qui dati ſunt per manum Moſen Prophetæ, qui pavit ſolus Populum domus Iſrael in deſerto manna & ſuppediis*. Ita Verſio Syriaca: *Verba Sapientum ſunt velut aculei, & velut clavi infixi. Propoſiti liminibus dati ſunt ab uno Paſtore*. Ita Verſio Arabica: *Dicta Sapientum ſunt veluti ſtimuli boum, & velut clavi igniti: Dicta (inquam) quæ tradiderant e veſtigiis operum ſuorum ab uno Paſtore, & ex iis augmentum ſunt conſecuti*. Vulgata Verſio: *Quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno*: Deo ſcilicet, cujus oves paſcuæ ſumus. Hunc locum S. *Hieronymi* Commentarius illuſtrat. *Sapientiam quâ præivit Salomon omne hominum genus, nunc quoque in fine Opuſculi profitetur, quod non fuerit Veteris Legis inſtitutione contentus, ſed in profundas ſe ultro demerſerit Quæſtiones, & ad docendum Populum Proverbia & Parabolas compoſuerit, aliud in medulla habentes, aliud in ſuperficie pollicentes .... Super hæc addidit, cauſas naturaſque rerum ſe voluiſſe cognoſcere, & Dei diſpoſitionem & providentiam: Quare unumquodque vel quo modo factum ſit ſcire voluiſſe .... Ne videretur poſt Legem Dei temerarius ſubito præceptor erumpere, & ſibi vindicare doctrinam, quam Moyſes non tam ſua ſponte, quam Deo iraſcente primum, deinde inſpirante ſuſceperat: Dicit ſua verba eſſe Sapientium, quæ in ſimilitudinem ſtimulorum corrigant delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commoveant: Sicque ſint firma quaſi clavi in altum ſolidumque defixi: Nec auctoritate unius, ſed conſilio atque conſenſu Magiſtrorum omnium proferantur. Et ne contemneretur humana ſapientia, ait eam ab uno Paſtore conceſſam: Id eſt, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ Auctor unus eſt Dominus. Facit hic locus adverſus eos, qui alium Legis Veteris, alium Evangelii exiſtimant Deum, quod unus Paſtor conſilium Prudentium inſtruxerit. Prudentes autem tam Prophetæ ſunt, quam Apoſtoli. Simul & hoc notandum eſt, quod dicantur verba Sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laſciviam, ſed errantibus & tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si cujus igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo Sapientis. Verba quippe Sapientum ut ſtimuli. Quæ quoniam ad converſionem provocant delinquentem, & firma ſunt, & a Concilio Sanctorum data, atque ab uno Paſtore conceſſa, & ſolida radice fundata ſunt.*

Obiiciet quiſpiam, illud Eccleſiaſtis 8. 2. *Ego os Regis obſervo*, non convenire *Salomoni*, qui Rex fuit, nec ullum ipſe Regem obſervandum habuit.

Reſpondetur primo nomine Regis Deum ibi ſignificari, quem Reges ipſi colere & obſervare debent, ejuſque præceptis parere; de quo idem Eccleſiaſtes Cap. 2. *Quid eſt homo, ut poſſit ſequi Regem Factorem ſuum?* Hujus Reſponſionis Auctorem habemus S. *Hieronymum* in Commentario. *Ego puto* (inquit) *de* „ *illo Rege nunc dici, de quo David ait*: Domine „ in virtute tua lætabitur Rex. *Et in alio loco, ut Patris & Filii Regnum unum ſignificet, Scriptura com-* „ *memorat*: Deus judicium tuum Regi da, & ju- „ ſtitiam tuam Filio Regis. Non *enim* judicat Pater „ quemquam, ſed omne judicium dedit Filio. *Qui Rex Filius Dei, Patris Regis eſt Filius. Hujus itaque Filii cuſtodienda præcepta ſunt, hujus voluntati parendum. Et hoc quod eſt in Tobiæ Libro ſcribitur:* „ Myſterium Regis abſcondere bonum. *Et præcipue monet ne tractemus quare Deus unumquodque præceperit, ſed quodcumque viderit eſſe mandatum, hoc pia mens hominis implere feſtinet: Et ſit in Lege Domini voluntas ejus.*

Reſpondetur ſecundo, Legendum videri in Imperativo, *Os Regis obſerva*, & his verbis præcipi juxta Apoſtolum, *Regibus & Poteſtatibus obſequendum*, ut docet S. *Hieronymus*. Sic enim 70. Interpretes: ςόμα βασιλέως φύλαξον. Ita Paraphraſis Chaldaica: *Cuſtodi os tuum ſuper ſententia Regis, ut obſerves quod juſſerit tibi*. Ita Syriaca, & Arabica: *Os Regis obſerva*.

De *Eccleſiaſtis* argumento, & Auctore, S. *Auguſtinus* Libro 20. *De Civitate Dei*, Cap. 3. hæc habet, quæ ad Grotii ſententiam luculentius refellendam, hic deſcribere non inutile fuerit: *Nempe Salomon Sapientiſſimus Rex Iſrael, qui regnavit in Jeruſalem, Librum qui vocatur ECCLESIASTES, & a Judæis quoque habetur in Sacrarum Canone Litterarum, ſic exorſus eſt*: „ Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes; „ Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ ho- „ mini abundantia in omni labore ſuo quo laborat „ ſub Sole? *Et cum ex hac ſententia connecteret cætera, commemorans ærumnas, erroreſque vitæ hujus, & vaneſcentes interea temporum lapſus, ubi nihil ſolidum, nihil ſtabile retinetur; in ea rerum vanitate ſub Sole, illud etiam deplorat quodam modo, quod cum ſit abundantia Sapientiæ ſuper inſipientiam, ſicut abundantia lucis ſuper tenebras, Sapientiſque oculi ſint in capite ipſius, & ſtultus in tenebris ambulet; unus tamen incurſus incurrat omnibus, utique in hac vita quæ ſub Sole agitur: Significans videlicet ea mala, quæ bonis & malis videmus eſſe communia. Dicit etiam illud, quod & boni patiantur mala tanquam mali ſint, & mali tanquam boni ſint adipiſ-* „ *cantur bona, ita loquens*: Eſt, *inquit*, vanitas, „ quæ facta eſt ſuper terram; quia ſunt Juſti, ſu- „ per quos venit ſicut factum impiorum; & ſunt „ impii, ſuper quos venit ſicut factum Juſtorum. „ Dixi quoniam hoc quoque vanitas. *In hac vanitate, cui quantum ſatis viſum eſt, intimanda, totum iſtum Librum vir Sapientiſſimus deputavit; non utique ob aliud, niſi ut eam vitam deſideremus, quæ vanitatem non habet ſub hoc Sole, ſed veritatem ſub illo qui fecit hunc Solem: In hac ergo vanitate, nunquid niſi juſto Dei rectoque judicio ſimilis eidem vanitati factus vaneſceret homo? In diebus tamen vanitatis ſuæ intereſt plurimum, utrum reſiſtat, an obtemperet veritati & utrum ſit expers veræ pietatis, an particeps: Non propter vitæ hujus vel bona acquirenda, vel mala vitanda vaneſcendo tranſeuntia; ſed propter futurum judicium, per quod erunt & bonis bona, & malis mala, ſine fine manſura. Denique iſte Sapiens hunc Librum ſic concluſit, ut di-* „ *ceret*: Deum time, & mandata ejus cuſtodi, „ quia hoc eſt omnis homo: Quia omne hoc opus „ Deus adducet in judicium, in omni deſpecto, ſive „ bonum, ſive malum. *Quid brevius, verius, ſa-* „ *lubriuſque dici potuit?* Deum, *inquit*, time, & „ mandata ejus cuſtodi; quia hoc eſt omnis homo. *Quicumque enim eſt, hoc eſt cuſtos utique mandatorum Dei: Quoniam qui hoc non eſt, nihil eſt. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in ſimilitudine vanitatis.* Quia omne hoc opus, *id eſt,* „ *quod ab homine ſit in hac vita*, ſive bonum, ſive „ malum, Deus adducet in Judicium, in omni deſpecto, *id eſt in omni etiam qui contemptibilis hic videtur & ideo nec videtur: Quoniam Deus & ipſum vidit, nec eum deſpicit, nec eum judicans præterit.*

PROPOSITIO III.

Scriptores Ethnici ex Libro Eccleſiaſtis nonnulla hauſerunt.

PRopoſitionem probabunt exempla. *Eccleſiaſtis* Cap. 1. V. 4. dicitur: *Generatio præterit, & generatio advenit*. Id expreſſerunt *Ariſtoteles* 4. *Phyſicorum*, Cap. 4. *Ajunt enim* (inquit) *in orbem eſſe res humanas*. Et Seneca: *In orbem nexa ſunt omnia, fugiunt, & ſequuntur*. Ait Eccleſiaſtes Cap. 4. 2. *Et laudavi magis mortuos quam viventes: & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub Sole fiunt*. Id *Theognis* expreſſit Verſibus quorum hic ſenſus eſt:

Optima ſors homini natum non eſſe, nec unquam
Aſpexiſſe diem, flammiferumque jubar:

Altera jam genitum demitti protinus Orco,
Et preſſum multa mergere corpus humo.

Quod Cap. 4. *Eccleſiaſtes* Verſ. 9. legitur: *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul quam unum*; expreſſit *Homerus Iliad.* 10. & ex eo *Ariſtoteles*:

——— σύν τε δύ' ἐρχομένω
Cum duo ſunt una.

Quod legitur *Eccleſiaſtis* Cap. 5. Verſ. 7. *Excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alii*; Id *Seneca* ſic expreſſit:

Quicquid a vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur:
Omne ſub Regno graviore Regnum eſt.

Eodem Capite v. 18. legitur: *Et omni homini, cui dedit Deus divitias atque ſubſtantiam poteſtatemque ei tribuit ut comedat ex eis: & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo: Hoc eſt donum Dei.* Id ſic expreſſit *Horatius*:

Di tibi divitias dederant, artemque fruendi.

Quod legitur *Eccleſiaſtis* Cap. 7. 2. *Melior eſt dies mortis die nativitatis*: Id expreſſit *Euripides* in *Creſphonte*, Verſibus quos ita redditos Latine profert *Grotius*:

Nam nos decebat celebre cum cœtu modo
Lugere genitum, tanta qui intraret mala:
At qui labores morte finiſſent graves
Hunc laude amicos, atque lætitia exſequi.

Quod eodem Capite legitur Verſ. 21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*: Id ſic expreſſit *Seneca* Lib. 1. *De Clementia*, Cap. 6. *Peccavimus omnes, alii gravia, alii levia ex deſtinato, alii forte impulſi, aut aliena nequitia ablati; alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, ſed uſque ad extremum ævi delinquimus. Etiam ſi quis tam bene purgavit animum ut nihil obturbare eum amplius poſſit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.* Et Lib. 3. *De Ira*, Cap. 20. *Omnes mali ſumus.*

Quod legitur Verſ. 1. ejuſdem Capitis, *Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut umbra præterit?* Id ſic expreſſit *Horatius* Carminum Lib. 1. *Ode* 9. & 11.

Quid ſit futurum cras, fuge quærere; &
Quem ſors dierumcumque dabit, lucro
Appone:
Tu ne quæſieris ſcire, nefas, quem mihi,
quem tibi
Finem Dii dederint.

Quod legitur *Eccleſiaſtis* Cap. 8. 2. *Etenim quia non profertur cito contra malos Sententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* Id expreſſit *Theodectes* carminibus, quæ Latine hunc in modum reddita leguntur apud *Grotium*:

Si pœna ſupera non daret culpæ diem,
Pietate nulla, ſed metu ſolo, Deos
Pars magna colerent; pœna nunc longe ſita
Omnes ſuo permittit ingenio frui:
Sed deprehenſi poſtea in piaculis,
Utcumque ſero, quod ſat eſt, pœnas luent.

Quod legitur *Eccleſiaſtis* Cap. 9. 2. *Eo quod univerſa æque veniant juſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti.* Id expreſſit *Horatius* his Verſibus:

——— *Nec pietas moram*
Rugis & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti:
Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris.

Quod Legitur *Eccleſiaſtis* 11. 7. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem*; Id *Euripides* expreſſit in *Hippolito*:

O lucida æther, Solis o purum jubar,
Quam dulce vos conſpicere!

ARTICULUS IV.

De Cantico Canticorum.

Canticum Canticorum, ita nuncupatum ob excellentiam, nihil aliud eſſe quam deſcriptionem amorum *Salomonis* & Amicæ ipſius *Abiſag* Sulamitis, vel filiæ *Pharaonis*, nihilque in eo Libro divini eſſe; ſed profanam voluptatem totum ſpirare, ſentiunt Anabaptiſtæ, Anonymorum quorumdam Hæreticorum, quos *Theodoretus* Præfatione Commentarii ſui, & *Philaſtrius* Hæreſi 135. commemorant, errorem renovantes. Cum his ſenſit *Caſtalio*. Nec ab eo errore multum abeſt *Grotius* in Annotationibus ad Cap. 1. hujus Libri ſcribens: *Carmen hoc vocatur Hebræis* Excellentiſſimum Carmen, *ob multas elegantias, quæ in alium ſermonem tranſlatæ non idem ſapiunt. Eſt autem ὀαριστὺς garritus conjugum inter ſe, inter Salomonem & filiam Regis Ægypti, interloquentibus etiam choris duobus tum Juvenum, tum Virginum, qui in proximis thalamo locis excubabant. Nuptiarum arcana ſub honeſtis verborum involucris hic latent: Quæ etiam cauſa eſt, cur Hebræi Veteres hunc Librum legi noluerint, niſi a jam conjugio proximis. Creditur autem Salomon, quo magis precaveret hoc ſcriptum, ea arte id compoſuiſſe, ut ſint multa diſtortione allegoriæ ſeu latentes ſenſus in eo inveniri poſſent, qua Dei amorem adverſus Populum Iſraeliticum exprimerent: Quod & ſenſit & eruditi Chaldæus hic Paraphraſtes: Nec aliter accepit Maimonides. Ille autem amor typus eum fuerit amoris Chriſti erga Eccleſiam, Chriſtiani ingenia ſua ad applicanda ad eam rem hujus Carminis verba exercuerunt laudabili ſtudio. Nam & Apoſtoli Chriſti cum Eccleſia conjunctionem Matrimonio comparaverant. Epheſ.* 5. 32. 18. *Cor.* 11. *Apocal.* 19. 7. 9.

Auctorem hujus Libri quod ſpectat, hunc *Ezechiæ* Regi, ejuſque familiaribus adſcribunt Talmudiſtæ in *Baba Bathra*. Ab *Iſaia* Propheta ex Cantica *Salomonis* excerptum R. *Moſes Kimchi*, & alii facile conjiciunt. Hebræi Veteres & Rabbini recentiores, Eccleſiæque Patres & Interpretes univerſi, qui *Cantici Canticorum*, & Auctoris illius meminerunt, illum tribuunt *Salomoni*, cui certe illum adjudicat Inſcriptio, cum in Hebraico Exemplari, tum in 70. Interpretum Editione. Atque ad *Salomonis* ætatem pertinere confirmant illa Capitis 3. Verſ. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Verſ. 9 *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum.* Verſ. 2. *Egredimini & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in Diademate quo coronavit illum Mater ſua.* Ad equos ex Ægypto ad *Salomonem* adductos alludit comma illud Capitis 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te, Amica mea.*

PROPOSITIO UNICA.

Canticum Canticorum amatorium carmen eſſe in gratiam filiæ Pharaonis a Salomone conditum, & nihil aliud quam garritum conjugum, lenesque amantium ſub noctem ſuſurros exprimere, impie aſſerunt cum Veteribus Hæreticis Anabaptiſtæ, Caſtalio & Grotius. Sacrum enim Epithalamium eſt Nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ, divino afflatu a Salomone conſcriptum.

Luculentiſſimis argumentis hæc Propoſitio probatur, Primo, quod abſque impietate dici non poſſit, Eccleſiam, quæ a Spiritu Sancto regitur, & quæ Virgo caſtiſſima eſt Chriſto conjuncta, in Librorum Sacrorum Canonem, quos eodem Spiritu afflante ſcriptos credit, Canticum retuliſſe profanos amores, & carnalium Nuptiarum arcana exprimens. Secundo, quod multa hic in Cantico habeantur, quæ *Salomoni* & Sponſæ Ægyptii Regis filiæ non conveniunt, *Salomoni* certe non convenit, quod *Rex*

eſſet

Digitized by Google

eſſet ac *Paſtor*: Quod Sponſæ ſuæ *frater*: Quod *ſeipſum candidum & rubicundum, electum ex millibus, Florem campi, & Lilium convallium* prædicet: Quod effecerit *accubitu ſuo* ut *Nardus* Sponſæ daret odorem ſuum: Quod *ferculum ſuum media caritate conſtraverit*. Non convenit etiam tanti Regis Sponſæ, quod facta ſit *Cuſtos vinearum*: Quod *oves paverit juxta tabernacula Paſtorum*: Quod *Filia ſit Principis & Vinitoris*: Quod in cellam vinariam introducta ſit a Rege; Quod a Vigilibus ſeu Excubitoribus, qui cuſtodiebant civitatem, ſpoliata ſit, percuſſa, vulnerata; ut Sponſa de ſe ait Cap. 5. 7. *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me: Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum*. Item quod ſit, *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Tertio, Pulchritudo Sponſæ, ſi humano more ſpectaretur, inſignis eſſet deformitas; Quod nimirum caput habeat inſtar *Carmeli*, naſum ſicut *turrim Libani*, oculos inſtar *piſcinæ*, dentes ſicut *greges ovium quæ aſcenderunt de lavacro*, &c. Quod argumento eſt neque corpoream pulchritudinem eo in Libro deſcribi, nec profanos amores exprimi. Quarto, Puellas Principes magnis Regibus deſponſas non decet ut amorem ſuum obviis quibuſque aperiant, ut poſt Sponſum currant, etiam noctu, per plateas & vicos civitatis: quod eum foris ſtantem in ſomnis alloquantur: quod pulſantem ad fores negligant; quod ſurgant ipſæ ad oſtium Sponſo aperiendum. &c. Quinto, Canticum Canticorum eſſe Chriſti & Eccleſiæ Epithalamium aſflante Spiritu Sancto a *Salomone* conſcriptum, docent antiqui Patres, & Interpretes omnes Catholici, ut revocari non poſſit in dubium, quin hic ſit Eccleſiæ Catholicæ ſenſus.

Ita *Origenes* Homilia 1. in Canticum Canticorum: *Epithalamium* (inquit) *Libellus, id eſt, Nuptiale Carmen, in modum mihi videtur dramatis a Salomone conſcriptus: Quem cecinit inſtar nubentis Sponſæ, & erga Sponſum ſuum, qui eſt Sermo Dei, cœleſti amore flagrantis. Adamavit enim Eum ſive Anima, quæ ad imaginem ejus creata eſt, ſive Eccleſia. Sed & magnificus hic ipſe atque perfectus Sponſus, quibus verbis uſus ſit ad conjunctam ſibi Animam, vel Eccleſiam, hæc ipſa Scriptura nos docet ..... Sed primo ſcire nos oportet, quoniam ſicut puerilis ætas non movetur ad amorem paſſibilium, ita nec ad capiendum quidem verba hæc parvula & infantilis interioris hominis ætas admittitur, illorum ſcilicet qui lacte a Chriſto aluntur, non cibo forti, & qui nunc primum rationabile & ſine dolo lac concupiſcunt. In verbis enim Cantici Canticorum ille cibus eſt, de quo dicit Apoſtolus: Perfectorum autem eſt ſolidus cibus; & tales requirit auditores, qui pro poſſibilitate ſumendi, exercitatos habeant ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Hebr. 5. *Et quidem parvuli, quos diximus, ſi veniant ad hæc loca, poteſt fieri, ut nihil quidem ex hac Scriptura proficiant, nec tamen valde lædantur, vel ipſa quæ ſcripta ſunt legentes, vel quæ ad explanationem eorum dicenda ſunt recenſentes. Si vero aliquis acceſſerit, qui ſecundum carnem tantummodo vir eſt, huic tali non parum ex hac Scriptura diſcriminis periculique naſcetur. Audire enim pure & caſtis auribus amoris nomina neſciens, ab interiori homine ad exteriorem & carnalem virum omnem deflectet auditum, & a ſpiritu convertetur ad carnem ...., Ob hæc ergo moneo & conſilium do omni qui nondum carnis & ſanguinis moleſtiis caret, atque ab affectu naturæ materialis abſceſſit, ut a lectione Libelli hujus, eorumque quæ in eo dicentur, penitus temperet. Ajunt enim, obſervari etiam apud Hebræos, quod niſi quis ad ætatem perfectam maturamque pervenerit, Libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur. Sed & illud ab eis accepimus. Quandoquidem moris eſt apud eos, omnes Scripturas a Doctoribus & a Sapientibus dari pueris: ſimul & eas quas δευτερώσεις, appellant: Ad ultimum quatuor iſta reſervari, id eſt, principium Geneſis, in quo Mundi creatura deſcribitur; & Ezechielis Prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur: & finem in quo Templi ædificatio continetur; & hunc Cantici Canticorum Librum.* Et infra poſtquam de amore ſive caritate multa præmiſit: *Hunc ergo amorem*; inquit, *loquitur præſens Scriptura, quo erga Verbum Dei Anima beata uritur & inflammatur: & iſtud Epithalamii Carmen per Spiritum canit, quo Eccleſia Sponſo cœleſti Chriſto conjungitur ac ſociatur, deſiderans miſceri ei per Verbum: Ut concipiat ex eo, & ſalvari poſſit per hanc caſtam filiorum generationem, cum permanſerint in fide & ſocietate cum ſobrietate, utpote concepti ex ſemine quidem Verbi Dei, editi vero genitique vel ab immaculata Eccleſia, vel ab Anima nihil corporeum, nihil materiale requirente; ſed ſolo Verbi Dei amore flagrante.*

Quærit deinde *Origenes* rationem cur *Cum tria Volumina Eccleſia Dei a Salomone ſcripta ſuſceperit: Primus ex ipſis Proverbiorum Liber poſitus ſit: Secundus is qui Eccleſiaſtes appellatur: Tertio vero in loco Cantici Canticorum Volumen habeatur.* Reſpondet, Generales Diſciplinas, quibus ad veram ſcientiam pervenitur, tres a Græcis diſtingui, Ethnicam, Phyſicam, & Theoreticam ſive Inſpectivam. Hanc ſcientiarum diviſionem Græcorum Sapientes a *Salomone* ſumpſiſſe, *Utpote qui ætate & tempore longe ante ipſos prior, eam per Dei Spiritum didiciſſet. ... Salomon ergo tres iſtas generales Diſciplinas, id eſt, Moralem, Naturalem, & Inſpectivam, diſtinguere ab invicem ac ſecernere volens, tribus eas Libellis edidit: ſuo quoque ordine ſingulis conſequenter aptatis. Primo ergo in Proverbiis Moralem docuit, ſuccinctis, ut decuit, brevibuſque ſententiis vitæ inſtituta componens. Secundam vero, quæ Naturalis appellatur, comprehendit in Eccleſiaſte: In quo multa de rebus naturalibus diſſerens, & inania ac vana ab utilibus neceſſariiſque ſecernens, relinquendam vanitatem monet, & utilia rectaque ſectanda .... Inſpectivam quoque in hoc Libello tradidit, qui habetur in manibus, id eſt in Cantico Canticorum: In quo amorem cœleſtium, divinorumque deſiderium incutit Animæ, ſub ſpecie Sponſæ ac Sponſi, caritatis, & amoris viis perveniendum cenſens ad conſortium Dei. ... Ideo noviſſimum locum tenet hic Liber, ut tunc ad eum veniatur, cum & moribus quis fuerit defæcatus, & rerum corruptibilium atque incorruptibilium ſcientiam diſtinctionemque didicerit: Per quæ in nullo poſſit ex his figuris, quibus Sponſa ad Sponſum cœleſtis, id eſt, Anima perfecta amor ad Verbum Dei deſcribitur ac formatur, offendere. Præmiſſis namque his, quibus purificatur Anima per actus ac mores, & in rerum diſcretionem naturalium perducitur, competenter ad domeſtica venitur, & ad myſtica, atque ad Divinitatis contemplationem ſincero & ſpirituali amore conſcenditur.*

Ita *S. Gregorius Nyſſenus* Homilia 1. in Cantica: *Per Canticum Canticorum myſtice introduxit cogitationem ad divina adyta: In quibus id quidem quod inſcribitur, eſt apparatus nuptialis: Id autem quod intelligitur, eſt humana Anima cum Deo contemperatio. Propterea is eſt Sponſus, qui in Proverbiis nominatur Filius; & Sapientia locum tenet Sponſa, ut Deo homo deſponſetur caſta Virgo, & Deo agglutinatus fiat unus ſpiritus, per contemperationem cum eo quod eſt ab interitu alienum & impatibile, de gravi curæ effectus pura intelligentia. Cum ergo ſit quæ loquitur Sapientia, dilige quantum potes ex toto corde, & totis viribus concupiſce quantum potes cupere. Adde autem audacter his quoque verbis: Ama.*

Ita Auctor Synopſis Scripturæ Sacræ apud S. Athanaſium: *Et hunc Librum Salomon conſcripſit. Totus autem ille ad finem uſque myſtice cum allegoria ænigmatica conſcriptus eſt, Senſus enim dogmatum illius non eſt manifeſtus, ſed in arcano abſconditus .... Canticum Canticorum non habet propheticum, neque præcedentem aliquam ſignificationem de Chriſto. Sed quem alii prænuntiarunt venturum, hunc jam veluti præſentem, & carne jam indutum oſtendit. Propterea & tamquam in Nuptiis Verbi & Carnis, Epithalamium Canticum hoc Canticorum canit. Et alia quidem Scriptura de Servatore docent, & interea & alia quædam conjungunt. Hic vero Liber Conjugium tantum Verbi & Carnis canit .... Eſt autem totus hic Liber plenus Dialogorum Veteris Populi ad Verbum, & ſummatim humani generis ad Verbum, & Eccleſiæ ex Gentibus ad idem, & rurſus Verbi ad eamdem, & ad genus humanum. Deinde Gentium ad Jeruſalem, & Jeruſalem de Eccleſia ex Gentibus, & de ſe ipſa Dialogus.*

legus. Poſlea & miniſtrantium Angelorum ad homines vocatos prædicatio.

Ita *S. Hieronymus* in Epiſtula ad Paulinum: *Salomon Pacificus & amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Eccleſiam jungit & Chriſtum, ſanctarumque nuptiarum dulce canit Epithalamium.*

Ita *S. Auguſtinus* Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 20. *Jam vero Canticum Canticorum ſpiritalis quædam ſanctarum eſt voluptas mentium, in conjugio illius Regis & Reginæ Civitatis, quod eſt Chriſtus & Eccleſia. Sed hæc voluptas allegoricis tegminibus involuta eſt, ut deſideretur ardentius, nudeturque jucundius, & appareat Sponſus, cui dicitur in eodem Cantico:*
Cantic. 1. 3. Æquitas dilexit te, *& Sponſa quæ ibi audit:* Ca-
Cantic. 7. 6. ritas in deliciis tuis.

Et in Speculo: *Reſtat ille Liber Salomonis, cujus inſcriptio eſt, Canticum Canticorum. Sed de illo in hoc Opus quid transferre poſſumus, cum totus amores ſanctos Chriſti & Eccleſiæ figurata locutione commendet, & prophetica pronuntiet altitudine? Niſi quod in eo, quamvis ſit ad intelligendum difficillimus, poſſumus tamen facile advertere, quantum ſit divina illa & divinitus inſpirata caritas appetenda quantique pendenda. Quandoquidem non ibi ſemel dicitur, ſed alio atque alio loco iterum ac tertio repetitur:* Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per capreas cervuſque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis Dilectam donec ipſa velit. Adjuro vos, filiæ Jeroſolem; in virtutibus & viribus agri, ſi levaveritis Caritatem quoaduſque velit. *Eccleſia quippe, in qua utique ſumus, his verbis exhortatur filias ſuas, hoc eſt, ſe ipſam in plurimis conſtitutam. Ipſa eſt ager Dei fructuoſiſſimus, cujus virtutes & vires magna ſunt, ad quas amando Chriſtum Martyres pervenerunt. Nam quo uſque vult illa Dilecta ſua in hac interim vita Caritatem levari, niſi quo uſque ipſe docuit verbo, &*
Joan. 15. 13. *ſuo eſt hortatus exemplo, dicens: Majorem hanc Caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: & quod dixit efficiens?*

Ita *Theodoretus* Præfatione Commentarii in Canticum Canticorum. Quia (*inquit*) plerique ex iis qui Canticum Canticorum calumniantur, ac ſpiritalem eſſe Librum negant, fabulas quaſdam ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt: Alii nimirum quod Sapiens Salomon de ſe ipſo, deque Pharaonis filia conſcripſerit: Nonnolli autem ejuſdem claſſis Auctores pro Pharaonis filia Sponſam eſſe Abiſai Sonamitidem confinxerunt: Quidam vero prudentius conſiderantes, ſermonem hunc Regium appellarunt, ut Sponſæ nomine Populus, Sponſi autem Rex intelligatur: Operæ pretium nos facturos puto, ſi interpretationis initio prius falſas ac pernicioſas iſtorum opiniones confutemus: Deinde verum ac dilucidum Scriptoris propoſitum oſtendamus. Atqui debebant iſti, ſe longe vel Sapientia vel Spiritu præſtantiores agnoſcere Sanctos Patres, qui Librum hunc inter Divinas Scripturas collocarunt, eumque ut Spiritu refertum comprobantes, Eccleſia dignum cenſuerunt. Neque enim ſi aliter ſenſiſſent, Sanctarum Scripturarum numero intemperantiæ ac libidinis argumentum adſcripſiſſent. Sed quid neceſſe eſt Patrum auctoritatem adhibere, cum ipſius Divini Spiritus uti liceat teſtimonio? Nam cum Sacra Volumina partim a Manaſſe, qui omnes, qui ante & poſt ipſum fuerunt, ſcelere atque impietate ſuperavit, combuſta eſſent: Partim Captivitatis tempore, Templo a Babylonis inceſo, everſaque Civitate, Populo in ſervitutem abducto, penitus interiiſſent: Beatus Vir Eſdras, excellenti virtute præditus, & Spiritu Sancto plenus, ut res ipſa declarat, multis poſt annis, cum Populus eſſet revocatus, neceſſarias nobis ac ſalutiferas Scripturas reſtituit: Nec ſolum Moſis Libros, ſed & Joſue, & Judicum, & Regum Hiſtoriam, & ſtrenui Job Monumenta, & Eccleſiæ lætitiam Sacros Davidis Cantus, & ſexdecim Prophetas, & Sapientis Salomonis tum Proverbia, tum Eccleſiaſtem, tum Cantica Canticorum. Si igitur Eſdras nullo adjutus Exemplari, ſed Divino Spiritu afflatus, hæc ad omnium hominum utilitatem conſcripſit, qui fieri poteſt, optimi viri, ut Liber hic argumentum iſtud contineat quod affirmatis? Impudica enim ſcripta non a Spiritu Divino, ſed diabolico proficiſcuntur .... Impudicitiæ autem argumentum ſententia veſtra complectitur Canticum Canticorum. Cernitis ergo quo maledicta veſtra perveniant? Contumelia qua Librum afficitis, redit in Spiritum Sanctum. Hujus enim gratia repletus Beatus Eſdras Librum amiſſum renovavit. Quod cum Beati Patres non ignorarent, cum in Sacrarum Scripturarum numerum retulerunt. Quin etiam multi ex Veteribus illum Commentariis & interpretationibus illuſtrarunt, & qui deinceps non ſunt interpretati, ejus tamen Sententiis Scripta ſua decorarunt. Nec ſolum Euſebius Palæſtinus, & Origenes Ægyptius, & Martyrii corona redimitus Cyprianus Carthaginenſis, & his antiquiores, Apoſtoliſque propinquiores: Verum etiam qui poſt in Eccleſiis excelluere, Magnus ille Baſilius Proverbiorum principium exponens, & uterque Gregorius, quorum alter ſanguine, alter amicitia Baſilio conjunctus fuit, & fortis ille pietatis propugnator Diodorus, & Joannes, qui ad hunc uſque diem doctrinæ fluentis irrigat univerſum orbem terrarum, & qui poſtea fuere, Librum hunc omnes ſpiritalem eſſe cenſuerunt. Quæ cum ita ſe habeant, conſideremus an æquum ſit, ut tot tantiſque viris deſpectis, contemptoque ipſo Spiritu Sancto, proprias opiniones conſectemur, non audientes eum qui præclare dicit, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ ipſorum:* & Beatum Pau- Sap. 9. 14.
lum de quibuſdam ita loquentem: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor ipſorum.* Nos igitur cum Beato Petro ita clamemus: Rom. 1. 21.
Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Dicamus item ad illos, An juſtum ſit in conſpectu Dei, Act. 5. 24.
vos potius audire, quam Deum, judicate: Nos enim non poſſumus, quæ vidimus per Spiritum Sanctum, & audivimus, non loqui. Verum ne nobis tantum conſulere, adverſarios autem negligere videamur, age, unde morbi occaſionem arripuerint, veſtigemus, & curationem ipſis, quoad fieri poteſt, ex Sacris Scripturis depromamus. Legentes, ut arbitror, hoc Volumen, animadvertenteſque in eo unguenta, & oſcula, & femora, & ventrem, & umbilicum, & genas, & oculos, & labia, & mala, & nardum, & ſtactem, & myrrham, & his ſimilia, cum propriam Divinæ Scripturæ conſuetudinem ignorarent, noluerunt ingredi, & literæ velum tranſilire, atque intus ſpiritum intueri, ac revelata facie gloriam Domini contemplari: Sed quæ dicta ſunt, carnaliter intelligentes, in hanc blaſphemiam prolapſi ſunt. Oportebat autem eos conſiderare, hunc eſſe etiam in veteri Teſtamento Divinæ Scripturæ morem, ut multa figurate dicat, & ſub aliis vocabolis, alia ſignificet. Id ubi probavit, oſtenditque Deum cum Judæorum Gente tamquam cum Muliere colloquentem *Ezechielis* 16. 2. atque iiſdem uſum vocabulis membrorum, quibus de hac Sponſa ſcribens uſus eſt *Salomon*: Quæ tamen non carnaliter, ſed ſpiritaliter intelliguntur, in hunc modum concludit: *A Veteri igitur ad Novam Sponſam accedentes, hac ratione Canticum Canticorum interpretemur, rejectiſque falſis ac pernicioſis opinionibus, Sanctos imitemur Patres, atque unam Sponſam cum uno Sponſo colloquentem agnoſcamus; & qui ſit Sponſus, quæque ſit Sponſa, e Sanctis diſcamus Apoſtolis. Id enim docet nos & diviniſſimus Paulus, ita ſcribens:* Deſpondi enim 2. Cor. 2.
vos uni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto. *Sponſam ex multis conflatam dicit. Nam* deſpondi, *inquit, non te, ſed vos, hoc eſt, Animas pias, & in virtute perfectas.* Sponſam *enim Divina Scriptura, Eccleſiam intelligit:* Sponſum *autem Chriſtum, appellat.* Id confirmat *Theodoretus* ex *Joannis* 3. 29. & *Matthæi* 9. 15. Sponſam igitur Eccleſiam, Sponſum Chriſtum intelligendum docet. *Adoleſcentulas vero, quæ Sponſam ſequuntur, Animas rudiores, quæ Sponſæ virtutem nondum ſunt imitatæ, nec perfectionem conſecutæ. Quamobrem ſequuntur quidem Sponſum, ſed Sponſæ non appellantur. Habet præterea Textus & alios quoſdam cum Sponſo verſantes, quos ſive Angelos quiſpiam*

dixe-

dixerit, Domini mandatis obſequentes, & Sponſam exornantes: Sive Prophetas hæc multo ante prænunciantes; Sive Apoſtolos Angelico & ipſos more Domini nutibus inſervientes a veritatis ſcopo non aberrabit. Mihi vero magis placet Angelos intelligere.

Cum his Patribus ſentiunt *Venerabilis Beda* Lib. 2. in Canticum Canticorum, Cap. 1. *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Auctor Commentarii in hunc Librum venerando *Caſſiodori* nomini olim ſuppoſiti, aliique Patres & Eccleſiaſtici Interpretes. Ita inter alios *S. Bernardus* Sermone 2. in Canticum Canticorum: *Salomon divinitus inſpiratus, Chriſti & Eccleſiæ laudes, & Sacri Amoris gratiam, & æterni connubii cecinit Sacramenta: Simulque expreſſit ſanctæ deſiderium Animæ; & Epithalamii Carmen exultans in Spiritu jucundo compoſuit eloqio, figurato tamen. Nimirum velabat & ipſe inſtar Moyſi faciem ſuam non minus forſitan in hac parte fulgentem, eo quod illa adhuc in tempore nemo aut rarus erat, qui revelata facie gloriam iſtam ſpeculari ſufficeret. Igitur pro ſui excellentia reor Nuptiale hoc Carmen hujuſmodi titulo præſignatum, ut merito* CANTICA CANTICORUM *ſingulariter appelletur, ſicut is quoque qui canitur, ſingulariter eſt dictus* REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM *.... Iſtiuſmodi Canticum ſola unctio docet, ſola addiſcit experientia. Experti recognoſcant, inexperti inardeſcant deſiderio non tam recognoſcendi quam experiendi. Non eſt enim ſtrepitus oris, ſed jubilus cordis, non ſonus labiorum, ſed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum conſonantia. Non auditur foris, nec enim in publico perſonat: Sola quæ cantat audit, & cui cantatur, id eſt, Sponſa & Sponſus. Eſt quippe Nuptiale Carmen exprimens caſtos jucundoſque complexus Animorum, morum concordiam, affectuumque conſentaneam in alterutrum caritatem. Cæterum non eſt illud cantare ſeu audire Animæ puerilis & neophytæ adhuc & recens converſæ de ſæculo; ſed provectæ jam & eruditæ Mentis: Quæ ſuis nimirum profectibus, Deo promovente in tantum jam creverit, quatenus ad perfectam ætatem, & ad nubiles quodammodo pervenerit annos, dico meritorum, non temporum facta Nuptiis Cœleſtis Sponſi idonea.*

Ex hoc divino Epithalamio *Theocritus*, a quo alii Poetæ Epithalamii componendi leges didicerunt, multa in ſua *Idyllia* derivavit, præſertim in 15. & 18.

Obiiciunt iſtius Libri Impugnatores, Dei nomen in Cantico Canticorum nuſquam extare; adeoque non eſſe divinum, & Spiritu Sancto afflante conſcriptum.

Reſpondetur, Nec in Libro *Eſter*, qualem habent Hebræi, Dei nomen haberi, qui tamen Spiritus Sancti opus eſſe creditur. Libri Sacri *αὐτεντάν* non ex Dei nomine, ſed ex Dei revelantis auctoritate, & Eccleſiæ teſtimonio pendere. Sub aliis nominibus Epithalamio accommodatis Deum latere nimirum *Sponſi, Fratris, Amici, Dilecti*, quæ ad amorem exprimendum & excitandum aptiora ſunt, quam nomina Majeſtatis ac poteſtatis.

DISSERTATIO V.

DE JEROBOAMI ET X. TRIBUUM Defectione a Cultu Dei.

DEfectionis illius Hiſtoria ſcripta eſt 3. *Regum* Cap. 12. *Dixitque Jeroboam in corde ſuo: Nunc revertetur Regnum ad domum David, ſi aſcenderit Populus iſte ut faciat Sacrificia in Domo Domini in Jeruſalem; & convertetur cor Populi hujus ad Dominum ſuum Roboam Regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos Vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan; & factum eſt verbum hoc in peccatum: Ibat enim Populus ad adorandum Vitulum uſque in Dan. Et fecit fana in Excelſis, & Sacerdotes de extremis Populi, qui non erant de filiis Levi. Conſtituitque diem ſolemnem in Menſe octavo, quintadecimo die Menſis, in ſimilitudinem Solemnitatis quæ celebrabatur in Juda. Et aſcendens Altare ſimiliter fecit in Bethel, ut immolaret Vitulis quos fabricatus fuerat: Conſtituitque in Bethel Sacerdotes Excelſorum, quæ fecerat. Et aſcendit ſuper Altare quod extruxerat in Bethel, quinta-decima die Menſis octavi, quem finxerat de corde ſuo; & fecit Solemnitatem filiis Iſrael, & aſcendit ſuper Altare, ut adoleret incenſum.*

De Vitulis illis *Jeroboami* quæritur. 1. Utrum Dei veri ſymbola fuerint, in iiſque verum Deum Iſraelitæ coluerint; an vero ipſis ſtupidorum animalium figuris divinos honores detulerint? 2. Cur *Jeroboam* Vitulorum figuram præ cæteris propoſuerit? Circa primam Quæſtionem, *Moneaus* in Tractatu *De Vitulo Aureo*, contendit *Jeroboamum* Vitulos aureos ut veri Dei ſigna Iſraelitis propoſuiſſe, nec ipſum Regem, & Iſraelitas adoraſſe figuras illas ſtupidorum animalium, ſed in illis Iſraelis Deum coluiſſe. His momentis nititur: Primo, quod neque hoc auſurus fuiſſet *Jeroboam*, neque Populus adeo lubenter in ipſius ſententiam deſcendiſſet. Secundo, quod Prophetæ Iſraelis, qui *Jeroboamum* ſequebantur, Deum Iſraelis profeſſi ſint, ut ille Bethelenſis 3. *Regum* 13. & illi Prophetæ, quos *Achab* & *Joſaphat* conſuluerunt 3. *Regum* 22. Tertio, quod *Elias* notet Iſraelem *in duas* tantum, non in tres partes *claudicaſſe*: nempe in *partes Domini*, & in *partes Baalis*, nullis relictis partibus Vitulis, eorumque Sectatoribus, cum eos haud dubie in partibus Domini haberet. (3. *Regum* 18. 21.) Circa alteram Quæſtionem, idem *Moneaus* exiſtimat *Jeroboamum* Vitulos aureos effinxiſſe, & Iſraelitis propoſuiſſe ad ſimilitudinem Cherubim Tabernaculi & Templi, ut illorum deſiderium Populo adimeret. Unde & Solemnitatem Jodaicæ ſimilem ſtatuit, quod figuræ illæ ſive ſymbola ad eamdem Religionem pertinerent. Hac ratione *Jeroboamum* ab Idololatria excuſat, hæreſeos tantum & ſchiſmatis reum facit. *Grotius* in Annotationibus ad Lib. 3. *Regum* Cap. 12. ait, *Jeroboamum* Vitulos aureos in Bethel & Dan erexiſſe, quia volebat Deum coli in ea figura, quæ *Joſepho* Dei Miniſtro, unde ortus erat *Jeroboamus*, dicata olim fuerat, & quæ in Cherubinis partem faciebat præcipuam: Ut vel illo aſpecto Populus retineretur in veneratione poſteritatis *Joſephi*, faciliuſque crederet eis Regnum deberi, qui orti eſſent ab eo, cujus maxima fuerant in omnes Iſraelitas beneficia. Sic Julia domus *Æneæ* laudes per omnes Poetas cani voluit, ut eo lenius ferret Populus Imperium illud velut fatis datum. Eorum ſententiam ſequitur *Grotius*, qui *Joſephi* memoriam ab Ægyptiis in bobus cultam volunt, totamque fabulam *Apidis* & *Serapidis* ad hanc originem referunt. Qua de re *Voſſius* fuſe differit Lib. 1. *De Origine & Progreſſu Idololatriæ*. Cujus veſtigiis inſiſtit *Spencerus* Diſſertatione 5. *De Origine Arcæ & Cherubinorum*. Singulares horum Auctorum ſententias breviter refellemus, & communem Sacrorum Interpretum ſtabiliemus duplici Propoſitione.

PROPOSITIO I.

Vituli Aurei a Jeroboamo conflati & in Bethel & Dan erecti, non erant veri Dei ſymbola, ſed Idola: Nec verum Deum in illis, ſed ipſas ſtupidorum animalium figuras Jeroboamus & Iſraelitæ colebant & adorabant: Qui proinde ab Idololatria nulla ratione excuſari poſſunt.

PRopoſitionis veritas ex Scriptura Sacra perſpecta & explorata eſt. Nam eodem modo *Jeroboam* de ſuis Vitulis aureis locutus eſt 3. *Regum* 12. quo modo Iſraelitæ de Vitulo Aaronis Exodi 32. 4. *Hi ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* At figuram ipſam Vituli ex auro conflatam ab *Aarone*, non Deum in illa Iſraelitas coluiſſe, conſtat. Feciſſe enim ſibi *Deos aureos*, & *peccatum maximum*, quod utique Idololatriæ crimen eſt, commiſiſſe dicuntur, & a *S. Paulo* Idololatræ appellantur 1. ad Corinthios 10. 7. *Neque Idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit Populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Præ-

terea

teres, Popolus Vitulos adoraſſe dicitur, non Deum Iſrael in vitulis, & *Jeroboam* dicitur immolaſſe Vitulis, non vero Deo, cujus eſſent ſymbola. (3. Regum 12. 30.) *Et factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim Populus ad adorandum Vitulum uſque in Dan.* (Verſ. 32.) *Et aſcendens Altare, ſimiliter fecit in Bethel, ut immolaret Vitulis quos fabricatus fuerat.* Tertio, conſtituit *Sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi.* At ſi Deum Iſraelis in Vitulis aureis adorandum propoſuiſſet, operam dediſſet, ut ejus cultus per Miniſtros a Lege præſcriptos procuraretur, quo minus a Moſaicis Inſtitutis deſciviſſe viderentur. Quarto, *Jeroboam* dicitur feciſſe ſibi Deos alienos & conflatiles, (3. Regum 14.) *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quia exaltavi te de medio Populi, & dedi te Ducem ſuper Populum meum Iſrael; & ſcindi Regnum Domus David, & dedi illud tibi; & non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo . . . . . Sed operatus es mala ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projeciſti poſt corpus tuum: Idcirco ego inducam mala ſuper domum Jeroboam, &c.* Quinto, *Jeroboam* abjectis Dei Sacerdotibus, ſibi conſtituiſſe dicitur Sacerdotes Dæmoniorum & Vitulorum. Dæmonia igitur, non Deum verum colebat in Vitulis. (2. *Paralipomenon* Cap. 11. 13. 14. 15.) *Sacerdotes autem & Levitæ, qui erant in univerſo Iſrael, venerunt ad eum* (Roboamum ſcilicet) *de cunctis ſedibus ſuis, relinquentes ſuburbana & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Judam, & Jeruſalem: Eo quod abjeciſſet eos Jeroboam, & poſteri ejus, ne Sacerdotio Domini fungerentur. Qui conſtituit ſibi Sacerdotes Excelſorum, & Dæmoniorum, Vitulorumque quos fecerat.*

Sexto, *Abia* Rex Juda contra *Jeroboamum* pugnaturus, & ad ipſum, ac Exercitum Iſraeliticum verba faciens, ait *Jeroboamum* ipſis Vitulos aureos feciſſe in Deos; & Sacerdotes inſtituiſſe eorum qui non ſunt Dii, ſecundum morem profanarum Gentium. (2. Paralipomenon 13. 8. 9.) *Nunc ergo vos dicitis, quod reſiſtere poſſitis Regno Domini, quod poſſidet per filios David, habetiſque grandem Populi multitudinem, atque Vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in Deos. Et ejeciſtis Sacerdotes Domini filios Aaron atque Levitas; & feciſtis vobis Sacerdotes ſicut omnes Populi terrarum: Quicumque venerit, & initiaverit manum ſuam in tauro de bobus, & in arietibus ſeptem, fit Sacerdos eorum qui non ſunt Dii. Noſter autem Dominus, Deus eſt, quem non relinquimus.*

Leviſſima porro ſunt *Monæi* argumenta. Id (inquit) non auſus eſſet *Jeroboam*, Vitulos nimirum colere & Idola, nec Populus adeo lubenter in ipſius ſententiam deſcendiſſet. Hanc objectionem nemo cordatus non ridebit. Ubi enim Scriptura Sacra diſerte aliquid teſtatur, humani ingenii conjecturæ conticeſcant ac cedant neceſſe eſt. At (inquit) Prophetæ Iſraelis, qui *Jeroboamum* ſequebantur, Deum verum profitebantur. De veris Prophetis id conceſſerim, qualis fuit ille Bethelenſis, ignavus quidem & mendax, a Deo tamen afflatus & fidelis. (3. *Regum* 13. 20. 21. 26. 29. 30. 31. 32.) Sed ille Vitulos aureos *Jeroboami* non colebat, ut colligitur ex his Scripturæ Sacræ verbis: *Dixit ad filios ſuos: Cum mortuus fuero, ſepelite me in ſepulcro, in quo Vir Dei ſepultus eſt: juxta oſſa ejus ponite oſſa mea. Profecto enim veniet ſermo quem prædixit in ſermone Domini contra Altare quod eſt in Bethel, & contra omnia Fana Excelſorum, quæ ſunt in Urbibus Samariæ.* Sic *Elias*, *Eliſæus*, *Michæas*, centum illi Prophetæ, quod *Abdias* Diſpenſator Domus *Achab* abſcondit in ſpeluncis & pavit graſſante *Jezabelis* perſecutione, Prophetæ erant Domini, & Regibus Iſraelis parebant, excepto Vitulorum & aliorum Idolorum cultu, atque Ritibus omnibus ſuperſtitioſis, profanis, ſchiſmaticis, a Lege Dei alienis, quos non ſolum execrabantur, ſed palam execrandos Populo, ipſiſque Regibus prædicabant. Prophetæ illi quadringenti quos *Achab* conſuluit antequam Expeditionem adverſus Ramoth Galaad ſuſciperet. (3. *Regum* 20.) falſi erant Prophetæ, unde *Joſaphat* ipſos conſulere nolens ait ad Achab: *Non eſt hic Propheta Domini quiſpiam ut interrogemus per eum?* Illi erant de quibus ait Michæas; *Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Non mirum proinde quod Vitulos adoraverint, qui ex illorum ordine fuiſſe videntur, quos *Prophetas Baal, & Prophetas Lucorum, qui comedebant de menſa Jezabelis*, Scriptura vocat. (3. *Regum* 18. 19.)

Quamvis porro *Elias* ad Populum Iſraelis dixerit. *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: Si autem Baal, ſequimini illum:* Id non probat eos, qui Vitulos aureos colebant, partes Domini ſecutos fuiſſe, Deumque verum in illis quaſi ſymbolis coluiſſe. Sed cum *Baalis* cultus prævaluiſſet, Vitulorum cultus præ eo neglectus videbatur. Quamobrem illius hoc in loco non meminit *Elias*. Cæterum non duas tantum, ſed tres partes in Iſraele Scriptura diſtinguit, primam eorum qui ſequebantur *Baal*: alteram eorum qui genua non curvaverant ante *Baal*, ſed verum Deum colebant, ut Prophetæ, & alii de quibus Deus loquitur 3. Regum 19. *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum oſculans manus.* Tertiam eorum, qui *in peccatis Jeroboam adhærebant*, ut dicitur 3. *Regum* 3. 4. *Regum* 10. 20. 31. & alibi paſſim: Qui nimirum Vitulos aureos in Bethel & in Dan erectos colebant. De quibus Oſee 8. 4. 5. *Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi Idola, ut interirent: Projectus eſt Vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos: Uſquequo non poterunt emundari? Quia ex Iſrael & ipſe eſt: Artifex fecit illum, & non eſt Deus: quoniam in aranearum telas erit Vitulus Samariæ.* Cap. 10. 5. 8. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ . . . Et diſperdentur Excelſa Idoli, peccatum Iſrael.* Cap. 13. *Feceruntque ſibi conflatile de argento ſuo quaſi ſimilitudinem Idolorum, factura artificum totum eſt: His ipſi dicunt: Immolate homines Vitulos adorantes.* Denique totum tempus quo Iſrael Vitulis a *Jeroboamo* in Bethel & Dan erectis adhæſit, ſpectat Vaticinium illud *Azariæ* Prophetæ. 2. *Paralipomenon* Cap. 15. 3. *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque Sacerdote Doctore, & abſque Lege.* Deum itaque Iſraelis in Vitulis non colebant Reges & Populus decem Tribuum.

Confirmatur Propoſitio noſtra SS. Patrum ſuffragiis 1. S. *Hieronymi* Commentario in *Oſee* Cap. 4. *Fornicato ſunt & decem Tribus cum Idolis Jeroboam filii Nabath; & reliquerunt Dominum Deum ſuum, cuſtodienda quæ juſſerat dicens: Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſervies.* Et in Cap. 5. *Cæpit*, inquit, *Ephraim, id eſt, Jeroboam abire poſt Idola, & Deum derelinquere. Ipſe enim aureos fabricatus eſt Vitulos.* Et in Cap. 6. *Quid enim horribilius, quam decem Tribus ad Idolorum cultum repente tranſgreſſas? Unde ad Metropolim earum dicitur: Aufer Vitulum tuum Samaria, in qua primus fornicatus eſt Ephraim, id eſt, Jeroboam de Tribu Ephraim, & illo fornicante contaminatus Iſrael eſt, Populus videlicet Samariæ: Qui magna ex parte commune Iſraelis nomen obtinuit.* Idem in Cap. 7. *Multa ſæpe Iſrael Idololatria accepit vulnera, & maxime illud, quando in eremo Vitulo conflaverunt caput, atque dixerunt:* Iſti ſunt Dii tui, Iſrael qui te eduxerunt de Terra Ægypti. *Et cum omni arte tractarem ut miſerabilis Populus curaretur, ſubito extitit Jeroboam de Tribu Ephraim, qui Vitulos aureos fecerit; & malitia Samariæ revelata eſt, ſequentis Regem impium: Operati ſunt enim & Rex & Populus mendacium, hoc eſt, Idolum. Sicut enim contrarium eſt ſimulacrum Deo, ita mendacium veritati.* Ibidem iſtud comma explicans: *Quievit paululum Civitas a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum, Dies Regis noſtri, &c.* hæc habet: *Paululum Iſrael & Samariæ Civitas conquievit recepto in ſe erroris ardore, donec tota maſſa fermento ſimilis fieret, & creſceret, atque erumperet: At Populus intumeſcens clamaret ad fores Jeroboam Regis, & diceret: Hic eſt dies Jeroboam Regis noſtri . . . . Hunc celebramus, hunc colimus: In hoc exultamus, & ludimus; in hoc Vitulos aureos adoramus . . . . Cum Rex cerneret clamare Populum, & dicere: Dies iſte Regis noſtri eſt; & Principes quaſi temulentos & fanaticos neſcire quid dice-*

dicerent; extendit manum ſuam illuſoribus, copulavit affectum his qui ei vanis laudibus illudebant. Qui illuſores, cum inſidiaretur eis Rex ſuus, & eos a Deo ſuo abduceret, præbuerunt ei quaſi clibanum cor ſuum, ut eos ſuccenderet, & Idololatriæ flammis ardere faceret ..... Quid plura? Omnes quaſi clibanus Idololatriæ igne calefacti ſunt, & devorarunt Judices ſuos, ut qui bonus eſſe potuerat per naturam, & Religionis Domini recordari, videns & principes & Populum Vitulis ſubditos, & illos putare Deos, etiam ipſe a ſcelere devoraretur. Denique omnes Reges ceciderunt Iſrael & ambulaverunt in viis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Iſrael; & nullus inventus eſt qui deſertis Idolis reverteretur ad Deum. Et infra, ad illa verba: *Væ eis quoniam receſſerunt a me*, hæc habet: *Vaſtabuntur igitur & miſeri erunt, & ſemper timentes ac formidantes: Quia prævaricati ſunt in Deum, adorantes Vitulos aureos, relinquentes Eum qui redemit eos de Ægyptia ſervitute, & eduxit in excelſo brachio: Ipſi vero locuti ſunt contra Dominum mendacia, dicentes de Idolis*: Hi ſunt Dii tui, Iſrael, qui eduxerunt te de Terra Ægypti: *& non clamaverunt ad Dominum in corde ſuo, ſed in Idololatriæ fornicationibus volutabantur.* Et in Cap. 8. *Avancurum celis recte Samaria Vitulus comparatur: Quem eo tempore, pro pretii magnitudine, quia aureus erat, Populus adorabat. Hoc quod ſupra dixerat:* Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi Idola, ut interirent: *Nunc exponit manifeſtius:* Projectus eſt vitulus tuus, Samaria: Iratus eſt furor meus in eos: *Vel in Vitulos, quia duos fecerant, vel in Samariæ Habitatores, qui eos adorabant.* In Cap. 10. *In Bethaven, id eſt Bethel, vaccas aureas coluerunt habitatores Samariæ: Quas cum irriſione non vitulos ſexus maſculini, ſed vaccas, id eſt feminas appellavit: Ut videlicet Iſrael non ſolum Deos vitulos, ſed Deas vaccas coleret. Et ut oſtenderet vaccas Bethaven unum in Bethel Vitulum ſentiendum, non intulit: Luxit ſuper eis Populus, ſed* ſuper eo, *id eſt, Vitulo aureo.*

S. Auguſtini Libro 17. *De Civitate Dei*, Cap. 22. *Rex*, inquit, *Iſrael Jeroboam mente perverſa non credens Deo, quem veracem promiſſo ſibi regno dataque probaverat, timuit ne veniendo ad Templum Dei, quod erat in Jeruſalem, quo ſecundum divinam Legem ſacrificandi cauſſa univerſæ illi Genti veniendum fuit, ſeduceretur ab eo Populus; & ſtirpi David tanquam Regio ſemini redderetur; & inſtituit Idololatriam in Regno ſuo, & Populum Dei ſecum ſimulacrorum cultu obſtrictum nefanda impietate decepit.*

Theodoreti, Quæſtione 42. *in* 3. *Regum*, ubi cum præmiſiſſet, *Jeroboamum* duas juvencas aureas in finibus Regni poſuiſſe, ne ad illas confluentes Iſraelitæ Hieroſolymam Judaici Regni Metropolim non irent, ſubdit: *Expulit autem & Sacerdotes, & Levitas, qui in decem Tribubus habitabant; & juvencorum Sacerdotes plebejos quoſlibet elegit. Quod quidem ſolum fecit convenienter rationi.* Non *oportebat enim Dei Sacerdotes, Deos qui non ſunt, colere.*

PROPOSITIO II.

Jeroboam Vitulos Aureos non effinxit, nec Iſraelitis propoſuit in ſimilitudinem Cherubim Tabernaculi vel Templi: Neque in Joſephi Patriarchæ memoriam: Sed ad imitationem Ægyptiacæ Superſtitionis.

PRobatur prima pars: Si enim *Jeroboam* Vitulis ſuis conflatilibus patriam Religionem imitari voluit, cur ſicut Pſeudo Cherubim aſſumebat, non ita Arcam, non Propitiatorium, Dei Sedem, ubi potiſſimum Dei Majeſtas fundendis oraculis effulgebat? Cur non Tabernaculum, aut certe Templum aliquod, Hieroſolymitani inſtar erigebat? Deinde, ſi Vituli illi erant ad imitationem Cherubim expreſſi, cur eos ſacro & multo plauſibiliori, atque in Religione & Scripturis uſitatiſſimo Cherubim nomine non appellabat? Id enim nomen ad fucum Populo faciendum aptius videbatur. Cur ex *Aaronis* familia Sacerdotes non eligebat, aut cur eos e Regno ſuo ablegabat? & nomen dignitatemque Sacerdotii infimo cuique tribuebat? Cur ſi Vituli Cherub ſacri erant, tot locis in Scriptura Sacra Dii alieni vocantur? Cur eos coluit, adoravit, iiſque Sacrificia obtulit, cum in Lege veteri nemo unquam audiverit ulla Cherubinis Tabernaculi Moſaici vel Templi Salomonici Sacrificia offerri conſueviſſe; vel propoſitos fuiſſe ut adorationis objectum? Unde *Tertullianus Libro* 2. *Adverſus Marcionem*, Cap. 22. *Sic & Cherubim & Seraphim aurea in Arca figuratum exemplum, certe ſimplex ornamentum, accommodata ſuggeſtui, longe diverſas habendo cauſas ab Idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum Legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprehenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur.* Præterea Cherubim, Tabernaculi, & Templi non erant figuræ Vitulorum, ſed multiformia ſimulacra, in quibus forma hominis eminebat, *ut* oſtenſum eſt Diſſertatione 3. in 4. Mundi Ætatem, Articulo 3. §. 3. Num. 11. Non eſt ergo veriſimile *Jeroboam* Vitulos Aureos conflaſſe & propoſuiſſe Iſraelitis ad ſimilitudinem Cherubim Templi.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis: Qui enim *Jeroboamum* in *Joſephi* memoriam Vitulos aureos conflaſſe aſſerunt, ea nituntur conjectura, quod *Joſephum* ſub bovis ſymbolo coluerint Ægyptii, & ſub *Serapidis* nomine. At id non ſolum incertum, ſed minus veriſimile eſt. Primo, quia *Joſephi* memoria apud Ægyptios brevi intercidit. Mox enim, ut *Exodi* 1. 8. dicitur: *Surrexit Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph*, quique nulla ejus, nec poſterorum habita ratione, graviſſimam in eos tyrannidem exercuit. Secundo, quia valde incertum eſt an *Serapidis* cultus apud Ægyptios tam antiquæ ſit originis. Recentiorem eſſe probat *Herodoti* ſilentium; qui de Diis Ægyptiorum cum fuſe ſcripſerit, ne *Serapidem* quidem nominat: Neque Ægyptiaci iſtius Numinis Scriptores alii ante *Alexandri Magni* tempora meminerunt. Et plerique ex Ponto in Ægyptum advectum ſcribunt *Ptolemæo Lago* regnante, idque colligunt ex *Tacito* Libro 4. Hiſtoriarum, & *ex Clemente Alexandrino* in Protreptico. *Serapidem* in locis circa Pontum jam olim notum fuiſſe, conſtat ex *Polybio*, *Serapidis* fanum in ora Propontidis deſcribente, Lib. 4. Hiſtoriæ. At *Serapidis* in Ægypto nulla mentio, antequam ex Urbe Pontica Synope adveheretur. Contrarium quidem ex *Tacito* ſe eruere putant *Voſſius* & *Spencerus*, qui ſcripſerit: *Templum pro magnitudine Urbis extructum loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic Sacellum Serapidi, atque Iſidi antiquitus ſacratum.* Ex quibus hujus Numinis in Ægypto vetuſtas videtur aperte adſtrui. Sed pugnantia ſcripſiſſe *Tacitum* obſervat *Bochartus*. Narraverat enim *Tacitus* paulo ante, *Ptolemæum*, cum Alexandriæ recens conditæ Templa & Religiones adderet, per ſomnium fuiſſe monitum, ut fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis, ejus effigiem inde advehi curaret: viſumque ſuum Sacerdotibus Ægyptiis aperuiſſe. Quos cum Ponti reperiſſet, & rerum externarum parum gnaros, *Timotheum Athenienſem*, e gente Eumolpidarum, quænam illa ſuperſtitio, quod numen eſſet, interrogaſſe. Neque ipſi *Timotheo* id aliter fuiſſe compertum, quam per eos qui in Pontum meaſſent. Tum Legatos & munera Sinopenſium Regi *Scydrothemidi* miſiſſe *Ptolemæum*. Quo cunctante multis de cauſis, rem tandem exacto triennio ægre fuiſſe confectam; cujus Hiſtoriæ veritas tota concidit, ſi Sacellum jam antiquitus habuerit *Serapis* in eo ipſo Alexandriæ loco, in quo templum poſtea conditum. Neque enim Ægyptii ignoraſſent, *Serapis* quale ſit Numen; Neque opus habuiſſent, exteros ea de re conſulere, aut illius ex Ponto effigiem tanto molimine accerſere; Neque eo facto Rex *Ptolemæus* novas Alexandriæ Religiones addidiſſet. Præterea, bos *Apidis* quidem ſymbolum fuit, *non* autem *Serapidis*, ſi *Macrobium* audiamus, qui *Serapidis* imaginem ita deſcribit Lib. 1. *Saturnalium*, Cap. 21. *Simulacro ſignum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo, capite Leonis effigiem. Dextera parte caput canis exoritur, manſueta ſpecie blandientis: Pars vero læva cervicis rapacis lupi capite finitur: Eaſque formas animalium draco connectit volumi-*

 lumi-

lumine ſuo , capite reſonante ad Dei dexteram , quo conſpicitur monſtrum . Minus ergo veriſimile eſt quod *Joſephus* Patriarcha ſub nomine *Serapidis* , ac bovis ſymbolo cultus ab Ægyptiis fuerit ; aut etiam ſub nomine *Apidis* . Ac proinde nullius eſt momenti conjectura , quæ hac hypotheſi nititur, Eruditorum Virorum , qui *Jeroboamum* Vitulos aureos in *Joſephi* memoriam erexiſſe & propoſuiſſe volunt . Adde , nullum eſſe in Scriptura Sacra vel apud SS. Patres locum , quo probetur erectos fuiſſe a *Jeroboamo* Vitulos aureos ut monumenta politicæ dignitatis *in Tribu Joſephi* ; Sed plurima eſſe eaque expreſſa , quibus probatur ipſos erectos fuiſſe ut Religionis objecta , & ut Deos adoratione & Sacrificiis proſequendos .

Probatur tertia pars : Eadem fuiſſe videtur origo Vitulorum aureorum *Jeroboami* , ac Vituli Aaronis : Atqui Vitulus *Aaronis* ad imitationem Ægyptiacæ Superſtitionis conflatus , & Populo Judaico propoſitus ad cultum eſt : Idem igitur eſto judicium de *Jeroboami* Vitulis .

Major inde probabilis efficitur , quod de ſuis Vitulis iiſdem verbis locutus ſit Jeroboam 3. *Regum* 12. 28. quibus Iſraelitæ de Vitulo *Aaronis* , Exodi 32. 4. *Hi ſunt Dii tui , Iſrael , qui eduxerunt te Terra Ægypti* . Minor vero conſtat ex *S. Stephano* Actuum 7. 39. 40. *Averſi ſunt* , inquit , *cordibus ſuis in Ægyptum , dicentes Aaroni , Fac nobis Deos qui præeant nobis* .

Id confirmatur ex *S. Hieronymo* Commentario in Cap. *Oſee* Prophetæ . *Mater , inquit* , vocatur Populi „ frequentia , & omnis turba Nationis Hebrææ , ad quam loquitur : Filii autem vel ſinguli ex Populo, vel per oppida villaſque diſperſi . . . . Ipſa Dei repulit Legem , & ideo Sacerdotium perdidit in æternum , colens Vitulos aureos in Dan & Bethel; & quia oblita eſt Legis Dei , & penitus Ægyptiis ſe Idolis mancipavit , idcirco & Dominus obliviſcetur filiorum ejus , tradens eos æternæ captivitati . *Et infra* : Eſt autem Bethel , quæ prius vocabatur Domus Dei : At poſtquam Vituli in ea poſiti ſunt , appellata eſt Bethaven , id eſt , Domus inutilis , & Domus Idoli : quod nos , ut in Hebræo legitur , expreſſimus . Videtur autem mihi idcirco & Populus Iſrael in ſolitudine feciſſe ſibi caput Vituli , quod coleret , & Jeroboam filius Nabath Vitulos aureos fabricatus : Ut quod in Ægypto didicerant , A" πιν καί Μνευιν qui ſub figura boum coluntur , eſſe Deos , hoc in ſua ſuperſtitione ſervarent . *Et in Cap.* 7. Unde Principes eorum qui infelicem Populum deceperunt , cadent gladio propter furorem linguæ ſuæ , quod Vitulos aureos Deos appellare ſunt auſi : Ut hoc facerent in Terra repromiſſionis , quod in Ægypto didicerant, colentes Apim Ægyptium , & omnia eorum portenta venerantes : Ita enim & in ſolitudine , quando egreſſi ſunt de Ægypto , Dominum ſubſannaverunt , dicentes ; Ipſi ſunt Dii tui , Iſrael . Et in *Cap.* 8. *illa verba* : Projectus eſt Vitulus tuus , Samaria , iratus eſt furor meus in eos . . . . . Quia ex Iſrael & ipſe eſt : Artifex fecit illum , & non eſt Deus ; *hoc illuſtrat Commentario* : Et quia dixerat , *Projice Vitulum tuum Samaria* : Exponit quis ſit iſte Vitulus : Quia ex Iſrael & ipſe eſt : Non ab aliis , ait , vitulum Gentibus accepiſtis , ut Baal & Aſtaroth a Sidoniis , ut Chamos a Moabitis , ut Moloch ab Ammonitis : Sed vos ipſi , & Rex veſter Jeroboam , quod in Ægypto didiceratis , feciſtis in Iſrael . *Et infra* : Ideo autem & veterum iniquitatum recordabitur, & peccata priſtina viſitabit : Quia in Ægypto ſunt univerſi , vel auxilia poſtulantes , vel eoſdem colentes Deos , in quibus prius erraverunt , A" πιν & Μνευιν .

DISSERTATIO VI.

DE ELIA PROPHETA.

Quomodo Chriſti Domini typus fuerit ? Et an ejuſdem ad judicandos Vivos & Mortuos Venturi Præcurſor futurus ſit ?

I. INſignem Chriſti typum in *Elia Thesbyte* Propheta Iſraelitico Populo Deus exhibuit . Utriuſque parallelum inſtituit *S. Cæſarius Arelatenſis* , Sermone *De Elia* , olim inter Auguſtinianos *De Tempore* ducenteſimo primo , nunc 41. in Appendice . *Beatus* „ *Elias , inquit* , typum habuit Domini Salvatoris . Sicut enim Elias a Judæis perſecutionem paſſus eſt : Ita & verus Elias Dominus noſter ab ipſis Judæis reprobatus eſt . & contemptus . Elias reliquit Gentem ſuam : Chriſtus deſeruit Synagogam . Elias abiit in Deſertum : Chriſtus venit in Mundum . Elias in Deſerto corvis miniſtrantibus paſcebatur : Chriſtus in Deſerto Mundi hujus Gentium fide reficitur . Corvi enim illi qui Beato Eliæ jubente Domino miniſtrabant , Gentium Populum figurabant . Propterea & de Gentium Eccleſia dicitur , *Nigra ſum & formoſa* . . . . Vere Eccleſia Gentium corvis ſimilis erat , quando viventem Dominum contemnebat ; & ante acceptam gratiam , velut morticinis cadaveribus , Idolis miniſtrabat . . . . Venit Elias ad Viduam ; quia Chriſtus venturus erat ad Eccleſiam . *Illa* exierat ut aqua ſe lavaret , & ligna colligeret . . . . In ligno Crucis Myſterium ; in aqua oſtenditur Baptiſmatis Sacramentum . . . . Ideo duo ligna colligebat , quia in typo Eliæ Chriſtum excipiebat . Duo ligna volebat colligere , quia Crucis Myſterium deſiderabat agnoſcere . Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata eſt . Ideo duo ligna colligebat Vidua illa , quia in illum qui in duobus lignis pependit , creditura erat Eccleſia . Dixit ergo Vidua illa : *Collige duo ligna , ut faciam cibum mihi , & filio meo : & manducabimus , & moriemur* . . . . Nemo in Chriſtum crucifixum credere merebitur , niſi huic ſæculo moriatur . Nam quicumque Corpus Chriſti digne manducare voluerit , neceſſe eſt ut moriatur præteritis , & vivat futuris . . . . Filius Viduæ defunctus jacebat , quia & filius Eccleſiæ , id eſt , Populus Gentium multis peccatis , & criminibus mortuus eſt . Orante Elia filius Viduæ ſuſcitatur : Veniente Chriſto filius Eccleſiæ , id eſt , Populus Chriſtianus , de carcere mortis reducitur . Elias inclinatur in oratione , & vivificatur Viduæ filius : Chriſtus procumbit in Paſſione , & ſuſcitatur Populus Chriſtianus . Quod tribus vicibus Elias inclinatur , Myſterium Trinitatis oſtenditur . Viduæ enim filium , id eſt , Populum Gentium , nec ſolus Pater ſine Filio , nec Pater & Filius ſine Spiritu Sancto , ſed tota Trinitas ſuſcitavit . Denique hoc etiam in Sacramento Baptiſmatis demonſtratur , dum tertia vice vetus homo mergitur , ut novus ſurgere mereatur . . . . Elias oravit , & Sacrificium obtulit : Chriſtus pro univerſo Mundo ſe ipſum immaculatum Sacrificium tradidit . Elias oravit in Monte Carmeli : Chriſtus in Monte Oliveti . Elias oravit ut pluvia in terram veniret : Chriſtus ut in cordibus humanis gratia divina deſcenderet . Quod autem dixit Elias ad puerum ſuum , *Vade , & conſidera ſeptiès* : Septiformem Sancti Spiritus gratiam , quæ danda erat Eccleſiæ , deſignabat . Et quia ipſe dixit ſe vidiſſe nubeculam parvulam aſcendentem de Mari , carnem Chriſti figurabat , quæ in Mari Mundi iſtius naſcitura erat . Quamobrem , ne forte aliquis dubitet ; nubem illam veſtigium hominis habuiſſe , dixit : Illius utique hominis qui dixit , Quem dicunt eſſe homines Filium Hominis ? Sicut ergo orante Elia , poſt tres annos & ſex menſes pluvia de cœlo deſcendit : Ita & in Adventu Salvatoris tribus annis & ſex menſibus , quibus prædicare dignatus eſt ,

„ plu-

„ plovia verbi Dei totum Mundum feliciter irriga-
„ vit. Et ſicut tunc in adventu Eliæ omnes Sacer-
„ dotes Idolorum interfecti ſunt & deleti: Ita &
„ in adventu veri Eliæ, id eſt, Domini noſtri Je-
„ ſu Chriſti, obſervatio ſacrilega Paganorum deſtru-
„ cta eſt . . . Denique ſicut Dominus, poſtea quam
„ multas virtutes exercuit, poſtea quam paſſus eſt,
„ reſurrexit & aſcendit in cœlum: Ita & Elias poſt
„ mirabilia quæ per eum Deus fecit, igneo curru
„ elevatur ad cœlum. Elias in raptu pallium *Eliſæo* diſcipulo demiſit, duplicisque ſpiritus ſui reliquit heredem: Chriſtus in cœlum aſcendens, dona dedit hominibus, & poſt Aſcenſionem Spiritum Sanctum ad illos miſit, ac virtute ex alto induit. De priori Diſſertationis parte hæc ſufficiant. De poſteriori nunc diſſerendum.

PROPOSITIO UNICA.

Elias cum Enocho Præcurſor Chriſti ad Judicium venturi futurus eſt.

PRopoſitionis hujus veritas *Malachiæ* Prophetæ probatur Oraculo, Cap. 4. 5. Deum ita loquentem inducentis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* De *Joanne Baptiſta*, qui venit *in Virtute & Spiritu Eliæ*, Præcurſor primi Adventus Chriſti, locum illum perperam explicant Catholici quidam Interpretes, & plures ex Proteſtantium grege. Secundum enim Chriſti Adventum ad Judicium manifeſte deſignant illa verba, *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Item illa, *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*; quæ primo Chriſti Adventui non conveniunt; uti nec primum illud comma ejuſdem Capitis: *Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus Exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* De Elia etiam ipſo, non de *Joanne* hunc locum eſſe intelligendum confirmant 70. Interpretes, quorum Verſio ſic habet: *Et ecce ego mittam vobis Eliam Theſbitem, antequam veniat dies Domini magna & illuſtris.* Cui conſentit Arabica. De ultimo etiam Judicio locum hunc intellexerunt Chaldæus Paraphraſtes, & Syrus Interpres; adeoque & *Elia* nomine Theſbytem Prophetam, non *Joannem Baptiſtam* Chriſti in primo Adventu Præcurſorem. Ita Chaldaica Paraphraſis: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, ante adventum diei qui venturus eſt a conſpectu Domini, magnus & terribilis.* Ita Syriaca Verſio: *Ecce miſſurus ſum vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & formidandus.*

Confirmatur ſecundo, ex *Eccleſiaſtici* Cap. 48. ubi Sirachides *Eliam* Prophetam commendans his eum verbis inter alia compellat: *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in Judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere Tribus Jacob.* Quæ de *Joanne Baptiſta* nemo cordatus intellexerit.

Confirmatur tertio, ex Oraculo Chriſti *Matth.* 17. 10. duplicem Adventum ſuum, & utriuſque Anteambulones diſtinguentis, *Joannem* qui myſticus eſt Elias primi; verum *Eliam Theſbitem*, Prophetam, ſecundi Adventus Præcurſorem. *Et interrogaverunt eum Diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*

Ita *Malachiæ* Vaticinium interpretati ſunt non Hebræorum tantum Magiſtri, ſed Eccleſiæ Patres. *S. Juſtinus Martyr* Dialogo cum *Tryphone Judæo*, p. 268. Judæum ubi illum ſic loquentem inducit: *Omnes nos Chriſtum hominem ex hominibus naſciturum, & qui illum ungat, Eliam venturum præſtolamur. Quod ſi hic appareat Chriſtus eſſe, hominem ex hominibus genitum eſſe omnino ſcire oportet. Ex eo autem quod Elias non venerit, neque hunc Chriſtum eſſe cenſeo.* Tum *S. Juſtinus* Tryphonem hunc in modum interrogat: *Annon Eliam Verbum per Malachiam adventurum eſſe dicit, ante magnam & terribilem illam Domini diem?* Reſpondet Trypho: *Maxime.* Tum S. Juſtinus: *Si ergo ratio cogat fateri, duos futuros Chriſti Adventus Prophetarum reſponſis prædictum eſſe: alterum cum paſſioni ſubditus, & inhonoratus, & informis apparebit; alterum cum glorioſus & Judex omnium adveniet: Annon terribilis & magni illius diei, hoc eſt, ſecundi Adventus ejus Eliam Præcurſorem fore, Verbum Dei prænuntiaſſe intelligemus? Maxime*, reſpondet Trypho. Tum Juſtinus: *Dominus ſane noſter hoc ipſum in doctrinis quoque ſuis futurum tradidit, cum dixit etiam Eliam venturum. Atque nos id fore ſcimus, cum cœlitus in gloria adveniet Dominus Jeſus Chriſtus: Cujus etiam prioris Apparitionis præco præceſſit, qui in Elia fuerat Spiritus, in Joanne generis veſtri Propheta, poſtquam nullus alius apud vos Propheta apparuit.*

Tertullianus Libro *De Anima*, Cap. 35. *Elias autem non ex deceſſione vitæ, ſed ex tranſlatione venturus eſt; nec corpori reſtituendus, de quo non eſt exemptus; ſed Mundo reddendus, de quo eſt tranſlatus: non ex poſtliminio vitæ, ſed ex ſupplemento prophetiæ; idem & ipſe, & ſui nominis, & ſui hominis.* Et Cap. 50. *Tranſlatus eſt Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.*

S. Hippolytus Martyr Oratione de Antichriſto: *Prior Chriſti Adventus Præcurſorem habuit Joannem Baptiſtam: Poſterior vero quo venturus eſt in gloria, Enoch & Eliam exhibebit, ad denunciandum per univerſum Mundum adventum Antichriſti, hoc eſt, mille ducentos ſexaginta dies, amictos ſaccis: Facientque ſigna & prodigia, ut vel hac ratione flectant & convertant homines ad pœnitentiam. Quod ſi quis velit eis nocere, ignis egredietur ex ore ipſorum, & devorabit hoſtes eorum. Hi poteſtatem habent claudendi cœlum, ne pluat diebus adventus Antichriſti; & aquas convertendi in ſanguinem, ac percutiendi terram omni plaga quotieſcumque voluerint. Cumque prædicaverint hæc omnia, occumbent gladio, interfecti a Diabolo.* De *Enoch* & *Elia* interpretatur Oraculum illud Apocalypſis 11. *Et Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus: & dabo duobus Teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, induti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, ne pluat diebus Prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint. Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt. Et videbunt de Tribubus, & Populis & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos qui habitabant ſuper terram. Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cœlum in nube: & viderunt illos inimici eorum.* Quo Oraculo *Enochi* & *Eliæ* adventus temporibus Antichriſti, eorumque Prædicatio, Miracula, Martyrium, anticipata Reſurrectio, & Aſſumptio in cœlum non obſcure prædicuntur.

S. Joannes Chryſoſtomus Homilia 78. in Matthæum. *Divina* (inquit) *Scripturæ duos Adventus Chriſti teſtantur, quorum alter jam factus eſt, alter vero futurus eſt . . . . Sed Propheta quoque utriuſque mentionem facit: & ſecundi, ſui Præcurſorem Eliam aſ-*

Digitized by Google

ſerunt futurum: Primi enim Joannes fuit Præcurſor, quem etiam Eliam Chriſtus appellabat, non quia Elias eſſet, ſed quoniam miniſterium Eliæ faciebat: Nam ſicut ille ſecundi Adventus Præcurſor erit, ſic primi fuit Joannes. Sed Scribæ iſta confundentes, & Populum pervertentes, ſecundi Adventus ſolummodo recor„ dabantur, & dicebant ad plebem: Si Chriſtus hic „ eſſet, Elias veniſſet. Quapropter Diſcipuli quoque „ dicunt: Quare igitur Scribæ Eliam oportere pri„ us venire aſſerunt? Hac de cauſa Phariſæi miſe„ runt ad Joannem, ac interrogabant, Elias es tu? Nullam prioris Adventus mentionem facientes. Quam ſolutionem attulit Chriſtus, quia ſcilicet Elias quidem tunc veniet, ſcilicet ante ſecundum meum Adventum: & nunc jam Elias venit, ipſum Joannem ita vocans. Si vero Thesbitem quæritis, veniet. Ideo di„ cebat: Elias quidem veniet, & reſtituet omnia. Quænam omnia? Quæcumque Malachias Propheta dice„ bat. Mittam enim vobis Eliam Thesbitem, ait, qui „ reſtituet cor patris ad filium, ne veniens percu„ tiam terram penitus. Vides exactam diligentiam Propheticæ prædicationis. Nam quoniam propter Miniſterii ſimilitudinem Joannes quoque poterat Elias nominari, ne confuſio fiat, patriam adſcripſit, Eliam Thesbitem appellans. Joannes enim non erat Thesbites. Aliud etiam ſignum addit, dicens: Ne percutiam terram penitus: Secundum utique terribilem illum adventum, ſignificans: Non enim ad feriendam terram primo venit. Non veni, ait, ut Mundum judicem, ſed ut ſalvem. Quod dixit, ut expreſſe ſignificaret, ante illum Adventum, quo Judicium exercetur, Thesbitem eſſe venturum. Cauſam quoque cur venturus ſit docuit. Quænam vero cauſa eſt? Ut Judæis credere in Chriſtum perſuadeat, ne omnes illo adveniente penitus perdantur: Quam rem ipſe in memoriam reducens, inquit: Et reſtituet omnia, incredulitatem videlicet Judæorum, qui tunc erunt reſidui, ad fidem convertet. Exquiſitiſſime autem dictum eſt, Qui reſtituet cor patris ad filium. Judæorum enim filii Apoſtoli erant, ad quorum dogmata patrum, id eſt Judæorum generis mentem convertet.

Secundum Verſionem 70. Interpretum.

S. Ambroſius Lib. 1. Commentar. in Evang. S. Lucæ, ubi Eliam cum S. Joanne Baptiſta comparat: In deſerto Elias (inquit) in deſerto Joannes: Ille corvis paſcebatur, hic dumis, & calcata omni voluptatis illecebra, parcimoniam prætulit, luxumque contempſit: ille Achab Regis gratiam non quæſivit, hic ſprevit Herodis: ille Jordanem diviſit, hic ad lavacrum ſalutare convertit: Hic cum Domino verſatur in terris: Ille cum Domino apparet in gloria: Hic prioris, ille ſequentis Domini Præcurſor Adventus. Et in Pſalmum 45. Nam & beſtia illa Antichriſtus ex Abyſſo aſcendit, ut adverſus Eliam atque Enoch, qui propter teſtimonium Domini Jeſu terris ſunt redditi, prælietur, ut legimus in Joannis Apocalypſi. Eidem ſententiæ ſuffragatur Hilarius Diaconus in Commentar. Epiſt. 1. ad Corinthios, ad Cap. 4. inter S. Ambroſii Opera.

S. Hieronymus in Cap. 10. S. Matthæi. Sunt qui propterea Joannem Eliam vocari putant, quod quomodo in ſecundo Salvatoris Adventu juxta Malachiam præceſſurus eſt Elias, & venturum Judicem nunciaturus: ſic Joannes in primo Adventu fecerit, & uterque ſit Nuncius vel primi Adventus Domini, vel ſecundi. Et in Cap. 17. Traditio Phariſæorum eſt, juxta Malachiam Prophetam, qui eſt noviſſimus in duodecim, quod Elias veniat ante Adventum Salvatoris, & reducat cor patrum ad filios, & filiorum ad patres, & reſtituat omnia in antiquum ſtatum. Mox Chriſti Verba, Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia, in hunc ſenſum exponit: Ipſe qui venturus eſt in ſecundo Salvatoris Adventu juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in virtute & ſpiritu.

S. Auguſtinus Libro. 20. De Civitate Dei, Cap. 29. Oraculum Malachiæ expendens, hæc habet: Cum autem admonuiſſet, ut meminiſſent Legis Moyſi: Quoniam prævidebat multo adhuc tempore, non eam ſpiritualiter, ſicut oportuerat, accepturos, continuo ſub„ jecit: Et ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem,
Malac. 4. „ antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris, „ qui convertet cor patris ad filium, & cor ho„ minis ad proximum ſuum, ne forte veniens per„ cutiam terram penitus. Per hunc Eliam magnum mirabilemque Prophetam expoſita ſibi Lege, ultimo tempore ante Judicium, Judæos in Chriſtum verum, id eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſt in ſermonibus cordibuſque Fidelium. Ipſe quippe ante Adventum Judicis Salvatoris non immerito ſperatur eſſe venturus: Quia etiam nunc vivere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus eſt de rebus humanis, quod evidentiſſime Sancta Scriptura teſtatur. Cum venerit ergo, exponendo Legem ſpiritua„ liter, quam nunc Judæi carnaliter ſapiunt, con„ vertet cor patris ad filios, id eſt, cor patrum 4. Reg. 2. 11.
ad filios: Singularem quippe pro numero plurali, Interpretes Septuaginta poſuerunt. Et eſt ſenſus, Ut etiam filii ſic intelligant Legem, id eſt Judæi, quemadmodum Patres eam intellexerunt, id eſt Prophetæ, in quibus erat & ipſe Moyſes.

S. Cyrillus Alexandrinus Commentario in Malachiam Cap. 4. Argumentum manſuetudinis & tolerantiæ Dei, quod Elias Thesbites quoque nobis prius olim affulſurus eſt, qui omnibus mortalibus affuturum Judicem prænuntiet..... Quoniam autem multis peccatis obſtricti ſumus, utiliter præcedit divinus Propheta, homines per terras in concordiam reducens, ut omnes in unitatem fidei congregati, & a perverſorum operum ſtudio quieſcentes, quod bonum eſt efficere velint, atque ita veniente Judice ſalventur. Prius igitur venit Beatus Baptiſta Joannes in ſpiritu & virtute Eliæ. Sed „ quemadmodum ipſe prædicabat, Parate viam Domini, „ rectas facite ſemitas Dei noſtri: Ita & divinus Elias vicinum jam tunc prædicabit, & jam jam affuturum, ut judicet orbem in juſtitia.

Theodoretus Commentario in Malachiam Cap. 4. de Judæis loquens ait: Deinde cum ſciret eos neque Legi obtemperaturos, neque Eum in Mundum venientem recepturos eſſe, ſed in crucem acturos, inexplicabili miſericordia utens, Eliam rurſus illis ſe miſſurum pol„ licetur Præconem ſalutis, & ait: Ecce Ego mit„ to vobis Eliam Thesbitem. Tum indicans tempus, „ adjecit: Antequam veniat dies Domini magnus & „ illuſtris. Diem ſecundi Adventus dixit, & ea do„ cet qua magnus Elias facturus ſit, cum venerit. Qui „ convertet cor patris ad filium, & cor homi„ nis ad proximum ſuum. Et ut indicet quo ſit E„ lias prior venerit, adjecit: Ne forte veniens per„ cutiam terram penitus. Ne enim (inquit) vos omnes in infidelitate deprehenſos in perpetua ſupplicia cogam, prius veniet Elias, & meum Adventum vos edocebit, & vobis, o Judæi, inducet in animum, ut ſine dubitatione cum Gentium Fidelibus conjugamini, & in unam redigamini meam Eccleſiam. Patres autem vocat Judæos, quod priores vocati fuerint: Filios vero Gentes, quod poſt eos ſalvi facti ſunt. Quoniam ergo nos hoc tempore Judæos adhortamur ad pietatem, illi contra nunquam noſtris monitis obtemperant, ſa„ lutem noſtram æmulantes, merito dixit, Eliam pa„ tris cor ad filium converſurum. Hos enim adducet ut noſtram communionem amplectantur. Et in Cap. 12. Danielis: Præmiſſo Malachiæ Oraculo, ait: Docet nos, quemadmodum Antichriſto illa audente, apparebit magnus Elias, Judæis Domini prædicans adventum, & multos convertet.

S. Gregorius Magnus Homilia 7. in Evangelia. Ad „ Zachariam (inquit) de Joanne Angelus: Ipſe præ„ cedet ante illum in ſpiritu & Virtute, Eliæ. Qui idcirco venturus in ſpiritu & virtute Eliæ dicitur: Quia ſicut Elias ſecundum Domini Adventum præveniet, ita Joannes prævenit primum. Sicut ille Præcurſor venturus eſt Judicis, ita iſte Præcurſor eſt factus Redemptoris.

Propoſitionem noſtram calculis quoque ſuis confirmant S. Ephrem Syrus Sermone De Antichriſto, S. Proſper, ſeu Alius Auctor Libri qui inſcribitur, Dimidium Temporis, Cap. 13. 15. 16. inter illius Opera editi, S. Joannes Damaſcenus Lib. 4. De Fide Orthodoxa, Cap. 27. Alcuinus Lib. 3. De Trinitate, Cap. 19. Rabanus Maurus Opuſculo De Antichriſto, Venerabilis Beda Libro De Ratione Temporum, Cap. 68. & in allegoricis Expoſitionibus in 2. Regum Cap. 11. Auctor Sermonis De Montibus Sina & Sion, inter Opera S. Cypriani. Auctor Libri De Vita & Mo-

to

te Sanctorum; apud *S. Iſidorum*. *Primaſius*, *Andreas Cæſarienſis*, *Aretas*, *Victorinus*, *Ambroſius*, *Autpertus*, *Haymo Halberſtatenſis*, *Strabus*, Monachus, *Rupertus Abbas*, in Cap. 21. Apocalypſis, & omnis recentiorum Interpretum Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Communionis chorus: Ut Propoſitio noſtra doctrina Traditionis jure meritoque dici debeat. Quam *Grotius* Annotationibus in Cap. 17. *S. Matthæi*; aliique *Heterodoxi* fruſtra reiiciunt, nullo freti Argumento.

DISSERTATIO VII.

DE NAAMANE SYRO,

Utrum Rege Syriæ in Templo Remmon adorante, & ipſe Idoli cultum ſimulare voluerit: Idque ipſi conceſſerit Eliſæus?

PROPOSITIO UNICA.

Naaman Syrus ita affectus non fuit, ut Rege Syriæ in Templo Remmon adorante, Idoli cultum externo ritu ſimulare voluerit: Nec id ipſi conceſſit Eliſæus.

PRobatur ex Scriptura Sacra 4. *Regum* Capit. 5. Nulla enim ratio eſt cur id ſuſpicemur de viro, qui Deum Iſraelis palam profitebatur, & qui firmum propoſitum habuit nullum Deum falſum colendi, cum in patriam reverſus eſſet, ſed unum Deum Iſraelis; & ex pietatis affectu onus duorum multorum de Terra Judææ, quaſi ſanctificata, in Syriam abſtulit, ut ſuper eam Altare vero Deo erigeret. Id porro de *Naamane* Syro Hiſtoria Sacra commemorat. *Reverſuſque* (inquit) *ad Virum Dei* (ELISÆUM) *cum univerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Vere ſcio quod non ſit alius Deus in univerſa terra, niſi tantum in Iſrael.... Dixitque Naaman.... Obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: Non enim faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam Diis alienis, niſi Domino.* Quem locum expendens *Theodoretus* Quæſtione 29. in 4. Regum, hæc habet: *Vir ille admirabilis, credens vel ipſam Terram Iſraelis eſſe ſanctificatam, rogavit, ut duo onera multorum ex ea acciperet; Ut ſuper eam Domino Deo ſoli offerret Lege conſtituta Sacrificia.*

Neque rogavit Prophetam ut Idoli cultum ſimulare ſibi liceret, quod execrandum eſſe noverat, ſiquidem Naturæ Lex mendacium, ſacrilegum præſertim, fugiendum eſſe docet, ſimulationemque in Dei colto abominabilem eſſe; cum ne homines quidem ſimulatos amicos, & cum ſuis inimicis fœderatos admittant aut patiamur; & Deum non ſolum in ſpiritu & veritate adorandum, & toto corde diligendum; ſed etiam externo cultu proſequendum, ac divinos honores, nempe adorationem, Sacrificium, &c. ſoli vero Deo exhibendos; Sed id unum rogavit, ut ſuo fungi Munere in Aulâ regis Syriæ ſibi liceret, Eumque coram Idolo procumbentem in Templo Remmon ſuſtentare, ut alibi ſuſtentare ſolebat, eundem proinde corporis ſitum cum Rege habens: cum incedente incedens, ſtans cum ſtante, cum procumbente ſive corpus incorvante, aut genua flectente, procumbens, ſe incurvans, aut genua flectens: Qui poſtremus corporis ſitus adorationis late ſumpto nomine ſignificatur. Id ſibi ignoſci id eſt permitti rogat *Namaan*; quia ex officii neceſſitate ad fanum Idoli Regem comitari cogebatur, & impiis cæremoniis cum ipſo intereſſe, quamvis Deum verum palam coleret atque a cultu Remmon plane eſſet alienus, quod Regi, cæteriſque notum erat. Id unum *Naamani* conceſſit *Eliſæus*, ſeu ex quadam conſcientiæ delicatæ teneritudine & religione metuentem, ne forte Deum offenderet, ut Doctor optimus, & ſpiritalis Pater bono animo eſſe juſſit, ſcrupulumque diſcuſſit. Hic verborum illorum ſenſus 4. Regum 5. 17. 18. 19. *Hoc autem ſolum eſt de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur Dominus Deus meus Templum Remmon, ut adoret & illo innitente ſuper manum meam, adoravero in Templum Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in Pace.* Petitionem *Naamanis* hac illuſtrat Paraphraſi *Theodoretus*, Quæſtione 29. in 4. Regum. *Neceſſe eſt*, inquit, *mihi, ut ſimul cum Rege, cum adorare vult, eam ad Deum falſo nominatum. Verum ego, cum ingreſſus fuero, verum Deum adorabo, ſupplex petens ut veniam conſequar, quoniam propter Regiam neceſſitatem cogor ingredi ad Deum falſo nominatum. Hoc enim ſignificavit, cum dixit*, De verbo hoc propitius mihi erit Dominus ſervo tuo.. *Hæc autem verba accuſant turbam Judaicam, quod cum & Legem haberent, & Prophetas, & Sacerdotes & miracula viderent, & ſigna divina, cultum Idolorum prætulerint Dei cultui.* Legatur Diſſertatio noſtra contra Helceſcitas, in Panoplia adverſus Hæreſes ſecundi Sæculi.

Certe *Naamanem* ſpectatorem dumtaxat, non miniſtrum, cooperatorem, aut participem Idololatriæ fuiſſe, ex eo conſtat, quod alia prorſus cauſa a Sacrificio & a cultu Idoli illum conjungeret Regi ſacrificanti, & adoranti in Templo *Remmon*, ſcilicet officium Regi exhibendum, quod nullam ex ſe relationem habebat ad ſuperſtitioſos Ethniciſmi ritus. Id egregie *Tertullianus* explicat Libro *De Idololatria*, Cap. 16. & 17. *Sim vocatus*, inquit, *nec ad ſacrificii ſit titulus officii & opera mea expunctio, quantum ſibi libet. Utinam quantum ſibi quidem; nec videre poſſemus quæ facere nobis nefas eſt. Sed quoniam ita Malus circumdedit Sæculum Idololatria, licebit adeſſe in quibuſdam, quæ nos homini, non Idolo officioſos habent. Plane ad Sacerdotium, & Sacrificium vocatus, non ibo, proprium enim Idoli officium eſt; ſed neque conſilio, neque ſumptu, aliave opera in ejuſmodi fungar. Si propter Sacrificium vocatus adſiſtam, ero particeps Idololatriæ, Si me alia cauſa conjungit Sacrificanti, ero tantum ſpectator Sacrificii. Cæterum quid facient ſervi vel liberti fideles: Item Officiales, ſacrificantibus Dominis, vel Patronis, vel Præſidibus adhærentes? Sed ſi merum quis ſacrificanti tradiderit, imo ſi verbo quoque aliquo Sacrificio neceſſario adjuverit, miniſter habebitur Idololatriæ. Hujus regulæ memores etiam Magiſtratibus & Poteſtatibus officium poſſumus reddere ſecundum Patriarchas, & cæteros Majores, qui Regibus Idololatris uſque ad finem Idololatriæ apparuerunt. Hinc proxime diſputatio oborta eſt: An ſervus Dei alicujus dignitatis aut Poteſtatis adminiſtrationem capiat, ſi ab omni ſpecie Idololatriæ intactum ſe, aut gratia aliqua, aut aſtutia etiam præſtare poſſit. Secundum quod & Joſeph, & Daniel mundi ab Idololatria, & Dignitatem & Poteſtatem adminiſtraverunt in ornamento Præfecturæ totius Ægypti, ſive Babyloniæ. Cedamus itaque ſuccedere alicui poſſe, ut in quoque honore in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, neque Sacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non Hoſtias locet, non curas Templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non ſpectacula edat de ſuo, aut de publico, aut edendis præſit; nil ſolemne pronuntiet vel edicat, ne juret quidem, &c.*

DISSERTATIO VIII.

DE RETROCESSIONE SOLIS Ezechia regnante.

An Solaris umbræ tantum, an Solis ipſius retroceſſione Miraculum explicari poſſit?

HUjus Miraculi Hiſtoria legitur 4. *Regum* 20. 2. *Paralipomenon* 32. & *Iſaiæ* 30. Priori loco ſic narratur: *Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia Templum Domini? Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum a Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt: Vis ut aſcendat umbra*

Digitized by Google

bra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile eſt umbram creſcere decem lineis: Nec hoc volo ut fiat, ſed ut revertatur retrorſum decem gradibus. Invocavit itaque Iſaias Propheta Dominum & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in Horologio Achaz, retrorſum decem gradibus. Quæritur, Utrum ſolaris umbræ tantum, an Solis ipſius facta ſit retroceſſio, & totius Univerſi curſus immutatus? Primum aſſerit, alterum negat *Grotius* Annotationibus in Librum 4. *Regum*, præeuntibus Vatablo, Aria Montano, Luca Burgenſi, Sanche, &c. *Erat*, inquit, *gnomon eſtans ſemicirculo, in cujus cava erat globus, in quem cadens umbra reſpondebat ſulcis factis in ſemicirculo ad numerum, ut ajunt, 28. Ea caſura bis vocantur gradus. Per eorum decem retroacta eſt umbra. Eam umbram* Solem *vocat Iſaias* 38. 8. *quia a Sole fieri ſolebat. Nihil autem opus erat univerſi curſum immutari tantum ſigni cauſa. Simili figura feneſtra Solis nomine appellantur.* (*Jeremia* 15. 9.)

PROPOSITIO UNICA.

Non ſolaris tantum umbra in Horologio Achaz, ſive in gradibus Ædium ipſius reductio, ſed Solis ipſius retroceſſio Ezechiæ data in ſignum eſt: Eoque Miraculo omnes cœleſtes orbes una cum Sole retroacti, Horaque plurima nocti detracta, diei addita ſunt. Quot vero, incertum.

PRopoſitionem probat Scripturæ Sacræ teſtimonium (2. *Paralipomenon* 32. 31.) Miraculum enim illud Babyloniis notum fuiſſe refert. Regemque Babyloniæ Legatos ad *Ezechiam* miſiſſe, qui de ſigni illius admirabilis eventu interrogarent, Eique de ſanitate præter naturæ ordinem reſtituta nomine ſuo gratularentur. At ſi ſolaris dumtaxat umbra decem gradibus in Horologio *Achaz* retroceſſiſſet, non Sol ipſe, nec in ſolito Univerſi curſu aliquid fuiſſet immutatum, Babylonii, qui Aſtrologiæ peritia excellebant, Miraculum illud ſtatim non animadvertiſſent. Ita porro de *Ezechia* loquitur *Paralipomenon* Sacer Auctor: *Attamen in Legatione Principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.* Idem probat *Iſaiæ* teſtimonium, Capit. 38. non Solis tantum umbram in Horologio *Achaz*, ſed ſolem ipſum retrogrado motu decem lineis converſum aſſerentis, quod ſecundum literæ proprium ſenſum intelligi nihil vetat. *Hoc autem tibi erit ſignum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus eſt: Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in Horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis. Et reverſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat.*

Confirmatur ex Cap. 48. *Eccleſiaſtici*, ubi Sirachides Ezechiam laudans ait Verſ. 26. *In diebus ipſius retro rediit Sol, & addidit Regi vitam.*

Probatur ſecundo, ex *S. Dionyſio* Epiſtola 7. ad *S. Polycarpum*, ubi de *Apollophane* Sophiſta ita ſcribit: *Scire debebat Apollophanes, cum Sapiens eſſet, nihil unquam cœleſtis ordinis ac motus immutari ullo modo potuiſſe ſine inſtinctu Auctoris ſui, a quo & ut eſſet, accepit, & cujus potentia conſervatur, qui, ſecundum Scripturæ teſtimonium, cuncta perficit ac mutat. Cur igitur non colit eum, quem hinc quoque veraciter cognoſcimus eſſe omnium Deum, admirande ejus, a quo cuncta ſubſiſtunt, admirabilem poteſtatem? Quandoquidem ab ipſo Sol & Luna, potentia ſtatuque mirabili, ſimul cum hac rerum univerſitate, ad omnimodam immobilitatem redacta ſint, necnon ad integri diei ſpatium, in iiſdem univerſa Signis conſtiterint: Vel, quod amplius eſt, etiam cunctis orbibus primariis, qui cæteros complexu ſuo continent, more ſuo gyrantibus, ea quæ illorum complexu continebantur, non una in orbem circumlata ſint: Quin & alius quidam dies continuatione fere triplo longior effectus, & totis viginti horis, univerſum æquali omnino temporis ſpatio, motu contrario ſupra quam admirandis retrogradationibus retrogreſſum ac reverſum ſit: Vel ipſe Sol curſu ſuo quinque formem illum motum ad decem horas contractum, denuo gradu retrogrado, aliis item decem horis novam quamdam ſemitam incundo, repetierit: Quod utique Babylonios jure merito conſternavit, & eos Ezechiæ, tanquam Deo ſuppari, ſimilive, atque hominibus præſtantiori, ſine pugna ſubegit. Omitto quæ in Ægypto magnifice geſta ſunt, atque alia quædam ſigna, quæ alibi divinitus patrata ſunt: Hæc tantum memoro, quæ ſunt obvia, cœleſtiaque, & per univerſum orbem ab omnibus celebrata. Sed omnino dicet Apollophanes, Iſta minime vera eſſe; Attamen id vel maxime ſacris Perſarum Monumentis celebratur; atque etiamnum Magi triplicis Mythra ſive Solis memoriam recolunt.* Decem horarum ſpatio factam eſſe admirabilem illam Solis retroceſſionem, ita ut dies ille triginta duas horas duraverit, ab ortu nempe Solis ad ejus occaſum, *S. Dionyſius* cenſet, ejuſque Scholiaſtes *S. Maximus* ad eam Epiſtolam. *Ab Oriente*, inquit, *ad eum uſque locum, in quo Sol tum inventus eſt, quando editum eſt iſtud ſignum, decem horæ præterierant, & iterum decem, dum illius iter reflexit ad Orientem, & duodecim inde uſque ad Occidentem.* Perſæ, qui Solem *Mythram* vocant, mirabilem illius Diei extenſionem Ritibus, quos propter memoriam triplicati Solis obſervabant, ſignificaſſe idem *S. Dionyſius* notat. Tot illi Diei horas tribuunt plerique Interpretes, a quibus recedit vir eruditus *Andreas Maſius* Commentario in *Joſue* Cap. 10. Ille (inquit) *Ezechiæ* ægrotantis dies, plериſque omnibus Interpretibus videtur horas triginta duas habuiſſe. Si enim Sol ad decimam lineam jam tum pervenerat, hoc eſt, horas decem diei confecerat, cum inde reciprocaretur, ac totidem horis ſenſim primam repetivit lineam: a qua deinde rurſus ad decimam, in partem anticam: & tandem ab hac ad duodecimam, hoc eſt, ad ultimam, atque ad occaſum progreſſus eſt, plane horas triginta duas ultro citroque commeando conſumpſit. Verum ego certe non video, cur dare illis debeamus quod a ſe ipſi ſumunt, illa Solis reciprocatione, qua ab linea decima ad primam revocabatur, decem ſolidas horas eſſe conſumptas. Potuit enim, ita jubente architecto Deo, temporis minimo, aut etiam nullo momento tranſilire, ac deinde a prima linea ſenſim ad duodecimam alias horas duodecim conficere: Sicque totus ille Dies horis viginti duabus fuerit abſolutus. Alii quinque tantum horis ſolito longiorem hunc Diem fuiſſe cenſent. Singulos quippe gradus ſeu lineas in Horologio *Achaz* ſingulas tantum ſemihoras indicaſſe. Nam cum optio *Ezechiæ* data ſit, ut aut progreſſum umbræ, aut regreſſum ad decem lineas eligeret; erat ſine dubio talis deſcriptio linearum, & talis jam ſitus Solis, ut utrumque & fieri & ſpectari poſſet. At dies in Palæſtina numquam ad viginti horas creſcit.

Probatur tertio Propoſitio noſtra ex *S. Gregorio Nazianzeno*, Diem illum *Ezechiæ* Miraculo auctum agnoſcente, *Oratione* 19. *in Laudem Patris*, ubi de ſanitate divinitus illi reſtituta ſic loquitur: *Quæ quidem res Miraculo illo, quod in Ezechia editum eſt, meo quidem judicio nequaquam inferior haberi debet: Quem, cum in morbum incidiſſet, & preces adhibuiſſet, Deus vitæ incremento donavit; Idque per retroactum (pro eo atque is qui ſalutem acceperat, poſtulaverat) graduum umbram indicavit; Regem ſcilicet gratia ſimul & Signo honorans, atque per Diei augmentum, dierum augmentum confirmans.* At diei augmentum nullum fuiſſet, ſi umbra dumtaxat Solis in Horologio *Achaz*, non Sol ipſe in cœlo retroceſſiſſet, cujus converſione ac motu dies efficitur.

Probatur quarto, ex *S. Hieronymo*, Commentario in Caput 38. Iſaiæ. *Datur autem Signum*, inquit, *ut Sol decem gradibus revertatur, quos nos, juxta Symmachum, in lineas & Horologium vertimus: Qui gradus intellexit in lineis, ut manifeſtiorem ſenſum legentibus faceret. Sive ita extructi erant gradus arte Mechanica, ut per ſingulos umbra deſcendens horarum ſpatia terminaret. Quod Signum & præſentis temporis, & futuri typus erat: Ut quomodo Sol reverteretur ad exordium ſui, ita & Ezechiæ vita ad detentos annos rediret: Nobiſque in Hebdomade & ogdoade viventibus,*

per

per Reſurrectionem Chriſti, vitæ ſpatia protelentur.

Probatur quinto, ex *S. Auguſtino* Libro 21. *De Civitate Dei*, Cap. 8. *Quid ita diſpoſitum*, inquit, *ab Auctore Naturæ cæli & terræ, quemadmodum curſus ordinatiſſimus Siderum? Quid tam ratis legibus fixiſque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui ſummo regit imperio ac poteſtate quod condidit, Stella præ cæteris magnitudine atque ſplendore notiſſima, colorem, magnitudinem, figuram, & (quod eſt mirabilius) ſui curſus ordinem legemque mutavit. Turbavit profecto tunc, ſi ulli jam fuerunt Canones Aſtrologorum, quos velut inerrabili computatione de præteritis ac futuris Aſtrorum motibus conſcriptos habent, quos Canones ſequendo auſi ſunt dicere hoc quod de Lucifero contigit, nec antea, nec poſtea contigiſſe. Nos autem in Divinis Libris legimus, etiam Solem ipſum & ſtetiſſe, cum hoc a Domino Deo petiviſſet vir ſanctus Jeſus Nave, donec cœptum prælium victoria terminaret: & retrorſum rediiſſe, ut Regi Ezechiæ, quindecim anni ad vivendum additi hoc etiam prodigio promiſſioni Dei ſignificarentur adjuncto. Sed iſta quoque Miracula, quæ meritis ſunt conceſſa Sanctorum, quando credunt iſti facta, magicis artibus tribuunt. Unde illud eſt quod ſuperius commemoravi dixiſſe Virgilium:*

Siſtere aquam fluviis, & vertere Sidera retro.

Æneid. 41. Nam *& fluvium ſtetiſſe ſuperius, inferiuſque fluxiſſe, cum Populus Dei ductore ſupra memorato Jeſu Nave viam carperet, & Elia Propheta tranſeunte, ac poſtea diſcipulo ejus Eliſæo, id eſſe factum in Sacris Literis legimus; & retroverſum maximum Sidus, regnante Ezechia, modo commemoravimus.*

Probatur ſexto, ex Auctore Librorum *De Mirabilibus Sacræ Scripturæ*, inter *S. Auguſtini* Opera editorum Libro 2. Cap. 28. *Dum* (inquit) *iſtius duas Prophetias ſibimet invicem contrarias eadem hora protuliſſet, neceſſe erat ut alterum quæ facienda eſſet, ſigni oſtenſione firmaret. Unde Rex ut quod dicebatur indubitanter crederet, Solis in ortum ab occaſu per decem horas curſum recidivo Deus tramite retorquet, quatenus inde veluti mane iterum ſumpere inciperet, qui diei curſus, exceptis duabus horis, ſpatium conſummaſſet. Per quas duas horas, ut multi æſtimant, celeri curſu de occaſu in ortum revertitur, ut dies integra rurſum ſine interveniente nocte in ortu innovaretur, ut ſcilicet dies duos, etiam in hac vice, in una luce concluderet, Quomodo & ſub Jeſu filio Nun, in illo prædicto bello moram fecit, indubitanter & hac vice reverti Lunam minime dubitamus, quatenus nequidquam in Cyclorum curſibus conturbaretur. Propter quod & Maris ipſa viciſſitudo impedita fuiſſe non denegatur, ut de cætera convenienter, qualiter quotidie fieri ſolet, cum Luna curſibus comitaretur. Naturam enim in hac reverſione convenit Solem non mutaſſe, ſed ſui Conditoris in omnibus naturaliter præcepto obedire. Sicut enim lucere & calere natura ſua inſitum Sol poſſidet: Ita quicquid præceperit Dominica Juſſio, ſeu currere, ſeu ſtare, ſeu recurrere, naturaliter habet. Convenienter autem tale Signum Regi in mortis expectatione poſito aptiſſimum evenit, quod Dominus per Solem fieri taliter, congrua diſpenſatione diſpoſuit. Quoniam ſicut Sol in procinctu occaſus ſui poſitus, in diei initium reducitur: Sic Rex in mortis expectatione conſtitutus, quaſi ad incipientis vitæ gaudia revocatur.*

Probatur ſeptimo, ex *Theodoreto Quæſtione* 52. *in* 4. *Regum*, ubi de Signo *Ezechiæ* divinitus dato ſic loquitur: *Solis autem Miraculum pervaſit univerſum orbem terræ. Omnibus enim fuit cognitum Solem retroceſſiſſe. Quamobrem Rex Babyloniorum, cum & interitum ceſſiviſſet, & quæ in Sole admirabiliter facta erant didiciſſet, miſit & Legatos & dona ad Regem Judæorum; & quos ſolebant abducere in captivitatem, eos tanquam præſtantiores honorarunt. Ita eos reddidit inſignes Deus quem coluerunt.*

Probatur octavo: Horologia in quibus umbra ſola retrocedat, humana arte & induſtria fieri poſſe ubivis locorum, demonſtrant viri Gnomonices periti, videlicet, ſi ita erigantur plana, ut altitudinem poli habeant minorem quam gradum 23. $\frac{1}{2}$. Unde ubi ea eſt altitudo, ſcilicet inter Æquatorem & alterutrum Tropicorum, Cancri ſcilicet aut Capricorni, naturaliter id accidit. Neque id mirum. Nam ſicut pro ratione ſitus, aliæ regiones umbras habent dextras, aliæ ſiniſtras, unde illud *Lucani*:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Ita & in certi loci poſitione, certoque Solis reſpectu fieri poteſt, ut umbra nunc Sole progrediente progredi, nunc Sole ſe gyrante regredi videatur. *Ezechiæ* autem non aliquid quod naturaliter, aut humana arte vel induſtria fieri poſſet, ſed portentum præter ordinem legeſque naturæ editum, ejuſque vires ſuperans, datum in ſignum eſt.

Obiiciunt primo, Scripturam Sacram 4. *Reg.* 20. Cap. umbræ tantum, non Solis ipſius retroceſſionem per decem lineas commemorare, id certe non omiſſuram, ſi tantum Miraculum editum fuiſſet.

Confirmatur ex *S. Cyrillo Alexandrino* Commentarii in *Iſaiam*, *Libro* 3. *Tom.* 4. p. 496. ubi ſolius umbræ retroceſſione Miraculum explicat. *Dicunt autem* (inquit) *Achazum Ezechiæ patrem, in domo ſua, velut machina & arte quadam, gradus quoſdam confici curaviſſe, qui velut horas numerarent, & curſum ſolis, decurſa umbra in illis facta metirentur. Quod igitur remigraturus in vitam eſſet Ezechias, planum fecit Deus, retrogrediente Solis umbra, & die ad inuſitatam horarum menſuram prolata, Nihil vero eſt omnino, quod ab univerſorum Domino non poſſit effici, imo quicquid voluerit, præclare perficit, ſi vel ſolum innuerit.*

Reſpondetur, Quod in uno Scripturæ loco minus explicatum eſt, in aliis disertis verbis expreſſum eſſe, ſcilicet 2. *Paralipomenon* 32. 31. *Iſaiæ* 38. *Eccleſiaſtici* 48. 26. Solem ſcilicet, non umbram tantum Solis retroceſſiſſe. Eadem eſt *S. Cyrilli* ſententia, quam explicat in eodem Libro, p. 500. *Non hoc ſolum* (inquit) *admiratione perculſit Babyloniam, quod ægrotarit Ezechias, & rurſus ad bonam valetudinem redierit, ſed illud omnino magnum & ingens vere ſignum, ineffabili & divino nutu Sol juſſus eſt recurrere, & retrogredi, & umbra decem gradus redierit. Babyloniorum & Chaldæorum cognomine Sophi, id eſt, Sapientes, cum ſe jactitent in curſu Solis, & Stellarum ortu, & occaſu cognoſcendo ſubtiliter doctos, hanc retroverſionem, ut videtur, & diei ejus inſolitam magnitudinem non ignorarunt. Eſt autem & illud probabile, divulgatum fuiſſe per univerſam terram ſignal virtutem, & ad confirmationem promiſſi divini, quod Ezechiæ factum eſt, fuiſſe datum .... Itaque venerunt Legati, his divinis ac rationem excedentibus ſignis, admirante Merodach Ezechiæ juſtitiam.*

Obiiciunt ſecundo, Portentum iſtud factum dici non *in cœlo*, ſed *ſuper terram*, nempe Judæam, vulgato Scripturæ more. (2. *Paralipom.* 32. 31.) Igitur in ſolaris umbræ dumtaxat, non in Solis ipſius retroceſſione Miraculum editum eſt.

Reſpondetur: Quamvis retroceſſio Solis in cœlo contigerit momento ſenſus hominum fugiente ac prætervolante, diuturniorem tamen Solis moram ſupra Horizontem, dieique augmentum ad terram ſpectaſſe: maxime cum in ſignum vitæ a Deo prorogatæ *Ezechiæ* Regi Miraculum illud editum eſſet. Unde Legati a Rege Babyloniæ miſſi dicuntur ad Ezechiam, *Ut interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram.*

Obiiciunt tertio: Si Solis retroceſſio facta eſſet, nihil opus fuiſſet Babylone mitti Legatos, qui de portento interrogarent; quia rei geſtæ fides mortalium neminem latuiſſet.

Reſpondetur: Babyloniæ Regem Oratores non miſiſſe, qui de facto interrogarent, quod ipſi obſervaverant vel in ſuis Horologiis, vel ex prolixitate diei; ſed de cauſa eventi admirabilis, quam ſupra naturæ ſphæram eſſe agnoſcebant.

Obiiciunt quarto: Si Solis retroceſſio contigiſſet, profanorum Scriptorum aliquis illius meminiſſet.

Reſpondetur: Satis eſſe quod illud Miraculum Sacra Scriptura commemoret, cujus major eſt ac firmior veritas, quam humanæ cujuſvis Hiſtoriæ au-

ctoritas. Admirabilis illios defectus Solis, qui Chriſto patiente contigit, vix aliquem profanorum Scriptorum meminiſſe præter *Phlegontem* Hadriani Imperatoris libertum; nec jure tamen in dubium revocari. Plurima Veterum ſcripta naufragium paſſa. Non ſolum ex ſilentio, imo neque ex repugnantia profanorum Auctorum præjudicari debere vel poſſe adverſus Sacras utriuſque Teſtamenti Hiſtorias. Nihil opus eſſe extraneorum ſeu Ethnicorum Scriptorum teſtimonio ut fides concilietur factis & Miraculis, quæ Spiritu Sancto dictante, a ſanctis Dei hominibus ſcriptis prodita ſunt. Ut enim cum *Tertulliano* loquamur Libro *De Præſcriptionibus Hæreticorum*, Cap. 13. *Qui ſervat cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis Miles ab infæderatis, ne dicam ab hoſtibus Regibus, donativum & ſtipendium captat, niſi plane deſertor & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat. Etiam pulſator ille vicini januam tundebat. Etiam Vidua illa non inimicum, licet durum, Judicem interpellabat. Nemo inde inſtrui poteſt, unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & a noſtris, & de noſtro: Idque dumtaxat quod ſalva Regula fidei poteſt in quæſtionem devenire.* Denique ex Hiſtoria retroceſſionis Solis regnante *Ezechia*, conficta & interpolata videtur illa Ægyptiorum narratio, quam ſcriptis prodidit *Herodotus* Lib. 2. Cap. 142. *Intra decem millia, trecentoſque & quadraginta annos, quater Solem præter conſuetudinem fuiſſe ortum. Bis quidem illinc exortum, ubi nunc occidit: Bis autem unde nunc oritur, illic occidiſſe.*

Obiiciunt: omnes Ephemerides & Tabulas Aſtronomicas everſum iri, ſi retroceſſio Solis facta eſſet.

Reſpondetur: Ephemerides nondum eo tempore conſcriptas videri. Scripti certe hoc in genere tam antiqui nulla extat memoria. Deinde vix ad calculos totius anni perturbandos valuiſſet quinque aut decem horarum ad unum diem adjectio.

DISSERTATIO IX.

DE CONSENSU LIBRORUM REGUM & Paralipomenon, cum SS. Matthæo & Luca in Genealogiis Regum Juda.

PROPOSITIO UNICA.

Libri Regum & Paralipomenon in Genealogiis Regum Juda ab Evangelio non diſſentiunt.

HAnc Propoſitionem probat utriuſque Teſtamenti ſcriptio Spiritu Sancto Auctore, qui pugnantia loqui non poteſt. Unde certo tenendum eſt nullam eſſe inter Scriptores Sacros diſſonantiam; & loca Scripturæ, quæ pugnantia in ſpeciem videntur, conciliari poſſe, quamvis ratio conciliandi nobis non ſit ita perſpecta, nullam ut difficultatem circa illa patiamur. Secundo, Propoſitionis hujus veritas patebit ex Objectionum ſolutione.

Prima eſt, Quod Regum & Paralipomenon Libri doceant, Joram genuiſſe Ochoſiam: Ochoſiam genuiſſe Joaſum: Joaſum genuiſſe Amaſiam: Denique Amaſiam genuiſſe Oziam (4. *Regum* 8. 24. & 11. 2. 2. *Paralipomenon* 3. 2. 22. 1. *Paralipomenon* 26. 1.) At *Matthæi* 1. 8. dicitur *Joram genuit Oziam*: Ochozias, Joas, Amaſias, in hac ſerie Genealogica prætermittuntur.

Secunda eſt, Quod Libri *Regum* & *Paralipomenon* *Joſiam* quatuor dumtaxat filios habuiſſe tradant, Johanan, qui & Joachaz, Joakim qui & Eliakim, Sedekiam qui & Mattanias, & Sallum. Joakimi vero filius fuit Jechonias, non Joſiæ. (4. *Regum* 24. 25. 2. *Paralipomenon* 3. 15. 16. 1. *Paralipomenon* 34. 35. *Jeremiæ* 22. 2. 22.) At *Matthæi* 1. 2. dicitur: *Joſias autem genuit Jechoniam*. Conſtat etiam ex 2. *Paralipomenon* 34. 18. & 35. 24. *Joſiam* diu ante Captivitatem Babylonicam occubuiſſe: & tamen Cap. 1. *S. Matthæi* dicitur genuiſſe *Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis*.

Tertia eſt, Quod Paralipomenon Hiſtoria & Chronologia doceant *Salathielem* a *Jechonia* genitum in Captivitate Babylonica: Cum tamen *Matthæi* 2. dicatur: *Et poſt transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel*.

Quarta eſt, Quod *Zorobabel* filius fuerit Pedajæ, non Salathielis. (1. *Paralipomenon* 3. 17. 18. 19.) At *Matthæi* 1. dicitur: *Salathiel genuit Zorobabel*.

Quinta eſt, Quod Zorobabelis filios tantum duos recenſeat Liber 1. *Paralipomenon* Cap. 1. *Moſollam* & *Hananiam*, & *Salomith* Sororem eorum, nulla mentione facta *Abiud*, cujus tamen meminit *S. Matthæus* Cap. 1. his verbis *Zorobabel autem genuit Abiud*.

Sexta, Quod *Salathiel* filius fuerit *Jechoniæ* ſecundum Paralipomenon Hiſtoriam, & *S. Matthæum*; At ſecundum *S. Lucam* filius fuerit *Neri*.

Ad primam Objectionem reſpondetur, *Oziam* apud *S. Matthæum* genitum dici a *Joramo*, quamvis *Amaſiæ*, non *Jorami* filius fuerit, quia *Jorami* fuit abnepos. Ut enim nepotes dicuntur filii apud Hebræos, ſic avi & proavi patres appellantur, qui cenſeri poſſunt illos genuiſſe, generatione videlicet mediata, qua revera ab illis genus ducunt. Sic Chriſtus a *S. Matthæo* dicitur *Filius David, filius Abraham*. Sic mortales omnes *Filii Adam* vocantur. Sic *Eliſabeth* Lucæ 2. eſſe dicitur *ex filiabus Aaron*. Sic Mulier, quam liberavit Chriſtus ab infirmitate, qua annis decem & octo laboraverat, *Lucæ* 13. 16. dicitur *Filia Abrahæ*. Sic Judæi *Joannis* 8. 39. de ſe ipſis ajunt: *Pater noſter Abraham eſt*. Jus denique Romanum liberorum nomine non filios ſolum & nepotes, ſed & pronepotes, & abnepotes complectitur. Ideo autem tres Reges in Chriſti Genealogia *S. Matthæus* prætermiſit, quia Spiritui Sancto, cujus fuit Amanuenſis, conſtitutum erat omnes illas generationes in certas teſſaradecadas referre. Unde ſeriem illam Genealogicam ita concludit Verſ. 17. *Omnes itaque generationes ab Abraham uſque ad David generationes quatuordecim, & a David uſque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim; & a transmigratione Babylonis uſque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.* Cum autem in ſecunda ſerie ſeptemdecim generationes reperirentur, aliquæ fuerunt prætermittendæ, & quidem tres, ut numerus ille conſtaret. Cur autem potius prætermiſſi ſint *Ochozias*, *Joas*, & *Amaſias*, quam alii, ratio hæc omnium maxime probabilis eſt, quod Deus maledictionem peculiarem effundendam ſuper Domum *Achab* bis pronuntiaſſet, (3. *Regum* 21. 22. & 4. *Regum* 9. 8. & ſeq.) quicquid videlicet *Achabi* eſſet, exciſum iri *uſque ad mingentem ad parietem*. Quam maledictionem hic ratam eſſe voluit Deus, tres illos reges *Achabi* poſteros (*Ochoſias* enim a *Joramo* ex *Athalia* filia *Achabi* genitus fuit) prorſus expungendo ex Genealogia Chriſti. Quamvis enim actu regnaverint, ob maledictionem tamen illam ſingularem cenſentur quaſi capite minuti non regnaſſe. Sic Tribus *Dan* Apocalypſis Cap. 7. in *Signatorum* ſerie prætermiſſa eſt, quia jam olim a Dei cultu defecerat, & ſe cum Gentibus permiſcuerat, (*Judicum* 18.) Hanc Reſponſionem auctoritate ſua confirmant *SS. Hilarius* & *Hieronymus*. Ille *Cap.* 1. *in Matthæum* ita ſcribens: *Ab Abraham uſque ad David quatuordecim generationes enumeratæ ſunt; & a David uſque ad transmigrationem Babylonis: Cum in Regnorum Libris decem & ſeptem deprehendantur. Sed in hoc non mendacii aut negligentiæ vitium eſt. Tres enim rationi præterita ſunt. Nam Joram genuit Ochoziam, Ochozias vero genuit Joram, Joas deinde Amaſiam, Amaſias autem Oziam. Et in Matthæo Joras Oziam genuiſſe ſcribitur, cum quartus ab eo ſit. Hoc ita, quia ex gentili femina Joras Ochoziam genuit, ex Achab ſcilicet qui Jezabel habuit uxorem. Denique per Prophetam, non niſi quarta generatione, in Throno Regis Iſraelis, quamquam de Domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur. Purgata igitur labe familiæ Gentilis, tribuſque præteritis jam Regalis, in quarta generationum conſequentiam origo numeratur, & uſque ad Mariam generationes quatuordecim eſ-*

ſe

ſi ſcribuntur, cum in numero decem & ſeptem reperiantur: Nullus error eſſe poterit ſcientibus, non eam ſolum eſſe Domino noſtro Jeſu Chriſto originem, quæ cœpit ex Maria: Sed in procreatione corporea Nativitatis æternam ſignificantiam comprehendi. Iſte vero ſcilicet *S. Hieronymus* Commentario in *S. Matthæi* Cap. 1. hæc habet: *Cavile ergo quod ſecundum fidem Hiſtoriæ tres Reges in medio fuerint, quos hic Evangeliſta prætermiſit: Joram quippe non genuit Oziam, ſed Ochoziam, & reliquos quos enumeravimus. Verum quia Evangeliſtæ propoſitum erat tres teſſaradecades in diverſo temporum ſtatu ponere, & Joram generi ſe miſcuerat impiiſſimæ Jezabel, idcirco uſque ad tertiam generationem ejus memoria tollitur, ne in Sanctæ Nativitatis ordine poneretur.*

At (inquies) cur ob camdem maledictionem non ſunt etiam prætermiſſi reliqui ab *Achabo* mediate quoque progeniti, videlicet *Ozias*, & alii? Reſpondetur, Iram Dei & maledictionem in puniendo ſobole ob parentum peccata, ad tertiam ſaltem vel quartam generationem pertinere, ſecundum Legem Exodi 20. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Ultra quartam itaque generationem maledictio illa in poſteros *Achabi* non eſt extenſa; ſicut nec benedictio a Deo effuſa in poſteros *Jehu* ob executionem divini Judicii contra Domum Achab (4. *Regum* 10. 30.) ultra quartam generationem progreſſa eſt. Non mirum ergo quod tres tantum generationes, non plures, in ſerie Regum ex *Achabi* genere ortorum prætermiſerit *S. Matthæus* Chriſti Genealogiam texens.

Adverſus communem illam & maxime probabilem Reſponſionem erit qui obiiciat, *Ochoziam* in Scriptura Sacra non dici nepotem *Achabi* ex filia, ſed potius nepotem *Amri* Regis Iſraelitarum, cujus filia vocatur *Athalia*, non vero Achabi. (4. *Regum* 8. 26.) Tres ergo illi Reges a *S. Matthæo* non ſunt expuncti, eo quod eſſent ex genere *Achab*, & maledictionis illi denuntiatæ participes.

Reſpondetur, *Athaliam* vocari filiam *Amri*, hoc eſt, neptem, ex Hebræorum conſuetudine & uſu loquendi, quamvis fuerit filia *Achabi*, qui erat filius *Amri*. Certe *filia Achabi* non ſemel vocatur. (4. *Regum* 8. 18. 19. 27.) Nec *Jehu* Ochoziam occidi juſſiſſet, cum maledictionem divinam ſuper Domum *Achab* executus eſt, (4. *Regum* 9. 27.) niſi fuiſſet ex poſteritate *Achabi*. Addunt aliqui, Eam potius dici *filiam Amri*, quam *Achab*, ob execrandam *Achabi* memoriam, ne proles aliqua ipſi ſuperſtes videretur. Sed hæc ratio nullius eſt momenti, ſiquidem in eo ipſo Capite 8. Libri 4. *Regum*, ubi de *Ochozia* dicitur Verſ. 26. *Nomen matris ejus Athalia filia Amri Regis Iſrael*: De *Joram* patre *Ochoziæ* Verſ. 18. dicitur: *Ambulavitque in viis Regum Iſrael, ſicut ambulaverat Domus Achab: Filia enim Achab erat uxor ejus*. Et de ipſomet *Ochozia* Verſ. 27. *Et ambulavit in viis Domus Achab .... Gener enim Domus Achab fuit.*

Ad ſecundam Objectionem reſpondetur: In Genealogia Chriſti apud *S. Matthæum* duos eſſe *Jechonias*, unum ante tranſmigrationem Babylonis, alterum in ipſa tranſmigratione genitum. Prior eſt ipſe *Joakim* filius *Joſiæ*; qui & *Eliakim* vocatur. Poſterior filius fuit *Joakimi*, pater *Salathielis*. Itaque *Joakim* binominem fuiſſe veriſimile eſt, & *Jechoniam* etiam appellatum, quod in Hiſtoria Sacra & ipſa Regum Juda ſerie non infrequens, cum *Sedekias* nomen etiam obtinuerit *Mattaniæ*, & *Ozias* nomen *Azariæ*. Sic diſtincto *Jechonia* patre, qui alias *Joakim*; a *Jechonia* filio, qui alias *Joakin*, ſuus utrique teſſaradecadi conſtat numerus, quarum alterutra alioqui imminuta eſſet. Sic etiam cum Hiſtoria Sacra facile conciliabitur, quod de Jechoniæ fratribus in Chriſti Genealogia *S. Matthæus* addit. Nam *Joakim* ſeu *Jechonias* pater fratres habuit, non *Joakin* ſeu *Jechonias* filius: Alioqui *Nabuchodonoſor*, qui hunc ſolio dejecit, & Babylonem abduxit, aliquem ex ejus fratribus, potius quam *Sedekiam* ejus Patruum Regem creaſſet; Quod tamen factum legimus 4. *Regum* 24. 17. Hæc Reſponſio magnis Nominibus nititur, ſcilicet *S. Epiphanii*, qui *Jechoniam* duplicem agnoſcit, unum *Joſiæ*, alterum ipſius *Jechoniæ* filium, *Joſiæ* nepotem. Unius nomen excidiſſe cenſet in textu *S. Matthæi*, atque ita reſtituendum: *Jechonias autem genuit Jechoniam: Jechonias autem genuit Salathiel.* Pro quo *Maldonatus* ſupplendum cenſet: *Joakim autem genuit Jechoniam: Jechonias autem genuit Salathiel.* Poſteriorem tamen *Jechoniam* cum *Sedekia* perperam confundit *S. Epiphanius*, & priorem *Jechoniam* eumdem eſſe cum *Sellum*, cumque etiam *Amaſiam* nominatum falſo aſſerit: aliaque in paucis lineis committit errata, quæ notat *Petavius Animadverſ.* in *S. Epiphanium*. Locus autem *Epiphanii Hæreſi* 6. ſic habet: *Joſias genuit Jechoniam. ... Ab hoc Jechonia ejuſdem nominis alter genitus eſt .... Nec eſt, quod ea de re quiſquam dubitet, miretur vero magis accuratam a nobis latam rationem, & hoc loco in ſtudioſorum gratia utiliter explicatum; qui caſtigatiora Exemplaria conſulere eruditionis cauſa volunt. Non enim diffido quin cum animi ſui fructu candide in iis quæ a nobis propoſita ſunt acquieſcere cogantur, ſimulque vocem illam lucrifaciant, quæ ab imperitis quibuſdam Emendatoribus eſt propter ambiguitatem ex Evangelio ſublata. Nam cum generationes omnes Matthæus tripartito diſtribuerit, & ab Abrahamo ad Davidem uſque 14. enumeret, ſuperior utraque ſeries integra reperitur, neque quicquam ad numerum deeſt, qua ad Jechoniam ordine pertexitur. At tertia demum ferme 13. duntaxat non 14. generationum nomina complectitur, quod a nonnullis commiſſum eſt; qui cum Jechonias duos conjunctim eſſe ſcriptos cernerent, arbitrati ſunt eamdem vocem propoſtere in ea ſerie repetitam. Verum ejuſdem iſta repetitio minime fuit; ſed numerandi ordo perſpicuus. Siquidem Jechoniæ filio de parente nomen impoſitum eſt. At iſti elegantiæ vindices, dum unum nomen expungunt, per ſummam ignorantiam contra propoſitum peccarunt. Atque & nominum 14. collegium, quod ibidem oſtenditur, non detracta numerantur, & multiplicem unius ad alterum rationem habitudinemque ſuſtulerunt.* At emendatione Textui S. Matthæi opus eſſe non perſuadet *ſancti Epiphanii* auctoritas, cum recepta lectio vetuſtiſſima ſit, ut ex omnium pene Codicum Græcorum ac Latinorum ſummo conſenſu, & ex antiquorum Patrum Scriptis conſtat: Eaque lectione ſervata, numerus integer in utraque teſſaradecade reperitur: & evidens fit ex intervallo Captivitatis Babylonicæ interjecto, alium eſſe *Jechoniam*, qui poſt Captivitatem Babylonicam genuit *Salathielem* a priori *Jechonia Joſiæ* filio. Ad primam ergo teſſaradecadem pertinet *Jechonias* filius Joſiæ; ad tertiam teſſaradecadem *Jechonias* alter hujus filius, *Joſiæ* nepos, pater *Salathielis*, ut obſervat etiam *Cajetanus* noſter *Commentar. in Evang. S. Matthæi*.

Nititur hæc Reſponſio *S. Ambroſii* auctoritate Libro 3. in Evangelium S. Lucæ §. 46. *Quod vero*, inquit, *poſt Jechoniam duodecim generationes enumeraſſe videtur Evangeliſta, ſi diligenter advertas, hic quoque quatuordecim generationum poteris invenire rationem. Duodecim enim uſque ad Joſeph numerantur, non uſque ad Chriſtum. Tertiusdecimus eſt Chriſtus. Sed nihil refert utrum in duabus generationibus, an in una mendacium ſit. Tamen ne his quidem cæcum aliquem ſcopulum aut naufragium invenias veritatis. Duos Joachim, hoc eſt, duos Jechonias fuiſſe Hiſtoria indicat: Unum ante tranſmigrationem, alterum in ipſa tranſmigratione generatum, id eſt, patrem & filium. Ergo pater inter generationes ſuperiores eſt computatus, qui ſucceſſit Joſiæ: Filius inter poſteriores, qui ſucceſſit patri, id eſt nepos Joſiæ. Sic enim ſcriptum eſt:*
,, Et imperavit Pharao ſuper Iſrael, Joachim filio
,, Joſiæ regnante in Judæa pro patre ſuo; & con- 4. Reg. 23.
,, vertit nomen Joachim in regnando, & undecim 34. & 36.
,, annos regnavit in Jeruſalem. *Quibus ſubjecit*:
,, Et reliqua verborum Joachim, & omnia quæ fecit, 4. Reg.
,, nonne ſcripta ſunt in Libro verborum, & in die- 24. 5. &
,, bus eorum qui regnaverunt in Judæa? Et dormi- ſeq.
,, vit Joachim cum Patribus ſuis; & regnavit Joa-
,, chim filius ejus pro eo. Filius decem & octo an-
,, norum erat Joachim: & cum regnaret, tribus men-
,, ſibus regnavit in Jeruſalem: Nomen matris ejus
,, Meſola .... & omnia quæ fecit ſub oculis Do-

mini

„ mini pater ejus & ipſe fecit? & in diebus ejus „ aſcendit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Jeru- „ ſalem. *Vide igitur quod alius fuerit Joſia filius, alius nepos: Filius ille cui Hieremias nomen impoſuit, nepos iſte qui patris vocatus eſt nomine. Et bene Sanctus Matthæus a Propheta voluit diſcrepare; ut non Joachim, ſed Jechoniae, nominaret ..... Non igitur ſuppreſſit alterum Evangeliſta, ſed utrumque ſignificavit; quod uterque Jechonias dictus ſit. Ita addito juniore Jechonia, generationes quatuordecim computantur.*

Eamdem Reſponſionem confirmat *S. Hieronymus* Commentario in Cap. 1. S. Matthæi. *Si voluerimus*, inquit, *Jechoniam in fine primæ teſſaradecadis ponere, in ſequenti non erunt quatuordecim, ſed tredecim. Sciamus igitur Jechoniam priorem ipſum eſſe quem & Joachim. Secundum autem, filium, non patrem; quorum prior per k, & m, ſequens per ch, & n, ſcribitur: Quod Scriptorum vitio, & longitudine temporum apud Græcos Latinoſque confuſum eſt.*

Hæc autem Reſponſio probabilior eſt & minus coacta illa *S. Auguſtini*, Libro 2. *De Conſenſu Evangeliſtarum*, Cap. 4. aſſerentis eundem *Jechoniam* bis in Genealogia nominatum in fine unius, & initio alterius teſſaradecadis. *Cum*, inquit, *quater denas generationes tribus diſtinxiſſet articulis, dicens, ab Abraham uſque ad David generationes eſſe quatuordecim, & a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis alias quatuordecim, totidem alias uſque ad Nativitatem Chriſti: Non tamen eas duxit in ſummam ut diceret, Fiunt omnes quadraginta duæ. Unus quippe in illis progenitoribus bis numeratur, id eſt Jechonias, a quo facta eſt quædam in extraneas Gentes deflexio, quando in Babyloniam tranſmigratum eſt. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur, atque ut eat in diverſum, tanquam angulum facit; illud quod in angulo eſt, bis numeratur, in fine ſcilicet prioris ordinis, & in capite ipſius deflexionis. Et hoc ipſum jam præfigurabat Chriſtum a Circumciſione ad Præputium, tanquam ab Jeruſalem ad Babyloniam, quodammodo migraturum, & hinc atque hinc utriſque in ſe credentibus tanquam lapidem angularem futurum. Hæc tunc in figura præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam & ipſe Jechonias, ubi angulus iſte præfiguratus eſt, interpretatur, Præparatio Dei.*

Ait autem S. Matthæus, *Joſiam genuiſſe Jechoniam in tranſmigratione Babylonis*, id eſt, circa tranſmigrationem. Vox enim Græca ἐπὶ notat quidem tempus quo res geſta eſt, non tamen ſtricte, ſed interdum cum latitudine. Sic Geneſ. 2. 2. dicitur: *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Cum tamen illud perfecerit ante diem ſeptimam, quæ quieti deſtinata fuit, quod Deus in illa ab operibus ſuis quievcrit. Sic Marci 2. 26. de *Davide* dicitur: *Introivit in Domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdotum, & Panes Propoſitionis manducavit*: Id eſt, circa Pontificatum *Abiatharis*. Id enim ſub *Abimelech* Pontifice *Abiatharis* patre contigit. Sic Lucæ 3. 2. *Factum* dicitur *verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in Deſerto, ſub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha.* Cum tamen eo tempore ſolus *Caiphas* Pontificatu Maximo fungeretur, *Annas* autem antea Pontificatum geſſiſſet, ſummæque eo tempore eſſet auctoritatis ob generis claritatem, ob dignitatis præteritæ ſplendorem, & ob affinitatem cum *Caipha*, cujus erat ſocer. Cum ergo ſub tempora tranſmigrationis, id eſt, nutante jam ſtatu Populi Judaici, & imminente deportatione Babylonica, utpote inter quam & *Joſiam* nulli alii Reges interceſſere ab ea immunes, recte dicere potuit S. Matthæus, *Joſiam genuiſſe Jechoniam & fratres ejus*, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας *in tranſmigratione*. Reſponderi etiam poteſt, Hæc verba, *in tranſmigratione Babylonis* non referri ad τὸ *genuit*, quaſi *Joſias* genuerit in Captivitate Babylonica; ſed referri ad filios genitos, quaſi dicat: *Joſiam genuit Jechoniam & fratres ejus, qui fuerunt in tranſmigratione Babylonis.* Hoc eſt, quod e recentioribus Interpretibus quidam ſubtiliter dixerunt: Tranſmigrationem non ſtatui *ut menſuram generationis*, cum ante illam genuerit Joſias: *ſed ut menſuram genitorum*, quod *Jechonia* & fratribus ejus viventibus acciderit, illique captivi Babylonem pariter deportati ſint.

Ad tertiam Objectionem reſpondetur, Nomen *tranſmigrationis* duplici ſenſu ac ſignificatione accipi poſſe; primo, quatenus deſignat ſolum actum tranſmigrationis Judæorum Babylonem; vel quatenus ſignificat præterea totum tempus Babylonicæ Captivitatis. Si poſteriori ſenſu ſumatur, recte dicitur *Salathiel* in tranſmigratione genitus; Si priori vere dicitur genitus *poſt tranſmigrationem Babylonis*. Et hoc ſenſu vocem illam *S. Matthæus* uſurpavit. Alii id aliter exprimunt: *Salathielem* a *Jechonia* genitum poſt tranſmigrationem inchoatam, non conſummatam. Ejus autem generatio non eſt referenda ad priora Captivitatis tempora, quibus *Jechonias* vinctus, & dure admodum in carcere habitus eſt a *Nabuchodonoſor*; ſed ad poſteriora, quibus ab *Evilmerodacho* ejus filio e carcere eductus, regio cultu in Aula Babilonia vixit, ut refert Hiſtoria Sacra (4. *Regum* Cap. 25.) *Factum eſt vero in anno trigeſimo ſeptimo tranſmigrationis Joachin Regis Juda, Menſe duodecimo, vigeſima-ſeptima die Menſis: Sublevavit Evilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin Regis Juda de carcere. Et locutus eſt ei benigne: & poſuit thronum ejus ſuper thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Et mutavit veſtes ejus quas habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu ejus cunctis diebus vitæ ſuæ. Annonam quoque conſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabatur ei a Rege per ſingulos dies omnibus diebus vitæ ſuæ.* Quod teſtatur etiam *Jeremias Cap.* 52. *His itaque temporibus Jechonias* genuit *Salathiel*.

Ad quartam Objectionem reſpondetur, Cum *Toſtate* & *Cajetano* noſtro, *Zorobabelem*, de quo in Paralipomenis alium eſſe ab eo qui filius *Salathielis* a *S. Matthæo* dicitur. Quippe cum ille *Pedaja* filius, non *Salathielis* vocetur. Hic vero & apud *Eſdram*, *Nehemiam*, *Aggæum*, nuſquam *Pedajæ*, ſemper *Salathielis filius*, ut a SS. Evangeliſtis *Matthæo* & *Luca* dicatur. Alii quoque liberi diverſas perſonas arguunt. *Zorobabel* enim apud *S. Matthæum* genuiſſe dicitur *Abiud*: Ille vero de quo in Paralipomenis genuit *Meſollam*, & *Hananiam*, nullus inter filios ejus *Abiud* nominatur. Priorem itaque *Zorobabelem* alium eſſe Regii quidem generis, ſed ab Ethnarcha plane diſtinctum. Reſpondent alii, valde eſſe probabile, *Salathiele*, qui *Jechoniæ* primogenitus fuit abſque liberis defuncto, *Pedajam* fratrem pro jure leviratus, ducta ejus uxore, ſemen ei ſuſcitaſſe. Atque hinc factum, ut *Zorobabel Salathielis*, non *Pedajæ* filius appelletur (*Eſdræ* Cap. 3. 2. *Aggæi* 1. 1. *Matthæi* 1. 12. *Lucæ* 3. 27.) Verum hæc mera conjectura eſt, nullo argumento fulta. Reſpondent alii, *Zorobabelis* patrem fuiſſe binominem, *Pedajam* ſcilicet, ac *Salathielem* appellatum. Similiter *Abiud* alio nomine *Meſollam* dictum, vel *Hananiam*.

Ex quo patet Reſponſio ad quintam Objectionem. Quæ nihilominus diluſi aliter poteſt, dicendo cum aliis, *Zorobabelem* præter filios, quorum nomina Libro 1. Paralipomenon recenſentur, adhuc alios habuiſſe, & inter alios *Abiud* a *S. Matthæo* memoratum. Vel *Haſabah* aut *Obel* poſteritatem, quæ in Paralipomenis prætermiſſa eſt, ab Evangeliſta recenſeri. Cur autem ſeries genealogica *Abiud* a Scriptore Sacro Paralipomenon obſervata non fuerit, ratio hæc probabilis reddi poteſt, Quod Genealogia a *S. Matthæo* contexta, & ad *Joſephum* per *Abiud* deducta, fuerit quidem hominum *Davidis* familia progenitorum, ſed obſcurorum admodum, & ea ſingulari Dei diſpenſatione ad ſtatum privatum & ad conditionem vilem & abjectam redactorum. Et quia iſta declinatio in *Abiud* facta eſt, inde forte contigit ut Auctor Sacer Paralipomenon, nec *Abiud*, nec poſterorum ejus, Majorum *Joſephi*, obſcuram prorſus vitam agentium meminerit, ſed illos recenſuerit, qui tum temporis in majori dignitate conſtituti erant, & quorum nomen clarius ac celebrius erat. Genealogiam porro Majorem *Joſephi* per *Abiud* & poſteros *S. Matthæum* deſcripſiſſe ex Tabulis Genealogicis Judæorum, dirigente Spiritu Sancto, probabile eſt. Has enim Genealogias ſumma diligentia Judæi conſcribebant, & aſſervabant, eorum in primis qui ex Tribu Juda, vel ex Tribu Levi, erant oriundi. Ex Tribu Levi, ne Sacerdotium quiſquam ab ea Tribu

alie-

alienus invaderet. Ex Tribu Juda ob Meſſiam ex illa naſciturum. Et quia promiſſio generalis de Meſſia ex Judaica Tribu naſcituro poſtmodum reſtricta fuit ad domum & familiam *Davidis* Regia, veriſimillimum eſt poſteriorum *Davidis* quorumcumque majorem habitam fuiſſe rationem, quam aliorum, ut conſtaret qui a *Davide*, que linea, & quo gradu deſcenderent. Neque vero gratis aſſeritur illud de Tabulis Genealogicis ſtudioſe conſcriptis & aſſervatis, ſed in Scriptura Sacra fundamentum habet 1. *Eſdra* 22. 59. *Et hi qui aſcenderunt de Themala, Thelarſa, Cherub, & Adon, & Emer; & non potuerunt indicare domum Patrum ſuorum & ſemen ſuum, utrum ex Iſrael eſſet*. Item verſic. 61. & 62. *Et de filiis Sacerdotum: Filii Hobia, filii Accoe, filii Berzallai... Hi quaſierunt Scripturam Genealogia ſua, & non invenerunt, & ejecti ſunt de Sacerdotio*. Quod & 2. *Eſdra* 7. 64. repetitur. Et *Nehemias* cenſum Populi acturus; id Tabularum Genealogicarum beneficio exequitur, ut ex eodem Capite compertum eſt. Idem confirmatur ex *Julio Africano* apud *Euſebium* Libro 1. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, Capit. 7. ubi teſtatur, *Herodem* in ejuſmodi Genealogias ſtudioſe inquiſiviſſe, & omni conatu eas abolere ſategiſſe, ne quiſquam Judæorum eum nobilitate generis ſuperare videretur, & genus ſuum ad Patriarchas referre poſſet. Plures tamen Genealogicas familiarum ſuarum Tabulas ex publicis Archivis deſcri-
,, pſiſſe. Cæterum, (*inquit Africanus*) cum ad id
,, uſque temporis in Tabulariis publicis deſcriptæ eſ-
,, ſent origines tam familiarum Hebraicarum, quam,
,, eorum qui ad Proſelytos, id eſt, advenas, genus
,, ſuum referebant, verbi gratia ad Achioe Ama-
,, nitem, eoſque qui ex Ægypto ſimul cum Iſrae-
,, litis egreſſi, per Matrimonia cum ipſis permixti
,, fuerant. Herodes priſcas illas Iſraelitarum fami-
,, lias nihil ad ſe pertinere intelligens, ignobilitatis
,, ſuæ conſcientia ſtimulatus, omnia illa veterum
,, familiarum Monumenta concremavit: Ratus ſe tum
,, demum Nobilem viſum iri, cum nemo eſſet qui ex
,, publicis Monumentis originem generis ſui, vel ad
,, Patriarchas, vel ad Proſelytos, vel ad permixtos
,, Iſraelitis peregrinos, qui Γειώρας dicuntur, poſſet
,, referre. Pauci tamen antiquitatis ſtudioſi priva-
,, tos ſtirpis ſuæ Commentarios, vel quod nomina
,, ipſa memoriter callerent, vel ex Archivis deſcri-
,, ptos penes ſe habentes, in primis gloriabantur,
,, quod avitæ nobilitatis memoriam conſervaſſent.
,, Ex quorum numero erant hi, de quibus ſupra
,, dixi ob propinquitatem generis qua Servatori no-
,, ſtro juncti erant: Δεσπόσυνοι appellati. Qui e Na-
,, zaris & Cochaba Judææ vicis in varias regiones
,, diſperſi, ſupradictam generis ſeriem, ex Epheme-
,, ridum Libro quam poterant fideliſſime expoſue-
,, runt.

Ad Objectionem ſextam reſpondetur, Duos fuiſſe *Salathielee*, unum filium *Jechonia*, alterum filium *Neri*, illum ex linea *Salomonis*, iſtum ex linea *Nathanis*; illius meminiſſe *S. Matthæum* cum Auctore Paralipomenon, iſtius *S. Lucam*. Et certe cum longe alii fuerint *Salathielis* Majores ad *Davidem* uſque apud *S. Lucam*, quam *Salathielis* apud *S. Matthæum*, probabilius eſt utrumque Evangeliſtam diverſarum perſonarum mentionem facere.

Reſpondent alii, ſecuti conjecturam & auctoritatem *Philonis*, Jechoniam binominem fuiſſe, & vocatum etiam *Neri*; hoc ſcilicet nomine inſignitum fuiſſe a Populo poſtquam exaltari cœpit caput ejus ab Evilmerodacho, (4. *Regum* 25.) eo quod lucerna *Davidis* quaſi extincta in eo tum velut reaccenſa fuerit. Sed cum alii *Jechoniæ* parentes, alii *Neri* ab utroque Evangeliſta recenſeantur, diverſos fuiſſe probabilius eſt.

DISSERTATIO X.

DE PROPHETIS QUI TEMporibus Regum Juda & Iſrael claruerunt, & Prophetias ſuas ſcripto tradiderunt ante Captivitatem Babylonicam.

ARTICULUS I.

De Oſee.

I. OSee Prophetarum omnium antiquior, ex Tribu *Iſſachar* oriundus, ſi *Pſeudo-Epiphanio*, & *Pſeudo-Dorotheo* in vitis Prophetarum credatur, oppido *Bethſemes*, non *Belemoth* ut mendoſe ſcripſerunt; Patre *Beri*, non illius *Beera*, cujus mentio habetur 1. *Paralipomenon* 5. ut cenſent Hebræi: Nam præterquam quod diverſa ſunt utriuſque nomina, cum *Oſee* pater *Beeri*, alter *Beera* vocetur, hic Princeps fuit *Tribus Ruben*, ut conſtat ex Paralipomenis, ille ex Tribu *Iſſachar*, ut Sanctus etiam *Hieronymus* teſtatur Cap. 1. Commentarii. Prophetico Munere functus eſt *in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Iſrael*. Vaticinatus eſt ante & poſt Captivitatem Iſrael, quem & futuram denuntiavit, & luxit ingruentem, & præteritam ad emendationem Judæ commemoravit. Primum omnium Prophetarum, non ſolum qui Minores, verum & qui Majores appellantur, futura prædixiſſe, colligitur ex illis verbis Capitis 1. Verſ. 2. *Principium loquendi Domino in Oſee*. Iſtius Prophetæ nomen *Salvatorem* ſignificat. Agit perſonam Dei, Synagogam in adulterio deprehenſam, id eſt, Idolorum cultu contaminatam objurgantis, punientis, repudiantis, aliamque ſponſam aſſumentis. Synagogæ excidium, & Eccleſiæ vocationem prædicit, factiſque etiam repræſentat, Meretricem uxorem accipere juſſus, quam caſtam efficeret, legitimorumque filiorum parentem. Idololatriam, aliaque Iſraelitarum ſcelera vehementer coarguit. Famem & Captivitatem Iſraeli prædicit. Samariæ & Vituli, quem colebat, deſtructionem a *Nabuchodonoſore* vaticinatur. Iſraelem hortatur ad pœnitentiam, converſis bona plurima pollicetur.

Oſee genus & ætas.

Prophetiæ ſumma,

II. De Chriſto & Eccleſia fudit oracula, ſcriptiſque commendavit. Ad Eccleſiam pertinet iſtud Capitis 2. *Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum. Et percutiam eum eis fœdus in die illo, cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ; & arcum & gladium, & bellum conteram de terra; & dormire eos faciam fiducialiter. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum; & ſponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus.... Et miſerebor ejus quæ fuit abſque miſericordia. Et dicam non Populo meo; Populus meus es tu, & ipſe dicet: Deus meus es tu*. An, quæſo, expreſſius prædici potuit Idololatriæ per Chriſtum abolitio; novi fœderis inſtitutio, ad quod Gentes per beſtias agri, volucres cœli, & reptilia terræ ſignificatæ, ut patet ex Actis Apoſtolorum 21. 5. vocantur utriuſque Populi, Judaici & Gentilis in unam Eccleſiam coalitio, & cohabitatio pacifica: Eccleſiæ denique in gratia & fide Evangelii deſponſatio æternum duratura? unde *S. Hieronymus* in Commentario hujus loci; *Ergo* (inquit) *in Adventu Domini Salvatoris, poſt reſurrectionis ejus triumphos, & Aſcenſum ad Patrem, duo parietes angulari Lapide copulati ſunt ab eo qui fecit utrumque unum..... Et vocavit eam quæ dicebatur, Abſque miſericordia, Miſericordiam conſecutam, ut eum qui dicebatur, Non Populus meus, Populum ſuum: Parentiſque omnibus, arcus & gladius conteretur ac bellum. Non enim erant neceſſaria inſtrumenta pugnantium cum qui pugnent defuerint. Jungetur Iſrael Gentibus, & implebitur illud Deuteronomii: Lætamini Gentes cum Populo ejus. Notus enim in Judæa Deus:*

Oſee Vaticinia de Chriſto & eccleſia.

Deuteronomii 32.
Pſ. 75.

In Iſrael magnum nomen ejus, & factus eſt in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion; hoc eſt, in Eccleſia: Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum. Quibus fractis atque contritis, dormient Credentes fiducialiter, & ſub uno Paſtore requieſcent, ſive ſperabunt, ea quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non aſcenderunt, quæ preparavit Deus diligentibus ſe. Et infra: *Iſta Meretrix, quæ primum voce Sponſi in æternos fuerat juncta complexus, ut nunquam a vinculo recederet maritali; quia receſſit, & in Ægypto fornicata eſt, rurſum per Legem aſſumitur: Quam quia præterit, Prophetis quaſi Sponſi Sodalibus, qui ad ſe miſſi fuerant, interfectis; Noviſſime venit Dei Filius Dominus Jeſus: Quo crucifixo, & a mortuis reſurgente, deſponſatur, nequaquam in Legis juſtitia, ſed in fide gratia Evangelii: Ut cum cognoverit Unigenitum, cognoſcat & Patrem.... Qui in fide fuerit deſponſatus, & crediderit Evangelio ſtatim ſciet, quia ipſe ſit Deus, credens in eum quem prius negaverat.*

III. Ad Chriſtum etiam & Eccleſiam pertinet illud Capitis 1. 10. *Et erit in loco ubi dicetur eis; Non Populus meus vos; Dicetur eis, Filii Dei viventis!* Hoc teſtimonium Propheticum de vocatione Populi Gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apoſtoli intellexerunt. Hunc ſcilicet locum ita intellexit *S. Paulus* ad Romanos 9. 26. *Quos & vocavit nos* (inquit) *non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit; Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit; In loco, ubi dictum eſt eis; Non plebs mea vos; ibi vocabuntur Filii Dei vivi.* „Et quia ipſe quoque Populus Gentium ſpiritaliter eſt in filiis *Abrahæ*, ac per hoc recte dicitur *Iſrael*, propterea ſubdit Propheta: *Et congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael pariter; & ponent ſibimet caput unum & aſcendent de terra.* Hoc ſi adhuc velimus exponere, eloquii prophetici obtundetur ſapor. Recolatur tamen Lapis ille angularis, & duo illi parietes, unus ex Judæis, alter ex Gentibus; ille nomine filiorum Juda, iſte nomine filiorum Iſrael, eidem uni principatui ſuo in idipſum innitentes, & aſcendentes agnoſcantur a terra. Iſtos autem carnales Iſraelitas, qui nunc nolunt credere in Chriſtum, poſtea credituros, id eſt filios eorum, idem Propheta teſtatur. Cap. 3. 4. *Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim.* Quis non videat hunc eſſe nunc Judæorum ſtatum? Sed quid adjungat, audiamus, *Et poſt hæc revertentur filii Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & David Regem ſuum; & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus, in noviſſimo dierum.* Nihil eſt iſta Prophetia manifeſtius, cum David Regis nomine ſignificatus intelligatur Chriſtus, *Qui factus eſt*, ſicut dicit Apoſtolus, *ex ſemine David ſecundum carnem*.„ Sic Oſee Oracula *S. Auguſtinus* explicat Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 28.

Epheſ. 2.

Rom. 1. 3.

IV. De Chriſti Reſurrectione tertia die futura, & de noſtro per ipſum ad vitam gratiæ reditu, vaticinatur Oſee Cap. 6. 3. *Vivificabit nos* (inquit) *poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Sciemus, ſequemurque ut cognoſcamus Dominum: Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ.* Quem locum *S. Hieronymus* hoc illuſtrat Commentario: *Percutit ergo Dominus, & curat nos, quia quem diligit corripit, & caſtigat omnem filium quem recipit; & non ſolum curat, ſed vivificat poſt duos dies: & die tertio reſurgens ab Inferis, omne hominum ſecum ſuſcitat genus. Cumque percuſſos curaverit, & curatos vivificaverit, & vivificatos ſuſcitaverit, tunc vivemus in conſpectu ejus, qui, illo abſente, mortui jacebamus. Viventes autem in conſpectu ejus, ſciemus eum, & omni ſtudio ſectabimur, ut cognoſcamus Dominum, quo tertia die reſurgente, ſurreximus.... Et veniet nobis quaſi imber temporaneus, & ſerotinus terræ. Nos Chriſtum recipimus temporaneum, quando fidei in nobis jacta ſunt fundamenta, & ſuſcipiemus eum imbrem ſerotinum, quando maturis ſegetibus fruges ingeremus æternas, & in dominica horrea recondemur.*

V. De Meſſiæ adventu rurſus vaticinatus eſt Cap. 10. 12. *Seminate vobis in juſtitia, & metite in ore miſericordiæ, innovate vobis novale: Tempus autem requirendi Dominum cum venerit qui docebit vos juſtitiam.* Quod in Chriſto Jeſu impletum eſt. *Finis enim Legis, Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti*; ait Apoſtolus Rom. 10. 4.

Oſee Vaticinium de Chriſti fuga in Ægyptum, Ejuſque reditu a Judæorum cavillis vindicatur.

VI. Celeberrimum eſt illud Oſee de fuga Chriſti in Ægyptum, ejuſque reditu Vaticinium Cap. 11. 1. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Quod ad Chriſtum Jeſum pertinere, in eoque impletum eſſe; *S. Matthæus* docet Cap. 2. Evangelii ſui, ubi de *Joſeph* Sponſo Deiparæ Virginis, Chriſtique Nutritio ſic loquitur; *Qui conſurgens accepit Puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis: Ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Obiiciunt Judæi Oraculum illud Oſee ad Chriſtum perperam referri. Prophetam enim loqui manifeſte de Populo Iſraelitico, qui *Filius* a Deo vocatur ob fœdus peculiare cum Iſraelitica Gente initum. Sermonem tantum eſſe eo loci de beneficio Iſraelitis a Deo collato in eorum eductione ex Ægypto. Antecedentia & conſequentia Vaticinium illud ad Populum Iſrael determinare, *Sicut mane tranſiit, pertranſiit Rex Iſrael; Quia Puer Iſrael, & dilexi eum: & ex Ægypto vocavi Filium meum.... Et ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & neſcierunt quod curarem eos.... Non revertetur in Terram Ægypti, & Aſſur ipſe Rex ejus, quoniam noluerunt converti.* De acto præterito & antegreſſo tempore Prophetæ hic agi volunt, non de actu futuro & ſubſequente; *Vocavi*, inquit, non, *Vocabo*. Abſurdum videri, Chriſtum in Ægyptum fugiſſe, & illic fuiſſe uſque ad obitum *Herodis*, ut impleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, cum illud nec ad ingreſſum, nec ad moram in Ægypto, ſed ad egreſſum potius ex Ægypto pertineat, Septuaginta Interpretes diſerte hoc Vaticinium ad Populum Iſraeliticum referre. ὅτι νήπιος Ἰσραὴλ, καὶ ἐγὼ ἠγάπησα αὐτὸν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ. *Quia parvulus Iſrael, & ego dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filios ejus.* Ad Iſraelitas etiam id refert Targum Jonathanis: *Quando puer erat Iſrael, diligebam eum, & ex Ægypto vocavi eos filios. Miſi Prophetas meos ut erudirent eos, ſed ipſi illorum conſpectum refugerunt, Idolis ſacrificantes, & ſimulacris adolentes aromata. Atque ego per Angelum miſſum a facie mea deduxi Iſrael per congruam viam, & portavi eos ferme in brachiis, licet neſcirent a facie mea miſericordiam ſuper ipſos exiiſſe.* Ita & Verſio Syriaca; *Quia dum puer eſſet Iſrael, dilexi eum, & inde ab Ægypto vocavi eum filium meum.* Ita Verſio Arabica: *Quoniam Iſrael, ex quo parvulus erat, ego dilexi, & ex Ægypto vocavi filios ejus.*

Reſpondetur, Oraculum illud Oſee & ad Populum Iſraeliticum, & ad Chriſtum ex mente Prophetæ, & ſenſu Spiritus Sancti referri; ad illum ut typum, ad hunc ut antitypum, Sicut illud 2. Regum 7. *De Salomone* dictum; *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium*; ad Chriſtum, cujus typus *Salomon* fuit, ab Apoſtolo refertur, ad Hebræos 1. 5. & quod de Agno Paſchali dictum eſt, *Exodi* 12. 46. ad Chriſtum, cujus Agnus Paſchalis typus erat, etiam referendum *S. Joannes* docet Evangelii ſui Cap. 19. 36. Sic etiam quæ de *Sara* & *Agar* & *Iſaac* & *Iſmaele* in Scripturis Sacris Veteris Teſtamenti hiſtorice dicta ſunt, ad Myſteria Novi Teſtamenti, quorum typus erant, a Spiritu Sancto referuntur. Ita reſpondet *S. Hieronymus* Commentario in Oſee Cap. 11. „Pro eo, *inquit*, quod nos diximus: *Ex Ægypto vocavi Filium meum*: Septuaginta tranſtulerunt; *Ex Ægypto vocavi filios ejus*: Quod in Hebraico non habetur: Nullique dubium eſt, Matthæum de hoc loco ſumpſiſſe teſtimonium juxta Hebraicam Veritatem. Ergo qui detrahunt noſtræ Tranſlationi, videant Scripturam, de qua Evangeliſta hoc Teſtimonium ſumpſerit, & interpretatus eſt in Domino Salvatore, quando de Ægypto reductus eſt in Terram Iſrael; & cum invenire

„ nire non quiverint, deſinant rugare frontem, ad-
„ ducere ſupercilia, criſpare nares, digitis concrepa-
„ re. Hunc locum in ſeptimo Volumine Julianus
„ Auguſtus, quod adverſum nos, id eſt, Chriſtia-
„ nos evomuit, calumniatur, & dicit: Quod de
„ Iſrael ſcriptum eſt, Matthæus Evangeliſta ad Chri-
„ ſtum tranſtulit, ut ſimplicitati eorum, qui de Gen-
„ tibus crediderant, illuderet. Cui nos breviter
„ reſpondebimus: Primum Matthæum Evangelium
„ Hebræis literis edidiſſe: Quod non poterant le-
„ gere niſi hi qui ex Hebræis erant: Ergo non pro-
„ pterea fecit, ut illuderet Ethnicis. Sin autem
„ Hebræis illudere voluit, aut ſtultus, aut impe-
„ ritus fuit: Stultus, ſi apertum finxit mendacium:
„ Imperitus, ſi non intellexit de quo hæc diceren-
„ tur. Stultitiam ipſum Volumen excuſat, quod pru-
„ denter ordinateque compoſitum eſt; Imperitum non
„ poſſumus dicere, quem ex aliis teſtimoniis Scri-
„ pturarum ſcientiam Legis habuiſſe cognoſcimus. Su-
„ pereſt ut illud dicamus, quod ea quæ τυπικῶς præ-
„ cedunt in aliis, juxta veritatem & adimpletionem
„ referantur ad Chriſtum: Quod Apoſtolum in duo-
„ bus Montibus Sina & Sion, & in Sara & Agar
„ feciſſe cognovimus. Neque enim non eſt Sina Mons,
„ & non eſt Sion; non fuit Sara, & non fuit A-
„ gar, quia hæc Apoſtolus Paulus ad duo retulit Te-
„ ſtamenta. Sic igitur hoc quod ſcriptum eſt: *Par-*
„ *vulus Iſrael, & dilexi eum; & ex Ægypto voca-*
„ *vi filium meum:* Dicitur quidem de Populo Iſrael
„ qui vocatus ex Ægypto, qui diligitur, qui eo
„ tempore poſt errorem Idololatriæ quaſi infans &
„ parvulus eſt vocatus: Sed perfecte refertur ad
„ Chriſtum. Nam & Iſaac in typo Chriſti fuit, quod
„ futuræ mortis ligna ſibi ipſi portaverit; & Ja-
„ cob, quia Liam dolentem oculos, & Rachel pul-
„ chram habuerit uxorem. In Lia quæ major erat,
„ cæcitatem intelligimus Synagogæ: In Rachel pul-
„ chritudinem Eccleſiæ; & tamen qui ex patre ty-
„ pi fuerunt Domini Salvatoris, non omnia quæ fe-
„ ciſſe narrantur, in typo ejus feciſſe credendi ſunt.
„ Typus enim partem indicat. Quod ſi totum præ-
„ cedat in typo, jam non eſt typus, ſed Hiſtoriæ
„ veritas appellata eſt. Cum itaque & de Iſraele,

& de Chriſto qui potiori titulo Dei Filius eſt, ge-
nitus quippe in illo *hodie* æternitatis; & antonomaſtice *Dilectus in quo Patri complacuit*, Vaticinium illud intelligatur, potuit Propheta verbo præteriti temporis, *Vocavi* non minus ac verbo futuri uti; maxime cum ſolemne ſit Prophetis futura quaſi jam præterita enuntiare, ut norunt qui in illorum lectione non penitus ſunt hoſpites & peregrini. Unde illa Rabbinorum Regula. *Linguam Propheticam loqui de futuro tamquam de præterito, & dictum Dei haberi pro facto.* Nec refert, quod Septuaginta illud Vaticinium ad ſolum Iſraelem referant, idemque faciant, Chaldæus Paraphraſtes, & Interpretes Syrus & Arabs: Hebraicæ namque veritatis major eſt apud nos & contra Judæos auctoritas, quam exprimit Latina Verſio Vulgata; & quam S. *Matthæus* Hebraice & ipſe ſcribens, ſecutus, & Spiritus Sancti afflatu interpretatus eſt. Evocatio denique Chriſti ex Ægypto, fugam ejus in Ægyptum, & moram ibidem connotat, Cum ex Ægypto non poſſit evocari qui Bethleemi natus eſt, niſi illuc ſeceſſerit. Cum itaque *S. Matthæus*, Chriſtum fugiſſe in Ægyptum tradat, ibique moram feciſſe teſtetur *Uſque ad obitum Herodis*, quo mortuo, *Joſeph*, monente Angelo, *Accepit Puerum, & Matrem ejus, & venit in Terram Iſrael*, Id eſt factum eſſe aperte notavit, *Ut impleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Fuere qui *S. Matthæum*, non *Oſee*, ſed *Balaami* Vaticinium reſpexiſſe opinati ſint, *Numerorum* 24. 8. his verbis conceptum; *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis.* Ita *Euſebius* Libro 9. *Demonſtrationis Evangelicæ*, Cap. 3. & 4. *S. Hieronymus* Commentario in Cap. 2. *Matthæi* ad illa verba: *Ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum:* Quæ ſic illuſtrat: *Reſpondeant, qui Hebræorum Voluminum denegant veritatem, ubi hoc in Septuaginta legatur Interpretibus. Quod cum non invenerint, nos eis dicemus, in Oſee Propheta ſcriptum, ſicut & Exemplaria probare poſſunt, quæ nuper edidimus. Poſſumus autem locum illum & aliter conſolari, propter contentioſos, quorum conſuetudinem Paulus Apoſtolus habere ſe denegat, & Eccleſiam Chriſti: & teſtimonium proferimus ex Numeris, dicente Balaam: Deus ex Ægypto vocavit eum, Gloria ejus ſicut unicornis.* Sed veriſimile non eſt *S. Matthæum* locum illum Numerorum ſpectaſſe: Primo quia verba *S. Matthæi* cum *Balaami* verbis minus conveniunt, quam cum verbis *Oſee*. Secundo quia *Balaam* cum elogio Prophetæ ſimpliciter non laudaſſet. Tertio quia Populo Iſraelitico ita conveniunt illa *Balaami* verba, ut accommodari Chriſto non poſſint, ſicut nec locus parallelus Capitis 23. 22. Vaticinium autem *Oſee* & Iſraelitico Populo, & Chriſto Jeſu aptiſſime convenit, ut explicuimus.

VII. De Chriſti ad inferos deſcenſu & Reſurrectione inſigne illud Vaticinium edidit *Oſee*, Capit. 13. 14. *Ero mors tua, o mors; morſus tuus ero Inferne.* Quod oraculum de Chriſti Reſurrectione, quæ reſurrectionis noſtræ, tum corporum tum animarum cauſa eſt, Apoſtolus interpretatur 1. ad Corinthios 15. 54. 55. 56. 57. *Cum autem*, inquit, *mortale hoc induerit immortalitatem tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors victoria tua? Ubi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt: Virtus vero peccati Lex, Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

ARTICULUS II.

De Joele.

JOel filius *Phatuel*, cujus incerta Tribus, quamvis Rubenitam *Pſeudo-Epiphanius* faciat; *Oſee* coævus fuit, ut *S. Hieronymus* cenſet Præfatione in 12. Prophetas, & Præfatione in *Joel*. Nam in Hebraicis Codicibus Prophetiæ *Oſee* ſubnexa eſt Prophetia *Joelis*. Quibuſcumque autem Prophetarum Libris tempora nota præfixa non eſt, hi ad ea tempora ſunt referendi, quæ in Libro Prophetiæ proxime præcedentis adnotata ſunt. *In quibus autem tempus non præfertur in titulo* (inquit S. Hieronymus) *ſub iis Regibus prophetaſſe* ſunt cenſendi, *ſub quibus & hi, qui ante eos habent titulos, prophetaverunt.* Idem aſſerit *Theodoretus* præfatione in *Joelem*, additque ex ejus Prophetia colligi, eo tempore futura prædixiſſe, quo mirificus *Oſee* vaticinatus eſt. *Eadem enim* (inquit) *& ipſe prædicit, Aſſyriorum & Babyloniorum incurſum: Captivitatem & ſervitutem Iſraelis, reditumque ex Captivitate. Prædicit etiam quæ poſt reverſionem acciderunt.* Verum deceptus eſt *Theodoretus*, Pater alioquin doctiſſimus & accuratiſſimus. Non enim ad decem Tribus, ſed ad Juda & Jeruſalem *Joelis* Prophetia edita eſt, ut *S. Hieronymus* obſervat Commentario in Cap. 1. Quomodo (*in-*

Joelis genus & ætas.

Joel non prophetavit ad decem Tribus.

„ *quit*) in Oſee Propheta ſub nomine Ephraim ad
„ decem Tribus conſertur Vaticinium; quæ vel Sa-
„ maria, vel Iſrael ſæpe memorantur. Sic in Joel,
„ qui juxta Hebræos ſecundus eſt, omne quod di-
„ citur ad Tribum Juda, & ad Jeruſalem pertinere
„ credendum eſt, & nullam omnino Iſraelis, id eſt
„ decem Tribuum in hoc fieri mentionem. Tempo-
„ ra quoque quibus prophetavit, eadem debemus ac-
„ cipere, quæ & in Oſee legimus: In diebus Oziæ,
„ Joathan, & Achaz, & Ezechiæ Regum Juda, &
„ in diebus Jeroboam filii Joas Regis Iſrael: *Judæ*
„ *certe, non Iſraeli, Hieroſolymis, non Samariæ iſta con-*
„ *veniunt*: Accingite vos, & plangite, Sacerdo-
„ tes, ululate Miniſtri Altaris, ... Quoniam inte- *Joel. 1.*
„ riit in Domo Dei veſtri Sacrificium & Libatio.
„ Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate
„ Senes, omnes habitatores terræ in Domum Dei
„ veſtri...... Canite tuba in Sion, ululate in
„ Monte Sancto meo.... Canite tuba in Sion, ſan-
„ ctificate jejunium, vocate Cœtum.... Inter ve-
„ ſtibulum & Altare plorabunt Sacerdotes Miniſtri
„ Domini...., In diebus illis, & in tempore illo, *Joel. 2.*
„ cum convertero captivitatem Juda & Jeruſalem.. *Joel. 3.*
... Et

„ . . Et Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem „ dabit vocem ſuam . . . . Ægyptus in deſolationem „ erit, & Idumæa in deſertum perditionis, pro eo „ quod inique egerint in filios Juda, &c. Diram famem Judæis imminentem *Joel* prædixit, aliam certe ab ea quæ per ſeptem annos Judæam vexavit, *Jorami* temporibus. Illa enim naturæ vitiis exorta: Quæ vero a *Joele* prædicta hoſtili devaſtatione invecta eſt. 2. Quatuor plagas contra Juda vaticinatur, ſeu quatuor hoſtes potentiſſimos, a quibus affligendus eſt, ſub ſymbolis erucæ, locuſtæ, bruchi, & rubiginis. Eruca Aſſyrios ſignificat, Babylonios atque Chaldæos, qui de uno climate procedentes, Iſraelis pariter & Judæ Terras vaſtarunt. Locuſta Medos & Perſas, qui ſubverſo Chaldæorum Imperio Judæos habuere captivos. Bruchus, Macedonas, & omnes *Alexandri Magni* Succeſſores, maximeque *Antiochum Epiphanem*, qui inſtar bruchi ſedit in Judæa & omnes priorum Regum reliquias devoravit. Rubigo Imperium Romanorum, qui Templo & urbi Hieroſolymorum excidium intulere. Sic Hebræi Vaticinium iſtud explicant: *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* Quam eorum interpretationem probat *S. Hieronymus*. 3. Sub typo Excidii Hieroſolymitani & vaſtationis totius Judææ, *Joel* excidium orbis & Judicium ultimum præfigurat. 4. Sacerdotes ad planctum, jejunium, & orationem hortatur, quibus iram Dei placent. 5. De Chriſto & Eccleſia vaticinatur.

Summa Prophetiæ Joelis.

Vaticinia Joelis de Chriſto & Eccleſia. De Miſſione Spiritus Sancti.

II. Chriſtum deſignat illud *Joelis* Vaticinium Cap. 2. 23. 27. 28. *Et filii Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro: Quia dedit vobis Doctorem Juſtitiæ . . . . Et ſcietis quia in medio Iſrael ego ſum: & ego Dominus Deus veſter, & non eſt amplius; & non confundetur Populus meus in æternum. Et erit poſt hæc: Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem; & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & Juvenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Quæ de Chriſto ſine dubio ſunt intelligenda, quem Pater æternus Doctorem Juſtitiæ nobis dedit, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus: Ipſum audite.* Et qui a *Joanne* baptizandus, cum ille cunctaretur, dixit: *Sine modo: Sic enim decet nos implere omnem Juſtitiam.* Et qui poſtquam devicta morte & hominum redemptione conſummata in Cœlum aſcendit, Spiritum Sanctum, cum variorum chariſmatum donis in Apoſtolos, & Diſcipulos effudit. De Chriſto, & de Spiritus Sancti ab ipſo Miſſione hæc intelligenda eſſe docet *S. Petrus*, Actuum 2. 15. 16. 17. 18. Cujus interpretationem, ut par eſt, amplectuntur Patres omnes, & tota qua late patet Eccleſia Catholica. Et ex Judæis *R. Saadias Gaon in Libro Fidei, & R. Mochir in pulvere Aromatico*, aliique Rabbinorum eruditiſſimi hæc ad Meſſiæ tempora pertinere fatentur. Fruſtra ergo, ut temere *Grotius* hoc Oraculum ad *Iſaiam* refert, qui Doctor Juſtitiæ fuerit deſignatus, & cujus temporibus Prophetæ & Prophetides extiterint. Amplius enim vero & uberius cœleſtia Gratiæ donum, & Sancti Spiritus effuſionem largiorem Deus apud *Joelem* pollicetur, quam priſcis temporibus hominum generi conceſſerat; quod *Iſaiæ* ævo non contigit, ſed poſt adventum Chriſti, de quo *S. Petrus* Actuum 2. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus Sancti accepta a Patre effudit hunc quem vos videtis, & auditis.* Et *S. Paulus* ad Titum 3. 4. 5. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Ad ſalutem, per Chriſtum partam, & ad ſpiritalem Jeruſalem, ſcilicet Eccleſiam extra quam nemo ſalutem illam obtinet, hoc *Joelis* Oraculum pertinere quis non videat? Cap. 2. 32. *Et erit omnis qui invocaverit Nomen Domini, ſalvus erit: Quia in Monte Sion, & in Jeruſalem erit ſalvatio, ſicut dixit Dominus, & in reſiduis quos Dominus vocaverit.* Eccleſiam perenni Chriſti præſentia ornatam, Sanctam, Baptiſmo a Chriſto inſtituto quaſi jugi fonte conſpicuam, & Gentes quæ per ſpinas indigitantur proluentem, ac irrigantem, deſignat idem Propheta Cap. 3. 17. 18. *Et ſcietis quia ego Dominus Deus veſter habitans in Sion Monte Sancto meo; & erit Jeruſalem Sancta, & alieni non tranſibunt per eam amplius. Et erit in die illa: Stillabunt Montes dulcedinem, & colles fluent lacte; & per omnes rivos Juda ibunt aquæ; & fons de Domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.*

Luc. 9. 35.

Matth. 5. 15.

Grotius refellitus.

Vaticinia de ſecundo Chriſti adventu.

De ſecundo Chriſti adventu ad homines univerſos, vivos & mortuos judicandos, extant inſignia ejuſdem Prophetæ Vaticinia, Cap. 2. *Canite tuba in Sion, ululate in Monte Sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia prope eſt, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis. . . . Ante faciem ejus ignis vorans, & poſt eum exurens flamma . . . . A facie ejus contremuit Terra, moti ſunt Cœli; Sol & Luna obtenebrati ſunt, & Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum . . . . Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? . . . . Et dabo prodigia in cœlo & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem; antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Cap. 3. *Congregabo omnes gentes, deducam eas in Vallem Joſaphat; & diſceptabo cum eis ibi ſuper Populo meo, & hereditate mea Iſrael, quos diſperſerunt in Nationibus, & terram meam diviſerunt . . . . Conſurgant, & aſcendant Gentes in Vallem Joſaphat: Quia ibi ſedebo ut judicem omnes Gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturavit meſſis: Venite & deſcendite, quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata eſt malitia eorum. Populi Populi in Valle conciſionis. Sol & Luna obtenebrati ſunt, & Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam; & movebuntur cœli, & terra; & Dominus ſpes Populi ſui, & fortitudo filiorum Iſrael.*

ARTICULUS III.

De Amoſo.

Amoſi genus, ætas, Martyrium.

I. AMos Paſtor ſeu Armentarius Thecuita, ex Tribu Juda, ut *Euſebius* & *SS. Hieronymus* ac *Cyrillus Alexandrinus* docent, non ex Tribu Zabulon, ut *Pſeudo-Epiphanius* aſſerit, *Oziæ* Regis Juda, & *Jeroboam* Regis Iſrael temporibus vaticinia edidit, biennio ante terræ motum, ut ipſe teſtatur initio Prophetiæ ſuæ. Eum terræ motum & Hebræi Scriptores, & *S. Hieronymus*, necnon *Joſephus* Libro 9. *Antiquitatum*, Cap. 2. ad illud tempus referunt, quo Rex *Oſias*, ob attentata Munera Sacerdotalia lepra percuſſus eſt: Sed repugnat Chronologia Sacra, quæ *Joathan Oziæ* filium, tunc adminiſtrandi Regni capacem per ætatem fuiſſe docet, cum pater lepra percuſſus in domo ſeparata extra Urbem degere compulſus eſt. *Jeroboamum* vero, quo regnante contigit inſignis ille terræ motus, obiiſſe ante nativitatem *Joathanis*. Crebras *Amoſus* ab impio Bethelis Sacerdote *Amaſia* inflictas plagas, cum Idolorum cultum ſumma libertate carperet, mortem denique ipſi ab *Amaſiæ* filio illatam, eliſa clava temporibus, narrant *Pſeudo-Epiphanius* & *Pſeudo-Dorotheus*, & Martyrologium Romanum ad diem 31. Martii. De vocatione ſua, & perſecutione *Amaſiæ*, hæc ipſe habet Cap. 7. *Miſit Amaſias Sacerdos Bethel ad Jeroboam Regem Iſrael, dicens: Rebellavit contra te Amos . . . . Hæc enim dixit Amos: In gladio morietur Jeroboam, & Iſrael captivus migrabit de terra ſua. Et dixit Amaſias ad Amos: Qui vides, gradere & fuge in terram Juda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adjicies ultra ut prophetes, quia ſanctificatio Regis eſt, & Domus Regni eſt. Reſponditque Amos, & dixit ad Amaſiam: Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros: & tulit me Dominus cum ſequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad Populum meum Iſrael.*

Amoſi teſtimonia a poſterioris ævi Scriptoribus Sacris uſurpata.

Ex *Amoſo* Propheta teſtimonium profert Auctor Sacer Libri *Tobiæ*, Cap. 2. 5. 6. *Cumque exultaſſet corpus, manducavit panem cum luctu & tremore, me-*

mutans illum ſermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam, Dies Feſti veſtri convertentur in lamentationem & luctum. Sic autem habet *Amos*, Cap. 8. 10. *Et convertam Feſtivitates veſtras in luctum, & omnia Cantica veſtra in planctum.* Ejuſdem Oraculum profert *S. Stephanus* Actuum 7. 43. *Scriptum eſt in Libro Prophetarum: Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & Sidus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis adorare eas.* Ipſa verba ſunt *Amoſi* Cap. v. 25. 26. Hæc autem ſumma Prophetiæ *Amos*. Ultionem Dei in Syros, Damaſci nomine, quæ Syriæ Metropolis erat deſignatos, in Philiſtæos, Tyrios, Idumæos, Ammonitas, ac Moabitas vaticinatur: Quos ſuper tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non convertet, id eſt, propter multa ſcelera non parcet. Sub typo vaccarum pinguium in Optimates Samariæ invehitur; Quorum idololatriam & ſævitiam in pauperes coarguit. Incurſionem *Sennacherib* Regis Aſſyriorum in Iſraelitas cum ingenti Exercitu, ſub typo locuſtæ herbam germinantem devorantis, prædicit: *Nabuchodonoſor* vero ſub typo ignis, qui devoravit abyſſum multam, id eſt, cunctas Urbes Judææ: & concidit ſimul partem, id eſt, Templum Domini ſuccendit. Captivitatem etiam ſub figura trullæ cæmentarii vaticinatur: Se vidiſſe dicens Dominum ſtantem ſuper murum cum trulla qua murum Jeruſalem illiniebat & incruſtabat, projicientem trullam, & deſerentem murum, id eſt, protectionem ſuam ſingularem auferentem ab Iſrael. Jeroboam occidendum, & Populum abducendum in captivitatem, clarius prædicit. Sub parabola uncini pomorum, finem Regni Iſraelis denuntiat, ab Aſſyriis nimirum carpendos & deportandos Iſraelitas, ſicut uncino poma ex arbore decerpuntur, & excutiuntur. Dominum denique miſſurum famem in terram: *Non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.*

Propbetia ſumma.

Amoſi Vaticinium de Chriſto & Eccleſia contra Grotium vindicatur.

II. De Chriſto & Eccleſia ſplendidum edidit Vaticinium *Amos* Cap. 9. 2. *In die illa* (inquit) *ſuſcitabo Tabernaculum David, quod cecidit; & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea quæ corruerant, inſtaurabo, & reædificabo illud ſicut in diebus antiquis.* Quod Vaticinium de Chriſto & vocandis ab ipſo Gentibus interpretatur S. Jacobus *Actuum* 15. 14. dicens in Concilio Hieroſolymitano: *Simon narravit quemadmodum primum Deus viſitavit ſumere ex gentibus Populum nomini ſuo. Et huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc revertar, & reædificabo Tabernaculum David, quod decidit; & diruta ejus reædificabo, & erigam illud; ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes Gentes ſuper quas invocatum eſt Nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.* Ipſi Judæi in Libro Thalmudico *Sanhedrim*, Cap. ultimo, memoratum hic Tabernaculum David Meſſiam eſſe volunt. Temere itaque *Grotius* Tabernaculum illud David, cujus inſtaurationem prædicit Propheta, *Domum Davidis in Zorobabele* & *Urbem Hieroſolyma* interpretatur. Verum de terrena Jeruſalem, & carnalibus Judæis hæc non intelligi probant verba ſequentia: *Ut poſſideant reliquias Idumææ, & omnes Nationes, eo quod invocatum ſit Nomen meum ſuper eas; dicit, Dominus faciens hæc.* Nec enim Zorobabelis temporibus, nec ſequenti ætate, omnes Nationes Judaico Imperio ſubditæ fuerunt, imo in alienam Judaica ipſa Gens ditionem tranſiit. Idem probat Verſus ultimus ejuſdem Capitis, & totius Vaticinii concluſio: *Et plantabo eos ſuper humum ſuam: & non evellam eos ultra de terra ſua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.* At Judaica Gens ſedibus ſuis ita depulſa & exterminata eſt, ut nullam umquam longiori & infeliciori exilio damnatam in Hiſtoriis legamus. Accedit ad iſtius interpretationis confirmationem Patrum Auctoritas, quibus uſ ſuegere *Grotius* debuiſſet.

S. Hieronymi in hunc locum: *Ubi*, inquit, *Apoſtolorum præceſſit Auctoritas, maxime Petri & Jacobi, quos columnas Eccleſiæ Vas electionis vocat: Ibi omnis variæ explanationis tollenda ſuſpicio eſt, & quod a tantis viris expoſitum, hoc ſequendum.* Mox prolato *S. Jacobi* in Actis Apoſtolorum teſtimonio, ſubdit: *Hoc igitur Tabernaculum David, quod ceciderat: (Ceciderat autem in his qui dicunt, non appropinquabit, & non veniet ſuper nos malum: Quos Dominus crebro ſua contriverat & probaverat, & quorum aream Majeſtatis ſua purgaverat ventilabro, & quicumque peccatores fuerant, interfecit gladio:) Nunc juxta conſuetudinem Scripturarum, poſt tormenta, poſt pœnas, proſpera & læta promittens, ſuſcitaturum eſſe ſe dicit; & in Reſurrectione Domini omnia reſtituturum: Ut quod in Synagogis ceciderat, ſurgat in Eccleſiis; & poſſideant credentes reliquias Idumææ, & omnes Nationes: Ut quicquid reliquum fuerit de Regno ſanguinario atque terreno, in cæleſtia Regna mutetur, & omnes Gentes quæ oblitæ ſunt Dominum, convertantur & revertantur ad eum* ...... *Et in hoc Propheta, & in cæteris quæcumque de ædificatione Jeruſalem & Templi, & rerum omnium beatitudine prædicantur, Judæi in ultimo tempore vana ſibi expectatione promittunt, & carnaliter implenda commemorant: Nos autem qui non occidentem Literam, ſed Spiritum ſequimur vivificantem, jam in Eccleſia convincimus expleta, & quotidie impleri in ſingulis, qui ruentes per peccatum reædificantur per pœnitentiam.*

S. Auguſtini Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 28. ubi illud *Amoſi* Prophetæ Oraculum ad Chriſtum & Eccleſiam pertinere docet: Nec non illud Capitis 4. 10. 13. ſecundum Verſionem 70. Interpretum, quam tunc ſequebatur Eccleſia: *Præparare ut invoces Deum tuum, Iſrael. Quia ecce ego firmans tonitruum, & creans Spiritum, & annuntians in homines Chriſtum ſuum.* Pro quo Vulgata noſtra habet: *Præparare in occurſum Dei tui, Iſrael. Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium ſuum*, Chaldaica Paraphraſis: *Adorna te, ut ſuſcipias doctrinam Legis Dei tui, Iſrael. Ecce namque fit conſpicuus qui plaſmavit Montes, & creavit ventum, ut annuntiet hominibus quanta ſint ejus opera, & ut præparet lumen Juſtis quaſi lumen matutinum.*

Theodoreti Commentario in hunc locum *Amoſi* Prophetæ, eam interpretationem refellentis, quam *Grotius* amplectitur. *Hæc quidam*, inquit, *de Zorobabel acceperunt, ei convenire exiſtimantes, quod genus ſuum in David traheret. Nec animadvertere voluerunt, Zorobabel, cum brevi tempore præfuiſſet, e vita exceſſiſſe: Prophetiam autem æternorum bonorum promiſſionem continere, & omnes Gentes cogniturus Deum, quorum nihil Zorobabelis geſtis congruere invenimus. At Dominus noſter Jeſus-Chriſtus, quantum ad carnem pertinet, genus ducens a David, Davidi factam promiſſionem com-*
„ *plevit.* Nam Verbum caro factum eſt, & habita- Joan. 1.
„ vit in nobis, *accepto ex David Tabernaculo. Convenienter igitur propheticus ſermo David Tabernaculum reædificandum dicit, non in breve tempus, ſed in æternum. Talia enim etiam erga Beatum David Dei*
„ *promiſſa fuerunt.* Et ponam in ſæculum ſæculi ſe- Pſ. 88.
„ men ejus; & thronum ejus ſicut dies Cœli. *Et*
„ *rurſus*: Uſque in æternum præparabo ſemen tuum.
„ Et ædificabo in generationem & generationem Se-
„ dem tuam. *Hanc eamdem promiſſionem per Beatum quoque Amos renovat univerſorum Dominus, pollicetur-que item Gentibus donum cognitionis Dei. Nam Davidico, inquit, Tabernaculo reædificato, cæteri homines me requirent, omneſque Gentes ſuper quas invocatum eſt Nomen meum.... Quoniam vero non omnes ſpirituales promiſſiones attendere poterant, etiam bonorum corporeorum largitionem promittit.*

Interpretationi quidem *Grotii* favet *S. Cyrillus Alexandrinus*, ita tamen ut iſtius Oraculi *interior ac verior ſenſus ad Chriſtum pertinuerit. Poſtquam enim revixit, & Tabernaculum ejus in mortem collapſum (hoc eſt carnem) de Terra Deus & Pater excitavit, tunc humana omnia in antiquam formam dignitatem-que excitata ac reſtituta ſunt, & res noſtræ omnes quæ*
„ *proſtrata jacebant, faciem novam induerunt.* Si qua 2. Cor. 5.
„ enim in Chriſto nova Creatura, *juxta Scripturam. Una quippe cum eo reſuſcitati ſumus. Et mors quidem omnium Tabernacula evertit, Deus autem & Pater in Chriſto reædificavit. Atque iſthæc nobis non definito annorum numero, ſed diebus ſæculi manebit. Bonum enim incorruptionis amittere nequibimus, nec de cætero mors de ſalvatis in Chriſto triumphabit. Tunc & reliqui homines poſt eos qui ex Iſrael crediderunt, veteri illo & profano errore deſerto, eum qui natura ac vere Deus eſt, cognoverunt.*

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De Abdia.

I. **A***Bdiam*, cujus incerta Patria Tribuſque, quamvis Sichimitem fuiſſe *Pſeudo-Epiphanius* & *Pſeudo-Dorotheus* aſſerant, Hebræi plerique *Achabi* Regis Iſrael ætate floruiſſe tradunt, atque hunc ipſum eſſe *Abdiam* Regiæ Domus Diſpenſatorem, qui, cum *Jezabel* interficeret Prophetas Domini, tulit centum Prophetas, & abſcondit eos, & pane & aqua ſuſtentavit. (3. Regum 18. 4.) Quinquagenarium hunc eſſe ajunt *Pſeudo-Epiphanius* & *Pſeudo-Dorotheus*, qui ab *Ochozia* ad *Eliam* miſſus, duobus jam igne cœleſti abſumptis, ſimilem pœnam pietate ſua effugit, deductoque ad Regem Propheta, ei demum comes adhæſit. *Clemens Alexandrinus* Libro 1. *Stromatum*, & *Euſebius* in Chronico, *Eliæ* coævum faciunt. Alii ad *Jeremiæ* & *Ezechielis* ætatem detrudunt, his freti verbis Verſ. 2. *In die cum ſtares adverſus eum, quando capiebant alieni Exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & ſuper Jeruſalem mittebant ſortem: Tu quoque eras quaſi unus ex eis.* Et Verſ. 13. *Neque ingredieris portam Populi mei in die ruinæ eorum.* Et Verſ. 15. 16. *Quoniam juxta eſt dies Domini ſuper omnes Gentes: Sicut feciſti, fiet tibi; Retributionem tuam convertet in caput tuum. Quomodo enim bibiſtis ſuper Montem Sanctum meum, bibent omnes Gentes jugiter.* Sed quamvis ad Chaldæorum incurſionem & Hieroſolymorum excidium hæc pertinere concedamus, quis neſcit de rebus futuris, tanquam præteritæ eſſent, Prophetas loqui ſolere? Id itaque non cogit ut a communi ſententia diſcedamus, quæ SS. *Hieronymi*, *Cyrilli Alexandrini*, & *Theodoreti* auctoritate nititur, & confirmatur ex ordine quo *Abdiam* collocarunt priſci Canonis Librorum Sacrorum Auctores, inter *Amoſum* & *Jonam*. Probabilius itaque nobis videtur, ipſum *Oſeæ*, *Joelis*, & *Amoſi*, necnon *Iſaiæ*, æqualem fuiſſe, & ſub iiſdem Regibus Prophetiam ſuam ediſſe. Unde *Jeremias*, Cap. 49. & *Ezechiel*, Cap. 25. ab eo multa mutuantur, & iiſdem pene verbis exprimunt ea, quæ Idumæa ipſorum tempore a *Nabuchodonoſore* paſſa eſt, iis valde ſimilia quæ olim a *Sennacherib* paſſa erat. Quam cladem, exitiumque Judæorum, ac Iſraelitarum in eos dominationem Abdias vaticinatus.

Ætas Abdiæ.

II. De Chriſto & Eccleſia vaticinatus eſt *Abdias* his verbis: *Et in Monte Sion erit ſalvatio, & erit Sanctus; & poſſidebit Domus Jacob eos qui ſe poſſederant.... Et aſcendent Salvatores in Montem Sion judicare Montem Eſau, & erit Domino Regnum.* Meſſiæ hoc Vaticinium aſcribit *Maimonides*. Jeſus Chriſtus & ejus Apoſtoli, Salvatorum nomine a Propheta deſignantur. Sion, unde Nova Lex proficiſci, & ubi Eccleſia fundari debuit, Eccleſiam ipſam ſignificat; Eſau, Eccleſiæ perduelles, qui Chriſtum Regem agnituri ſunt. *Abdiæ* Oraculum in Chriſto Jeſu impletum Evangeliſtæ confirmant. Matthæi 1. 21. *Joſepho* ait *Angelus: Vocabis nomen ejus Jeſum: Ipſe enim ſalvum faciet Populum ſuum a peccatis eorum.* Lucæ 1. 33. *Et regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Quod Oraculum Amoſi S. *Hieronymus* præclaro hoc illuſtrat Commentario: *Deſtructis*, inquit, *carnis operibus, & terreno Imperio diſſoluto, erit in Eccleſia ſalvatio meum, qui a Matre non exierint. Et in ipſa morabitur Sanctus: De quo in Iſaia dicitur: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Quia & qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex uno omnes. Et poſſidebit Domus ſupplantatoris Jacob eos qui ſe hereditate poſſederant, de perſecutoribus faciens Chriſtianos, & ipſos Idumæos in Eccleſiæ fidem recipiens. Domus autem Eſau vertetur in ſtipulam. Et quo modo ignis ardorem culmus non valet ſuſtinere: ita diſputationem Jacob, quæ ignita eſt ſermone Domini, (Eloquia enim Domini igne examinata) & flammam Joſeph, Domus Eſau ſuſtinere non poterit: Sed ad primam congreſſionem ſophiſmata eorum vertentur in nihilum. Et devorabuntur in ſalutem ſuam; juxta illud quod in benedictione Iſaac*

Abdiæ Vaticinia de Chriſto & Eccleſia.

„ *dicitur ad Eſau:* Dominum tuum illum feci, & „ omnes fratres tuos ſubjeci ei ſervos: Fratrique tuo „ ſervies. *Et non erunt reliquiæ Domus Eſau, quando omnia Chriſto genu flectent, cœleſtium & terreſtrium, & infernorum, & ſubjicientur ei univerſa, ut ſit Deus omnia in omnibus. Quia vero Eſau ſuper fundamentum Chriſti vitio ſuo extruxerat fœnum, ligna & ſtipulam: Idcirco domus Jacob & Joſeph in ignem vertetur & flammam, imitans Dominum ſuum, qui dicit:* Ego ſum Deus ignis conſumens: *Ut devoratis paleis peccatorum, frumentum purum in horrea congregetur.* Et pluribus interjectis ſubdit: *His autem geſtis aſcendent Salvatores, vel qui ſalvati fuerint, de reliquiis Populi Judaici, in Montem Sion, ut judicent & ulciſcantur Montem Eſau. Quo modo lumen Dominus lucem appellat Apoſtolos, & dicit:* Vos eſtis Lux Mundi; *& ipſe Petra Petro donavit ut petra ſit: Paſtor quoque bonus illis Paſtorum largitus eſt nomina, quodcumque dicitur de eo, ſervis tribuit ut dicantur: Sic ipſe Salvator Apoſtolos ſuos voluit eſſe Salvatores: Qui aſcendere ſpeculam Montis Eccleſiæ, & deponentes ſuperbiam Judaicam, univerſorumque Montium, qui adverſus ſcientiam Dei erigebantur, Regnum Domino paraverunt.*

Geneſ. 27.

Deuter. 4.

Eam interpretationem confirmat & S. *Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 31. *Si Idumæam*, inquit, *modo locutionis, quo intelligitur a parte totum, accipiamus poſitam eſſe pro Gentibus: De Chriſto agnoſcere poſſumus, quod ait inter cætera:* In Monte autem Sion erit ſalus, & erit Sanctum. *Et paulo poſt in fine ipſius Prophetiæ:* Et aſcendent, *in*„ *quit*, reſalvati ex Monte Sion, ut defendant Mon„ tem Eſau, & erit Domino Regnum. *Apparet quippe id eſſe completum, cum reſalvati ex Monte Sion, id eſt, ex Judæa credentes in Chriſtum, qui præcipue agnoſcuntur Apoſtoli, aſcenderunt, ut defenderent Montem Eſau. Quomodo defenderent, niſi per Evangelii prædicationem, ſalvos faciendo eos qui crediderunt, ut eruerentur de poteſtate tenebrarum, & transferrentur in Regnum Dei; quod conſequenter expreſſit addendo.* Et erit Domino Regnum: *Mons enim Sion Judæam ſignificat, ubi futura prædicta eſt ſalus, & Sanctum, quod eſt Chriſtus Jeſus. Mons vero Eſau Idumæa eſt, per quam ſignificata eſt Eccleſia Gentium, quam defenderunt, ſicut expoſui, reſalvati ex Monte Sion, ut eſſet Domino Regnum. Hoc obſcurum erat, antequam fieret; Sed factum quis non fidelis agnoſcat?*

Eidem interpretationi ſubſcribit *Theodoretus*, hæc verba, *In Monte Sion erit ſalus, & erit Sanctum*, ſic explicans: *Reducam enim eos ex Captivitate, & Sanctum Templum reædificabo. Una autem pronunciat exhibitam omnibus in Sion ſalutem, indeque in omnem orbem terrarum profuſam ſanctificationem per Crucem ſalutarem.*

ARTICULUS V.

De Jona Propheta.

I. **J***Onas*, non Viduæ Sareptanæ filius, ut comminiſcuntur Hebræi, ſed filius *Amathi*, de *Get Opher* oriundus fuit, ut Scriptura Sacra tradit (4. Regum 14. 25.) Eſt autem *Get-Opher* oppidum non longe a Sephori, quæ Diocæſarea appellatur, verſus Tiberiadem in Tribu *Zabulonis*, ubi & *Jonæ* ſepulcrum ſua ætate oſtenſum S. *Hieronymus* teſtatur. Coævus fuit *Oſeæ*, *Joeli*, *Amoſo*, *Abdiæ*, *Iſaiæ*. Partam a *Jeroboamo* filio *Joas* Regis Iſrael de Syris victoriam prædixit, ut habetur 4. *Regum* Cap. 14. 25. *Ipſe reſtituit terminos Iſrael ab introitu Emat, uſque ad Mare ſolitudinis, juxta ſermonem Domini Dei Iſrael, quem locutus eſt per ſervum ſuum Jonam filium Amathi, Prophetam, qui erat de Geth, quæ eſt in Opher.* A Deo ad Ninivitas miſſus, ut everſionem Urbis infra quadraginta dies eventuram prædicaret, navigio fugit in Tharſis a facie Domini. Orta tempeſtate, jactis ſortibus deprehenſus, miſſus eſt in Mare, abſorptus a piſce, ex cujus ventre, ubi tribus diebus ac noctibus fuit, preces fudit ad Deum, poſt quas ipſum in litus monſtrum evomuit. Rurſus ad Ni-

Jonæ Patria, Genus, ætas, Miſſio Ninivem.

Digitized by Google

Ninivitas miſſus, everſionem Civitatis Ampliſſimæ prædixit. At illis ad Deum converſis, & Rege, quem *Phul* patrem *Sardanapali* fuiſſe Viri Eruditi conjiciunt, publicam ac generalem pœnitentiam atque jejunium ad Deum placandum indicente, Deus Civitati ac Populo pepercit. *Jonas*, quod Prophetiam ſuam eventu fruſtratam videret, mœſtus, & præ mœrore mortem optans, correptus a Deo eſt, propoſito hederæ exemplo: de qua areſacta dolebat vehementius, quamvis eam nec ſeviſſet, neque coluiſſet. Indeque edoctus eſt quam immerito doleret Deum Civitati maximæ pepercisse, in qua erant plus quam centum viginti millia hominum, qui non peccaverant. Hæc Hiſtoriæ ſumma, quæ in Libro *Jonæ* Prophetæ deſcribitur. Quem Librum *Jonæ* genuinum

Jonæ Liber genuinus.

Tobias, & Libri *Tobiæ* Auctor agnovit, cujus 14. Cap. legimus. *In hora autem mortis ſuæ vocavit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem juvenes filios ejus, nepotes ſuos, dixitque eis: Prope erit interitus Niniva, non enim excidit verbum Domini.* Græcus Textus ſic ad verbum reddendus: *Vade in Mediam, fili, quia quæcumque de Ninive dixit Jonas, futurum nempe ut evertatur, credo eſſe eventura.* Et revera (inquit *S. Hieronymus* Præfatione in Jonam) *Quantum ad Hiſtorias tam Hebræas quam Græcas pertinet, & maxime Herodotum, legimus Ninivem, regnante apud Hebræos Joſia, & Aſtyage Rege Medorum, fuiſſe ſubverſam. Ex quo intelligimus, primo tempore ad Jonæ prædicationem, acta pœnitentia, Ninivitas veniam conſecutos: poſtea vero in priſtinis vitiis perſeverantes, Dei in ſe provocaſſe ſententiam.* Ideo autem *Jonam* Prophetam

Cur Jonas ad Ninivitas miſſus?

ad Ninivitas miſit Deus, ut ſuam erga Gentes bonitatem ac miſericordiam demonſtraret, ſeque non modo Judæorum, ſed & Gentium ſalutem curare, ut obſervat *Theodoretus* in Prologo Commentarii in Jonam. *Sic etiam* (inquit) *Beatum Jonam Deus univerſorum Ninivitis Prophetam creavit. Urbs autem hæc olim maxima fuit, in qua etiam Regis Aſſyriorum Regia ſtetit. Quoniam enim unigenitum Dei Verbum per humanam naturam apparituerus erat hominibus, & cunctas Gentes divinæ notionis lumine illuſtraturum, Gentibus etiam ante Incarnationem divinam ſuam providentiam patefacit: Ut ex antecedentibus futura confirmet, & omnes edoceat, non ſe Judæorum Deum ſolum eſſe, ſed etiam Gentium, atque ut Veteris & novi Teſtamenti cognationem oſtendat. Etenim ſi ante Incarnationem nullam de Gentibus curam ſuſcepiſſet, alium Deum illum ſuſpicari Judæi potuiſſent, ut qui contraria illi faceret, qui Legem dediſſet, cum Judæos hic tantum curaret, ille vero omnes homines.*

Jonas Chriſti typus & ſpirans Prophetia.

II. Nullum de Chriſto Vaticinium in Libro *Jonæ* legitur, quia ipſe ingens Chriſti typus ipſe fuit & ſpirans quædam prophetia, ut Salvator ipſe docet Matthæi 12. 39. 40. 41. *Generatio mala, & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus. Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic.* Hinc *S. Hieronymus* Epiſtola ad Paulinum: *Jonas* (inquit) *Columba pulcherrima, naufragio ſuo Paſſionem Domini præfigurans, Mundum ad Pœnitentiam revocat, & ſub nomine Ninive, Gentibus ſalutem nuntiat.* Et præfatione in Jonam: *Ceterum non ignoramus, Chromati Papa Venerabilis, ſudoris eſſe vel maximi totum Prophetam referre ad intelligentiam Salvatoris; Quod fugerit, quod dormierit, quod præcipitatus in Mare ſit, quod ſuſceptus a ceto, quod ejectus in litus pœnitentiam prædicarit; Quod contriſtatus ob ſalutem Urbis innumeræ, cucurbitæ ſit delectatus umbraculo; Quod reprehenſus a Deo ſit majorem curam habuerit herbæ virentis, & extemplo aridæ, quam tantæ hominum multitudinis, & cetera quæ in ipſo Volumine explanare nitemur. Et tamen ut totum Prophetæ ſenſum brevi Præfatione comprehendam: Nullus melior typi ſui interpres erit, quam ipſe qui inſpiravit Prophetas, & futuræ veritatis in ſervis ſuis lineas ante ſignavit. Loquitur ergo ad Judæos ſui ſermonis incredulos, & Chriſtum Dei Filium neſcientes:* „ Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione „ iſta, & condemnabunt eam: Quia pœnitentiam „ egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plus quam „ Jonas hic. *Condemnatur ergo generatio Judæorum credente Mundo, & Ninive agente pœnitentiam, Iſrael incredulus perit, Illi habent Libros, nos Librorum Dominum: Illi tenent Prophetas, nos intelligentiam Prophetarum: Illos occidit litera, nos vivificat ſpiritus.* Ita *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 30. *Jonas Propheta non tam ſermone Chriſtum, quam ſua quadam Paſſione prophetavit, profecto apertius, quam ſi ejus mortem & reſurrectionem voce clamaret. Ut quid enim exceptus eſt ventre belluino, & die tertio redditus, niſi ut ſignificaret Chriſtum de profundo inferni die tertia rediturum?* Ita *S. Cyrillus Alexandrinus* Præfatione Commentarii in Jonam: *Non ſingula quæ typis inſunt, ad ſpiritales conſiderationes apta ſunt. Sed ſi perſona afferatur alicujus, imaginem quamdam Chriſti nobis ſubjicientis, humanum merito præteribimus, ſoliſque neceſſariis immorabimur, undique conquirentes quæ ad ſcopum ex propoſito conducere poſſint. Eodem modo in Jona ſe res habet. Chriſti namque Myſterium nobis forma quadam ante oculos ponit. Verumtamen non omnia quæ illi contigerunt ad hoc accommodata & neceſſario intelligi queant. Verbi gratia, miſſus eſt prædicare Ninivitis, fugere tamen a facie Dei conatus eſt, & cernitur ad legationem tergiverſari. Miſſus eſt etiam a Deo & Patre Filius prædicaturus Gentibus, ad quod Miniſterium ſe impigrum & alacrem præbuit, nec fugere quæſivit a facie Dei. Hortabatur vectores Propheta his verbis:* Tollite me, & mittite in Mare, & quieſcet Mare a vobis. *Et a ceto abſorptus, deinde redditus eſt die tertio. Poſtmodum abiit Ninivem, & Munus impoſitum explevit. Cepit autem dolorem non modicum, ubi Deus Ninivitarum miſertus eſt. Chriſtus etiam volens mortem ſuſtinuit, manſitque in corde terræ dies tres & noctes totidem, & revixit, ac deinde in Galilæam ſe contulit, promulgandique Evangelii inter Gentes initium facere juſſit. At vero cum propter pœnitentiam ſalvatos cerneret, non quemadmodum Jonas triſtitiam concepit. Quod cum ita ſit, ſi non ſecundum omnia Hiſtoriæ hujus ſermonem ad ſpiritualis conſiderationis ſinem torqueamus, nemo nobis vitio adſcribat.*

ARTICULUS VI.

De Michæa Propheta.

Michææ genus, patria, ætas.

I. MIchæas inter duodecim Minores Prophetas ſextus ſecundum Hebræos & Vulgatam Editionem Latinam, non ille *filius Jemlæ* fuit, qui temporibus *Achab* & *Joſaphat* Regum vaticinatus eſt, & ab *Achabo* in carcerem miſſus, ut habetur 3. *Regum* Cap. 22. Sed Moraſthites. Erat autem *Moraſthi* viculus non grandis juxta Eleutheropolim Palæſtinæ Urbem, ut *Euſebius* & *S. Hieronymus* teſtantur. Coævus

Prophetia ſumma.

fuit *Oſeæ*, *Joelis*, *Amoſi*, *Iſaiæ*, & ſub *Joatham*, *Achaz*, & *Ezechia* Regibus Juda vaticinatus eſt, contra Samariam & Jeruſalem, id eſt, contra Regnum

Mich. 1.

utrumque, Iſraeliticum & Judaicum. *Michæam* ex alto præcipitatum a *Joramo* filio *Achab* Regis Juda ſcribit *Pſeudo-Epiphanius* Lib. de Vitis Prophetarum, cum nec *Achab*, nec *Joramus* Reges Juda fuerint, ſed Iſrael, nec *Achabi* & *Jorami* temporibus vixerit *Michæas Moraſthites*, ſed alter ille *filius Jemlæ*, quicum ipſum perperam confundit. Illuſtre teſtimonium ipſi præbet *Jeremias* Cap. 26. 18. *Michæas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Juda, & ait ad omnem Populum Juda, dicens: Hæc dicit Dominus Exercituum: Sion quaſi ager arabitur; & Jeruſalem in acervum lapidum erit; & Mons Domus in excelſa ſilvarum. Numquid morte condemnavit eum Ezechias Rex Juda, & omnis Juda?* In Idololatriam

Mich. 3.

aliaque ſcelera Judæorum, & Iſraelitarum invehitur *Michæas*, propter quæ utriſque captivitatem, his per Aſſyrios, illis per Chaldæos prænuntiat. Propter peccata Principum, Sacerdotum, Prophetarum, & Judicum, delendam Hieroſolymam prædicat. Principum, qui carnem Populi comedebant, qui Sion ædificabant in ſanguinibus, & Jeruſalem in iniquita-

Digitized by Google

te, id eſt, qui plebem opprimebant iniquis tributis, exactionibus, uſuris, fraudibus, & ex male partis divitiis ac ſanguine pauperum Palatia ædificabant, & pretioſa ſupellectili inſtruebant. Judicum, qui acceptis muneribus pervertebant judicia. Sacerdotum, qui ſpe lucri docebant. Prophetarum, qui peccatoribus, a quibus aliquid emolumenti ſperabant, fœde adulabantur.

Michaa Vaticinia de Chriſto & Eccleſia vindicantur. II. De Chriſto & Eccleſia præclare vaticinatus eſt *Michaas* Cap. 4. *Et erit: In noviſſimo dierum erit Mons Domus Domini præparatus in vertice Montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum Populi. Et properabunt Gentes multæ, & dicent: Venite aſcendamus ad Montem Domini, & ad Domum Dei Jacob; & docebit nos de viis ſuis & ibimus in ſemitis ejus: Quia de Sion egredietur Lex, & verbum Domini de Jeruſalem: Et judicabit inter Populos multos, & corripiet Gentes fortes uſque in longinquum, & concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: Non ſumet gens adverſus gentem gladium, & non diſcent ultra belligerare. Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat: Quia os Domini Exercituum locutum eſt. Quia omnes Populi ambulabunt unuſquiſque in nomine Dei ſui: Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & ultra. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem; & eam, quam ejeceram, colligam; & quam afflixeram: Et ponam claudicantem in reliquias, & eam, quæ laboraverat, in gentem robuſtam; & regnabit Dominus ſuper eos in Monte Sion, ex hoc nunc & uſque in æternum. Et tu Turris gregis nebuloſa filia Sion, uſque ad te veniet; & veniet poteſtas prima, Regnum filiæ Jeruſalem. Nunc quare mœrore contraheris? Numquid Rex non eſt tibi, aut Conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor ſicut parturientem? Dole, & satage filia Sion quaſi parturiens. Quia nunc egredieris de Civitate, & habitabis in regione, & venies uſque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.* Hæc gemina ſunt *Iſaiæ* Oraculo Cap. 2. & iiſdem pene verbis expreſſa. Eaque Chriſto Jeſo convenire manifeſtum eſt, qui Gentibus ad fidem vocatis longe lateque in Eccleſia dominatur: Qui Legem Novam condidit, Hieroſolymis prædicari cœptam, indeque in orbe univerſo promulgatam: Qui toto orbe in pace compoſito natus eſt; cujus in ortu Angeli pacem annuntiarunt hominibus bonæ voluntatis: Qui pacificavit per ſanguinem Crucis ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Qui a mortuis redivivus, pacem Diſcipulis reliquit antequam in cœlos aſcenderet: Qui *pax noſtra* eſt, & *fecit utraque unum*, ut ait Apoſtolus: Qui & claudicantem Synagogam, & Gentes ejectas, in unam Eccleſiam congregavit: Sub quo ceu *vite vera* fideles Populi requieſcunt: Qui Mons eſt ſuper vertices Montium, *Moyſen* ſcilicet ac Prophetas, qui de illo vaticinati ſunt, exaltatus a Patre, qui *Dedit illi nomen quod eſt ſuper omne Nomen*: Cujus Eccleſia *Domus eſt Dei* Jacob, *Columna & firmamentum veritatis*. Qui *Jeſus* vocatus eſt, quod univerſum hominum genus redempturus eſſet, ut Angelus ait: *Et vocabis nomen ejus JESUM; ipſe enim ſalvum faciet Populum ſuum a peccatis eorum.*

Matth. 1. De quo & S. *Petrus* Epiſtola 1. Cap. 1. 18. 19. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* De quo Angelus apud *Lucam* Cap. 1. 33. *Et regnabit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.* Qui Bethleemi natus eſt, ubi *Turris gregis*. Qui judicat inter Populos, qui ſalute digni ſunt, & qui indigni. *Pater enim omne judicium dedit Filio.* Quamobrem ipſi Hebræi Chriſtum hic a *Michaa* prædictum fatentur. Sic *Bereſith Rabba*, ſic *R. Salomon Jarchi*, ſic *Aben-Ezra*, *Grotio* perſpicaciores, qui Vaticinium illud *Michaæ* ſumptum

Grotius refellitur. quidem ait ex antiquiore Prophetia *Iſaiæ*, non ad ſignificandam rem eamdem, ſed parem. *Nam Iſaias*, inquit, *hæc dixerat de Regno Ezechiæ pleno ſanctitatis, juſtitiæ, ac felicitatis. Michaas vero eadem dixit de temporibus poſt reditum ex Babylone.* Illud *Grotii* commentum *SS. Hieronymi* & *Cyrilli Alexandrini* auctoritate præclariſque Commentariis refellitur. Hoc enim *Michææ* Oraculum de Chriſto & de Eccleſia intelligendum docent, ſicut & *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 30. Sed priſcis omnibus Interpretibus luculentius Judaicam illam interpretationem confutat *Theodoretus*, quam & Chriſtiani quidam Doctores ejus ætate amplexi fuerant, & quam ævo recentiori *Grotius* magna fiducia propoſuit. *At Judæi* (inquit Theodoretus) *hæc ita intelligere nolunt: Sed hanc ajunt eſſe Babylonici reditus prædictionem. Et quidem nihil mirum eſt illos, ſtupidi cum ſint hoc modo intelligere: Nam aliis eorum ineptiis convenit hæc etiam circa Prophetiam iſtam hallucinatio. Quod autem quidam etiam Doctores pietatis eamdem interpretationem in ſua Scripta inſeruerint, id vero non ferendum mihi, nec venia dignum videtur. Quænam enim Gentes aut vicinæ, aut longius diſſitæ, in Judæorum Templum poſt reditum accurrerunt ad Leges eorum arripiendas, & verbum illius exinde amplexandum? Inter quaſnam vero Gentes Populoſve plurimos, verbum hoc judicavit eorum maleſacta reprehendens? Sed & illa etiam quæ ſubſequuntur aperte illius interpretationis falſitatem refellunt. Nam poſt reditum a Babylone ut his etiam placet, qui ſic interpretati ſunt, & Gog & Magog, cum plurimis Gentibus in Judæos irruerunt; & finitimi omnes continenter cum eis bella gesſerunt, hinc quidem Idumæi, & Ammonitæ, & Moabitæ; illinc vero Allophyli & Samaritæ, & non multo poſt Macedonicæ illæ clades obtigerunt, quas Macchabæorum Hiſtoria continet. Hoc autem loco Propheticus ſermo altiſſimam pacem promittit.* Concident
„ enim gladios ſuos in aratra, & haſtas ſuas in
„ falces, & ultra non tollet gens contra gentem
„ gladium, & nequaquam diſcent belligerare. Et
„ requieſcet unuſquiſque ſub vite ſua, & unuſquiſ-
„ que ſub ficu ſua, & non erit qui exterreat. *Et*
„ *verborum veritatem aſſerens dicentis auctoritatem au-*
„ *ditoribus planam facit.* Os enim Domini omnipo-
„ tentis locutum eſt hæc. Tunc nimirum, tunc o-
„ mnes Populi ibunt unuſquiſque viam ſuam: Nos
„ autem ibimus in Nomine Domini Dei noſtri in
„ æternum & ultra. *Quod igitur nihil ex his ad Judæos accommodari poſſit, res ipſa teſtatur. Hi enim de Jeruſalem ejecti, orbis terrarum facti ſunt inquilini, diſperſi & errabundi, conſentaneum Legi Miniſterium exequi non valentes. Propheticus vero ſermo promittit eos qui crediderint in Nomine Domini ituros in æternum & ultra. Quod autem ſecuturum poſt Domini adventum tempus hæc præſignificent, res ipſa clarum pene loquentes teſtimonium præbent. Nam ante conſiſtentem Romanum Imperium, crebri inter ſe Gentium motus fiebant, quia ſingulis Nationibus diviſa erant Regna. At Principatu omni ad Romanos tranſlato, & ſingularum Gentium Regnis ſub Salvatoris noſtri adventum deletis, ſumma pax toto orbe terrarum dominata eſt... His ſubdit:* In diebus illis, & in tem-
„ pore illo, congregabo eam quæ contrita eſt, &
„ quæ ejecta fuerat, ſuſcipiam, & quos repuleram.
„ Et ponam contritam in reliquias, & repulſam in
„ gentem fortem. *Et docens aperte ſe non de Judæis*
„ *hæc dicere, appoſuit:* Et regnavit Dominus ſuper
„ eos in Monte, ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
Si nimirum Judæorum Regnum in Sion permanſit, & aſſidue æterna Dei procuratione potiuntur, jure Judæi hanc ſibi Prophetiam vindicant, & qui hæc ſicut illi accipiunt, cum illis conſentiunt. At ſi Judæorum olim Regnum extinctum eſt, procul que ab Jeruſalem habitantes in ſervitute agunt, Deique procuratione ſpoliati ſunt, & augeri deſinant Judæi, & Eccleſiæ Doctores veritati adſtipulentur.

III. Ad Chriſtum etiam pertinet Oraculum illud *Vaticinium aliud*
Michaæ Cap. 5. 2. 3. 4. 5. *Et tu Bethleem Ephrata, Michaa de*
parvulus es in millibus Juda? Ex te mihi egredietur Chriſto
qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab ini- vindicatur.
tio, a diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos uſque ad tempus, in quo parturiens pariet; & reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Iſrael. Et ſtabit, & paſcet in fortitudine Domini, in ſublimitate Nominis Dei ſui; & convertentur, quia nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ. Et erit iſte Pax.

Oraculum iſtud in Chriſto Jeſu impletum eſt. Is enim natus eſt Bethleemi, quam Meſſiæ fore patriam veteres Judæi ex iſto *Michææ* Vaticinio intellexerunt ac

Digitized by Google

æc probaſunt. Matthæi 2. *Cum ergo natus eſſet JESUS in Bethleem Juda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam, dicentes. Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? .... Audiens autem Herodes Rex, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas Populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Juda: Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu, Bethleem* *Mich.* 5. *terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda: Ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Iſrael.* Et Joannis 7. 42. *Nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine David, & de Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?* *Joan.* 1. Ejus generatio ex Deo Patre æterna eſt. *In principio* enim *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Et ipſe de ſe ait: *Antequam Abraham fieret, Ego ſum.* Et, *Ego principium, qui & loquor vobis.* Et de ſeipſo ait ad Patrem, Joannis 17. *Clarifica me, tu, Pater, apud temetipſum, claritate quam habui, priuſquam Mundus eſſet, apud te.* Sed nihilominus in tempore natus eſt de muliere per partum, homo factus, homineſque fratres vocare dignatus. Judaicam autem Religionem ſtare dedit uſque ad tempus vocationis Gentium, quo & reliquiæ Iſrael per gratiam ſalvæ factæ ſunt, & Apoſtoli atque Diſcipuli converſi ſunt ad Prophetarum & Patriarcharum fidem, qui Chriſtum venturum annuntiaverant: Illudque Pſalmi 44. Vaticinium impletum eſt: *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii,* &c. Stetit autem, cum hominibus ſcilicet converſatus, quos pavit in fortitudine Domini, qui ſeipſum bonum Paſtorem prædicat: *Ego ſum,* inquit, *Paſtor bonus.* Nec ſolum pavit oves, ſed & ſervavit in nomine Dei. Unde ipſe ait ad Patrem (Joannis 17.) *Pater Sancte, ſerva eos in Nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos. Quando eram cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo: Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nullus ex his periit.* Magnificatus eſt, uſque ad terminos terræ, cum Evangelium prædicatum eſt in univerſo Mun-
Marc. 16. 15. *Matth.* 28. 18. 19. *Epheſ.* 2. 14. do, juxta quod Apoſtolis juſſerat, dicens: *Euntes in Mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ipſe* denique *eſt pax noſtra,* ut ait Apoſtolus Prophetæ conſentiens. Illud *Michææ* Vaticinium de Meſſia intellexerunt Paraphraſtes Caldæus *Jonathan,* Auctores Talmudis in Libro *Sanhedrim,* Cap. ultimo, & in Libro *De Paſchate,* Cap. 10. item Auctores *Midraſch Thehillim,* & *R. Selomoh,* & *R. David Kimchi.* Judæorum tamen plerique alii de *Zorobabele* hoc Vaticinium explicant, eique interpretationi favent *S. Joannes Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius.* Hanc noviſſime amplexus eſt *Grotius* Anno-
Grotius refellitur. tationibus in Michæam. *Natus,* inquit, *ex Bethleemo Zorobabel recte dicitur, quod ex Davidis familia eſſet, qua ortu Bethleemo. Et egreſſus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Id eſt, *Origo Zorobabeli ab olim, a temporibus longis. Originem trahit a domo illuſtri antiquitate, & per quingentos annos regnatrice. Quia nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ. Id eſt, illico poſtquam reverſi fuerint, Dei fama ex iſto beneficio longe lateque propagabitur per terras omnes. Et erit iſte pax: Id eſt, Et erunt tunc res proſperæ.* Verum hanc interpretationem contortam eſſe & coactam quis non videat? Non magis enim ex Bethleemo ortus dici potuit *Zorobabel,* quod ibi natus ſit *David,* quam Jeroſolymis, ubi tot Reges ipſius *Zorobabelis* Deceſſores procreati ſunt, aut ex *Babylone,* ubi ipſe natus eſt. Nec veriſimile videtur Prophetam eo Vaticinio quo *Zorobabelis* Imperium & res gerendas prædixiſſet, *Davidis* patriam, non ipſius *Zorobabelis* notare voluiſſe. Nuſquam etiam in Scriptura Sacra invenietur, hanc locutionem, aut ſimilem, *ab initio, a diebus æternitatis,* quingentorum dumtaxat annorum intervallum ſignificare, non vero infinitam æternitatis durationem. Conferatur hic locus cum *Proverbiorum* 8. 23. ubi Æterna Sapientia, quæ Chriſtus eſt, de ſeipſa ait: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret,* Denique *Zorobabeli* non convenit pars illa Vaticinii, quod fama ejus per orbem univerſum propagata ſit, & quod fuerit ipſe pax; cum Chutæi Samaritæ calumniis ſuis & accuſationibus, ædificationem Templi interturbaverint, & *Nehemiæ* temporibus *Sanaballat* & *Tobias,* & Arabes, & Ammonitæ, & Azotii, Judæos Muros Jeruſalem ædificantes hoſtiliter aggreſſi ſint: Adeo ut Judaicæ Juventutis media pars faceret opus, & media parata eſſet ad bellum (2. *Eſdræ* 4. 2.) Macchabaicis etiam temporibus Judæi bellis atrociſſimis vexati ſunt. A Romanis tandem debellati, exciſi, finibuſque ſuis exterminati fuere. *Theodoreti* auctoritate ac ratiocinio *Grotii* commentum penitus obteritur, Commentario in *Michæa* Cap. 5. ubi Prophetæ Oraculum ſic illuſtrat: *Ne reſpicias exiguum numerum incolarum, o Bethleem. Cauſam enim habes quare illuſtris habenda ſis, qualem nulla totius orbis Urbs. Nam in te ſecundum carnem, naſcetur, qui* „ *ante ſæcula ex Patre eſt genitus,* cujus egreſſus ab „ initio. *Hoc vero Evangelii proœmio ſimile eſt:* In „ principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, „ & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio a„ pud Deum. *Eſt etiam ſimile iis quæ a Deo per Da*„ *vid dicuntur,* Ex utero ante Luciferum genui te. *Hic igitur qui ante ſæcula, qui in principio apud Deum, Deus Verbum, & qui hinc exitus habet ab initio, ex te, inquit, ſecundum carnem nativitatem capiet; te quæ minima ex millibus Juda extiſtis, ſplendidam & illuſtrem efficiens .... Hoc vero Judæi etiam noſtri temporis ad Zorobabel accommodare auſi ſunt, aperte veritatem oppugnantes. Neque erubeſcunt, cum audiunt quod ejus egreſſus ab initio a diebus ſæculi. At Zorobabel poſt Captivitatem Babylone natus fuit, &* *Matth.* 2. *a loco nomen ſumpſit. Veteres autem Judæi non ſimiliter ut iſti hanc Prophetiam intellexerunt: Qui multis annis poſt Zorobabel ab Herode interrogati ubi naſceretur Chriſtus, hoc ei teſtimonium protulerunt. Hinc igitur patet, perverſe Judæos noſtræ ætatis in hujus Prophetiæ interpretatione verſari. Sed horum inſania relicta, ad ea quæ conſequuntur explananda pergamus,* „ Propterea dabis eos uſque ad tempus parientis. „ Pariet, & reliquiæ fratrum ejus revertentur ad „ filios Iſrael. *Eo uſque, inquit, tolerabilis, & curam tuam Judæis impartios, quoad pariens pepererit. Eccleſiam vero deſignat, de qua & Iſaias clamat,* *Iſai.* 54. „ Lætare ſterilis, quæ non paris: Erumpe & clama „ quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, ma„ gis quam ejus quæ habet virum. *Qui autem, inquit, ex hac naſcentur, conjungentur cum iis qui ex Iſrael credunt. Ex Iſrael enim divinus Apoſtolorum chorus extitit, & qui poſt eos electi ſunt a Domino ſeptuaginta Diſcipuli, & qui poſt Reſurrectionem in unum congregati fuerunt ſtatum viginti, & quingenti quibus ſimul congregatis Dominus viſus fuit; & tria millia, & quinque millia, quos piſcator Petrus piſcatus fuit; multaque millia de quibus divinus Jacobus dixit Paulo Diviniſſimo:* Vides, frater, quot *Act.* 12. „ millia ſunt in Judæis qui crediderunt. *Una igitur hinc & illinc Eccleſia efficitur, & in his ex Be*„ *thleem natus Dominus ſtabit.* Et videbit, & paſcet „ gregem ſuum in fortitudine Dominus, in gloria „ Nominis Dei ſui erunt: Quia nunc magnificabi„ tur uſque ad terminos terræ. *Et vero videre eſt ſacroſanctam Dei Eccleſiam dominico Nomine gloriari, Deique Nomen ubique terra marique laudibus celebrari. Quorum nihil demonſtrabunt Judæi factum fuiſſe ante adventum Domini & Salvatoris Paſſionem, & Gentium vocationem. Quoniam autem longis poſt temporibus hæc futura erant, ex iis quæ illo tempore eventura erant, prædictionis fidem facit. Ut enim cognoſcatis, inquit, quum vera Vaticinia mea ſint, ecce pignus habete præſentia. Bellum enim vobis inferentem Aſſyrium perdam, & pacem vobis altiſſimam faciam.*

IV. Obiiciunt Judæi in hoc *Michææ* Vaticinio deſignari Ducem & Paſtorem, qui vindicaturus eſſet Iſ- *Reſpondetur Objectionibus Judæorum.* raelem ab Aſſyriis, & reducturus Populum ex Captivitate, quod Jeſus Nazarenus non præſtitit. Secundo, Prophetam de eo agere, qui paſcere debebat Iſraelem *in fortitudine Domini, in ſublimitate Nominis Dei ſui.* Adeoque vel ad Jeſum Nazarenum id non pertinere, vel illum non eſſe Deum, ſed Deo ſubditum. Tertio, Prophetam loqui de eo,

qui futurus eſſet *Dominator in Iſrael*. Jeſum vero Nazarenum Judæa dominatum non fuiſſe, ſed Judæos potius aut Judæorum Principes illi imperaſſe.

Reſpondetur ad primum, Comma illud de liberatione Iſraelis ab Aſſyriis, ad *Zorobabelis* quidem tempora ſpectare, ſed hinc perperam colligi, præcedentia Vaticinii commata ad eumdem *Zorobabelem*, non ad Meſſiam pertinere. Ex his ſcilicet quæ proximo tempore eventura erant, fidem facit prædictionis eorum, quæ longis poſt temporibus, poſt Chriſti Jeſu ſcilicet adventum & paſſionem erant adimplenda. Hanc Reſponſionem ſoppeditat *Theodoretus*.

Reſpondetur ſecundo, Liberationem ab Aſſyrio myſtice intelligendam Eccleſiæ vindicationem a ſpiritualibus hoſtibus. Prophetis nimirum ſolemne eſt ſpiritualia Dei beneficia, officia, ſpirituales hoſtes, & liberationem ab illorum incurſibus, typicis & ſymbolicis verbis ac figuris exprimere. Comma illud Prophetici Oraculi ſic exponit S. Hieronymus. *Quando venerit Diabolus ſuper terram regionemque credentium, & eorum quos paſcet Dominus in fortitudine, & in ſublimitate Nominis Dei ſui, & eos calcaverit ambulationibus variis, & domos animarum noſtrarum, id eſt, corpora quaſi ſuperbus aſcenderit atque depreſſerit, & tamen nihil nos a Chriſti caritate ſeparaverit: Tunc Chriſti pax, ſive ipſe Chriſtus erit in nobis, & dicetur de Sancto: Nihil proderit inimicus in eo.*

Pſal. 58.

Reſpondetur ad ſecundum, Jeſum Nazarenum, bonum Paſtorem, qui dedit animam ſuam pro ovibus ſuis, Iſraelem paviſſe in fortitudine Domini, in ſublimitate Nominis Dei ſui, in cujus doctrina, virtute, miraculis, actionibus, paſſionibus, & gloria paſſionem conſecuta, fortitudo Dei, & Majeſtas Nominis ejus tanto ſplendore emicuit, ut ſtuporem etiam acerrimis illius hoſtibus incuſſerit. Deum autem eſſe, ut ſacer Vates docet, æternam ejus generationem his verbis exprimens, *Egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*: & nihilominus Deo ſubditum eſſe ſecundum ſtatum exinanitionis, & formam ſervi, quam aſſumpſit, ſive ſecundum officium Mediatoris, quod œconomice ſuſcepit. Unde ait Joannis 20. 17. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum*. Cum tamen de illo vere dixerit ſanctus Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Et S. Thomas, *Dominus meus, & Deus meus*.

Ad tertium reſpondetur, Regnum Chriſti Jeſu ſpiritoale fuiſſe & internum, quale illud Meſſiæ a Prophetis deſcribitur, non carnale & externum. Unde Regnum ſuum de hoc Mundo non eſſe profeſſus eſt. Et tamen Rex appellatur. (*Matth.* 2. 2. *Matth.* 26. 17. *& ſeq. Matth.* 21. 4. 5. *& Joann.* 12. 15. *Matth.* 25. 31. *& ſeq. Matth.* 27. 1e. *& ſeq. Luc.* 2. 32. 33. *Luc.* 29. 37. 38. *Luc.* 22. 29. 30. *Joann.* 1. 49. 12. 13. 19. 1. 2. 18. 36. 37. &c.) Eſto igitur dominio externo Judæi Jeſu Nazareno dominati ſint; ipſe tamen dominio interno & ſpiritali Iſraeli dominatur eſt; Iſraeli (inquam) ſecundum carnem, dominio potentiæ, illum virga ferrea coercendo; Iſraeli vero ſecundum promiſſionem, dominio gratiæ, illum Paſtoris inſtar ſuaviſſime regendo.

Reſpondetur ſecundo, Judæos Chriſto Jeſu dominatos qua homini, qua ſervi forma induto, ſecundum quam ſubditus eſſe dignatus eſt: Quibus tamen ut Deus, dominabatur. Neque vero ullam in Chriſtum etiam ut hominem poteſtatem habuere, niſi deſuper traditam: Nec Herodes, vel Pilatus quicquam in ipſum ſtatuere, niſi *quæ manus Dei & conſilium ejus* decreverant. Atque in ipſo etiam exinanitionis ſtatu ſummæ ſuæ poteſtatis ac Imperii præclara dat documenta, dum ejus Nativitas ab Angelo annuntiatur, a multitudine Militiæ cœleſtis prædicatur: Dum Magos ab Oriente vocat, & Stella duce ad cunas ſuas venerabundos adducit: Dum pannis involutus conturbat *Herodem* & omnem Hieroſolymam cum illo: Dum ventis & mari, morbis, morti imperat, naturæque Dominum illuſtribus miraculis ſe probat: Dum vendentes & ementes ejicit e Templo, menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit: Dum aſinam & pullum ejus ſolvi & ad ſe adduci jubet, ac Hieroſolyma Regis inſtar triumphali apparatu ingreditur: Dum turbam ad ipſum capiendum emiſſam uno verbo proſternit: Dum eo patiente Sol deficit, terra concutitur, velum Templi ſcinditur, petræ finduntur, monumenta aperiuntur, & Sancti plerique ſurgunt ex illis redivivi. Denique tunc dominabitur Iſraeli, cum *plenitudo Gentium introierit, & ſic omnis Iſrael ſalvus fiet, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.*

Iſai. 59. 20. Rom. 2. 25. 26. 27

Reſpondetur Objectioni Bodini.

Objicit *Bodinus*, Libro 5. *De abditis Rerum ſublimium Arcanis*, Jeſum Chriſtum Nazarethi natum eſſe; hinc Nathanaelem Philippo nuntianti, Jeſum Nazarenum eum eſſe quem Moſes & Prophetæ prædixerant, reſpondiſſe; *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Jeſum ipſum cum Paulum de Cœlo vocavit, ſe ipſum Nazarenum non Bethleemitam dixiſſe: *Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris*. Paſſim Jeſum Nazarenum a Judæis, ab Evangeliſtis, ab Apoſtolis appellari: Adeoque *Michææ* Oraculum de Duce & Paſtore Iſraelis Bethleemi naſcituro, ad Chriſtum Jeſum non pertinere.

Joan. 1. 45. 46.

Act. 22. 8.

Reſpondetur, Jeſum Nazarenum appellatum ad ſignificandum locum educationis, non nativitatis. Ut enim notat *Euſtathius* in Homeri Odyſſeam 20. *Patria Urbs eſt quædam, in qua quis poſt ortum eductus eſt. Adeo ut qui talis non ſit, ſed poſt ortum patria ſit privatus, ie Urbs hujuſmodi exciderit, neque tam eam habeat patriam, ac illam quæ ipſum deinceps aluit*. Sic *Auguſto Cæſari* cognomen *Thurino* fuiſſe narrat Suetonius, *In memoriam Majorum originis*. Idem Libro *De Illuſtribus Grammaticis*, Cap. 16. *Quintum Cœcilium Epirotam*, Tuſculi natum, cognomen accepiſſe notat, non a loco ortus ſed a loco originis. Cum igitur parentes Jeſu Nazareni eſſent, & Nazarethi degerent, non mirum quod hinc nomen traxerit Chriſtus Jeſus, quamvis Bethleemi natus, ut conſtat ex Propheta, & Evangeliſtis.

VI. Quæritur qua ratione *Michææ* cum *S. Matthæo* Evangeliſta concilietur, cum ille vocet *Bethleem Ephrata*; iſte *Terram Juda*: Ille parvulam eſſe affirmet, dicens; *Parvulus es in millibus Juda*: Iſte parvam eſſe neget, dicens: *Nequaquam minima es in Principibus Juda*: Ille dicat; *Ex te egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael*; Iſte; *Ex te exiet Dux, qui regat Populum meum Iſrael*.

Michææ cum S. Matthæo Evangeliſta conciliatur.

Reſpondetur primo, *S. Matthæum* Prophetæ ſenſum verbis ſuis expreſſiſſe, non vero Vaticinium illius iiſdem verbis retuliſſe. Quod Sacris Novi Teſtamenti Scriptoribus ſolemne eſt, nec ab optimo interpretandi genere alienum, ut *S. Hieronymus* probat in Epiſtola ad *Pammachium*. Quamvis ergo inter *Matthæum & Michæam* diſſenſus in verbis quibuſdam eſſe videatur, idem tamen eſt utriuſque ſenſus, eademque dictorum ſubſtantia. Nam *Bethleem Ephrata* vocatur a Sacro Vate, ex nomine Conditoris ſui, ut colligitur ex 1. Paralipomenon 4. 4. *Iſti ſunt filii Hur primogeniti Ephrata Patris Bethleem*. Id nomen antiquum Bethleemi. Geneſis 35. 19. *Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethleem*. Et Geneſis 48. 7. ait Jacob: *Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan, in ipſo itinere .... & ingrediebar Ephratam, & ſepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethleem*. Dicitur autem ab Evangeliſta *Terra Juda*, id eſt ſita in portione Tribus Juda, ut diſtinguatur ab alia Urbe cognomine, ſita in Galilæa, & in portione Tribus Zabulon, de qua *Joſue* Cap. 19. 15. Eoque expreſſius ſignificatur Meſſiam ex Tribu Juda naſci debuiſſe, & revera natum fuiſſe. Sic etiam Bethleemum diſtinguit *S. Joannes* Cap. 7. 42. *Nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine David, & de Bethleem Caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?*

Quamvis porro enuntiatio Prophetæ explicite affirmativa, Evangeliſtæ negativa; implicite tamen & æquivalenter enuntiatio *Michææ* negativa eſt non minus quam *S. Matthæi*, & idem utriuſque ſenſus, ſi adverſativa particula in poſteriori parte Oraculi Prophetici intelligatur, hoc modo: *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda*: In oculis ſcilicet ac opinione hominum, in quibus Urbes ex magnitudine, ambitu, munitionibus, Populi frequentia,

opi-

opibus, ornatu, ſplendore, deliciis celebres ſunt. *Ex te tamen mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael*, id eſt, minime tamen parva es, minime deſpicienda, aut primariis & populoſiſſimis Civitatibus Tribus Juda poſtponenda, quia Meſſiæ orta nobilitanda & illuſtranda es. Non deſunt autem in Scripturis Sacris exempla adverſativæ particulæ ſimiliter prætermiſſæ, & tamen intellectæ, ut Pſalm. 118. 141. *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus: Juſtificationes tuas non ſum oblitus*: Id eſt licet adoleſcens, & ab hoſtibus deſpectus, Legis tamen tuæ non obliviſcar. Et *Joannis* Cap. 9. 30. *In hoc mirabile eſt quia vos neſcitis, unde ſit, & aperuit oculos meos.* Quod his verbis æquivalet, *& tamen aperuit oculos meos.* Aliter hic nodus ſolvi poteſt dicendo, Intellexiſſe *S. Matthæum* optimum Prophetæ Interpretem, verba illius interrogationem continere quæ more omnium gentium tantumdem valeat ac negatio hoc modo: *Tune Bethleem Ephrata, parvula es in millibus*, ſive in Urbibus *Juda? Imo vero ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael*, id eſt, Meſſias. Hæc reſponſio *S. Iſidori Hiſpalenſis* auctoritate, & Bibliorum Gothicorum antiquiſſimorum, quæ in Eccleſia Toletana ſervantur, lectione nititur, quæ ſic habent: *Es tu Bethleem Ephrata, nunquid parvula es?* Necnon Syriacæ Verſionis Latine ita redditæ in Bibliis Polyglottis; *Tu vero Bethleem oppidum, num parvum es ut cenſearis inter Myriadas Juda? Ex te prodibit Princeps, qui præſit Iſraeli, cujus exitus a principio eſt, a diebus æternis.* Quod per interrogationem expreſſit Syrus Interpres, Arabs per negationem reddidit: *Et tu o Bethleem domus Ephrata, nequaquam ita parva es, ut non ſis in millibus Juda*, &c. Eumdemque *Michææ* locum nonnulli patres negative efferunt ex Verſione 70. Interpretum. (Quamvis *S. Hieronymus*, *S. Auguſtinus*, *S. Cyrillus*, *Theodoretus*, & alii in eorum Editione illud abſque negatione legerint; ut nunc habetur) Sic *Tertullianus Libro adverſus Judæos* Cap. 13. *Origenes Libro 1. contra Celſum*, p.39. Edit. Cantabrig. *Cyprianus Libro 2. Teſtimoniorum adverſus Judæos*, Cap. 12. Ut ut ſe res habet, eadem mens eſt Prophetæ, quæ Evangeliſtæ, Bethleemo videlicet ortum Chriſti aſſerere, & ob id ſummum decus quod ei inde acceſſurum erat, prout revera in plenitudine temporum acceſſit, contra carnalem illorum opinionem, qui illam ob exiguum pomerii ambitum, & exiguum incolarum numerum contemnebant. Nec ſpernenda *Eraſmi* interpretatio *Annotationibus in* Cap. 2. *S. Matthæi*: Prophetam prædixiſſe, Bethleemum, etſi humilem prius, omnium tamen Urbium Tribus & Gentis Judaicæ nobiliſſimam ac feliciſſimam fore. Evangeliſtam vero, quod a Propheta dictum erat explicuiſſe, perinde ac ſi dixiſſet: Nunc impletum eſt, o Bethleem, quod a Propheta de te prædictum: Non enim jam minima es, ut olim, ſed maxima, quia in te natus eſt Chriſtus Jeſus. Hanc Reſponſionem confirmat Paraphraſis Chaldaica *Jonathanis* in Cap. 5. Michææ: *Et tu, Bethleem Ephrata, quaſi minima fuiſti adeo ut computareris inter millia domus Juda, ex te coram me prodibit Chriſtus, ut ſit dominium exercens in Iſrael, cujus nomen dictum eſt ab æternitate, a diebus ſæculi.* In reliquis eumdem eſſe Prophetæ & Evangeliſtæ ſenſum manifeſtum eſt; etſi verba nonnihil diverſa ſint.

Reſpondetur ſecundo, cum *S. Hieronymo* Commentario in Cap. 5. Michææ, *S. Matthæum volentem urguere Scribarum & Sacerdotum erga Divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, ſic etiam poſuiſſe ut ab eis dictum eſt*: Id eſt, S. Evangeliſtam Hiſtoricum agere, nec referre Prophetæ verba: ſed Sacerdotum & Scribarum, ut eorum oſcitantiam vel ignorantiam notet.

Aliud Michææ Prophetæ Oraculum de Chriſto & Eccleſia.

VII. Ad Chriſtum & Eccleſiam ſub typo Sion & Hieruſalem deſignatam rurſus pertinent illa *Michææ* Prophetæ Oracula, Capit. 7. *Ego autem ad Dominum aſpiciam, & expectabo Deum Salvatorem meum: Audiet me Deus meus. Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: Conſurgam cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum: Educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus. Et aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me: Ubi eſt Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. Dies ut ædificentur maceriæ tuæ. In die illa longe fiet Lex. In die illa & uſque ad te veniet de Aſſur, & uſque ad Civitates munitas; & a Civitatibus munitis uſque ad flumen, & ad Mare de Mari, & ad Montem de Monte.* Chriſtus Jeſus Domini & Salvatoris nomine indicatur, quem futurum expectationem Gentium Jacob olim prædixerat; *Geneſ.* 49. 10. Eccleſia Gentium æmulæ Synagogæ, ſibi ob veterem Idololatriam inſultanti, cum fiducia reſpondet, Fruſtra illam de caſu ſeu erroribus Gentium adverſus Gentes lætari atque ipſis caſum exprobrare; Siquidem Meſſias ipſas de tenebris educet in *lucem*, & *lux* earum erit. Porro Chriſtum Lucem eſſe, & a Prophetis atque Evangeliſtis vocari, ſibique nomen illud tribuere, res notior eſt, quam ut probatione egeat. Addit ſe viſuram *Juſtitiam* ejus. *Juſtitia* autem *ſempiterna* nomine Chriſtum a *Daniele*, & *Juſti* vocabulo paſſim ab *Iſaia* ſignificatum nemo neſcit. Synagoga quæ gentibus impotentius inſultabat, nunc operta confuſione eſt, nunc *conculcata ut lutum platearum*, Judaica Gente exule & palabunda, exciſa Hieroſolyma, Templo diruto, *Lege* & antiquis Sacrificiis abrogatis, & *longe factis*. *Maceriæ* tamen ejus *ædificatæ ſunt*, cum Judæi ad Chriſtum converſi in unam cum Gentibus in Eumdem credentibus coaluerunt Eccleſiam. Ad Eccleſiam porro Gentes ex orbe univerſo confluxerunt. Quod aliis Prophetarum Oraculis pariter prædictum ubique prædicato Evangelio impletum eſt. Subdit Sacer Vates: *Paſce Populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ.* Quæ Chriſto bono Paſtori conveniunt. Cujus Miracula his verbis prædicuntur: *Secundum dies egreſſionis tuæ de Terra Ægypti oſtendam ei Mirabilia.* Gentium ſub Chriſti jugum reductionem ſequentibus verſibus deſcribit Propheta: *Videbunt Gentes, & confundentur ſuper omni fortitudine ſua. Ponent manum ſuper os, aures eorum ſurdæ erunt. Lingent pulverem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus ſuis: Dominum Deum noſtrum formidabunt, & timebunt te.* Finis denique adventus Chriſti, ſcilicet iniquitatum humani generis expiatio, his ſententiis exprimitur: *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? Non immittet ultra furorem ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt. Revertetur & miſerebitur noſtri: Deponet iniquitates noſtras, & projiciet in profundum Maris omnia peccata noſtra.*

ARTICULUS VII.

De Iſaia Propheta.

Iſaiæ genus, ætas, Martyrium.

I. ISaias, cujus nomen *Salus Domini* exponitur, filius fuit *Amos*, (ut ipſe initio ſuæ Prophetiæ declarat.) Non illius qui inter duodecim Prophetas tertius eſt, ſed alterius cognominis, ut monent *Sanctus Hieronymus* in Cap. 1. Iſaiæ, & in Proœmio Commentariorum in Amos, *Sanctus Auguſtinus* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 27. *S. Cyrillus* Præfatione Expoſitionis in Amos, & *Procopius* in *Iſaia* Capit. 1. Rejicienda ergo *Clementis Alexandrini* ſententia Lib. 1. Stromatum ſcribentis: *Sub Ozia vaticinatur Amos, & filius ejus Iſaias.* Qua in re & *Pſeudo-Epiphanius* erravit Lib. *De Vitis Prophetarum.* Patrem tamen *Iſaiæ* Prophetam fuiſſe Rabbinis quibuſdam, & *S. Hieronymo* viſum eſt, qui *Iſaiæ* 37. 2. vertit: *Et miſit Eliacim ad Iſaiam filium Amos Prophetam.* Et Iſaiæ 38. 1. *Intravit ad eum Iſaias filius Amos Propheta.* Ubi obſervat, *Iſaiam, quia ipſe de ſe ſcribebat hiſtoriam, non ſe appellaſſe Prophetam, ſed filium Prophetæ.* At Hebræus Textus, Verſio Septuaginta Interpretum, & Vulgata Verſio Latina utrobique habent: *Ad Iſaiam filium Amos, Prophetam.* Item: *Iſaias filius Amos Propheta.* Nobilitate generis conſpicuus fuit *Iſaias*, & Regia ſtirpe ortus, ex *Amoſo* ſcilicet *Amaſiæ* Regis fratre, ut Hebræi tradunt: Qui & ſocerum fuiſſe ajunt *Manaſſis* Regis Juda. Eloquentia cæteris Prophetis antecellit, ut

San-

Digitized by Google

Sanctus Hieronymus notat in Præfatione ad Paulam & Euſtochium: *De Iſaia ſciendum* (inquit) *quod in ſermone ſuo diſertus ſit quippe ut vir nobilis & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admiſtum. Unde accidit ut præ cæteris, florem ſermonis ejus Tranſlatio non potuerit conſervare.* Vaticinatus eſt in Jeroſalem & Judæa, decem Tribubus nondum in Captivitatem abductis, ſub quatuor Judæ Regibus, *Ozia*, *Joathane*, *Achazo*, & *Ezechia* ut ipſe teſtatur in fronte Libri ſui: *Viſio Iſaiæ, filii Amos quam vidit ſuper Judam & Jeruſalem, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz & Ezechiæ Regum Juda.* Ab impio Rege *Manaſſe*, qui ejus monita & increpationes ferre non poterat, per ſummam crudelitatem ſerra lignea diſſectum, communis eſt Hebræorum Traditio confirmata ſuffragiis *S. Juſtini Martyris* in Dialogo cum Tryphone Judæo, *Tertulliani* in Scorpiaco, *S. Ambroſii* Commentario in Lucæ Cap. 20. *S. Hieronymi* in fine Libri 15. Commentar. in Iſaiam, & *S. Auguſtini* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 24. Ad *Iſaiæ* Martyrium refertur illud ex Epiſtola ad Hebræos Cap. 11. 37. *Secti ſunt*. Oziæ Regis Hiſtoriam *Iſaiam* ſcripſiſſe conſtat ex 2. *Paralip.* Cap. 26. 22.

Iſaiæ Scripta. Libri quidam ejus nomine falſo inſcripti fuere, ut Apocryphum illud, cujus meminit *Origenes in Cap. 23. S. Matthæi*, & in *Epiſtola ad Julium Africanum*, & *Anabaticus Iſaiæ*, cujus meminere *S. Epiphanius* in Hæreſi *Archonticorum* Cap. 2. & Hæreſi *Hieracitharum*, Cap. 3. & *S. Hieronymus* Commentario in Iſaiæ, Cap. 64. *Iſaias Propheta magnus & fidelis in conſpectu Dei* prædicatur *Eccleſiaſtici* Cap. 48. 25.

Auctor Tractatus Theologico Politici refellitur. II. Auctor impius *Tractatus Theologo-Politici*, aſſerere non dubitavit, Librum Vaticiniorum *Iſaiæ*, quem Eccleſia ut Canonicum habet, genuinum non eſſe *Iſaiæ* Opus, ſed tantum compilationem fragmentorum Libri ejus, quæ ut ſors tulit, hinc inde collecta, potiſſimum vero ex Chronicis Regum Juda & Iſrael, in id Volumen quod Eccleſia legit, compacta ſunt. His vero nititur conjecturis.

Primo, *Iſaiæ* Prophetiam a Capite ſexto incipere, ubi ſe ad id uſque tempus tacuiſſe ait: *In anno, quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum .... Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum .... Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices Populo huic*, &c.

Secundo, ait, *Oziæ* Regis temporibus non convenire quod Cap. 1. 7. 8. de vaſtatione & excidio Hieroſolymorum dicitur: Illud igitur non eſt Libri Iſaiæ initium.

Obiicit tertio, *Iſaiam* res geſtas *Oziæ* Regis Juda literis prodidiſſe, ut docet Liber 2. *Paralipomenon* Cap. 26. In hoc autem Libro quem habemus, nec Acta *Oziæ* deſcribuntur; nec ulla habentur Vaticinia, quæ ſub *Ozia* edita fuiſſe conſtet.

Obiicit quarto, *Iſaiam* etiam ſub *Manaſſe* Rege vaticinatum: & tamen hoc in Libro nullum extare Vaticinium Manaſſis temporibus editum.

Obiicit quinto, Diſturbato ac perverſo ordine digeſtas eſſe prædictiones quæ hoc in Libro habentur.

III. Verum leves ac futiles eſſe illas Theologo-Politici Diſſertatoris conjecturas, nemo non videt cordatus & eruditus. Ad primam reſpondetur, Prophetam non dicere, ſe ad hanc uſque diem penitus obmutuiſſe, & ſibi tum primum vaticinandi munus a Deo fuiſſe demandatum, ſed de hoc tantum viſo Domini ſuper ſolium excelſum ſedentis, & Seraphim ipſius faciem & pedes alis ſuis velantium, diutius quam deceret, ſiluiſſe, ejuſque vulgandi Mandatum a Deo accepiſſe.

Ad ſecundam reſpondetur, Hieroſolymorum excidium & vaſtitatem ab *Iſaia* prophetice, non hiſtorice commemoratam: Prædictio autem rei futuræ, quocumque tempore, antequam evenerit, fieri poteſt.

Ad tertiam reſpondetur, *Oziæ* Regis Hiſtoriam ab *Iſaia* peculiari Libro ab ejus Prophetia diſtincto fuiſſe conſcriptam. Qui quidem Liber, cum Canonicus non eſſet, injuria temporum excidit, Vaticinia vero ſub *Ozia* Rege edita, in eo Libro, quem habemus, extare plurima, quæ ſcilicet prioribus quinque Capitibus habentur.

Ad quartam reſpondetur, Incertum eſſe, quod Rabbini aſſerunt, *Iſaiam* ſub *Manaſſe* fuiſſe vaticinatum, cum ipſe ſub quatuor dumtaxat Regibus edita a ſe Vaticinia teſtetur. Si quæ ergo ſub *Manaſſe* prædixit, ea ſcriptis non prodidit.

Ad quintam denique reſpondetur, Stylum Propheticum ab Hiſtorico longe diverſum eſſe, nec eodem ordine contextam eſſe Viſionum Prophetis objectarum, & Vaticiniorum ab ipſis editorum ſeriem, quo rerum geſtarum narrationes in Annalibus & Hiſtoriis ſibi cohærent, ut non humana arte, ſed afflatu & inſtinctu cœleſti edita videantur.

Summa Vaticiniorum Iſaiæ. IV. Sub *Ozia* Rege vaticinatus eſt *Iſaias* Judicium & deſertationem Judæorum, ſub eleganti parabola vineæ ſterilis in direptionem traditæ. Quam maledictionem & vaſtitatem ob avaritiam ipſorum in coacervandis poſſeſſionibus, ob ebrietatem, contemptum ſcientiæ Dei, & corruptelam Judiciorum, ipſos incurſuros prænuntiat. (Cap. 5.) Sub *Achaz* Rege Juda, obſeſſis a *Raſin* Rege Syriæ, & *Phacee* Rege Iſrael Hieroſolymis, prædixit illos non expugnaturos Civitatem, & *Achazo* Regi liberationis futuræ ſignum dedit Virginem parituram. (Cap. 7.) Eidem prædixit finem Regnorum Iſrael & Syriæ: Quod Vaticinium impletum eſt regnante *Aſſaradone* filio *Sennacherib*. Fortitudinem Damaſci, & ſpolia Samariæ a Rege Aſſyriorum auferenda prædixit antequam puer ſciret vocare patrem ſuum, & matrem ſuam: Quod paulo poſt evenit, cum *Theglatphalaſar* ab *Achazo* Rege ut ſuppetias ipſi adverſus hoſtes ferret, rogatus aſcendit Damaſcum, vaſtavit eam, incolas ejus *Cyrenem* deportavit, & *Raſin* Syriæ Regem interfecit, ut narratur (4. *Regum Cap.* 16.) Ingentem ac truculentam Babyloniorum vaſtationem a Medis prædixit, (Cap. 13. & 14.) Quod Vaticinium inter tempora *Sennacherib* Aſſyrii, & *Nabuchodonoſor* Chaldæi impletum eſt. Tunc enim Medi præpollVere ſub *Dejoce*, aliiſque Regibus, quorum *Herodotus* & *Cteſias* mentionem faciunt. Moabitarum ruinam Cap. 15. & 16. prænuntiat, quæ ad tempora *Salmanaſaris* pertinet, ſicut & Damaſci excidium, Cap. 17. prænuntiatum. Ad eadem ferme tempora pertinent clades Ægyptiis & Æthiopibus illatæ, de quibus edita Vaticinia leguntur, (Cap. 18. 19. 20.) Ut enim ex *Herodoto* Libro 2. diſcimus, *Sennacheribo* Aſſyriorum Regi coævus fuit *Sethon* Vulcani Sacerdos Rex Ægypti, cui *Sennacherib* ipſe bellum intulit. *Sethone* mortuo diviſa eſt Ægyptus in Reges duodecim, quorum unus fuit *Pſammitichus*. Is in paludes ab Ægyptiis relegatus, collecta factione & Jonum ac Carum, qui Mare infeſtum habuerant, ope adjutus, undecim Reges alios vicit, atque interfecit. Juſſus autem a Deo eſt *Iſaias* nudus & calceatus incedere, ut Ægyptios & Æthiopes in Captivitatem ab Aſſyriis abducendos facto illo inſolito ſignificaret. Solebant enim ſic incedere, qui captivi deportabantur, ſola interula induti, detracta per victores meliori veſte. Id mandatum *Iſaiæ* datum eſt anno quo *Thartan* a *Sennacherib* Rege Aſſyriorum qui & *Sargon* vocabatur, præmiſſus, Azotum expugnavit. (*Iſai.* 20.) Triſtia quoque vaticinatur *Iſaias* contra Populos, qui Aſſyriorum partes ſecuti, in illis, non in Deo ſpes repoſuerant, ſcilicet Idumæos, qui habitabant in Deſerto Sur ſive Etham ad ipſam oram Arabici Sinus: Item contra Dumathæos ab *Iſmaele* ortos, & contra Arabes Petrææ *Cethuræ* poſteros. (*Iſai. Cap.* 21.) Cladem Hieroſolymis a *Salmanaſſar* & *Sennacherib* inferendam prædicit Cap. 22. Tyri vaſtitatem ad annos ſeptuaginta prænuntiat: Quod non multo poſt impletum eſt, cum Rex Aſſyriorum *Salmanaſar*, ſubacta Samaria Tyriis bellum intuliſſet. (*Iſai.* 23.) Piiſſimo Regi *Ezechiæ* auxilium a Deo contra Aſſyrios ſpopondit, & lethali morbo decumbenti ipſi vitæ regnique prorogationem in decimum quintum annum, & liberationem de manu Aſſyriorum denuntiavit, ſigno dato, mirabili ſcilicet ſolaris umbræ deductione, & Solis ipſius retroceſſione. (*Iſai.* 38.) Tandem *Ezechiam*, quod theſauros ſuos Babyloniis Oratoribus ſuperbe oſtentaſſet, eorum in Babylonem ablationem, & filiorum futuram Captivitatem prædixit, eum nondum haberet filium. (*Iſai.* 39.) De *Cyro* Perſarum Rege nominatim, deque victoriis ab ipſo reportan-

dis

Digitized by Google

dis, ejus Imperio, & reſtituende per ipſum Judæis libertate, multo ante vaticinatus eſt, quam Cyrus naſceretur. (*Iſai. 45.*)

Iſaia de Chriſto & Eccleſia Vaticinia.

V. Quamvis *Iſaias* ad præſentem interdum reſpiciet Hiſtoriam, & poſt Babyloniæ Captivitatem reditum Populi ſignificet in Judæam: *Tamen omnis ejus cura de vocatione Gentium, & adventu Chriſti eſt: Ut non tam Propheta dicendus ſit, quam Evangeliſta. Ita enim univerſa Chriſti Eccleſiaque Myſteria ad liquidum proſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam texere.* Verba ſunt *S. Hieronymi* in Præfatione ad *Paulam* & *Euſtochium*. De quo & *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 29. ait: *Iſaias inter illa quæ arguit iniqua, & juſta præcipit, & peccatori Populo mala futura prædixit, etiam de Chriſto & Eccleſia, hoc eſt, de Rege, & ea quam condidit Civitate, multo plura quam cæteri prophetavit: ita ut a quibuſdam Evangeliſta, quam Propheta potius diceretur.* De eodem *S. Cyrillus Alexandrinus* in Prologo Commentariorum ait: *Ubique redemptionis per Chriſtum mentionem inicit, atque ſubſequentibus temporibus a ſocietate & contubernio Dei exterminandum Iſraelem, ſucceſſuram vero Gentium multitudinem, per fidem in Chriſto juſtificatam. Quare mihi videtur Beatus Propheta Iſaias non ſola Prophetiæ gratia plurimum ornatus, ſed & decoribus Apoſtoli. Eſt enim hic Propheta ſimul & Apoſtolus: & in hac ſcriptione ſua habebit ſermones, Evangelicæ Prædicationis ſplendore non carentes.* De eodem *Theodoretus* in Prologo Commentariorum: *Divini quidem omnes Prophetæ non ea ſolum pronuntiarunt, quæ Iſraeli eventura erant, ſed de Gentium etiam ſalute vaticinati ſunt, & Domini adventum prænunciarunt. Omnium vero maxime diviniſſimo Iſaiæ vaticinatio iſta concredita eſt. Nam aperte omnia prædicit, & prognatam ex Abraham & David Benedictionem, & Salvatoris Nativitatem ex Virgine, & patrata omnium generum Miracula, fonteſque curationum; & Judæorum invidiam atque rabiem, & Paſſionem, & Mortem, & Reſurrectionem ex mortuis, & Aſcenſionem in cœlos, & Apoſtolorum delectum, & ſalutem omnium Gentium.*

VI. De Chriſto, de pace per ipſum orbi conferende, de Legis Evangelicæ promulgatione, & Eccleſiæ inſtitutione perſpicuum eſt *Iſaiæ* Vaticinium, Cap. 2. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt Populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad Montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: Quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem. Et judicabit Gentes, & arguet Populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine Domini .... Et incurvabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus ſolus in die illa: & Idola penitus conterentur: & introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, a facie formidinis Domini, & a gloria Majeſtatis ejus, cum ſurrexerit percutere terram.* Meſſiæ Regnum hoc Oraculo deſignari Hebræi ipſi agnoſcunt, præſertim *R. D. Kimchi*, & *Aben-Ezra* in *Michæam*, apud quem hoc Vaticinium iiſdem fere verbis repetitum legere eſt. Id vero in Chriſto Jeſu impletum ſuperius oſtendimus, cum de *Michæa* Prophetia ageremus. Hic enimvero Mons eſt, ad quem Gentes omnes confluxere: Hic hominum Doctor, Novæ Legis Conditor, quæ Hieroſolymis promulgari cœpit, Auctor noſtræ cum Deo reconciliationis & pacis, Lux vere homines in viæ ſalutis dirigens; a Deo Patre poſt Paſſionem exaltatus, ita ut deſtructa Idololatria, Gentibus ad fidem Nominis ejus converſis, Ipſumque adorantibus longe lateque dominetur.

VII. Ad Chriſtum pertinet Oraculum illud Capitis 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſalvati fuerint de Iſrael. Et erit: Omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem, Sanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Jeruſalem. Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus, in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris.* Germen Domini vel ipſe Chriſtus eſt, de quo idem Propheta; *Aperiatur terra* (inquit) *& germinet Salvatorem.* Vel germen Nominis Chriſtiani, quo exorto, & terra fructum ſuum dante, exultatio erit iis qui ſalvati fuerint de Iſrael: De quibus idem Propheta: *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma eſſemus, & ſimiles Gomorrho fuiſſemus.* Non omnem porro Iſrael, ſed reliquias Populi Sion ſalvas fore prædicit, Apoſtolos ſcilicet, ac eos qui per Apoſtolos crediderunt; de quibus dictum eſt Lucæ 10. *Gaudete quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis:* & qui *Sancti* naſcentis Eccleſiæ temporibus vocabantur. Tunc autem Iſraelis reliquiæ per gratiam Chriſti ſalutem conſecutæ ſunt, cum Dominus ſordes illarum Baptiſmate abluit, Sanguiniſque ſui virtute illas emundavit ab omni peccato. Lavit autem illas in ſpiritu Judicii, & ſpiritu ardoris: De quo Joannes Baptiſta ajebat. (Matth. 3.) *Ego baptizo vos aqua: Qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Homo enim aquam tantum tribuit, Deus autem Spiritum Sanctum; Quo & ſordes, & ſanguis abluuntur, id eſt, leviora & graviora peccata purgantur. De Chriſto hunc locum explicat Chaldaica Paraphraſis Jonathanis, quæ ſic habet: *In tempore illo erit Chriſtus Domini in gaudium & gloriam: & factores Legis in magnificentiam, & in laudem, his qui liberati fuerint de Iſrael. Et qui relictus fuerit, revertetur ad Sion, & factor Legis ſuſtentabitur in Jeruſalem. Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus fuerit ad vitam æternam: Videbit conſolationem Jeruſalem.*

VIII. Ortum Chriſti ex Virgine vaticinatur *Iſaias* Cap. 7. ubi obſeſſa a Regibus Syriæ & Iſrael Jeruſalem, impio *Achazo* Regi Judæ ſignum a Deo ex incredulitate & hypocriſi petere nolenti ait: *Audite ergo domus David: Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* De ſignificatione Hebraicæ dictionis, *Alma*, fruſtra cavillantur Judæi, eaque notari puellam quamcumque, ſive nuptam, ſive innuptam contendunt. Vox enim iſta puellam ſignificat, quæ virginitatem adhibita cuſtodia ſervaverit, ad eamque cuſtodiendam abſtinuerit publico. *Alma* (inquam) idem eſt quod *Abſcondita*, ſeu *Virgo*, *quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit.* Atque ad Virginem ſignificandam in Scriptura Sacra ſemper ea vox adhibetur. Unde *Geneſ.* c. 24. 43. *Rebecca* etiam tum Virgini, & Exodi 2. 8. *Mariæ* ſorori *Moyſis*, quæ Virgo erat, id nomen tribuitur. Et *Aquila* ad illum Geneſeos locum; ubi nomen *Alma* Rebeccæ tribuitur, vertit, *Abſconditam*. Eamdemque ſignificationem huic ineſſe nomini docet *R. David Kimchi* in Libro *Radicum*. Et nunquam ad mulierem nuptam ſignificandam, ſed ad Virginem junioris ætatis, ſive in annis adoleſcentiæ, aut certe jam nubilem, deſignandam uſurpatur, ut notat *S. Hieronymus* Hebraicæ linguæ peritiſſimus in Commentario hujus loci, & in Traditionibus Hebraicis. Quin etiam lingua Punica, quæ Hebraicæ propago eſt, Virginem *Alma* appellari teſtatur. Leve eſt quod objiciunt Judæi, vocem *Alma* in *Cantico Canticorum* adoleſcentulas, non virgines ſignificare: Quippe amatoriis rebus virgines adhibere fuiſſe indecorum. Item *Proverbiorum* 30. 18. 19. puellam notare quæ virilem congreſſum experta ſit, ubi *Viam viri in virgine* ſe *penitus ignorare* Salomon ait. *Aquilam* denique, *Theodotionem* & *Symmachum*, in hoc *Iſaiæ* Vaticinio vertiſſe νεᾶνιδα, non παρθένον, *Adoleſcentulam*, non *Virginem*. Hæc (inquam) levia ſunt. Innuptos enim pueros ſponſum, puellas innuptas ſponſam olim comitari ſolitos ad Nuptias, & carminibus cantionibuſque proſequi ſolitos, teſtes ſunt *Theocritus* in *Helenæ* Epithalamio, *Ariſtænetus* in Narratione Amorum *Acontii* & *Cydippes*, & *Catullus* in Epithalamio *Juliæ* & *Manlii*. Ethnicos porro ex Cantico Canticorum *Salomonis* Epithalamiorum modum

for-

Digitized by Google

formamque ſumpſiſſe, docet *Origenes Homilia 1. in Cantica*. Quapropter adoleſcentulas illas quarum fit mentio in ſacro illo Epithalamio, Virgines fuiſſe credendum eſt. Unde ſeorſum a Reginis & Concubinis recenſentur. Capit. 6. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus*. Quod ſpectat locum Proverbiorum, ſignificat *Salomon* difficile eſſe virginis clam a viro corruptæ veſtigia deprehendere, cum innumeræ ſint feminarum artes, quibus turpitudinem ſuam abſcondunt; innumeræ etiam artes juvenum, quibus virginum animos pelliciunt & fallunt. Dictio itaque *Alma* ſignificatum ſuum ibi retinet, ac *virginem* indicat, ſeu puellam viro quidem maturam, ſed tamen innuptam. Nec alio ſenſu nomen iſtud ſumi probant ſequentia *Salomonis* verba, *Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit, Non ſum operata malum*. Id enim unum ſibi vult *Salomon*, tanta arte virginem ſuam cum amatoribus familiaritatem celare, ut vix majore mulier adultera uſu perita uti poſſit *Aquila & Theodotion Proſelyti*, & *Symmachus Ebionita*, cum *Mariæ* Jeſu Matri virginitatem derogarent, non mirum quod νεᾶνιν non παρθένον in hoc *Iſaiæ* Oraculo tranſtulerint, *Adoleſcentulam*, non *Virginem*, ut voce ſignificationis ancipitis fucum facerent, & locum ex quo palmare argumentum a Chriſtianis peti ſentiebant, Verſione ſua elevarent. His vero Septuaginta Interpretum auctoritatem opponimus, qui verterunt, ἰδὲ ἡ παρθένος ἐν γαςρὶ λήψεται ὑιὸν, nec non Latinæ Verſionis, Paraphraſis Caldaicæ, Verſionum Syriacæ, Arabicæ quæ pariter habent: *Ecce Virgo concipiet*. Præterea conceptum Virginis tamquam ſignum proponit Propheta, id eſt, tanquam rem novam, inuſitatam, naturæ vires ſuperantem, quæ ſola Dei omnipotentia fieri, ab eoque uno expectari poſſit. At novum non eſt & inuſitatum, naturæque leges & vires ſuperans, quod puella admiſſo viro & delibata virginitate concipiat & pariat. Virginem itaque illibata virginitate concipientem & parientem intellexit *Iſaias*. Hujus argumenti pondere Judæos premunt *S. Juſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone. *Tertullianus Libro Adverſus Judæos*, Cap. 9. *Origenes* Libro 1. contra Celſum, *Euſebius* Libro 7. *Demonſtrationis Evangelicæ*; *SS. Baſilius*, *Hieronymus*, *Cyrillus Alexandrinus* Commentar. in Cap. 7. Iſaiæ. Denique *S. Matthæus* in Chriſto Jeſu, quem *Maria* integra & illibata virginitate ex Spiritu Sancto concepit, hoc Vaticinium impletum docet, Cap. 1. Verſ. 18. & ſequentibus: *Chriſti autem generatio ſic erat: Cum eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joſeph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: Ipſe enim ſalvum faciet Populum ſuum a peccatis eorum. Hoc autem factum eſt ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel. Et non cognoſcebant eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Et vocavit nomen ejus Jeſum*.

Ad Chriſtum quoque pertinet oraculum illud Capitis 8. *Sume tibi Librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis: Velociter ſpolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi teſtes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & acceſſi ad Propheti ſſam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus: Accelera ſpolia detrahere: Feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum*. Propheti ſſæ nomine *Maria* Virgo ſignificatur, quæ Spiritu ſancto impleta divinum illud Canticum, *Magnificat anima mea Dominum*, protulit, atque, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; Quia fecit mihi magna qui potens eſt*. Ad eam ſpiritu acceſſit *Iſaias*; ejus conceptus ac partus Myſterium animo prævisum ac præcognitum, in Libro juſſu Dei deſcripſit: Ejuſque Filium Chriſtum Jeſum in ipſa infantia prædam Damaſci & Samariæ Regi Aſſyriorum, hoc eſt, Gentes typicis nominibus ſignificatas, Dæmoni, typico etiam nomine deſignato, erepturum vaticinatur. Quod in adoratione Chriſti a Magis, ac Gentium in iiſdem vocatione completum eſt, ut Patres ſummo conſenſu explicant. Præclarus eſt ea de re *Tertulliani* locus *Libro 3. Adverſus Marcionem*, Cap. 13. *Ante eſt enim inſpicias ætatis demonſtrationem, an hominem jam Chriſtum exhibere poſſit, nedum Imperatorem. Scilicet vagitu ad arma eſſet convocaturus infans, & ſigna belli, non tuba, ſed crepitacillo daturus: Nec ex equo, vel de curru, vel de muro; ſed de nutricis aut gerulæ ſuæ collo ſive dorſo hoſtem deſignaturus .... Enimvero ſi nuſquam hoc natura concedit, ante militare quam vivere; ante virtutem Damaſci ſumere, quam patris & matris vocabulum noſſe, ſequitur ut figurata pronuntiatio videatur .... Maneant Orientales illi Magi, in infantia Chriſtum recentem auro & thure munerantes; & accepit Infans virtutem Damaſci ſine prælio & armis ... De illo autem tunc auri munere etiam David*, Et dabitur illi ex auro Arabiæ. *Et rurſus*, Reges Arabum & Saba munera afferent illi. *Nam & Magos Reges habuit fere Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro deputabatur antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicen ex diſtinctione Syriarum; cujus tunc virtutem Chriſtus accepit, accipiendo inſignia ejus, aurum ſcilicet & odores. Spolia autem Samariæ ipſos Magos. Qui cum illum cognoviſſent, & muneribus honoraſſent, & genu poſito adoraſſent, quaſi Deum & Regem, ſub teſtimonio indicis & ducis ſtellæ, ſpolia ſunt factæ Samariæ, id eſt Idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum*. Faceſſat ergo carnalis Judæorum interpretatio, qui uxorem Iſaiæ *Librum grandem* appellari volunt: *Stylum hominis*, eam partem quæ honeſte nominari non poteſt: Scriptionem horum nominum: *Accelera ſpolia detrahere: Feſtina prædari*: congreſſum cum uxore quo procrearetur filius ita vocandus. Illud enimvero Vaticinium de filio *Iſaiæ* intelligi vetat Chronologia Sacra. Annum ſiquidem decimum ſextum ſaltem attigiſſet ante Samariæ deſtructionem: Cum hæc ſub annum tertium vel quartum Regis *Achaz* dicta videantur? Proindeque Prophetiæ veritas non conſtaret, nimirum ſpolia Samariæ & fortitudinem Damaſci ablatum iri a Rege Aſſyriorum, antequam puer ille Patrem & matrem vocare poſſet. Secundo, quia vel ipſo cogitato fœdum eſt, quod Propheta coram teſtibus ad uxorem acceſſerit filium procreaturus. Tertio, quod *Iſaiæ* filio non conveniunt, ſed Meſſiæ ſoli, res iſtis nominibus ſignificatæ. Quarto, quod de eodem Puero, quem a Virgine conceptum iri vaticinatus eſt *Iſaias* ſuperiori Capite, hic etiam locus intelligatur, ut conſtat ex illis verbis Verſus octavi: *Et erit extenſio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel*. Quinto, quod hæc verba Verſ. 14. de Chriſto intelligantur: *Et erit vobis in ſanctificationem: In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael: in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem*. Id enim in Chriſto impletum conſtat ex ipſius Chriſti verbis Matth. 21. 42. 44. *Numquid legiſtis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? ... Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur: Super quem vero ceciderit, conteret eum*. Ex verbis *Simeonis* ad *Mariam* Matrem *Jeſu*, Luc. 2. 34. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur*. Item ex Epiſtolæ ad *Romanos* Cap. 9. 31. 32. 33. *Iſrael vero ſectando Legem juſtitiæ, in Legem juſtitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali; & omnis qui credit in eum, non confundetur*. Primæ denique Epiſtolæ *S. Petri*, Cap. 2. 4. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides vivi, ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum. Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſum-*

ſummum angularem, electum, pretioſum; & qui crediderit in eum, non confundetur. Legi poteſt Diſſertatio noſtra 27. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 1. qua refellitur Ebionitarum Hæreſis: In qua hæc duo *Iſaiæ* Oracula plenius a Judæorum cavillis vindicavi.

IX. Chriſto convenit quod legitur *Iſaiæ* 9. 1. Vaticinium: *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & Terra Nephtali, & noviſſimo aggravata eſt via Maris trans Jordanem Galilææ Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis*. Quod in Chriſto impletum *S. Matthæus*, Cap. 4. Evangelii ſui teſtatur: *Cum autem audiſſet Jeſus quod Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam: & relicta Civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtali. Ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam. Terra Zabulon, & Terra Nephtalim, via Maris trans Jordanem Galilææ Gentium; Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis*. E Galilæa ſcilicet Chriſtus Apoſtolos primarios vocavit, *Petrum*, & *Andream*, *Jacobum*, & *Joannem*, *Matthæum*, & *Philippum*: Imo Apoſtoli omnes *Viri Galilæi* in Scripturis appellantur. In Galilæa miraculorum ſuorum partem maximam edidit; & inter alia primum Salvatoris Miraculum editum eſt in Nuptiis in Cana Galilææ. Lege *Euſebium* Lib. 9. *Demonſtrationis Evangelicæ*, ubi hoc Vaticinium vindicat, pag. 438.

Vaticinium clariſſimum de Chriſti Nativitate & ejus Imperio eodem Capite Verſ. 6. & ſequentibus habetur: *Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt Principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur Nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis: Super ſolium David, & ſuper Regnum ejus ſedebit: Ut confirmet illud, & corroboret in judicio & juſtitia, amodo & uſque in ſempiternum: Zelus Domini Exercituum faciet hoc. Verbum miſit Dominus in Jacob, & cecidit in Iſrael*. Quæ nec *Ezechiæ* Regi, nec *Iſaiæ* filio, nec ulli omnino homini præterquam Chriſto Jeſu conveniunt, qui vere Deus & Homo eſt, cui data eſt a Patre omnis Poteſtas in cœlo & in Terra: Qui Crucem Regni ſui inſigne humeris geſtavit: Qui æternam pacem hominum generi peperit; cujus Imperium ſempiternum eſt. De Chriſto hunc locum intellexit Chaldæus Paraphraſtes: *Dixit Propheta Domui David, Quoniam parvulus natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis: & ſuſcepit Legem ſuper ſe ut ſervaret eam, & vocabitur Nomen ejus a facie Admirabilis conſilii Deus, vir permanens in æternum, CHRISTUS, cujus pax multiplicatus ſuper nos in diebus ejus*.

X. De Chriſto ſecundum ſenſum literalem pariter intelliguntur illa 11. Capitis Oracula: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini; Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet: Sed judicabit in juſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ; & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: Vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos .... In die illa, Radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum Populorum, ipſum Gentes deprecabuntur, & erit ſepulcrum ejus glorioſum*. Virga de radice Jeſſe, Sancta *Maria* Virgo eſt, quæ nullum habuit ſibi frutricem cohærentem, de qua ſupra dixit Propheta, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*: Flos Chriſtus Jeſus, qui dicit in Cantico Canticorum, *Ego flos campi, & lilium convallium*. Qui & *Nazaræus* propterea vocatus eſt. Super hunc igitur florem, qui de trunco & radice Jeſſe per *Mariam* Virginem repente ſurrexit, Spiritus Domini requievit, quia: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem Divinitatis habitare corporaliter*: ut ait Apoſtolus *ad Coloſſenſes* 1. 19. & 2. 9. Unde *S. Matth*. Cap. 12. 17. 18. 19. 20. 21. de Chriſto *Jeſu* interpretatur quod *Iſaias* Cap. 41. promit Oraculum huic affine: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam Spiritum meum ſuper eum, & judicium Gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium; & in Nomine ejus gentes ſperabunt*. In ipſo requievit Spiritus Domini, id eſt, æterna habitatione permanſit, juxta illud Sancti Præcurſoris teſtimonium Joannis 32. *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum: Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei*. Nullam in judicio rationem habuit perſonarum, Scribarum, Phariſæorum, Principum Populi vitia corripiens. Quibus ipſum per Diſcipulos ſuos adeuntibus, & dicentibus: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de* Matt. 22.
aliquo: Non enim reſpicis perſonam hominum. Reſ- 16. 28.
pondit, *Quid me tentatis, hypocritæ?* Pauperes & manſuetos beatos prædicavit; ſeque miſſum ut illis evangelizaret, declaravit. (*Luca* 4. 18.) Ipſos Eccleſiæ perſecutores depoſita feritate in Eccleſia cum Apoſtolis & Diſcipulis habitare fecit, quos miſit *ſicut oves in medio luporum*. Poſt Paſſionem & mortem ſepultus, corruptionem expertus non eſt, ſed a mortuis tertia die redivivus, gloria & honore coronatus eſt. Unde ſepulcrum ejus glorioſum fore prædicitur. Ad hæc Gentes ſub Crucis ſuæ ſigno collectas, & non tantum ſubditas, ſed ſupplices habet Chriſtus Jeſus. Unde Apoſtolus *ad Romanos* 15. 12 illud *Iſaiæ* Chriſto convenire declarat: *Erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt*. Denique Antichriſtum virtute ſua extinguet. Hic antonomaſtice *Impius* eſt, quem ſpiritu labiorum ſuorum interfecturus prædicitur. Propheticum illud Oraculum confirmat Apoſtolus 2. *ad Theſſalonicenſes*, Cap. 2. 8. *Tunc revelabitur ille Iniquus, quem Dominus interficiet Spiritu oris ſui*. De Chriſto hunc Iſaiæ locum interpretatur Chaldæus Paraphraſtes *Jonathan*, qui ſic habet: *Et egredietur Rex de filiis Jeſſe, Chriſtus de filiis filiorum ejus ungetur .... In diebus Chriſti Iſrael multiplicabitur pax in terra. Et habitabit lupus cum agno .... Et erit in tempore illo filius* Grotius
filiorum Jeſſe, qui futurus eſt, ut ſtet in ſignum Po- refellitur.
pulorum: Ipſi Regna obedient, & erit locus manſionis ejus in gloria. Tam illuſtre de Chriſto Vaticinium *Ezechiæ* convenire & ad laudes ejus pertinere, fruſtra contendit *Grotius*. Jam enim natus erat *Ezechias*, cum Vaticinium iſtud ederetur. Siquidem hæc *Achazo* regnante ſcripta, conſtat ex Capite ſeptimo. Regnavit autem *Achaz* annos ſexdecim: Cui cum ſucceſſit *Ezechias*, annum agebat vigeſimum-quintum. Porro ſi jam natus erat, cum hoc Vaticinium editum eſt, qua ratione de ipſo quaſi nondum nato prædici potuit: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Dici etiam de *Ezechia* non poteſt, *Quod requieverit ſuper eum Spiritus Domini*, ſeu perpetuo ipſi adfuerit, ut interpretatur *Grotius*. Quis enim ipſi Spiritum Dei tunc adfuiſſe dixerit, cum theſauros ſuos, & pretioſam omnem ſupellectilem Legatis Regis Babylonis ſuperbe oſtentavit, quo facto divinam iram incurrit, & ab ipſo *Iſaia* Dei nomine ob inanem gloriam acriter reprehenſus eſt? (2. Paralipomen 32. 25.) *Sed non juxta Beneficia quæ acceperat, retribuit, quia elevatum eſt cor ejus: & facta eſt contra eum ira, & contra Judam & Jeruſalem*. (Iſai. 39. 25.) *Et dixit Iſaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini Exercituum. Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizaverunt Patres tui uſque ad diem hanc in Babylonem: Non relinquetur quidquam dicit Dominus. Et de filiis tuis, qui exibunt de te quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in Palatio Regis Babylonis*. Tam graves autem pœnæ *Ezechiæ* denuntiatæ non fuiſſent, ſi Spiritus Domini ſuper eum requieviſſet, ſive ipſi perpetuo adfuiſſet. Spiritum fortitudinis in

Ezechiæ requieviſſe *Grotius* ait, eumque Spiritum interpretatur conſtantiam in adverſis, quam tempore *Sennacheribi* egregie oſtenderit. At quomodo illam animi fortitudinem & conſtantiam *Ezechiæ* vindicare poteſt, cum audita *Sennacherib* adverſus ſe ſuſcepta Expeditione, miſit ad eum nuntios in Lachis, dicens: *Peccavi, recede a me; & omne quod impoſueris mihi, feram. Indixit itaque Rex Aſſyriorum Ezechiæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in Domo Domini, & in Theſauris Regis. In tempore illo confregit Ezechias valvas Templi Domini & laminas auri, quas ipſe affixerat, & dedit eas Regi Aſſyriorum*, (ut habetur 4. *Regum* 18.) Qua vero ratione accommodari poteſt *Ezechiæ* comma illud, *Percutiet terram virga oris ſui, & Spiritu labiorum ſuorum interficiet Impium?* De precibus *Ezechiæ*, quibus confecit Aſſyrios, id *Grotius* interpretatur, ſed contorto plane ſenſu. Virgam enim hic ut alibi ſæpe in Scriptura Sacra, Regiam poteſtatem, non humilium precum efficaciam ſignificare fatebitur quiſquis ad loca parallela convertet animum; ut Pſalmo 2. 9. *Reges eos in virga ferrea*. Pſalmo 44. 7. *Virga directionis, virga Regni tui*. Pſalmo 109. 2. *Virgam Virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*. Qui ad *Ezechiæ* tempora pertinet quod ſubdit Iſaias, *Habitabit lupus cum agno*, &c. Omnes iſtas locutiones figuratas ſignificare altam & inconcuſſam pacem, quæ poſt *Sennacherib* tempora futura erat ſub *Ezechia*, per quam etiam infirmiſſimi quique ſuum erant obtenturi ſine metu rapinæ *Grotius* commentatur. Sed veriſimile non eſt, Prophetam pacem illam, quæ præ cæteris nihil eximium habuit tanta verborum ac ſententiarum amplificatione celebraſſe, & ad miraculum uſque extuliſſe. Denique *Ezechiæ* non convenit quod ſepulcrum ejus ſit glorioſum, & quod ipſum Gentes deprecentur. Id ita explicat *Grotius* ut idem ſit ac ad *Ezechiam* concurrent multi ex Gentibus ad verum Deum converſi. At *Ezechia* regnante id factum Scriptura non teſtatur. In Chriſto vero Jeſu impletum cernimus, de quo Pater Æternus Pſalmo 2. 8. *Poſtula a me & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*.

Chriſtum quoque ſpectat illud *Iſaiæ* Cap. 12. *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, Quia fortitudo mea & laus mea Dominus & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Quæ in ſe completa Chriſtus docuit *Joannis* 7. 37. cum in noviſſimo die magno Feſtivitatis clamaret: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina, de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et Cap. 4. 13. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Chaldæus Paraphraſtes Verſum illum, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, ita reddit: *Et accipietis Doctrinam Novam in gaudio ab electis Juſtorum*.

XI. De Chriſto Jeſu manifeſtæ prædictiones extant *Iſaiæ* Cap. 35. *Deus ipſe veniet & ſalvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum ... Et erit tibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: Non tranſibit per eam pollutus, & hæc vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam. ... Et redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum*. Id in ſe impletum docet Chriſtus Jeſus Joannis 11. 5. *Euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*.

XII. Chriſtum Jeſum, ejuſque Sanctum Præcurſorem *Joannem Baptiſtam*, ſuave Chriſti Imperium, ejuſque poteſtatem & gloriam ponit ob oculos *Iſaias* Cap. 40. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt*.

Huic Prophetiæ reſpondet eventus, ut *S. Matthæus* explicat Evangelii ſui Cap 3. *In diebus autem illis venit Joannes Baptiſta prædicans in deſerto Judææ, & dicens: Pœnitentiam agite, Appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: Rectas facite ſemitas ejus*. Legatur *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, p. 428. & 429. Pergit Propheta Verſ. 9. & ſequentibus: *Super Montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: Exalta, noli timere. Dic Civitatibus Judæ, Ecce Deus veſter: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet: In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit*.

XIII. Vocatio Gentium præcinitur *Iſaiæ* 41. Cap. 2. 3. 4. 5. 6. *Quis ſuſcitavit ab Oriente Juſtum, vocavit eum ut ſequeretur ſe? Dabit in conſpectu ejus Gentes, & Reges obtinebit: Dabit quaſi pulverem gladio ejus, ſicut ſtipulam vento raptam arcui ejus. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus ejus non apparebit. Quis hæc operatus eſt & fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus & noviſſimus ego ſum. Viderunt Inſulæ, & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, appropinquaverunt, & acceſſerunt*.

XIV. De Chriſto clara eſt vaticinatio, Cap. 42. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: Electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: Dedi Spiritum meum ſuper eum, judicium Gentibus proferet: Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium ... & Legem ejus inſulæ expectabunt .... Ego Dominus vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſervavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium: Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris*. Iſraeliticæ Genti hoc Vaticinium non convenit, ut quidam perperam exiſtimarunt. Iſraelitas ibidem arguit Propheta Dei nomine ob cæcitatem & ſurditatem ſpiritualem ex eorum impietate profectam. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, niſi ſervus meus? & ſurdus, niſi ad quem Nuntios miſi? Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus, niſi ſervus Domini?* Ad Iſraelitas igitur non pertinent hæc verba: *Et dedi te in lucem Gentium, ut aperires oculos cæcorum*, &c. Præterea, hæc verba. *Dedi te in fœdus Populi*, de Iſraelitis intelligi rectus ſenſus vetat: Alioqui hunc ſenſum haberent, *Dedi Populum in fœdus Populi*: Quod nugatorium & ineptum eſt. Denique hæc verba, *Legem ejus Inſulæ expectabunt*, de Populo Iſraelitico dicta nullus probat eventus. Nuſquam enim Iſraelitis paruerunt Gentes ad occaſum ſitæ, quæ Inſularum nomine deſignantur. Apud 70. quidem Interpretes legitur, *Jacob puer meus ſuſcipiam eum, Iſrael electus meus, aſſumpſit eum anima mea*, &c. Sed nomen *Jacob* & *Iſrael* obelo ſignatum eſt, & apud reliquos Interpretes ſilentio præteritum, quod in Hebræo non feratur. Unde nec apud S. Matthæum habetur. Uni itaque Chriſto, non Populo Iſrael Oraculum iſtud accommodari poteſt, ut probat *Euſebius* Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ*, pag. 452. & 453. Tandem Targum Jonathanis hunc locum de Meſſia interpretatur: *Ecce ſervus meus Meſſias, applicabo eum: Dilectus meus, in quo ſibi complacuit Verbum meum: Dabo Spiritum Sanctum meum ſuper eum, Judicium meum Populis revelabit*.

XV. Chriſti Nativitatem ſpectat illud Capitis 45. Vaticinium; *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum. Aperiatur terra, & germinet Salvatorem: & Juſtitia oriatur ſimul, ego Dominus creavi eum .... Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator. Confuſi ſunt & erubuerunt omnes: Simul abierunt in confuſionem fabricatores errorum. Iſrael ſalvatus eſt in Domino ſalute æterna .... Congregamini, & venite, & accedite ſimul qui ſalvati eſtis ex Gentibus .... In memetipſo juravi, egredietur de ore meo juſtitiæ verbum*

bum, & non revertetur: Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. Ergo in Domino, dicet, Meæ ſunt juſtitiæ & imperium: Ad eum venient & confundentur omnes qui repugnant ei.

XVI. Chriſtum indigitant quæ Capite 49. *Iſaiæ* habentur Oracula. *Audite Inſulæ, & attendite Populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum, in umbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam. In pharetra ſua abſcondit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Iſrael, quia in te glorïabor .... Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero ſervum ſibi, ut reducam Jacob ad eum, & Iſrael non congregabitur: & glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea. Et dixit: Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob, & fæces Iſrael convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus Redemptor Iſrael Sanctus ejus, ad contemptibilem animam, ad abominatam Gentem, ad ſervum dominorum: Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael qui elegit te. Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui: & ſervavi te, & dedi te in fœdus Populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hereditates diſſipatas: Ut diceres his qui vincti ſunt: Exite; & his qui in tenebris: Revelamini. Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum. Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & Sol: Quia Miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* Chriſtum ab utero Dominus vocavit, allegato ad *Joſephum* Archangelo *Gabriele*, qui dixit ei de partu virginali: *Et vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe enim ſalvum faciet Populum ſuum a peccatis eorum.* Poſuit Dominus os ejus quaſi gladium acutum, ut ſpiritu oris ſui interficeret impium. De quo gladio & ipſe in Evangelio ait: (Matthæi 10. 34.) *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* De quo & *S. Joannes* Apocalypſis 1. 16. *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Ut enim *S. Paulus* ait ad Hebræos 4. 12. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Chriſtum in umbra manus ſuæ Deus protexit, ut carnis vilitas potentia divinitatis tegeretur, Angelo ad Virginem nuntiante: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Poſuit eum ſicut ſagittam electam præ illis, de quibus Pſalmo 4. dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ, Populi ſub te cadent*: & in pharetra ſua, abſcondit, id eſt, in humano corpore, ut in eo inhabitaret omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Unde & ſupra *Deus abſconditus* a Propheta vocatur. Qua ſagitta & Sponſa vulnus accipiens in Cantico Canticorum, ait: *Vulnerata caritate ego ſum.* Servus a Deo appellatur: Quia *cum in forma Dei eſſet*, accipere *formam ſervi* dignatus eſt: (*Philipp.* 2.) Iſrael dicitur, quia de ſemine Judæorum natus eſt. In ipſo Pater gloriatur: Unde Chriſtus *Joann.* 17. ait: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.... Ego te clarificavi ſuper terram: Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam.* Chriſti officium exprimit Propheta, cum dicit miſſum ut reducat Jacob ad Deum, & Tribus Iſrael ſuſcitet. Unde ipſe de ſe ait (Matth. 15. 24.) *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*: Et Apoſtolos mittens, dixit eis, (Matth. 10. 5.) *In viam Gentium ne abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis: ſed potius ite ad oves quæ perierunt domus Iſrael.* Datus eſt in lucem Gentium. Nam & *Simeon* ipſum vocavit *Lumen ad revelationem Gentium.* (Luc. 2. 32.) Et ipſe de ſe ait (Joannis 8. 12.) *Ego ſum Lux Mundi: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Uni Chriſto convenit ut ſit *Salus uſque ad extremum terræ, Qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* (1. ad *Timoth.* 6. 10.) Reges & Principes ſurrexerunt, & adoraverunt Chriſtum, atque etiamnum adorant, & ad finem uſque Mundi adorabunt: De quo & Pſalmo 71. 10. prædictum eſt: *Reges Tharſis, & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſervient ei.* Tempus placitum & dies ſalutis de quibus *Iſaias*, tempus Legis gratiæ a Chriſto datæ *S. Paulus* interpretatur (2. ad Corinthios 6. 1. 2.) *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* In fœdus Populi datus eſt, *Novi Teſtamenti Mediator, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Unus Mediator Dei & hominum; In cujus ſanguine, qui aliquando erant longe, facti ſunt prope. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum .... Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* (ad Hebræos 8. 1. Timothæi 2. 5. ad Epheſios 2.) Miſſus eſt ut ſuſcitaret terram, quæ in Idololatriæ jacebat erroribus; & poſſideret hereditates diſſipatas ſive deſertas; quæ habitatorem non habebant Deum: Et diceret his, qui peccatorum vinculis conſtricti erant, *Exite*; & his qui ſedebant in tenebris, & umbra mortis, *Revelamini.* Qui poſtquam converſi fuerint, & Chriſti lumen aſpexerint, paſcuntur in viis, & in ſemitis Sanctarum Scripturarum, & dicunt: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, In loco paſcuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me.* Qui autem in hujuſmodi viis & ſemitis paſti fuerint, *Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol, neque ullus æſtus: Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* (Apocal. 8.)

XVII. Evangelii prædicationem, ſpiritale Chriſti in Gentes Imperium, ejus Nativitatem ſub radicis & ſurculi ſymbolo, ejus Paſſionem ac Mortem ad expianda hominum peccata voluntarie toleratam, & cum ignominia & opprobriis conjunctam, dum inter duos latrones crucifixus eſt, orationem pro inimicis; gloriam denique ex Paſſione ſubſecutam, qua Eccleſiam, & Fidelium multitudinem innumeram peperit, *Iſaias* clariſſime vaticinatur Cap. 52. & 53. *Ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Quam pulchri ſuper Montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, & prædicantis ſalutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus.* Quem locum Evangelii prædicatoribus *S. Paulus* accommodat, ad Romanos 10. 15. *Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Et ad Epheſios 6. 15. *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Suddit Iſaias. *Gaudete, & laudate ſimul, deſerta Jeruſalem: Quia conſolatus eſt Dominus Populum ſuum, redemit Jeruſalem: Paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium; & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Sic Angelus Chriſtum natum Paſtoribus nuncians: *Ecce*, inquit, *evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni Populo: Quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Sic beatus ſenex *Simeon* Chriſtum complexus præcinit: *Quia viderunt oculi mei Salutare tuum; Quod paraſti ante faciem omnium Populorum.* Addit Propheta: *Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur, & ſublimis erit valde. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iſte aſperget Gentes multas: Super ipſum continebunt Reges os ſuum. Quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati ſunt.* Chriſtus ut homo Dei ſervus, ex ſervili forma, & paupertate apud homines inglorius & deſpectus, ſupremam gloriam conſecutus eſt: ut enim ait Apoſtolus ad Philippenſes 2. 8. 9. *Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Aſperſit Gentes multas, mundans eas ſanguine ſuo, & in baptiſmate Dei conſecrans ſervituti. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: Quanto magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* (Ad Hebræos 9. 13.) Reges & Principes præ ſtupore ſiluerunt, quo-

rum omnis Sapientia Crucis prædicatione ſubverſa eſt, & qui non habuerat Legem & Prophetas, & quibus de eo non fuerat nuntiatum, ipſi Evangelio obedierunt. Unde Apoſtolus ad Romanos 15. 20. 21. *Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: Sed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.* Subjungit *Iſaias* Cap. 53. *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: Non eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum: Deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem; & quaſi abſconditus vultus ejus, & deſpectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum, percuſſum a Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit; & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? Quia abſciſſus eſt de terra viventium: Propter ſcelus Populi mei percuſſi eum. Et dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua: Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur: In ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam. Et cum ſceleratis reputatus eſt; & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Quod Vaticinium veteres & recentiores quidam Judæi ad Populum Iſraeliticum perperam & inepte detorquent. Dicunt enim, cujus dolores Populus Iſraeliticus portaverit, quis ejus livore, ſanatus ſit; an morti ſit oblatus, quia voluit; an iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore ejus; an ipſum propter peccata Populi ſui Deus percuſſerit? De *Joſia* felicius non interpretatus *Abrabaniel*; cum nec volens interierit, nec ad certam mortem iverit, aut illatam ſilentio ſuſtinuerit, imo eam fugere conatus ſit, & prælio ad curandum vulnus exceſſerit, ut conſtat ex Libro 2. *Paralipomenon* Cap. 35. Nec ejus livore ſanatos eſſe Judæos dici poſſit, nec animam ſuam poſuerit pro peccato; neque cum ſceleratis reputatus ſit; neque multorum peccata tulerit; neque ob mortem obitam ſpolia fortium diviſerit. De *Jeremia* rectius non explicant *Saadias Gaon*, & *Grotius*. Nam *Jeremiæ* livore Judaica Gens non eſt ſanata, nec pacem ille Judæis procuravit, nec ſponte morti ſe obtulit, & non aperuit os ſuum: Imo in carcerem miſſus a *Phaſſure*, indeque eductus, maximas illi calamitates vaticinabatur, de ſuis ipſe miſeriis conquerebatur, & natalem ſuum execrabatur. (*Jerem.* 20.) A Sacerdotibus, & Prophetis comprehenſus, & ſupplicio proximus, mortem deprecabatur: *Veruntamen* (inquit Cap. 26. 15.) *ſcitote & cognoſcite, quod ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos, & contra Civitatem iſtam, & habitatores ejus.* A *Sedecia* e carcere eductus, dixit illi: *Quid peccavi tibi, & ſervis tuis, & populo tuo, quia miſiſti me in domum carceris?... Nunc ergo obſecro audi Domine mi Rex: Valeat deprecatio mea in conſpectu tuo: & ne me remittas in domum Jonathan Scribæ, ne moriar ibi.* (Cap. 37.) Et de lacu lutoſo juſſu ejuſdem Regis eductus, ab eoque interrogatus, dixit illi: *Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me?* (Cap. 38. 15.) *Jeremiæ* igitur iſta non conveniunt: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* Denique nec iſta ipſi poſſunt accommodari; *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* At Chriſto Jeſu partes omnes iſtius Vaticinii congruunt. Ipſe propter iniquitates noſtras vulneratus eſt, & attritus eſt propter ſcelera noſtra, ut factus pro nobis maledictum, nos de maledicto liberaret. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum eſt. Quod enim nos pro noſtris ſceleribus ſuſtinere debebamus, ille pro nobis paſſus eſt, *Pacificans per ſanguinem Crucis, ſive quæ in terra, ſive quæ in cælis ſunt.* Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Etenim *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: Quem Joannes Baptiſta monſtrabat, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.* Qui & in Apocalypſi *Agnus occiſus* ſæpe memoratur. Cum enim neſciret peccatum, pro nobis peccatum factus eſt. Et ſicut agnus, cum ducitur ad victimam, non repugnat, ſic ille paſſus eſt voluntarie: Ut deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium; humilians ſe uſque ad mortem, & mortem Crucis. Hic Agnus eſt, in cujus typo immolabatur agnus, cujus cruore linitus in poſtibus, Exterminatorem fugabat Ægypti: Qui non ſolum ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, ut algentes infidelitate calefaceret veſte ſua, & audiemus Apoſtolum nobis loquentem: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Hoc *Iſaiæ* Vaticinium cum Eunuchus Reginæ Candaciæ in curru legens non intelligeret, de Jeſu Chriſto, interprete *Philippo*, intellexit. *Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Iſaiam Prophetam.... Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus? Reſpondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta dicit hoc? De ſe, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os ſuum, & incipiens a Scriptura iſta, evangelizavit illi Jeſum.* De Chriſto hunc locum pariter explicat *S. Petrus* Epiſt. 1. Cap. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus; Qui cum malediceretur, non maledicebat: Cum pateretur, non comminabatur: Tradebat autem judicanti ſe injuſte: Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: Ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: Cujus livore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oves errantes.* De illo dixit Propheta: *Oblatus eſt quia ipſe voluit*; Qui de ſe ipſo ait (Joannis 10. 17.) *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: Sed ego pono eam a me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Ille ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, qui falſis teſtimoniis oppreſſus, *Nihil reſpondit.* Et cum diceret illi Pilatus: *Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer.* Cum ſceleratis reputatus eſt, qui *Barabbæ* ſeditioſo, latroni, & homicidæ poſtpoſitus, eoque dimiſſo, morte turpiſſima damnatus, & in medio duorum latronum crucifixus. (Marci 15. 27. 28.) *Et cum eo crucifigunt duos latrones; unum a dextris, & alium a ſiniſtris ejus. Et impleta eſt Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt.* Pro tranſgreſſoribus rogavit, qui in cruce pendens, dixit: *Pater, dimitte illis: Non enim ſciunt quid faciunt.* Solus ille iniquitatem non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, qui dixit (Joannis 8. 46.) *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et qui paſſim *Juſtus* & *Sanctus* in Scripturis appellatur. Generationem ejus ſive divinam & æternam ex Patre, ſive humanam & temporalem ex Virgine, quis enarrabit? Nemo pro myſterii incomprehenſibilis altitudine & dignitate. Dedit impios pro ſepultura ſua, & divites pro morte ſua; ſive peſſimos pro ſepultura ejus, & divites pro morte ejus, ut habent 70. Interpretes: Impiorum nomine Gentium multitudo ſignificatur, qui antea Dei hoſpites erant teſtamentorum, & ſine Deo in hoc Mondo. Divitum vero nomine Judæi quorum erat teſtamentum, & Legiſlatio, & Prophetæ. Chriſtus ergo paſſus eſt & ſepultus, ut ex utroque Populo ſibi Eccleſiam congregaret. Poſtquam mortem obiit pro hominum peccatis, videt ſemen lon-

Judæi & Grotius refelluntur.

Ephes. 2.

1. Cor. 5.

Joann. 1.

Apocal. 5.

Exod. 12.

Galat. 3.

Act. 8.

Matth. 27. 12. 13.

Luc. 23. 34.

Joann. 1. longævum, omnes quibus *Dedit poteſtatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus: & ex Deo nati ſunt.* Quos *in gloriam adduxit*, ut *Auctor ſalutis eorum*.
Hebr. 2. 10. Quia labores pertulit graviſſimos, videt Eccleſias toto orbe conſurgere, & earum fide ſaturatur: In ſcientia ſua, ſive doctrina Evangelica cum gratia conjuncta (*Gratia enim & Veritas per Jeſum*
Joan. 1. *Chriſtum facta eſt*) Juſtus ipſe multos juſtificat de toto orbe credentes. Nam (ut ait Apoſtolus ad Romanos 3.) *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum . . . Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore: Ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Denique Deus diſpertivit illi plurimos, impleto quod alibi de Illo prænuntiatum eſt: *Poſtula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem*
Pſal. 2. *tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et fortium ſpolia divſit: *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & exſpolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Hoc *Iſaiæ* Vaticinium *S. Juſtinus Martyr* Apologia 2. & Dialogo cum Tryphone, & *Origenes* Lib. 1. contra *Celſum*, in Chriſto impletum eſſe probant. Quod etiam ipſi vindicant *S. Hieronymus*, *S. Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Procopius* in Commentariis, & *S. Auguſtinus* Lib. 17. *De Civitate Dei*, Cap. 29.

XVIII Ad Chriſtum rurſus pertinet illud *Iſaiæ* Vaticinium *Cap.* 55. *Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: Audite, & vivet anima veſtra; & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias David fideles*; (Sive, ut vertunt 70. Interpretes, *Sancta David fidelia.*) *Ecce teſtem Populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus. Ecce Gentem, quam neſciebas, vocabis; & Gentes quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Iſrael, quia glorificavit te.* Pactum æternum illud eſſe nemo cordatus non videt, quod in Chriſto cum hominibus Deus pepigit: Miſericordias *David* fideles, divina promiſſa *Davidi* facta de Meſſia ex ejus ſtirpe prodituro, quæ in Chriſto Jeſu ſunt impleta. De quibus Pſalmo 88. præcinit: *Miſericordias Domini in æternum cantabo. In generatione & generationem annuntiabo veritatem tuam . . . . Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit; & thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.* Hæc ſunt *Sancta David fidelia*, quæ *S. Paulus* de Chriſto interpretatur, *Actuum* 13. 34. Ipſi etiam Chriſto *Davidis* nomen ab Iſaia tributum intelligi poteſt, uti ab *Ezechiele* Cap. 34. dicente: *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem unum ſervum meum David.* Dux ac Præceptor Gentibus datus eſt, qui de ſeipſo ac de doctrina ſua ait (Matthæi 24. 14.) *Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe in teſtimonium omnibus Gentibus.* Denique Gentes quæ Deum non cognoverant a Chriſto vocatæ, ad eum cucurrerunt. (Coloſſ. 1. 5. & ſeq.) *Propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis, quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo Mundo eſt, & fructificat, & creſcit . . . Si tamen permanetis in fide fundati & ſtabiles, & immobiles a ſpe Evangelii quod audiſtis, quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus Miniſter.* Tam abſurda eſt *Grotii* hoc *Iſaiæ* Vaticinium de *Jeremia* explicantis, & de fœdere quod Deus poſt diluvium cum *Noe* pepigit, commentatio, ut in ea refellenda immorari nullum ſit operæ pretium.

XIX. Ad Chriſtum referuntur & illa Capitis 59. *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam ejus: Cum venerit quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit; & venerit Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & uſque in ſempiternum.* Quod Vaticinium Chriſto vindicat *S. Paulus* Epiſtolæ ad Romanos Cap. 11. 26. 27. *Quia* (inquit) *cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.*

XX. Præclaræ ſunt paſſim in *Iſaiæ* Libro de Eccleſia ex Gentibus congreganda vaticinationes. *Cap.*
,, 54. Lauda ſterilis, quæ non paris: Decanta lau-
,, dem, & hinni, quæ non pariebas; quoniam mul-
,, ti filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet vi-
,, rum . . . . Ad dexteram enim & ad lævam pene-
,, trabis; & ſemen tuum Gentes hereditabit, & Ci-
,, vitates deſertas inhabitabit. Noli timere, quia
,, non confundéris, neque erubeſces: Non enim te
,, pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obli-
,, viſceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recorda-
,, beris amplius: Quia dominabitur tui qui fecit te,
,, Dominus Exercituum nomen ejus; & Redemptor
,, tuus Sanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur:
,, Quia ut mulierem derelictam, & mœrentem ſpi-
,, ritu vocabit te Dominus, & uxorem ab adoleſcen-
,, tia abjectam dixit Deus tuus. Ad punctum in mo-
,, dico dereliqui te, & in miſerationibus magnis con-
,, gregabo te. In momento indignationis abſcondi fa-
,, ciem meam parumper a te, & in miſericordia
,, ſempiterna miſertus ſum tui, dixit Redemptor
,, tuus Dominus . . . . . Montes enim commovebun-
,, tur, & colles contremiſcent: Miſericordia autem
,, non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mo-
,, vebitur, dixit miſerator tuus Dominus. Pauper-
,, cula, tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatio-
,, ne; Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos,
,, & fundabo te in ſapphiris, & ponam jaſpidem pro-
,, pugnacula tua, & portas tuas lapides ſculptos,
,, & omnes terminos tuos lapides deſiderabiles; Uni-
,, verſos filios tuos doctos a Domino, & multitudi-
,, nem pacis filiis tuis. *Confer cum Apocalypſis* 21. 9.
,, *& ſequentibus.*

,, Et *Cap.* 60. Surge, illuminare Jeruſalem: Quia
,, venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te
,, orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, &
,, caligo Populos: Super te autem orietur Dominus,
,, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt Gen-
,, tes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus
,, tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: O-
,, mnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: Filii
,, tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſur-
,, gent. Tunc videbis, & afflues, mirabitur &
,, dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te
,, multitudo Maris, fortitudo Gentium venerit tibi:
,, Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Ma-
,, dian & Epha: Omnes de Saba venient, aurum &
,, thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes
,, ... Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos,
,, & Reges eorum miniſtrabunt tibi . . . . Et aperien-
,, tur portæ tuæ jugiter: Die ac nocte non clauden-
,, tur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, &
,, Reges earum adducantur. Gens enim & Regnum,
,, quod non ſervierit tibi, peribit: & Gentes ſolitu-
,, dine vaſtabuntur . . . . . Et venient ad te curvi fi-
,, lii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt
,, veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant
,, tibi, & vocabunt te Civitatem Domini, Sion
,, Sancti Iſrael. Pro eo quod fuiſti derelicta, & o-
,, dio habita, & non erat qui per te tranſiret, po-
,, nam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in gene-
,, rationem & generationem; & ſuges lac Gentium, &
,, mamilla Regum lactaberis; & ſcies quia ego Do-
,, minus ſalvans te & Redemptor tuus fortis Jacob
,, ... Et ponam viſitationem tuam pacem, & Præ-
,, poſitos tuos juſtitiam. Non audietur ultra iniqui-
,, tas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis
,, tuis, & occupabit ſalus muros tuos, & portas
,, tuas laudatio. Non erit tibi amplius Sol ad lu-
,, cendum per diem, nec ſplendor Lunæ illumina-
,, bit te: Sed erit tibi Dominus in lucem ſempiter-
,, nam & Deus tuus in gloriam tuam. Non occi-
,, det ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur:
,, Quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, &
,, com-

„ complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus „ omnes juſti, in perpetuum hereditabunt terram, „ germen plantationis meæ, opus manus meæ ad „ glorificandum. Confer cum *Apocalypſi* 21. 23. 24. 25. 26. & 22. 5. Lege *S. Hieronymum*, *S. Cyrillum Alexandrinum*, & *Theodoretum* in Commentariis, ubi demonſtrant hæc Oracula in Eccleſia Chriſti Jeſu adimpleta eſſe.

XXI. Chriſtum ſonat Oraculum iſtud *Iſaiæ* Cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me: Ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem: Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro: Ut conſolarer omnes lugentes: Ut ponerem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris: & vocabuntur in ea fortes juſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Iſtud Vaticinium in ſe impletum palam teſtatus eſt Chriſtus Jeſus in Nazarena Judæorum Synagoga, ut habetur *Lucæ* 4. 16. & ſequentibus: *Et venit Nazareth ubi erat nutritus, & intravit ſecundum conſuetudinem ſuam die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi Liber Iſaiæ Prophetæ. Et ut revolvit Librum, invenit locum ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me. Propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuiſſet Librum, reddidit Miniſtro, & ſedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris: Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.*

XXII. De Chriſti ortu & vocatione Gentium rurſus vaticinatus *Iſaias* Cap. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes Juſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit .... Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, Dicite filiæ Sion: Salvator tuus venit: Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo. Et vocabunt eos, Populus Sanctus, Redempti a Domino. Tu autem vocaberis: Quæſita Civitas, & non derelicta.* Chriſto etiam conveniunt iſta ſequentis Capitis: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum: Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi. Dies enim ultionis in corde meo, Annus redemptionis meæ venit. ... Et dixi: Verumtamen Populus meus eſt, filii non negantes: & factus eſt eis Salvator. In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & Angelus faciei ejus ſalvavit eos: In dilectione ſua, & indulgentia ſua ipſe redemit eos & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus ſæculi.* Illi nimirum hæc conveniunt, de quo vaticinatus eſt *Jacob* Geneſis 49. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* De quo *S. Joannes* Apocalypſis 19. 13. *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei.* De quo Pſalmus 44. *Speciosus forma præ filiis hominum. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna.* Ille cui Pater omne judicium dedit, torcular calcavit ſolus, ideſt adverſarias poteſtates contrivit, diſſipavit propria virtute, nullo adjuvante, ſicut uvæ conteruntur in torculari. Populum ergo ſuum Deus non deſeruit, ſed miſit Magni Conſilii Angelum, qui ipſum ſalvaret ac redimeret. Verſio Septuaginta Interpretum Verſum 8. & 9. iſtius Capitis mirum in modum illuſtrat: *Et factus eſt eis in ſalutem ex omni tribulatione eorum: Non Legatus, neque Angelus; ſed Ipſe ſalvavit eos: Quod diligeret illos, & parceret eis, Ipſe redemit eos, & ſuſcepit illos, & exaltavit omnibus diebus ſæculi.*

XXIII. De Chriſti tandem ortu admirabili, miſſiſque ab eo Legatis, id eſt, Apoſtolis ad varias Gentes, ut eas ad veritatis notitiam adduceret, ac in ſuam Eccleſiam congregaret, intelligitur illud Vaticinium *Iſaiæ* Cap. ultimo: *Vox Populi de Civitate, vox de Templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis. Antequam parturiret, peperit: Antequam veniret partus ejus, peperit maſculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic ſimile?* Confer cum illo Apocalypſis 12. 5. *Et ſignum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta Sole: & peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea.* Subdit Propheta: *Et ponam in eos ſignum, & mittam ex eis qui ſalvati fuerint, ad Gentes in Mare, in Africam, & Lydiam. ... in Italiam, & Græciam, ad Inſulas longe, ad eos qui non audierunt de me: & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino .... ad Montem ſanctum meum Jeruſalem, dicit Dominus, quomodo ſi inferant filii Iſrael munus in vaſe mundo in Domum Domini. Et aſſumam ex eis in Sacerdotes & Levitas .... Quia ſicut cœli novi & terra nova, quæ ego facio ſtare coram me: Sic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato: Veniet omnis caro ut adoret coram facie mea.*

ARTICULUS VIII.

De Nahum Propheta.

I. NAhum Elceſi Galilææ viculo natus, ſecundum *Euſebium* & *S. Hieronymum*, non *Joathami* temporibus, ut *Joſepho* Libro 9. *Antiquitatum*, Cap. 11. viſum eſt, neque poſt *Ezechielem*, jam ſcilicet deportato Babylonem *Joakimo*, ut ſcripſit *Clemens Alexandrinus* Libro 1. *Stromatum*, ſed *Ezechia* regnante floruit, ut cenſent *S. Hieronymus* & *Theodoretus*. Decem Tribubus in Captivitatem abductis, contra Ninivem vaticinatus eſt, eique & toti Aſſyriorum Imperio Excidium denuntiavit. Id Vaticinium exitum habuit *Nabopolaſſaro* Magni *Nabuchodonoſoris* patre Babyloniæ Præfecto, qui affinitate cum *Aſtyage* Medorum Rege inita, junctiſque cum illo viribus, ſive cum *Cyaxare* ejus patre, ut *Herodotus* tradit, Niniven in eaque *Chynaladanum* poſtremum Aſſyriorum Regem, quem Alexander Polyhiſtor *Saracum* appellat, expugnavit: & ſub ipſo *Nabuchodonoſore*, qui hanc Aſſyriaci Imperii Metropolim funditus diruit, *Pſeudo-Epiphanius* & *Pſeudo-Dorotheus* prædixiſſe *Nahumum* volunt, fore ut exundante aqua, & ignibus erumpentibus, Ninive ſubverteretur: Idque ita eveniſſe: Motu quippe terræ ſtagnum quo cingitur Civitas, ripas ſupergreſſum, ipſam ſubmerſiſſe, cum interim flamma aliunde erumpens illam depaſceret. Verum id neque cum ſitu Ninives, quæ ſtagno circumfuſa non fuit, neque cum fide hiſtoriæ convenit, quæ bello domitam & dirutam fuiſſe Niniven, & Militum copiis, non aquis inundatam, & flammis hoſtilibus, non naturæ vi erumpentibus devaſtatam teſtatur. (Nahum 2.) *Aſcendit qui diſpergat coram te, qui cuſtodiat obſidionem, ... In itineribus conturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis .... Recordabitur fortium ſuorum, ruent in itineribus ſuis? Velociter aſcendent muros ejus, & præparabitur umbraculum .... Et Miles captivus adductus eſt: & ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ.* (Et Cap. 3.) *Vox flagelli & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis aſcendentis, & micantis gladii, & fulgurantis haſtæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ: Nec eſt finis cadaverum, & corruent in corporibus ſuis .... Omnes munitiones tuæ ſicut ficus cum groſſis ſuis: Si concuſſæ fuerint, cadent in os comedentis. Ecce Populus tuus mulieres in medio tui: Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos. Aquam propter obſidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: Intra in lutum & calca.*

Ætas Nahum Prophetæ.

Vaticinium de Ninives excidio.

Digitized by Google

& ſalea, ſubigens tene laterem. Ibi comedet te ignis, perib.t gladio. Pſeudo-Epiphanium & Pſeudo-Dorothæum in errorem procul dubio induxerunt hæ ſententiæ Nahum 2. 6. *Portæ fluviorum apertæ ſunt, & Templum ad ſolum dirutum.* Et Cap. 3. 13. *Devorabit ignis vectes tuos.* Verum animadvertere debuiſſent has locutiones metaphoricas eſſe, & Sacris Scriptoribus, præſertim Prophetis, familiares eſſe hujuſmodi metaphoras ex incendiorum & exundationum impetu petitas, quibus clades bellicæ exprimantur.

Nahum Vaticinium de Eccleſia.

II. Ad Eccleſiam pertinet illud *Nahum* Vaticinium Cap. 1. 15. *De domo Dei tui interficiam ſculptile & conflatile; Ponam ſepulcrum tuum. Ecce ſuper montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem: Celebra Juda Feſtivitates tuas, & redde vota tua; Quia non adiiciet ultra ut pertranſeat in te Belial; Univerſus interiit.* Hæc, inquam, ad Eccleſiam ſecundum ſenſum anagogicum pertinent, maxime ſi Verſionis 70. Interpretum ratio aliqua habeatur, qui ſequentis Capitis comma primum cum iſtius fine connectunt, atque ita reddunt: *Aſcendit inſufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* Quem locum *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 31. hoc illuſtrat Commentario: *Quis aſcenderit ab Inferis, & inſufflaverit in faciem Juda, hoc eſt Judæorum diſcipulorum Spiritum Sanctum, recolat, qui meminit Evangelium. Ad novum enim Teſtamentum pertinent, quorum dies Feſti ita ſpiritaliter innovantur, ut in vetuſtatem tranſire non poſſint. Porro per Evangelium exterminata ſculptilia & conflatilia, id eſt Idola deorum falſorum, & oblivioni tamquam ſepulturæ tradita jam videmus: & hanc etiam in hac re Prophetiam completam eſſe cognoſcimus.* Alius tamen eſt ſenſus hiſtoricus, ut *S. Hieronymus* explicat: *In Paralipomenon ſcribitur Libro; Quod obſidente Sennacherib Jeruſalem, in primo Menſe Paſcha facere non potuerunt. Cæſo autem per Angelum Exercitu ejus, & fuga ac morte ejus nunciata, in ſecundo Menſe ſumma feſtivitate Paſcha diem celebraverint. Quod ergo dicit, tale eſt; O Juda, qui regnas in Jeruſalem noli eſſe ſolicitus, interfecto hoſte tuo in Templo Dei ſui. Ecce venit tibi nuntius montes colleſque tranſcurrens, & quaſi de ſublimi ſpecula procul nuncians Sennacherib mortuum: Urbem ejus Imperio liberatam. Celebra Feſta, redde vota pro nece Inimici, quæ pollicitus es Deo. Nequaquam ultra pertranſibit per te prævaricator & ἀποςάτης. Totus interiit, id eſt Exercitus, & Rex, & Imperium Aſſyriorum penitus conciderant.*

ARTICULUS IX.

De Habacuc Propheta.

Habacuc genus, ætas, Vaticinia.

I. HAbacuc ex Tribu levi oriundus, non Sunamitidis Mulieris filius, quem vitæ *Eliſæus* reſtituit, (ut Hebræi veteres fabulantur) ſed ille ipſe qui prandium meſſoribus ſuis paratum, *Danieli* in lacum leonum miſſo ab Angelo raptus detulit, ut *S. Hieronymus*, aliique complures cenſent, ſub *Joakim* Rege Vaticinia ſua videtur edidiſſe, quibus Hieroſolymorum per Chaldæos vaſtationem & excidium proxime futurum denuntiat. (Habacuc 1. 5.) *Admiramini, & obſtupeſcite: Quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur.* (Septuaginta vertunt: *Opus ego facio*; & Symmachus: *Opus fiet in diebus veſtris.*) *Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, Gentem amaram, & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, ut poſſideat Tabernacula non ſua..... Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens; & congregabit quaſi arenam captivitatem.* Ipſorum etiam Chaldæorum Excidium prædixit, Cap. 2.

Vaticinium de Chriſto.

II. Meſſiæ Adventum vaticinatus eſt *Habacuc* his verbis Capitis 2. *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem & non mentietur. Si moram fecerit, exſpecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Sed clarius in Oratione ſua: *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud. In medio annorum notum facies: Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.... Egreſſus es in ſalutem Populi tui: In ſalutem cum Chriſto tuo.* Quem Verſum Sexta Editio ita reddebat, *S. Hieronymo* teſte: ἐξῆλθες τῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦ Χριστόν σου. *Exiſti ad ſervandum Populum tuum, per Jeſum Chriſtum tuum.* (Et Verſ. 18.) *Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in Deo Jeſu meo.* Lege *S. Auguſtinum* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 33.

ARTICULUS X.

De Sophonia Propheta.

Sophoniæ genus, ætas, Vaticinia.

I. SOphonias filius *Chuſi*, *filii Godoliæ*, *filii Amariæ*, *filii Ezechiæ*, an Regis, an alterius, incertum, vaticinatus eſt temporibus *Joſiæ filii Amon Regis Juda*, ut ipſe initio Prophetiæ ſuæ teſtatur. Sub initia *Joſiæ* propheticum munus obire cœpit, antequam prophanos & ſacrilegos cultos a *Manaſſe* inductos *Joſias* ſuſtuliſſet, propter quos acerrime Judæos objurgat Capit. 1. 4. 5. 9. *Et extendam* (inquit Dominus) *manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitantes Jeruſalem; & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina Æditituorum cum Sacerdotibus; & eos qui adorant ſuper tecta Militiam cœli, & adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom.... Et viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa: Qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo.* Hi porro ipſi ſunt ſcelerati & impii Ritus, quos *Joſias* ſuſtulit anno Regni ſui duodecimo, ut narratur 4. *Regum* Cap. 23. *Præcepit Rex Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus ſecundi ordinis, & Janitoribus, & projecerunt de Templo Domini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in Luco, & univerſæ Militiæ cœli.... Et delevit eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim Signis & omni Militiæ Cœli, & efferri fecit Lucum de domo Domini foras Jeruſalem.... Contaminavit quoque Tophet, quod eſt in convalle filii Ennon, ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch.* Vaticinia etiam edidit *Sophonias* adverſus Philiſtæos, Moabitas, Ammonitas, Æthiopes, & Aſſyrios, Capit. 2.

Sophoniæ Vaticinium de Chriſto & Eccleſia.

II. De Chriſto & Eccleſia inſigne fudit Oraculum Cap. 3. *Quia tunc reddam Populis labium electum, ut invocent omnes in Nomine Domini, & ſerviant ei humero uno. Ultra flumina Æthiopiæ, inde ſupplices mei, filii diſperſorum meorum deferent munus mihi..... Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua doloſa: Quoniam ipſi paſcentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat. Lauda filia Sion: Jubila Iſrael: Lætare & exulta in omni corde filia Jeruſalem. Abſtulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: Rex Iſrael Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. In die illa dicetur Jeruſalem: Noli timere: Sion non diſſolvantur manus tuæ. Dominus Deus tuus in medio tui fortis ipſe ſalvabit: Gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude... Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo: & ſalvabo claudicantem: & eam quæ ejecta fuerat congregabo: & ponam eos in laudem.* Lege *S. Hieronymum* in Commentariis, *S. Auguſtinum* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 35. *S. Cyrillum Alexandrinum*, & *Theodoretum*, qui Vaticinium iſtud *Sophoniæ* totum quantum eſt ad Chriſtum & Eccleſiam referunt.

ARTICULUS XI.

De Jeremia Propheta.

Jeremiæ genus, ætas, martyrium, memoria.

I. JEremias filius *Helciæ Sacerdotis* ex *Anathot* vico tribus millibus ab Hieroſolymis diſtante oriundus, *In matris utero ſanctificatus, virginitate ſua Evangelicum Virum Chriſti Eccleſiæ dedicavit. Vaticinari exorſus eſt puer: & captivitatem Urbis atque Judææ, non ſolum ſpiritu, ſed & oculis carnis intuitus eſt. Jam decem Tribus Iſrael Aſſyrii in Medos tranſ-*

tule-

tulerunt: Jam terras eorum colonia Gentium poſſidebunt. Unde in Juda tantum, & in Benjamin prophetavit: & Civitates ſua cinìas quadruplici planxit Alphabeti (inquit S. Hieronymus Præfatione in Jeremiam.) Propheticum Munus obire cœpit anno Joſiæ Regis 13. illudque continuavit ſub Joachaz, Joakim, Jechonia, & Sedecia, cujus anno undecimo Jeremiæ Prophetia de Urbis excidio impleta eſt. Deinde a Johanano in Ægyptum abductus, ab impiis hominibus popularibus ſuis, quorum impietatem prophetica libertate objurgabat, lapidibus obrutus creditur, ad eumque pertinere illud Epiſtolæ ad Hebræos 11. 37. Lapidati ſunt. Gregentius in Diſputatione cum Herbano Judæo, Jaculis in cœno confixum tradit. Adhuc ſuperſtitem & cum Elia in fine Mundi venturum ut Gentibus prædicet Victorinus ſcri-

Jerem. 1. 5. pſit in Apocalypſi Cap. 11. Nondum ſcilicet impletum nit, quod Jeremiæ dictum eſt: Et Prophetam in Gentibus dedi te: Quod Judæis dumtaxat vaticinatus ſit. Victorinum egregie refellit Ambroſius Autpertus in Commentario ejuſdem Capitis Apocalypſis, oſtenditque Jeremiam Prophetam etiam in Gentibus datum, ſiquidem in Ægyptum cum reliquiis Judæorum profectus, vaticinatus eſt Ægypti, Palæſtinorum, Tyri, Sydonis, Gazæ, & Aſcbalonis, Moabitarum, Ammonitarum, Idumææ, Damaſi, Cedar, Regnorumque Aſor & Ælam vaſtationem, ipſiuſque Babylonis a Regibus Medorum Excidium. Taphnis Martyrium ſubiit, ibique ſepultus eſt. Ejus oſſa inde Alexandriam ab Alexandro Magno delata, tradunt Chronicon Alexandrinum, & Joannes Moſchus in Prato Spirituali, dubia fide. Sancti Jeremiæ Prophetæ memoria Kalendis Maii celebratur in Martyrologiis Bedæ, Rabani, Adonis, Notkeri, Wandelberti, Uſuardi, & in Romano: Necnon in Menologio Græco Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris, & in Typico S. Sabæ. Lauda-

Jeremiæ laudes. tur a Daniele Cap. 9. 2. Ego Daniel intellexi in Libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur deſolationis Jeruſalem ſeptuaginta anni. Laudatur etiam ab Auctore Paralipomenon Lib. 2. Cap. 36. 20. 21. Ut compleretur ſermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra ſabbata ſua: Cunctis enim diebus deſolationis egit Sabbatum, uſque dum complerentur ſeptuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum. Quæ & initio Libri primi Eſdræ repetuntur. Item a Sirachide Eccleſiaſtici Cap. 49. 8. 9. Incenderunt electam ſanctitatis Civitatem, & deſertas fecerunt vias ipſius in manu Jeremiæ. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris conſecratus eſt Propheta, evertere & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renovare. (Et 2. Machabæorum Cap. 15. 14.) Hic eſt fratrum amator, & Populi Iſrael: Hic eſt qui multum orat pro Populo & univerſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Dei. Inſigne de illo Alexandri Polyhiſtoris teſtimonium deſcripſit Euſebius Libro 9. Præparationis Evangelicæ, Cap. 39.

Jeremiæ Vaticinia ſecundum temporis ordinem in Libro ejus non ſunt diſpoſita: Nulla tamen in eo eſt repugnantia.

II. Jeremiæ Vaticinia juxta temporum ordinem non ſunt inter ſe diſpoſita, magnaque rerum confuſio ac perturbatio eſt, ut dudum obſervaverunt Origenes in Epiſtola ad Africanum, & S. Hieronymus in Præfatione. Quod tamen eorum fidei non derogat, cum rationem temporum Prophetæ plerumque non ſequantur, ut in meditatis lucubrationibus fieri ſolet; ſed divino motu impulſi, prout cœleſti Spiritu afflati erant, ſua illa Oracula fuderint, & literis commendarint, vel Amanuenſibus dictaverint. Uſus autem eſt Jeremias opera Baruch ad ſua Vaticinia ſcribenda, ut conſtat ex Capite 36. Jerem. 1. 2. 4. Factum eſt verbum hoc ad Jeremiam a Domino dicens: Tolle Volumen Libri, & ſcribes in eo omnia verba quæ locutus ſum tibi adverſum Iſrael & Judam, & adverſum omnes Gentes, a die qua locutus ſum ad te, ex diebus Joſiæ uſque ad diem hanc. Vocavit ergo Jeremias Baruch, filium Neriæ, & ſcripſit Baruch ex ore Jeremiæ omnes ſermones Domini, quos locutus eſt ad eum in Volumine Libri.... Jeremias autem tulit Volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ, Scribæ, qui ſcripſit in eo ex ore Jeremiæ omnes ſermones Libri, quem combuſſerat Joakim Rex Juda igni, & inſuper additi ſunt ſermones multo plures quam antea fuerant. Quacumque vero ex cauſa temporum ordo in Jeremiæ Libro confuſus & perturbatus ſit, ſive quod diſſipato & indigeſto ordine a Barucho excepta ſint, & in adverſaria relata Jeremiæ Vaticinia, ſive Librariorum incuria, aut alio quocumque caſu, nulla tamen eſt in divino Libro rerum repugnantia, quicquid impius ac temerarius Auctor Tractatus Theologico-Politici effutiat.

Obiicit primo, Capit. 37. & 38. diverſas afferri cauſas cur Jeremias comprehenſus ſit & cuſtodiæ traditus. Reſpondetur Objectionibus Auctoris Theologo-Politici.

Secundo, ſterilem dici Jechoniam Cap. 22. Nunquid vas fictile atque contritum vir iſte Jechonias? Nunquid vas abſque omni voluptate? Quare abjecti ſunt ipſe & ſemen ejus in terram quam ignoraverunt? Terra, terra, audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: Nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda. Id autem repugnare Libro 4. Regum, cujus poſtremum Caput Jechoniam ſummis honoribus ab Evilmerodacho affectum, teſtatur, & Libro 1. Paralipomenon Cap. 3. ubi octo filii Jechoniæ recenſentur, in his Salathiel & Phadajas pater Zorobabelis, qui Populi Dux fuit.

Tertio, Jeremiæ 34. Capite dici: Audi verbum Domini, Sedecia Rex Juda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris gladio, ſed in pace morieris. At, inquit, hæc minime conveniunt Sedeciæ, cujus oculi effoſſi ſunt, poſtquam filiorum cædem ſpectavit. Sed has objectiones nullius eſſe momenti ſtatim patebit.

Ad primam reſpondetur, Res prorſus diverſas Capitibus 37. & 38. narrari. Illic quippe Jeremias egreſſus de Jeruſalem ut iret in Terram Benjamin, & divideret ibi poſſeſſionem in conſpectu civium, cum pervenisset ad portam Benjamin, a Jeria cuſtode comprehenſus eſt, dicente: Ad Chaldæos profugis. Et reſpondit Jeremias: Falſum eſt, non fugio ad Chaldæos. Et non audivit eum: Sed comprehendit Jerias Jeremiam, & adduxit eum ad Principes. Quam ob rem irati Principes contra Jeremiam, cæſum eum miſerunt in carcerem, qui erat in domo Jonathan Scribæ. Hic vero Jeremias in veſtibulum carceris juſſu Sedeciæ eductus, cum Populo ſuaderet ut relicta Civitate profugeret ad Chaldæos, detruſus eſt in Lacum lutulentum Melchiæ. Audivit autem Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phaſſur, & Juchal filius Selemiæ, & Phaſſur filius Melchiæ, ſermones, quos Jeremias loquebatur ad omnem Populum, dicens. Hæc dicit Dominus: Quicumque manſerit in Civitate hac, morietur gladio, & fame, & peſte: Qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, & erit anima ejus ſoſpes & vivens. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur Civitas hæc in manu Exercitus Regis Babylonis, & capiet eam. Et dixerunt Principes Regi: Rogamus ut occidatur homo iſte: De induſtria enim diſſolvit manus virorum bellantium, qui remanſerunt in Civitate hac & manus univerſi Populi, loquens ad eos juxta verba hæc: Siquidem homo iſte non quærit pacem Populo huic, ſed malum. Et dixit Rex Sedecias: Ecce ipſe in manibus veſtris eſt: Nec enim fas eſt Regem vobis quidquam negare. Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in Lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in veſtibulo carceris; & ſubmiſerunt Jeremiam funibus in Lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum. Cum itaque diverſæ ſint Hiſtoriæ quæ in his duobus Capitibus narrantur, nulla inde argui poteſt rerum diſcrepantia & repugnantia.

Ad alteram Objectionem reſpondetur, Jechoniam appellari virum ſterilem, non quod liberos non procreaverit, ſed quod Abjectus ſit ipſe & ſemen ejus, & projectus in terram quam ignorabat, & quod non fuerit de ſemine ejus vir qui ſederet ſuper ſolium David, & poteſtatem haberet ultra in Juda, ſupremam nempe ac Regiam. Adde, alium Viris pleriſque Eruditis videri Zorobabelem, qui Dux Populi fuit, ut ab eo qui Jechoniæ nepos.

Ad tertiam Objectionem reſpondetur, Sedeciæ filios violenta quidem morte fuiſſe ſublatos: At Sedeciam ipſum, poſtquam oculis orbatus fuiſſet, in vivis relictum, tranquilla & naturali morte obiiſſe.

II.

Digitized by Google

Poſtremi capitis Auctor non eſt Jeremias.

III. Poſtremum Caput *Jeremiæ* e duobus poſtremis Capitibus Libri quarti Regum totum fere depromptum eſt; quo partim ea narrantur, quæ jam ſupra narraverat *Jeremias*, partim quæ poſt ejus obitum evenerunt, nempe obitus ipſe *Jechoniæ*. A *Barucho* Libro *Jeremiæ* adjectum cenſet *Sixtus* noſter *Senenſis*. Alii ab *Eſdra*, ut eſſet argumentum ſequentium *Jeremiæ Threnorum* ſive *Lamentationum*. Quarum quidem eumdem Prophetam Auctorem fuiſſe probant, ſtyli cognatio, locutiones ſimiles in Vaticiniorum Libro & in Lamentationibus, parva Præfatio Threnis præfixa in Septuaginta Interpretum Editione, veterum Patrum & Eccleſiæ auctoritas, unanimis omnium Interpretum conſenſus. Eoque pertinent verba illa Secundi *Paralipomenon* Cap. 35. 24. 25. *Univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt Joſiam, Jeremias maxime, cujus omnes cantores atque cantatrices uſque in præſentem diem Lamentationes ſuper Joſiam replicant; & quaſi lex obtinuit in Iſrael, Ecce ſcriptum fertur in Lamentationibus*. Quæ *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 6. & *S. Hieronymus* in Proœmio Lamentationum, de ipſis, qui ſuperſunt, *Jeremiæ Threnis* intellexere; & *R. Selomoh* aliique ex Hebræis, lugubre carmen in *Joſiæ* funere a *Jeremia* editum quarto Lamentationum Capite, ajunt contineri, atque id maxime demonſtrari hoc verſu: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris; cui diximus: in umbra tua vivemus in Gentibus*.

Lamentationes, genuinum Opus Jeremiæ.

Oratio Jeremiæ.

Lamentationes claudit *Oratio Jeremiæ*, quam mirum eſt a *Theodoreto* in Commentariis fuiſſe prætermiſſam, cum in Hebraico Exemplari, & 70. Interpretum Editione, & Chaldaica Paraphraſi, ac Syriaca & Arabica Verſionibus, & apud *S. Hieronymum*, a reliquo Lamentationum Opere minime divellatur. *Deſcriptiones Jeremiæ Prophetæ*, ab Auctore Libri 2. *Machabæorum* Cap. 2. laudatæ, nuſquam inter Libros Canonicos locum habuerunt, nec ad poſteros ſunt tranſmiſſæ.

Jeremiæ Vaticinia de Chriſto & Eccleſia.

IV. De Chriſto & Eccleſia extant illuſtria apud *Jeremiam* Vaticinia. Imprimis Cap. 3. 23. & ſequentibus: *Aſſumam vos unum de Civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Et dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina. Cumque multiplicati fueritis, & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: Non dicent ultra: Arca Teſtamenti Domini: Neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius: Nec viſitabitur, nec fiet ultra. In tempore illo vocabunt Jeruſalem Solium Domini; & congregabuntur ad eam omnes Gentes in nomine Domini in Jeruſalem, & non ambulabunt poſt pravitatem cordis ſui peſſimi. In diebus illis ibit domus Juda ad domum Iſrael, & venient ſimul de terra Aquilonis, ad terram quam dedi Patribus veſtris. Ego autem dixi: Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſiderabilem; hereditatem præclaram Exercituum Gentium? Et dixi: Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* Quæ tametſi typice facta ſint ſub *Zorobabele*, cum Judæi e Captivitate Babylonica redierunt regnante Cyro Perſarum Rege, habentes Paſtores *Zorobabel* filium *Salathiel*, & *Jeſum* Summum Sacerdotem filium *Joſedech*, ambos pietate & æquitate præſtantes: *Re tamen vera* (inquit *Theodoretus* in Commentariis) *poſtquam Deus & Salvator noſter factus eſt homo, Prophetia finem accepit. Elegit enim Dominus ex Judæis, unum ex civitate, & duos ex cognatione, quos conſtituit Paſtores ſecundum cor ſuum, ſacros videlicet Apoſtolos. Idcirco dixit diviniſſimo Petro:* Simon Jona diligis me? Paſce oves meas. *Et quod Prophetia ea ſit „ ſententia, ſequentia teſtantur:* In diebus illis, & „ in tempore illo, vocabunt Jeruſalem Solium Do- „ mini; & congregabuntur ad eam omnes Gentes in „ nomine Domini in Jeruſalem. Et non ambulabunt „ ultra poſt cogitationes cordis ſui mali. *Illud non contigit poſt reditum e Babylone. Non enim tunc Gentes reliquerunt impietatem. At poſt Deum & Salvatorem noſtrum hominem factum, pertulerunt divini Apoſtoli ſalutarem prædicationem in univerſam terram; Reliquerunt autem priſtinum errorem qui illi inſervierant, & adorant Deum univerſorum, & concurrunt omnes in Jeruſalem, tanquam ad Solium divinum.* Legatur & *S. Hieronymus* in Commentario hujus loci, ubi hoc Vaticinium in Adventu Chriſti pariter impletum docet, quando reliquiæ ſalvæ factæ ſunt, dicente & exponente Apoſtolo ad Romanos 9. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma eſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles fuiſſemus.* Tunc introducti ſunt in Sion, de qua ſcriptum eſt: *Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas Dei.* Et dati ſunt Paſtores juxta cor ejus Apoſtoli & Apoſtolici Viri, & paverunt Credentium multitudinem, non in Judaicis cæremoniis, ſed in ſcientia Chriſti atque doctrina. Et in toto orbe prædicatione Evangelii ſeminata, nequaquam in Arca Domini, quæ cuſtos fuit Legis Moſaicæ, habent fiduciam, ſed ipſi ſunt Templum Dei. Atque Legis Evangelicæ tempore, myſtica Jeruſalem, id eſt Eccleſia, *Solium Domini* vocatur in qua nempe cum ſuis Fidelibus eſt omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Ad eam congregantur omnes Gentes in nomine Domini, vetuſtis erroribus abdicatis, & dicunt cum Propheta: *Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Iis qui ex duodecim Tribubus Evangelio crediderunt, tribuit Deus terram deſiderabilem, *Hereditatem præclaram Exercituum Gentium*, ſive (ut *Theodotio* ſignificantius tranſtulit) *Hereditatem inclytam fortitudinis robuſtiſſimi Gentium:* Chriſtum ſignificans, qui Doctor & Dominus eſt univerſarum Gentium, ſuo Nomini, Paſſioniſque Credentium. Quibus pollicitus eſt ſe eos filiorum numero & loco habituros. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus.* Joan. 1.

V. Paulo adhuc expreſſius eſt illud vigeſimi tertii Capitis de Chriſto Vaticinium: *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas ejecero eos illuc: & convertam eos ad rura ſua, & creſcent, & multiplicabuntur. Et ſuſcitabo ſuper eos Paſtores, & paſcent eos: Non formidabunt ultra, & non pavebunt, & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum, & regnabit Rex, & Sapiens erit: & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus, Juſtus noſter. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de Terra Ægypti: Sed Vivit Dominus, qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſrael de Terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas ejeceram eos illuc: & habitabunt in terra ſua.* Quæ cum ad Meſſiam referant *Joſephus Albo* in Libro Fundamentorum, & R. *David Kimchi*, aliique Hebræi, mirum eſt quod *Grotius* ad *Zorobabelem* iſta retulerit in Annotationibus ſuis. Cujus Commentationem *Theodoreti* verbis malim refellere, quam meis: *Iſta* (inquit) *typice quidem temporibus Zorobabelis, & Jeſu filii Joſedec evenerunt: Non tamen tota Prophetia. Multi autem inſurrexerunt in eos, non modo vicini, ſed etiam Macedones poſtea, & tandem Romani. Verum prædictio perennem & conſtantem gratiam pollicetur. Quocirca certum eſt, partem quidem temporibus eorum contigiſſe; partem vero temporibus ſacrorum Apoſtolorum: Hi enim ſoli donum Spiritus Sancti habuerunt. „ Cui ſententiæ adſtipulantur conſequentia.* Ecce dies „ veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David O- „ rientem juſtum, & regnabit Rex, & intelliget: „ & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus „ ejus ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confi- „ denter: Et hoc eſt nomen quo vocabit eum Do- „ minus, Joſedec: Ipſe in Prophetis. *Judæi attoniti conantur hæc imprudenter trahere ad Zorobabelem. Verum illos etiam conſiderare oportebat, illum non Regem fuiſſe, ſed Ducem Populi, nec illum Joſedec fuiſſe nominatum. Sed neque illi convenit nominis interpretatio. Significat enim id nomen, Dominus juſtitia noſtra: Vel, juxta Syri interpretationem, Domine juſtifica nos. Neutrum autem convenit Zorobabeli. Cæterum, quia typus erat Chriſti Domini, & captivos e Babylone in Judæam reduxit, quemadmodum Chriſtus mancipatos a Diabolo traduxit ad veritatem; Si quis typice iſta illi adaptare volet, abſurdi nihil faciet. Sciendum tamen eſt, quod Dominus Jeſus Chriſtus, qui ex Davide ſecundum carnem deſcendit, Oriens juſtus, & Dominus juſtitia prædicatur a Prophetis.*

Grotius refellitur.

His germana ſunt, quæ trigeſimo-tertio Capite habet Jeremias. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo verbum bonum, quod locutus ſum ad domum Iſrael, & ad domum Juda. In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen juſtitiæ: & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Jeruſalem habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus, juſtus noſter. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſrael. Et de Sacerdotibus & Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & afferat ſacrificium. Et factum eſt verbum Domini ad Jeremiam, dicens: Hæc dicit Dominus. Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, ut non ſiat dies & nox in tempore ſuo: & pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, & Levitæ & Sacerdotes Miniſtri mei.* Hoc Vaticinium Jacobæo illi geminum, Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat Qui mittendus eſt: & ipſe erit exſpectatio Gentium.* At poſt *Zorobabelem* (inquit *Theodoretus*) non novimus quemquam fuiſſe Ducem de Tribu Juda. *Reprimas tamen prophetiæ veritatem. Nam Tribus Regia & Sacerdotalis facta eſt commixtio. Sacerdotes autem imperaverunt uſque ad Herodem alienigenam. Idem & præſens prophetia his quæ de Davide dicuntur conneƈtit ea quæ pertinent ad Sacerdotes.* Et de ,, Sacerdotibus & Levitis non interibit a facie mea ,, vir offerens holocautomata & adolens donum, ,, faciens ſacrificium omnibus diebus. *Cujus prophetiæ videmus eventum. Donato enim juxta promiſſionem divinam Novo Teſtamento, donatum eſt etiam Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedec: & hoc qui adepti ſunt, offerunt Deo jugiter Sacrificium rationale. Poſt hæc ait: Quemadmodum dies nox fieri non poteſt, nec nox dies. Ita fieri non poſſe ut deſtruatur Regnum Davidicum. Atque hujus prophetiæ manifeſtus eſt exitus. Qui enim ex Davide ſecundum carnem ortus eſt Chriſtus, non habet thronum in terris poſitum: Sed in cœlis cum Patre ſedens ſolio gubernat omnia. Sed & hoc ipſum dicit de Sacerdotibus & Levitis, ita ut genus illorum conferatur cum Exercitu cœleſti, & arena Maris. Verbis teſtimonium præbent res ipſa. Terra namque univerſa & Mare plena ſunt Pontificibus & Diaconis, Levitico munere fungentibus.*

VI. Trigeſimo quoque Capite Chriſtum ſub *Davidis* Regis nomine indigitat *Jeremias*: Cui ſerviet Populus a ſervitute liberatus: Veteris Legis abrogationem, Novi Fœderis ſanctionem, Eccleſiæ fundationem vaticinatur. *Servient Domino Deo ſuo* (inquit Dominus) *& David Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis .... Ecce ego convertam converſionem tabernaculorum Jacob, & tectis miſerebor, & ædificabitur Civitas in excelſo ſuo, & Templum juxta ordinem ſuum fundabitur. Et egredietur de eis laus ... Et erit Dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur, & applicabo eum, & accedet ad me: Quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum ut appropinquet mihi, ait Dominus? Et eritis mihi in Populum, & ego ero vobis in Deum.* Horum typus (inquit S. Hieronymus) præceſſit in *Zorobabel* & *Eſdra*, quando reverſus eſt Populus, & cœpta eſt ædificari Civitas in excelſo ſuo, Templique obſervari Religio, & cætera quæ ipſius *Eſdræ* volumine continentur. Plenius autem atque perfectius in Domino Salvatore, Apoſtoliſque completum eſt: Quando ædificata eſt Civitas in excelſo ſuo, de qua ſcriptum eſt: *Non* ,, *poteſt abſcondi Civitas ſupra Montem poſita*: & Tem- ,, plum juxta ordinem ſuum, cæremoniaſque funda- ,, tum, ut quicquid in priori Populo fiebat carna- ,, liter, in Eccleſia ſpiritualiter compleretur. Tunc ,, egreſſa eſt laus ſive gratiarum actio: Ut omnes ,, Apoſtoli dicerent: *Gratia vobis & pax*. Et mul- ,, tiplicati ſunt, & non imminuti: Ut totus orbis ,, crederet in Dominum Salvatorem. Et glorificati ,, ſunt, ut impleretur quod ſcriptum eſt: *Glorioſa* ,, *dicta ſunt de te, Civitas Dei*. Fueruntque filii e- ,, jus, hoc eſt Apoſtoli, ſicut fuerunt a principio ,, *Abraham* & *Iſaac* & *Jacob*, Principes generis Iſ- ,, raelitici. Tunc viſitavit Dominus adverſus omnes ,, qui tribulaverant Populum Dei, adverſarias vi- ,, delicet Poteſtates. Et fuit Dux ejus ex eo: Haud ,, dubium quin Dominus & Salvator ſecundum car- ,, nem ex genere Iſrael. Et principes de medio e- ,, jus productus eſt. Applicavit eum Pater ad ſe, ,, & acceſſit ad eum, ut diceret Filius: *Ego in Pa-* ,, *tre, & Pater in me eſt*: Quia nullus poteſt ſic ,, cor ſuum applicare Deo, nec ita ut Filius Patri ,, eſſe conjunctus. Quodque dicit: *Eritis mihi in Po-* ,, *pulum, & ego ero vobis in Deum*: Cernimus opere ,, completum ex parte in Iſrael, ex toto in Gen- ,, tium multitudine. Hoc Vaticinium de Chriſto & Eccleſia pariter interpretatur *Theodoretus*.

VII. Non minus expreſſæ Vaticinationes de vocatione Gentium, de ortu Chriſti, de Veteris Legis abrogatione, & Novæ Legis promulgatione, Cap. 31. *Jeremiæ* continentur. Ad Gentium vocationem pertinent iſta: *Quia hæc dicit Dominus: Exultate in lætitia Jacob, & hinnite contra caput Gentium: Perſonate, & canite, & dicite; Salva, Domine, Populum tuum, reliquias Iſrael. Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, & congregabo eos ab extremis terræ: Inter quos erunt cæcus & claudus, prægnans & pariens ſimul, cœtus magnus revertentium huc.* Ortum Chriſti ex Virgine ſpectant iſta: *Creavit Dominus novum ſuper terram: Femina circumdabit Virum.* Infantium cædem ab *Herode* nato Chriſto perpetratam hæc præſagiunt: *Hæc dicit Dominus: Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.* Confer *Matthæi* 2. 16. & ſequentibus: *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet a Magis, iratus eſt valde, & mittens occidit omnes Pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus; Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Cum S. *Matthæus* dicat, *Jeremiæ* Vaticinium in cæde Bethleemitarum Infantium impletum fuiſſe, colligitur Sanctum Evangeliſtam, quamvis non in ſenſu literali, in ſenſu ſaltem myſtico, non in ſenſu dumtaxat accommodatitio, illud de hujuſmodi cæde ab *Herode* perpetrata interpretatum fuiſſe: Ita ut luctus *Rachelis*, quæ prope Bethleem ſepulta eſt, tam gravis, tam late perſonans, ut uſque Rama auditus, figurata locutione dicatur; ut luctus (inquam) *Rachelis* filiorum ſuorum ac nepotum, Judæorum ſcilicet ac Benjaminitarum Captivitatem plangentis, typus fuerit luctus mulierum Bethleemitarum & finitimarum, filios ſuos ab *Herode* trucidatos lugentium.

Ad Veteris Legis abrogationem, Legiſque Novæ promulgationem ſpectat iſtud *Jeremiæ* Oraculum in eodem Capite: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum: Non ſecundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de Terra Ægypti; pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in Populum. Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: Omnes enim cognoſcent me, a minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus: Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Divinæ legis non in tabulis lapideis, ſed in piorum hominum cordibus deſcriptio, novi fœderis per Chriſtum paciſcendi fructus eſt. Unde Apoſtolus 2. *Corint.* 3. 3. Chriſtianos ita compellat: *Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata a nobis, & ſcripta, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Univerſalis illa Dei notitia novi pariter fœderis fructus eſt. Unde Chriſtus *Joannis* 6. 45. ait: *Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Peccatorum denique remiſſio per Chriſtum, novi fœderis fructus eſt. Unde S. *Petrum* pro concione dixiſſe narrat S. Lucas

Digitized by Google

tas *Act.* Cap. 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Denique S. Paulus Epiſtolæ ad Hebræos Cap. 8. hunc *Jeremiæ* locum ad novi fœderis in Chriſto ſanctionem refert, veteri abolito. *Nunc autem* (inquit) *melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti Mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpa vacaſſet,* (id eſt niſi minus perfectum fuiſſet) *non utique ſecundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Juda teſtamentum novum; non ſecundum teſtamentum quod feci Patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de Terra Ægypti: Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus: Quia hoc eſt teſtamentum quod diſpoſui domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas; & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in Populum: & non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: Quoniam omnes ſcient me a minore uſque ad majorem eorum; Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Lege *S. Hieronymum* & *Theodoretum* in Commentariis Capitis 31. *Jeremiæ*. Eccleſiæ ſtabilitatem, & inconcuſſam firmitatem poſtremus ille Capitis ejuſdem Verſus deſignat; *Sanctum Domini non evelletur, & non deſtruetur ultra in perpetuum.* Hæc Hieroſolymitano Templo non convenire, manifeſtum eſt.

VIII. Illud *Threnorum* 4. 20. quamvis de *Joſia* ſecundum ſenſum hiſtoricum intelligatur, ſecundum altiorem tamen ſenſum & propheticum de Chriſto dictum eſt: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: Cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus.* Chriſtus enim Jeſus Dominus noſter Spiritus oris noſtri eſt, in quo vivimus, movemus, & ſumus; Ex cujus ſapore quicquid recte ſentimus, ſapimus: Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram: Qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra cujus livore ſanati ſumus. Sub ejus tutela in univerſis Gentibus verſatur Eccleſia. Lege *S. Hieronymum* & *Theodoretum* in Commentariis hujus loci.

ARTICULUS XII.

De Baruch Propheta.

Quo tempore Baruch Vaticinatus ſit.

I. **B***aruch filius Neriæ*, Jeremiæ Diſcipulus & Amanuenſis, quem *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 11. nobiliſſima ortum familia, & patria lingua præclare eruditum fuiſſe ait, Prophetiam ſuam ſcripſit *In anno quinto, in ſeptimo die menſis, in tempore quo ceperunt Chaldæi Jeruſalem, & ſuccenderunt eam igni* (ut ipſa teſtatur) Id eſt, annis quinque poſt Hieroſolymitanum Excidium; Eamque *Jechoniæ* Regi prælegit, reliquiſque Judæis Babylone captivis; A quibus ad *Joakimum*, Helciæ filium, Sacerdotem, ac cæteros a *Nabuchodonoſore* in patria relictos miſſa eſt. Succenderant quidem Chaldæi *Domum Domini, & Domum Regis, & domos Jeruſalem, omnemque domum combuſſerant igni*; ut narratur 4. *Regum* Cap. 25. Sed tamen agricolas & vinitores, quos ad excolendam terram *Nabuzardan* Princeps Militiæ Regis Babylonis reliquerat, & in vicinia habitantes incolas, Sacerdotes etiam & Levitas cum illis ſuperſtites, veriſimile eſt inter Templi rudera Aram aliquam tumultuario opere excitaſſe, ſtatiſque Feſtivitatum diebus conveniſſe, ut Deum, quo poterant modo, ſecundum Legem colerent, eique Sacrificia offerrent. Quod enim ſtatis Solemnitatibus ſacros conventus egerint, & Sacrificia obtulerint, *Baruchus* ipſe teſtatur, hæc a Judæis exulibus ad Judæos in patria relictos ſcripta fuiſſe referens: *Ecce miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holo-* Baruch. 1.

cautomata, & thus & facite manna, & offerte pro peccato ad Aram Domini Dei noſtri .... Et legite Librum iſtum quem miſimus ad vos recitari in Templo Domini, in die ſolemni, & in die opportuno. Unde & Cap. 2. ita precatur Judæorum captivorum nomine; *Reſpice Domine de Domo ſancta tua in nos.*

Divina Libri Baruch Auctoritas.

II. *Liber Baruch* a Melitone, Origene, S. Gregorio Nazianzeno, S. Epiphanio, S. Hilario, S. Hieronymo, S. Auguſtino, Innocentio I. Conciliis Laodiceno, Carthaginenſi III. & Romano ſub Gelaſio I. in Sacrorum Librorum Canone non recenſetur: Quia illum ut appendicem *Jeremiæ* Veteres ſpectarunt. *A Clemente Alexandrino* Lib. 1. Pædagogi, Cap. 10. *S. Cypriano* Lib. 2. Teſtimoniorum adverſus Judæos, Cap. 6. *S. Hilario* Lib. 4. De Trinitate, *S. Auguſtino* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 33. ſub *Jeremiæ* nomine laudatur. Inter Libros Canonicos recenſetur a *S. Athanaſio* in Epiſtola Feſtali. Ex eo ut ex Libro Sacro & Canonico teſtimonia proferunt *S. Baſilius* Libro 4. contra Eunomium, *S. Joannes Chryſoſtomus* Oratione *Quod Chriſtus ſit Deus*; & *S. Ambroſius* Libro 1. *De fide ad Gratianum*. Sub nomine *Baruchi* laudatur, & ex eo velut e Libro Sacro teſtimonium profertur ab *Euſebio Cæſarienſi* Libro 6. *Demonſtrationis Evangelicæ*, Cap. 19. *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Librum *Baruch* inter Canonicos nominatim recenſet. Item *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 10. contra Julianum, p. 334. *Addam*, inquit, *& Beatum Baruch Eſaiæ verbis ſuffragantem. Dixit enim ipſe alicubi: Hic eſt Deus; non æſtimabitur alius ad eum. Adinvenit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Jacobo puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo: & poſt hæc ſuper terram viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Baruch. 3. 36. Theodoretus Librum *Baruch* ſuis illuſtravit Commentariis, & *Divinam Scripturam* vocat, in Cap. 2. Atque ad incarnationem unigeniti Filii Dei hoc illius Vaticinium etiam refert: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Sed Libri iſtius antiquitatem, & divinam auctoritatem nihil magis probat, quam *Danielis* teſtimonium, qui in Prophetiam ſuam tranſtulit iſta ex *Baruchi* Cap. 1. *Domino Deo noſtro juſtitia, nobis autem confuſio faciei noſtræ, ſicut eſt dies hæc, omni Juda, & habitantibus in Jeruſalem; Regibus noſtris, & Principibus noſtris, & Sacerdotibus noſtris, & Prophetis noſtris & Patribus noſtris. Peccavimus ante Dominum Deum noſtrum; & non credidimus diffidentes in eum.* Item illud ex *Baruchi* Cap. 2. *Quia locutus eſt Dominus ſuper nos omnia mala hæc quæ venerunt ſuper nos; & non ſumus deprecati faciem Domini Dei noſtri, ut reverteremur unuſquiſque noſtrum a viis noſtris peſſimis; & vigilavit Dominus in malis, & adduxit ea ſuper nos: Quia juſtus eſt Dominus in omnibus operibus ſuis, quæ mandavit nobis; & non audivimus vocem ipſius, ut iremus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem noſtram. .. Et nunc, Domine Deus Iſrael, qui eduxiſti Populum tuum de Terra Ægypti in manu valida & in ſignis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelſo, & feciſti tibi nomen ſicut eſt dies iſte, Peccavimus, impie egimus, inique geſſimus, Domine Deus noſter, in omnibus juſtitiis tuis .... Aperi oculos tuos, & vide quia non ſecundum Juſtitias Patrum noſtrorum nos fundimus preces, & petimus miſericordiam ante conſpectum tuum, Domine Deus noſter.* Hæc omnia *Daniel* iiſdem pene verbis expreſſit, Cap. 9. Merito itaque *Eugenius IV.* in Decreto pro Inſtructione Armenorum, & Sacra Synodus Tridentina, *Librum Baruch* inter Canonicos numerarunt, illumque Eccleſia ut Sacrum & Canonicum habet.

Libri Baruch verſiones.

III. Hebraicum hujus Libri exemplar intercidit, ſolaque Verſio Græca ad nos pervenit, ex qua Latina adornata eſt; At Græcam hanc interpretationem ex Hebraico fonte derivatam, crebri, quibus ſcatet, Hebraiſmi probant. Syriaca Epiſtola, quæ *Baruchi* nomine inſcribitur, ſuppoſita eſt. Ab homine Chriſtiano ſcriptam indicant ea quæ de ſupremo Judicio, & futuræ vitæ pœnis habet. Alicujus ex his Monachis, qui Syriæ deſertæ primis Eccleſiæ ſæculis incoluerunt, fœtum eſſe Doctiſſimus Præſul *Huetius* conjicit.

IV. Quæ in Vulgata noſtra Editione *Baruchi* Li-

 brum

Jeremiæ Epiſtola.

brum claudit, velut poſtremum illius Caput *Jeremiæ Epiſtola*, non eſt *Baruchi*, ſed ipſius *Jeremiæ* fœtus; cujus Lamentationibus ſubnexa eſt in quibuſdam Septuaginta Interpretum Editionibus, & in Verſione Arabica. Unde *S. Athanaſius* in Epiſtola Feſtali: *Poſt hos numerantur Eſaias, Jeremias, Baruch, Lamentationes, Epiſtola*. Et *S. Hilarius* Prologo Explanationis in Pſalmos ait: Vaticinia *Jeremiæ*, cum Threnis, & Epiſtola unum conſtituere Librum ex viginti duobus quibus Vetus Teſtamentum conſtat. Eam quidem *S. Hieronymus* Procemio Commentariorum in *Jeremiam* *ψευδόγραφον* appellat, quod in Codice Hebraico deſideraretur. At *S. Cypriani* temporibus habitam fuiſſe ab Eccleſia ut Sacram & Canonicam, conſtat ex ipſo *S. Cypriano*, qui teſtimonium ex illa proferens Libro *De Oratione Dominica*, teſtem appellat Jeremiam. *Per Jeremiam quoque hoc eadem Spiritus Sanctus ſuggerit, & docet dicens: In ſenſu autem tibi debet adorari Deus*. Quod in Vulgata editione *Verſ.* 5. ita exprimitur: *Adorantes, dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari, Domine*.

DISSERTATIO XI.

DE HISTORIA ET LIBRO TOBIÆ.

Hiſtoriæ Tobiæ ſumma.

I. TObit, ſive *Tobias Senior*, ex Tribu & Civitate Nephtali, quæ eſt in ſuperioribus Galilææ ſupra Naaſſon oriundus, vir eximiæ in Deum fidei & pietatis, cum Ninivem a *Salmanaſare* Aſſyriorum Rege captivus abductus eſſet, quo tempore capta ab illo Samaria, Iſraeliticum Regnum everſum eſt, a Lege Dei non receſſit, nec a piis operibus unquam deſtitit, maxime vero a caritate erga captivos contribules exercenda. A *Salmanaſare* clementer habitus, ejuſque Opſonator ſive Annonæ Curator conſtitutus, ut Græci Codices teſtantur, Rages Medorum Civitatem profectus, ibi *Gabelo* agnato ſuo, & ea deportatis uni, decem talenta argenti mutuo dedit. Poſt hæc, cum *Sennacherib* filius *Salmanaſaris*, fuſis ab Angelo copiis, e Judæa fugiens reverſus eſſet, odioque ac furore in Iſraelitas percitus, quotidie plurimos morte afficeret, *Tobias* corpora cæſorum furtim abrepta ſepeliebat. Quod pietatis opus cum ipſi apud Regem crimini verteretur, aliquandiu latere coactus eſt, omnibus interim facultatibus ſpoliatus, cum Anna uxore contribule, & *Tobia* filio. Poſt dies quadraginta quinque necſo a filiis *Sennacherib*, ſucceſſit filius ejus *Eſarchaddon*, ſive *Aſſaradon*. Is omnibus rationibus Patris ſui & Ærarii ſui adminiſtrationi *Achiacharum*, ſive *Achiorum* præfecit, *Hananeelis* fratris *Tobiæ* filium, cujus opera & commendatione bona ſua recepit. Sed brevi iterum illis exutus, & ad egeſtatem redactus eſt, ita ut *Anna* uxor ejus iret quotidie ad opus textrinum, ut labore manuum ſuarum ſibi ac marito victum pararet, quem Deus cæcitate probabat. Porro cum *Tobias* ſe morti proximum crederet, filium *Tobiam* piiſſimis præceptis ac monitis inſtitutum, & de eleemoſynæ virtute edoctum, miſit in Rages, ut pecuniam mutuo datam a *Gabelo* reciperet. Huic ſe ſocium ac ducem itineris adjunxit *Raphael* Archangelus: Cujus conſilio invadentem piſcem in flumine Tigris apprehendit, & exenteravit cor ejus, fel & jecur ad medicamenta ſeponens ac reſervans. Cum ad *Raguelem* utriuſque *Tobiæ* conſanguineum divertiſſent, *Saram* illius filiam unicam, & ampliſſimi patrimonii heredem, uxorem petiit, cujus ſeptem viros Dæmonium occiderat: & ab Angelo didicit quo fine ineundum eſſet conjugium, eoque utendum. Servata per tres dies continentia, fuſis conjunctim cum uxore ferventiſſimis ad Deum precibus, & combuſto piſcis jecore, ut abigeretur Dæmonium: Ut tertia nocte Virginem cum timore Domini accipiens, amore filiorum magis quam libidine, Sanctorum Patriarcharum benedictionem conſequeretur. Nuptiis celebratis, & recepta curis *Raphaelis* a *Gabelo* pecunia, novi conjuges ad profectionem ſe accinxere. Cumque *Raguel* ipſis mediam partem omnium bonorum ſuorum inpræſentiarum tradidiſſet, bene illis precatus eſt. Parentes filiam complexi, monuerunt *Honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & ſe ipſam irreprehenſibilem exhibere*. Tobias junior cum uxore, familia, & dote locuplete ad Patrem reverſus, ejus oculos felle piſcis linivit, quo remedio excuſſit albuginem, quæ videndi facultatem impediebat. Quibus cum ſe Angelus notum feciſſet, *Raphaelem* ſe eſſe dicens, unum ex ſeptem qui adſtant ante Dominum, cui orationes ejus obtulerat, cum relicto prandio mortuos ſepeliret, *Tobias* Senior in laudes Dei & gratiarum actionem effuſus, de reſtitutione & futura felicitate Jeruſalem vaticinatus eſt, necnon de Eccleſia cum in terris militante, tum in cœlis triumphante, cujus terrena Jeruſalem typus fuit. Ad eam enim hoc Oraculum *Tobiæ* pertinet: Luce ſplendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſanctificationem habebunt. Nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes qui blaſphemaverint te: Benedictique erunt qui ædificaverint te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberavit Jeruſalem Civitatem ſuam a cunctis tribulationibus ejus Dominus Deus noſter. Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Jeruſalem. Portæ Jeruſalem ex ſaphiro & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus ſternentur: & per vicos ejus Alleluja cantabitur. Benedictus Dominus qui exaltavit eam, & ſit Regnum ejus in ſæcula ſæculorum ſuper eam, Amen. *Confer cum* Apocalypſis Cap. 21. Verſ. 18. & ſequentibus. Vixit *Tobias* ex quo viſum recepit, annis quadraginta duobus. Tunc autem ſexagenarius erat. Unde vixit in totum annis duobus ſupra centum, ut habet Liber *Tobiæ* ſecundum Vulgatam Editionem. Morti proximus, *Tobiam* filium ſuum, & ſeptem nepotes filios ejus ad pietatem hortatus, & Ninives everſionem, reditum Iſraelitarum in Judæam, & inſtaurationem Jeruſalem, & Templi poſt cladem illatam a Chaldæis vaticinatus, juſſit ut poſt mortem matris Ninive diſcederent. Rurſus Eccleſiam ſpectat illud *Tobiæ* morientis Vaticinium: *Et relinquent Gentes Idola ſua, & venient in Jeruſalem, & inhabitabunt in ea, & gaudebunt in ea omnes Reges terræ, adorantes Regem Iſrael*. Quem enim alium Regem Iſrael omnes Reges terræ adorarunt, præter Jeſum Chriſtum? Quam Jeruſalem Gentes inhabitarunt, relictis Idolis ſuis præter Jeruſalem myſticam, ſcilicet Eccleſiam Chriſti Jeſu? De quo dictum eſt Pſalmo 71. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: Omnes Gentes ſervient ei*. Cui Nathanael ait Joannis 1. 49. *Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael*. Cui turba triumphantis Regis in morem illum excipientes, acclamarunt: *Hoſanna, Benedictus qui venit in Nomine Domini, Rex Iſrael* (Joannis 12. 13.) Paruit mandatis ſanctiſſimi parentis Junior Tobias, ab ejus pietate nequaquam degener: & poſt obitum matris, reverſus eſt ad ſoceros cum uxore, filiis & nepotibus: Annos vixit novem ſupra nonaginta in timore Domini. Hæc Hiſtoriæ ſumma, quæ *Tobiæ* Libro continetur.

Tobiæ Vaticinium de Eccleſia.

Tob. 13.

Auctor Libri Tobiæ incertus.

II. Auctor Libri *Tobiæ* incertus. Partim tamen a *Tobia* patre, partim a *Tobia* filio ſcriptum eſſe probabile eſt. Scilicet priora Capita duodecim a patre; decimum tertium, & decimi quarti partem, qua Senioris *Tobiæ* narratur obitus, a filio; poſtremos autem duos Verſus, quibus *Tobiæ* Junioris mors commemoratur, ab incerto Auctore adjectos. Hujus opinionis probabilitas colligitur ex Capite duodecimo, ubi *Tobiam* utrumque caſus ſuos in Commentarios referre jubet Angelus. Ubi enim habet Vulgata noſtra, *Narrate omnia mirabilia ejus*, Græcus Interpres habet *γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον*. *Scribite in Libro quæcumque evenerunt*. Cui Angeli mandato viros pientiſſimos paruiſſe, veriſimillimum eſt.

Chal-

Liber Tobiæ Chaldaice ſcriptus. Chaldaice primitus ſcriptus eſt, a *S. Hieronymo* Latinitate donatus, adhibito Interprete, qui Hebraicis verbis reddebat, quæ legebat Chaldaice. Extant Libri *Tobiæ* Hebraicæ duæ Editiones a *Munſtero* & a *Fagio* publici juris factæ: Tertiam Manuſcriptam penes ſe habet Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius*. Cum Græca magis conveniunt, quam cum Latina Verſione. Porro Græcam antiquiſſimam eſſe omnium Libri hujus Interpretationum, ex eo conſtat, quod ea uſi ſint Auctor Conſtitutionum quæ Apoſtolicæ vocantur, *S. Polycarpus* Epiſtola ad Philippenſes, *Clemens Alexandrinus* Lib. 2. *Stromatum*, aliique Patres Græci & Latini *S. Hieronymo* vetuſtiores. De auctoritate Libri *Tobiæ* nunc agendum.

PROPOSITIO UNICA.

In primo quidem Librorum Sacrorum Canone Tobiæ Liber conſcriptus non fuit: Ab Eccleſia tamen inter Libros Sacros & Canonicos receptus eſt.

PRima pars facile probatur. Nam & in Hebræorum Canone deſideratur: & in Librorum Canonicorum Indice prætermiſſus eſt a *Melitone*, *Origene*, Concilio Laodiceno, *S. Athanaſio* in Epiſtola Feſtali, Auctore Synopſis Scripturæ Sacræ apud *S. Athanaſium*, *S. Cyrillo Hieroſolymitano* Catecheſi 4. *S. Gregorio Nazianzeno* in Carmine de veris Scripturis, *S. Epiphanio* Libro de Menſuris & Ponderibus, *S. Hilario* in Prologo Pſalmorum: Qui tamen obſervat, Libros *Tobiæ* & *Judith* ab aliquibus in Canonem referri: *Quibuſdam autem viſum eſt* (inquit) *additis Tobia & Judith, viginti quatuor Libros, ſecundum numerum Græcarum Literarum, connumerare.* Sancto denique *Hieronymo* locis inferius adnotandis.

Partem Propoſitionis alteram Veterum teſtimonia probant, *S. Cypriani* Libro *De Opere & Eleemoſynis*, ubi ait: *Loquitur in Scripturis Divinis Spiritus Sanctus, & ait: Eleemoſynis & fide delicta purgantur. . . . Raphael quoque Angelus pariter teſtatur, & ut Eleemoſyna libenter ac largiter fiat, hortatur, dicens: Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna; Quia eleemoſyna morte liberat, & ipſa purgat peccata.* Quod ex *Tobiæ* Cap. 12. 9. ſumptum eſt. Et Libro 3. *Teſtimoniorum ad Quirinum*, qui *S. Cyprianum* rogaverat ut ad ſuam inſtructionem *excerperet de Scripturis Sanctis quædam Capitula ad religioſam Sectæ noſtræ diſciplinam pertinentia*, idem Sanctus Antiſtes & Martyr ipſi morem gerens, & *quædam præcepta dominica & magiſteria divina colligens, quæ eſſe facilia & utilia legentibus poſſent*, ex Libro *Tobiæ* teſtimonia profert Cap. 1. ubi *De bono operis & miſericordiæ* agit. *De hoc ipſo* (inquit) *apud Tobiam: Et dixi Tobiæ filio meo: Vade, & adduc quemcumque pauperem inveneris ex fratribus noſtris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto corde ſuo, hunc adduc, & manducabit pariter meum prandium hoc. Ecce ſuſtineo te, fili, donec venias. Item illic: Omnibus diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mentem habe, & noli præterire præcepta ejus. Juſtitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis: Quoniam agente te ex veritate, erit reſpectus operum tuorum. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem ab ullo paupere: Ita fiet, ut nec a te avertatur facies Dei. Quomodo habueris, fili, ſic fac. Si tibi fuerit copioſa ſubſtantia, plus ex illa fac eleemoſynam. Si exiguum habueris, ex hoc ipſo exiguum communica. Et ne timueris, cum facies eleemoſynam, præmium bonum reponis tibi in diem neceſſitatis: Quoniam eleemoſyna a morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt eleemoſyna omnibus qui faciunt eam coram Deo.*

S. Baſilii Homilia *De Avaritia*, ſententiam ex *Tobiæ* Libro depromptam *Divinum præceptum* appellantis.

S. Ambroſii Libro 6. *in Hexaemeron*, Cap. 4. *Sunt ergo canes qui noverint latrare pro Dominis, noverint ſua tecta defendere. Unde & tu diſce vocem tuam exercere pro Chriſto, quando ovile Eccleſiæ incurſant lupi graves . . . Talis canis viator & comes Angeli eſt, quem Raphael in Libro Prophetico non otioſe ſibi & Tobiæ filio adjungendum putavit, quando perrexit ut Aſmodæum fugaret, firmaret copulam conjugalem. Memores enim affectus gratiæ pellitur Dæmonium, ſtabilitur conjugium. Muta itaque ſpecie beſtia Sanctus Raphael Angelus Tobiæ Juvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum.* Et Libro *De Tobia*, Cap. 1. *Lecto Prophetico Libro, qui inſcribitur Tobiæ, quamvis plene vobis virtutes S. Prophetæ Scriptura inſinuaverit, tamen compendiario mihi ſermone de ejus meritis recenſendis & operibus apud vos utendum arbitror; ut ea quæ Scriptura hiſtorico more digeſſit latius, nos ſtrictius comprehendamus, virtutum ejus genera velut, quodam breviario colligentes.*

S. Auguſtini, cum Libro 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. ubi totum Canonem Scripturarum recenſens, *Tobiam* in eo collocat: Tum in *Speculo*, ubi plures *De Tobiæ Libro* repræſentat ſententias: & tamen in Præfatione moneat, ſe ex Libris dumtaxat Canonicis hoc Opus compoſiturum. *De his igitur* (inquit) *quæ ita ſunt poſita in Literis ſacris, vel jubendo, vel vetando, vel ſinendo, ut etiam nunc, id eſt, tempore Novi Teſtamenti ad vitam piam exercendam moreſque pertineant, hoc Opus quod in manus ſumpſi, componere aggreſſus ſum: Ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de Canonicis Libris colligam, atque ut facile inſpici poſſint, in unum tanquam Speculum congeram.* Et poſtquam Sententias ex *Tobiæ* Libro congeſſit, ſubdit: *Jam nunc quoniam non omnes Libri Canonici Veteriſque Teſtamenti huic Operi noſtro neceſſaria dederunt; neque ii qui dederunt, ex omnibus ſuis locis conveniebat ut darent, ſed ex iis tantum ubi apertiora morum bonorum præcepta comperimus: ſive ubi utilia jubentur, ſive ubi contraria prohibentur; Ad Sacras Literas Evangelicas & Apoſtolicas tranſeamus.*

Librum *Tobiæ* in Canonicorum Librorum Catalogo pariter deſcripſere Concilium Hipponenſe anno trecenteſimo nonageſimo-tertio celebratum, Canone 38. & Carthaginenſe anno trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo habitum, Canone 47. *Innocentius Primus* Pontifex Maximus in Epiſtola ad Exuperium. *Gelaſius* 1. in Synodo Romana, *Caſſiodorus*, *S. Iſidorus Hiſpalenſis*, *Rabanus Maurus Eugenius IV.* in Decreto, & Sacra Synodus Tridentina Seſſione 4.

Objicitur primo *S. Hieronymi* teſtimonium in Prologo Galeato, dicentis: *Igitur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Sirach Liber, & Judith, & Tobias, & Paſtor, non ſunt in Canone.* Et Præfatione in Libros Salomonis: *Judith, Tobiæ, & Macchabæorum Libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit.* Et in Caput 8. Danielis: *Ubicumque medicina & ſanatio neceſſaria eſt, Raphael mittitur, qui interpretatur Curatio vel Medicina Dei (ſi cui tamen placet Tobiæ Librum recipere.)* Et Præfatione in *Jonam* Prophetam: *Liber quoque Tobiæ, licet non habeatur in Canone; tamen quia uſurpatur ab Eccleſiaſticis Viris, tale quid memorat.*

Reſpondetur, *S. Hieronymum* de Libris Canonicis primi Ordinis ibi loqui, quos nempe *Eſdras* & Synagoga Magna in Canonem Hebraicum retulerunt, & quos omnes Eccleſiæ pro Canonicis ſemper habuerunt: At non negat Librum *Tobiæ* ad ſecundum Canonem pertinere, cum & ab Hebræis inter *Hagiographa* numeratum teſtetur *Præfatione in Tobiam*, id eſt, inter Libros ſacros, quos clauſo & obſignato jam Canone ab *Eſdra* & Viris Synagogæ Magnæ, poſterorum diligentia juvante Deo reperit, & Eccleſia ut Sacros habet, legit, veneratur. *Exigitis* (inquit) *ut Librum Chaldæo ſermone conſcriptum, ad Latinum ſtylum traham; Librum utique Tobiæ, quem Hebræi de Catalogo Divinarum Scripturarum ſecantes his quæ Hagiographa memorant, manciparunt. Feci ſatis deſiderio veſtro, non tamen meo ſtudio. Arguunt enim nos Hebræorum ſtudia: & imputant nobis contra ſuum Canonem Latinis auribus iſta transferre. Sed melius eſſe judicans Phariſæorum diſplicere judicio, & Epiſcoporum juſſionibus deſervire: inſtiti, ut potui.*

Objicitur ſecundo, Plures hoc in Libro antilogias reperiri, adeoque Spiritus Sancti fœtum non eſſe. Scilicet *Sara* filia *Raguelis*, quam Junior *Tobias* uxorem

Digitized by Google

rem duxit, Cap. 3. habitaſſe dicitur *in Rages Civitate Medorum*: & oihilominus *Tobias*, cum ad locum perveniſſet ubi erat *Sara*, rogavit *Raphaelem*, quem hominem adhue putabat, ut aſſumptis animalibus & ſervis iret ad *Gabelum in Rages Civitatem Medorum*, redderetque ei chirographum ſuum, & reciperet ab eo pecuniam, ac ad Nuptias ſuas illum invitaret. (*Cap.* 9. 3. 6.) Domus itaque *Sara* noo erat in Rages, ut habetur Capite tertio.

Reſpondent aliqui, duas in Media fuiſſe Civitates, quibus idem oomen *Rages* inditum. Ajunt alii, *Saram* tertio Capite diei fuiſſe in Rages, non quod in ipſa Civitate fuerit, ſed in loeo vicino, ſieut Romæ habitare dieitur qui Tuſculi, vel alibi in agro Romano habitat. Alii Nuptias celebratas finguot ruri in domo ubi *Sara* manere conſueverat, de qua loquitur Capot 3. cum ait: *Perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ*; *& tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neque bibit*; Ex ſuperiori paterom domus cubiculo villam ſive domum ruralem fabricantes. Alii Vulgatam Verſionem Latioam Capite tertio, quoad nomen loci duntaxat in quo manebat *Sara*, in paterna domo, corrigendam ceoſent ex Græca Verſione omnium *Tobia* Ioterpretationum antiquiſſima. Hanc autem habere; *In eadem die contigit filia Raguel Sara in Ecbatanis Media & ipſam improperari ab ancilla Patris ſui*. ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδίας. Idem habet Verſio Syriaca; idem Editiones Hebraicæ *Munſteri* & *Fagii*. Atque ita aertiſſe S. *Hieronymum* ex Chaldaico veriſimile eſſe, & *Rages* pro *Ecbatanis* incuria Scribarum irrepſiſſe. Ex Ecbatanis porro Medorom Metropoli *Raphaelem* Angelum in Rages, quæ *in monte Ecbatanis* ſita erat, & vicino territorio nomen dabat, perreniſſe ad *Gabelum*, prout ipſum rogaverat *Tobias*. Poſterioe hæc reſponſio magis placet.

Obiieitur tertio, Galaaditidem, Galilæam, & Terram Nepthalia *Theglatphalaſare* Aſſyriorum Rege expugnatam occupatam fuiſſe, & univerſos Nepthali tribules in captivitatem abductos, ut conſtat ex 4. *Regum Cap.* 15. 29. & 1. Paralipomenon 5. 25. 26. Adeoque *Tobiam* falſo diei Cap. 1. *Ex Tribu & Civitate Nephtali*, qui a *Salmanaſare* poſtea regnaoſe captivus *Niniven* cum omni Tribu ſua fuerit deportatus.

Reſpondetur, Primam deportationem Iſraelitarum ex Galaaditide, Galilæa, & Terra Nephtali a *Theglatphalaſare* factam adeo generalem noo fuiſſe, ut ſecundæ ſub *Salmanaſare* locum non reliquerit. Nec mirum, cum etiam poſt ultimam illam deportationem, & integrum Regoi Iſraelis excidium, plures in Terra Iſrael remanſeeint. Unde 2. Paralipomenon capit. 34. 6. 9. narrator *Joſiam* multis annis poſt deportationem illam generalem decem Tribuum, Urbes *Manaſſe*, *Simeonis*, *Ephraim*, *Nephtali*, maximam partem vaſtatas ab Idololatria repurgaſſe, & a reliquiis earum Tribuum ſacrum tributum exegiſſe. Porro ex illa generali clade ac deportatione Iſraelitarum a *Salmanaſare* facienda aliquos io Terra Iſrael remanſuros, ſieut poſt meſſem ſpicæ aliquæ paſſim in agris remanent, & racemi quidam in vineis, prædixerat *Iſaias* Cap. 17. *Et ceſſabit adjutorium ab Ephraim, & Regnum a Damaſco: & reliquia Syria ſicut gloria filiorum Iſrael erunt: dicit Dominus Exercituum. Et erit in die illa: Attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marceſcet. Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit, & brachium ejus ſpicas leget: & erit ſicut quærens ſpicas in Valle Raphaim. Et relinquetur in eo ſicut racemus & ſicut excuſſio oleæ duarum vel trium olivarum in ſummitate rami, ſive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus: Dicit Dominus Deus Iſrael.* Quidni ergo & ex prima deportatione ſub *Theglatphalaſare* plurimi in Tribu & Civitate Nephtalim remanſerint?

Obiicitur quarto; Librum illum Canonicum non eſſe in quo plurima Angelo mendacia affinguntur: In libro porro *Tobia* plurima Angelo mendacia affingi: Interrogatus enim a Juniore Tobia, Unde eſſet? reſpondiſſe dicitur Cap. 5. *Ex filiis Iſrael*. Rurſus interrogatus, an noſſet viam quæ ducit in regionem Medorum? Reſpondit; *Novi: & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum*. Quærenti de qua Domo & de qua Tribu eſſet? Reſpondit: *Ego ſum Azarias Anania magni filius*. Quærenti *Ragueli*, Unde eſſent? dixerunt. *Ex tribu Nephtali ſumus, ex captivitate Niniva* (ut narratur Cap. 8) quæ cum falſa eſſent, & mendacia, adeoque Angelo indigna; Liber in quo illi affinguntur, non eſt a Spiritu Sancto dictatus.

Reſpondetur, Angeli *Raphaelis* reſponſa ſub vulgarium verborum cortice ſubliniorem quidem ac myſticum ſenſum involviſſe, at nihil falſi continere. Vere enim dixit, ſe eſſe ex filiis Iſrael ex Tribu Nephtali, ex captivitate Niniva: Quia Iſraelitarum Niniva captivorum curam gerebat ſingularem, ſibi a Deo demandatam, & præſertim Tribus Nephtali, vel quia Iſrael Hebraice idem eſt ac *Dominans Deus*? Omnes autem Angeli ſunt filii Dei dominantis, ſecundum illud Job. 38. *Ubi eras cum me laudarent Aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*. Vel etiam quia *Iſrael* idem eſt ac *Videns Deum*. Porro *Angeli* (inquit Christus) *ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt*. Secundo, vere ait *Raphael* ſe eſſe *Azariam Ananiæ magni Filium*, quia formam *Azaria* aſſumpſerat, ejuſque perſonam gerebat. Sic *Geneſis* 31. 13. Angelus ait: *Ego ſum Deus Bethel*; quia loquebatur io perſona Dei, ut ejus legatus. Sic *Exodi* 20. Angelus vice Dei Decalogum promulgans ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Præterea, cum Angelorum nomina ex miniſterio ſumantur, & *Michael* cum Dracone ſuperbo pugnans, nomen habeat humilitatis, *Quis ut Deus? & Raphael* idem ſit quod *Curatio Dei*; quia *Tobia* curavit cœcitatem; *Gabriel* idem ſonet quod *Fortitudo Dei*, quia prælia Dei præeſt; *Azaria* nomen *Raphael* Angelus merito uſurpavit, quod ſignificat *Adjutorium Dei*: quia unus eſt ex ſeptem qui adſtant ante Thronum Dei; tanquam interioris admiſſionis Satrapæ, & nihilominus in Miniſterium extraordinarie mittitur propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis. Non minus appoſite id oomen ſibi ſumpſit *Raphael*, ſive a radice *Aiſar*, id eſt, *prohibuit* derivetur, ut idem ſit *Azarias*, quod *Prohibitio vel Retentio Dei*: Siquidem Aſmodæum Dæmonem prohibuit, ne *Tobia* ac *Sara* noceret, illumque religavit io deſerto ſuperioris Ægypti: Sive a radice *Aſear*, id eſt, *Dives fuit*, aut a radiee *Otſar*, id eſt *Theſaurus*, ut *Azarias* idem ſit quod *Divitiæ*, vel *Theſaurus Dei*; Ipſe enim theſaurus ſapientiæ, & beneficentiæ Dei præ ſe fert, eorumque Adminiſter ac Diſpenſator eſt; Sive tandem a radice *Aſdra*, id eſt, *Beatitudo* petatur ejus ſignificatio, ut *Azarias* idem ſit quod *Beatitudo Dei*. Beati ſunt enim cœleſtes illi Spiritus, ex quo in gratia conditi, Deo poſt creationem ſuam amore caſto adhæſerunt, & in bona voluntate, quam a Deo acceperant, eodem amplius adjuvante perſeverantes, ad illam beatitudinem, unde numquam ſe caſuros certiſſime ſcirent, pervenerunt. Nec minus vere *Anania Magni filium* ſe dixit: Sive *Ananias* ſcribatur per *Cheth*, Hebraiceque ſonet *Chananias*, quod idem eſt ac *Gratia ſive Donum Dei*. Totum enim quod ſunt Angeli, Deo acceptum referunt; adeoque *Gratia Dei* filii jure merito vocantur: Sive ſcribatur per *Ain*, *Anania*, id eſt *Nubes Dei*: Quia Angeli ſunt filii Dei inviſibilis & incomprehenſibilis, *Qui poſuit nubem latibulum ſuum*. Et ipſe *Raphael* quaſi nube aſſumpti corporis ſe obtexit, ut cum *Tobia* familiariter ceu dux viæ, comes, & frater verſaretur. Fratrum autem nomine ab hominibus fidelibus & piis vocari non dedignantur Angeli, ſiquidem eumdem Patrem Deum utrique agnoſcunt: ad eamdem ſalutis hereditatem, quam poſſident illi, tendont iſti, & ſi meruerint, ſunt *Angelorum Candidati*, ut ait *Tertullianus*.

Finis quintæ Mundi Ætatis.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA
VETERIS TESTAMENTI.
SEXTA MUNDI ÆTAS,
A CAPTIVITATE BABYLONICA,
AD NATALE CHRISTI,
ANNOS DUOS SUPRA SEXCENTOS
COMPLEXA.
HISTORIÆ SYNOPSIS.

CAPUT PRIMUM.
HUJUS ÆTATIS HISTORIA EX LIBRIS SACRIS EXPONITUR.
ARTICULUS PRIMUS.

De Rebus Judæorum tempore Captivitatis.

I. CAptivitas Babylonica ſeptuaginta annis definita fuit *Jeremiæ* 25. & 39. & *Danielis* 9. 2. De quorum exordio & fine in Diſſertationibus agemus. An Sacra Volumina in Urbis excidio perierint, Quæſtio eſt ab Eruditis diſceptata, quam pariter expendemus. Judæorum ad ſuperſtitiones Gentium defectionem ſive Babylone, ſive in Ægypto, tempore Captivitatis, literis prodidere Prophetæ ad illorum reprehenſionem & correctionem ſuperſtites, Jeremias, Baruch, Ezechiel, & Daniel. (*Jeremiæ* 44. *Baruch* 6. *Ezechielis* 36. *Danielis* 9.) Miracula plurima ad fidelium ſolatium per id tempus a Deo patrata. *Daniel* cœleſtis ſapientiæ ſpecimen dedit, caſtiſſimam *Suſannam* a Senibus impudicis falſo adulterii accuſatam, temere a Judicibus damnatam, moxque lapidibus obruendam, in judicium reduci jubens, inſontemque abſolvi: & Senes libidinoſos, falſique teſtimonii convictos interimi. (*Danielis* 12.) Anno ſecundo Regni *Nabuchodonoſoris*, Regis Babylonis, ſomnium ejus de ſtatua, capite aureo, pectore & brachiis argenteis, æneo ventre, teſtaceis ſimul ac ferreis pedibus quatuor Monarchias ſignificante, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, uſque ad Chriſti Regnum æternum, eidem Regi rei per ſomnium viſæ immemori aperit, interpretatus eſt. Quam ob rem *Nabuchodonoſor* Nominis vim in *Daniele* agnoſcens in terram pronus Prophetam adoravit, victimaſque immolari, & thus ipſi adoleri voluit. Quo divinos honores reſpuente, in laudem Dei Judæorum erupit: *Vere*, inquit *Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus Regum, & revelans myſteria: Quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum*. Tum *Danielem* maximis muneribus donatum, omnibus Babylonis Provinciis & Magiſtratibus univerſis Chaldæorum præfecit. *Danielis* vero ſocios, *Sidrach*, *Miſach* & *Abdenago*, ſuper operas Provinciæ Babylonis conſtituit, ut ipſi gratificaretur. (*Danielis* 2.)

Miracula tempore Captivitatis patrata. Suſannæ liberatio. Daniel Nabuchodonoſoris ſomnium explicat.

Paulo poſt, anno ſcilicet decimo-ſexto Captivitatis, *Nabuchodonoſor* rebus proſperis inſolens, ſtatuam ex auro ſolido, cubitorum ſexaginta, in campo *Dura* Provinciæ Babylonis erexit, omnibus eam adorare ad tubæ clangorem juſſis, pœna ignis in rebelles conſtituta. Chaldæis obſequentibus, *Ananias*, *Miſael*, & *Azarias* ſtatuam adorare renuunt, ideoque Regis Edicto in fornacem ardentem conjiciuntur. Sanctis hominibus parcit ignis. Illæſis non modo corporibus, ſed & veſtimentis, mediis in flammis ambulant, in Dei laudes effuſi. Ex fornace erumpens ignis in ſævi operis miniſtros vim totam exerit. Rex novitate Miraculi attonitus, ſe tres viros in medio ignis ambulantes, & quartum cum illis *Similem Filio Dei* intueri teſtatur. Quamobrem Deum Hebræorum laudat, miſſiſque per omnes ditiones ſuas Edictis, virtutem illius prædicat, blaſphemiamque in ipſum proferri vetat ſub pœna capitis & vaſtitatis. *Benedictus Deus eorum*, inquit, *Sidrach* videlicet, *Miſach & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſervos ſuos, qui crediderunt in eum; & verbum Regis immutaverunt, & tradiderunt corpora ſua ne ſervirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo ſuo. A me ergo poſitum eſt hoc Decretum, Ut omnis Populus, Tribus & lingua, quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus ejus vaſtetur: Neque enim eſt alius Deus, qui poſſit ita ſalvare.... NABUCHODONOSOR Rex, omnibus Populis, Gentibus, & Linguis, qui habitant in univerſa terra, pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus Excelſus. Placuit ergo mihi prædicare ſigna ejus, quia magna ſunt; & mirabilia ejus, quia fortia; & Regnum ejus Regnum ſempiternum, & Poteſtas ejus in generationem, & generationem.* (Danielis 3.)

Tres pueri in fornacem miſſi ibique illæſi.

Nabuchodonoſor Miraculi teſtis, Deum Hebræorum laudat, & blaſphemari vetat.

II. Veruntamen cum *Nabuchodonoſoris* arrogans animus eo miraculo immutatus non eſſet, Deus ſuperbiam ejus edomuit terribili calamitate. In dementiam ſcilicet ac furorem incidens, Regno, & ho-

Nabuchodonoſoris pœna.

minum

Digitized by Google

minum ſocietate pulſus eſt, & in ſolitudinem ablegatus, ubi gramine quadrupedis inſtar veſcebatur. Eo in ſtatu ſeptem annorum ſpatio manſit, prout ipſi fuerat prædictum a *Daniele*, ſomnium ejus de Arbore excelſa, ſuccidi juſſa, explicante, atque admonente ut peccata ſua eleemoſynis redimeret: Quod deinde cœleſti voce ipſi fuerat ſignificatum, terribiliter inclamante: *Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit a te, Et ab hominibus ejicient te & cum beſtiis & feris erit habitatio tua; Fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quod dominetur Excelſus in Regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Ipſi denuntiat a cœlitus eſt terribilis ſententia, cum de potentia, divitiiſque ſuis tacitus gloriaretur, poſt annum a prædictione Danielis: *Poſt finem menſium duodecim, in Aula Babylonis deambulabat, Reſponditque Rex, & ait; Nonne hæc eſt Babylon Magna, quam ædificavi in Domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cumque ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cœlo ruit, &c.* Quem Prophetæ locum *S. Hieronymus* expendens, hæc habet: *Fecit quidem Nabuchodonoſor, juxta Danielis conſilium, miſericordias in pauperes, & idcirco uſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia. Sed quia poſtea ambulans in Aula Babylonis, gloriatur, & dicit:* Nonne hæc eſt Babylon Magna, quam ego ædificavi? *Bonum miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ. Ideo igitur differtur ſententia, ut videatur miſericordia in pauperes minime profuiſſe. Sed ſtatim ut locutus eſt, per ſuperbiam perdidit Regnum, quod per eleemoſynas conſervatum fuerat.* Quod autem cor Nabuchodonoſoris ab humano mutatum dicitur, & cor feræ datum ei, & quod ipſe de ſe ait: *Et figura mea reverſa eſt ad me*, non ſignificat *formam ipſum amiſiſſe, ſed mentem*, ut idem *S. Hieronymus* explicat. Suffragatur & *Theodoretus* Libro 4. in Danielem. *Expulſus autem primum eſt* (inquit) *propter ipſum morbum: Furore enim & rabie correptus, infinita mala perpetraſſet, ſi modo ei facultas data fuiſſet. Deinde etiam propter odium, quod in illum omnes habentes, cum volebat, occultare conabantur, cum vero in calamitatem incidiſſet, omnes ei inſultabant, ob crudelitatem ipſum abominati.* Et fœnum, *inquit*, ut bos comedit. *Proprium eſt enim deſipientium, non ſolum dicere ac facere ea, quæ ratione & ordine careant, ſed omnia etiam in quæcumque inciderint, comedere: Quod cerni etiam nunc poteſt in iis, qui a Dæmonibus vexantur: Talia enim & faciunt, & patiuntur. Neque ſolum ut bos comedit fœnum, verum etiam* a rore cœli corpus ejus infectum eſt. *Sub dio enim agens in ærumna, nudoque corpore cum gelu & æſtu conflictans, neceſſario alium colorem accepit.* Donec capilli ejus quaſi leonum magni facti ſunt, & ungues ejus quaſi avium. *Non detonſus enim uſitato more, neque reſectis unguium excrementis, neceſſario tamdiu ejuſmodi habuit & capillos & ungues. Hic autem omnibus ſignificabat neglectum ipſum, & nulli curæ alicui fuiſſe. Divina enim providentia deſtitutus, ne propinquorum quidem cura potitus eſt, cum tamen ipſi adeſſent uxor, liberi, & cognati. Sed inſtar feræ inculta loca peragrabat, beſtiarum cibum ventri indulgens. Nam quia homo cum eſſet, & in honore maximo, non intellexit, ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, & in ſibi ſubjectos ferina mente & animo fuerat, merito etiam ferina & agreſti vita juſtiſſime damnatus fuit.*

Nabuchodonoſor formam humanam non amiſit. Quo ſenſu cor feræ ipſi datum?

III. Poſt ſeptem annos ſanitati ac menti redditus, Regnoque reſtitutus, Dei potentiam agnovit, prædicavit, ut ipſe teſtatur, Danielis 4. *Igitur poſt finem dierum, ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi: Et Altiſſimo benedixi, & viventem in ſempiternum laudavi, & glorificavi: Quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & Regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: Juxta voluntatem enim ſuam facit tam in Virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ; & non eſt qui reſiſtat manui ejus, & dicat ei: Quare feciſti? In ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me, & ad honorem Regni mei, decoremque perveni; & figura mea reverſa eſt ad me; Et Optimates mei, & Magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum; & magnificentia amplior addita eſt mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo & magnifico, & glorifico Regem cœli; quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Quæ verba *Theodoretus* expendens, ait: *Tantum utilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonoſor, ut Propheta inſtar de Deo & ſentiat & loquatur.* De *Nabuchodonoſoris* converſione & ſalute ambigitur. Veram ſinceramque pœnitentiam ipſum egiſſe *S. Hieronymus* cenſet Epiſtula 7. *Numquam*, inquit, *eſt ſera converſio. Latro de Cruce tranſit in Paradiſum: Nabuchodonoſor Rex Babylonis, poſt efferationem corporis & cordis, & belluarum in eremo convictum, mentem recepit humanam.* Idem *S. Auguſtino* viſum eſt Epiſtola 111. olim 122. ad *Victorianum* ſcribenti: *Sed ne aliquis exiſtimet illos Dei ſervos, quos dicis a Barbaris interfectos, ſic illam mortem evadere debuiſſe, quomodo tres illi viri ab ignibus, & Daniel a leonibus liberatus eſt, ſciat illa propterea facta Miracula, ut eos verum Deum colere crederent Reges, quibus in illa ſupplicia tradebantur. Hoc enim erat in occulto judicio Dei, ut illis Regibus eo modo conſuleret ad ſalutem. Antiocho autem Regi, qui Machabæos pœnis crudelibus interemit, noluit ita conſulere, ſed eorum glorioſiſſimis paſſionibus cor duri Regis acriori ſeveritate punivit.* Eidem ſententiæ favet *Theodoretus* in Commentariis. Mitto *Pſeudo-Dorotheum*, & *Pſeudo-Epiphanium* in Vitis Prophetarum. Favet etiam Auctor Libri *De Prædeſtinatione & Gratia* olim ſub nomine *S. Auguſtini* editi, Cap. 15. ubi *Nabuchodonoſorem* cum *Pharaone* comparans ait: *Unde Nabuchodonoſor pœnitentiam meruit fructuoſam? Nonne poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & Regnum quod perdiderat, rurſus accepit, Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & periit? Hic mihi rationem reddat, qui divinum conſilium nimiam altum ſapienti corde dijudicat, cur medicamentum unius Medici confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad ſalutem, niſi quia Chriſti bonus odor aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant: Quantum ad dignitatem, ambo Reges, quantum ad cauſſam, ambo captivum Populum Dei poſſidentes: Quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: Alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?* At Scriptura Sacra *Nabuchodonoſorem* quidem Deum agnoviſſe, & laudaſſe teſtatur: An vero idololatriam ejuraverit, ſecundum Deum vixerit, atque in juſtitia perſeveraverit, non ſignificat. Id certe minus veriſimile eſt, ſi de *Nabuchodonoſore* intelligatur locus ille Iſa. 14. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum..... Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas Gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in Monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Hæc ad *Nabuchodonoſorem*, ceu *Luciferi* typum refert *S. Hieronymus* Commentario in hunc locum.

Utrum Nabuchodonoſor pœnitentiam egerit & ſalutem æternam conſecutus ſit?

IV. *Evilmerodach* filius & ſucceſſor Nabuchodonoſoris *Danielem* in pretio habuit, & pro ſuo in Judæos ſtudio, *Jechoniam* vinculis exemit, & inter Reges clientelares præcipuo dignatus honore eſt, eique annonam ac Regium cultum ſubminiſtravit, quamdiu vita fuit ipſi ſuperſtes. (4. *Regum* 25.) Ad *Evilmerodachi* tempora Beli & Draconis Hiſtoria referenda videtur. Neque enim Regem, ſub quo geſta ſunt, quæ *Danielis* Capite 14. narrantur, fuiſſe *Cyrum* arbitror, quamvis hæc opinio *S. Irenæi* Libro 4. Cap. 11. & *Theodoreti* in Commentariis hujus Prophetæ ſuffragio munita ſit. Belus enim nullo in honore erat apud Perſas, nullaque habebant Templa, nulla Deorum ſimulacra, antequam a Macedonibus debellati, eorum mores hac in re imitarentur. Quin magnum illum *Xerxem* ſepulcrum *Beli* funditus deſtruxiſſe teſtatur *Strabo* Lib. 16. Præterea *Daniel* e-

Rex Judæorum ſub Evilmerodache Rege Babylonis.

Beli & Draconis Hiſtoria.

rat

erat conviva Regis, ſub quo hæc geſta ſunt. At *Cyri* convivia frequentare potuiſſe centenarium Prophetam minus eſt veriſimile. Denique Rex ille Babylonius erat, non Perſa. Ita autem res geſta eſt. *Evilmerodachus* Sacerdotum præſtigiis deceptus, quaſi Idolum cibo ac potu uteretur, *Danielem* interrogat, cur Babyloniorum Numen deſpiceret. Deum viventem ſe colere reſpondet divinus Vates. *Belum* vivere Rex reponit: Neque enim vitæ expertem eſſe, qui tantam ciborum copiam quotidie abſumat. Hominis errorem *Daniel* videns, fieri poſſe negat, ut ſtatua intrinſecus lutea & foris ærea comedat. Rex ſeptuaginta Sacerdotes acceſſit, iiſque mortem minatur, ni dicant quis cibos in Templum quotidie illatos conſumat. Eſcis ex more illatis, Templum Regio ſigillo obſignatum, cum prius *Daniel*, Sacerdotibus exire juſſis, pavimentum cinere eſperſiſſet, ut occultos ingredientium aditus veſtigia proderent. Poſtero die Rex introgreſſus abſumptos cibos reperit, *Belum* magnum eſſe Numen prædicat. *Daniel* dolum veſtigiis prodentibus detegit, Sacrificos cum conjugibus & filiis per occulta oſtiola Templum ſubeuntes, exhibitam annonam exhauſiſſe. Tunc omnes Regis imperio trucidati, Templum ac Idolum Beli *Danielis* poteſtati derelicta, funditus everſa ſunt.

Daniel in lacum leonum conjectus, ubique illæſus.

Draconem ibidem colebant Babylonii, quem injecta in os maſſa ex pice, adipe, & pilis confecta, *Daniel* interfecit. Babylonii conſpiratione facta, *Danielem* ad mortem depoſcunt, quem Rex tradere compulſus ut ſeditionem compeſceret, in lacum leonum conjici permiſit. Ibi ſex dierum ſpatio illæſus ſervatus eſt, quamvis ferarum fames ſolitorum ſubtractione ciborum eſſet irritata. Miraculum aliud acceſſit. *Habacuc* enim Propheta ab Angelo ex Judæa Babylonem ſupra lacum tranſlatus, *Danielem* prandio, quod meſſoribus paraverat, recreavit: Statimque patriæ ac domicilio ſuo ab eodem Angelo reſtitutus eſt. *Habacus* ille *Danielis* obſonator, ipſe eſt cujus Vaticinia habemus, qui inter Minores Prophetas octavus eſt, ut cenſent *S. Hieronymus*, Proœmio Commentarii in Habacuc, *Pſeudo-Epiphanius*, & *Pſeudo-Dorotheus* in Vitis Prophetarum, aliique complures. Septimo die poſtquam *Daniel* in lacum leonum projectus fuerat, Rex illuc venit ut Vatem ſanctiſſimum ſibique cariſſimum lugeret; ipſumque in medio Leonum velut manſuetorum animalium ſedentem conſpiciens exclamavit: *Magnus es Domine Deus Danielis*. Eoque educto, ejus inſidiatores in eamdem foveam projici juſſit; qui ſpectante Rege ſubito a leonibus diſcerpti & devorati ſunt. Tunc ait Evilmerodachus: *Paveant omnes habitantes in univerſa terra Deum Danielis: Quia ipſe eſt Salvator, faciens ſigna & mirabilia in terra: Qui liberavit Danielem de lacu leonum*. (Ex Cap. 14. *Danielis*)

Pœna Balthaſſari divinitus irrogata.

V. Alterum Deus Miraculum exhibuit in pœna *Balthaſſari* Regi irrogata. Ille cum Proceribus, uxoribus, concubiniſque ſuis convivium inſtruxiſſet, ſacra Deo vaſa, quæ Hieroſolymis *Nabuchodonoſor* attulerat, & quæ in theſauris aſſervabantur, produci juſſit, profanis uſibus polluenda. Vinum ex eis temulentus hauriebat, ſuaque laudabat Numina, ſpreto Hebræorum Deo, cum derepente ex cœnaculi pariete manum prominentem videt, certa verba ſcribentem: *MANE. THECEL. PHARES*. Spectaculo perterritus, cum Magi, Chaldæi, Aruſpices, Scripturam interpretari non poſſent, ſuggerente Regina, *Danielem* vocat. Is Regi ob impias voces, quas in Deum jactarat, & ſacrorum vaſorum pollutionem, imminere denuntiat interitum, Urbi pariter & Imperio excidium. *Hæc eſt*, inquit, *interpretatio ſermonis, MANE: Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. THECEL: Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. PHARES: Diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis*. Rex Prophetam ſummis honoribus affecit, quos terribilis ſcripturæ Interpreti promiſerat. *Indutus eſt, ſcilicet purpura, & circumdata eſt torques aurea collo ejus, & prædicatum eſt de eo quod haberet poteſtatem tertius in Regno*. (Cap. 5. *Danielis*.) Quem locum expendens *S. Hieronymus*, ait: *Accepit autem inſigne Regium, torquem & purpuram. Ut Dario, qui erat ſucceſſurus in Regnum, fieret notior, & per notitiam honoratior. Nec mirum ſi Baltaſar audiens triſtia, ſolverit præmium quod pollicitus eſt. Aut enim longo poſt tempore credidit ventura quæ dixerat: Aut dum Dei Prophetam honorat, ſperat ſe veniam conſecuturum. Quam ſi non impetravit, majus fuiſſe credendum eſt ſacrilegium in Deum, quam honorem in hominem*.

Scriptura prodigialis a Daniele explicata.

Danielis dignitas.

Rex Judæorum ſub Dario Medo.

VI. *Balthaſſare* ipſa nocte interfecto, *Darius* in Regnum ſuccedens, adminiſtrationis publicæ curam in Satrapas centum & viginti, conſilio & rerum gerendarum prudentia inſignes tranſtulit. *Danielem* autem, cum duobus aliis, univerſo præfecit Imperio, ita ut cæteri Satrapæ adminiſtrationum rationes illis reddere tenerentur. Porro *Danielem*, quem Dei Spiritus, & cœleſtis Sapientia gerendæ Reipublicæ capaciorem cæteris omnibus effecerant, Proregem conſtituere decreverat. Quamobrem invidia perciti Satrapæ, Regi perſuadent, ut Lege lata prohibeat, ne quis proximis triginta diebus alteri, ſive Deo, ſive homini, præterquam ipſius Majeſtati ſupplicet. Qui violaverit Edictum, in foveam præceps, a leonibus devorandus mittetur. *Daniel* ſolitis pietatis officiis apud Deum perfungitur, & ter in die converſis Hieruſolymam verſus oculis, in genua proſtratus eum adorat, precatur. Quamobrem accuſatus ab æmulis, *Dario* ægre conſentiente in Lacum leonum conjicitur. Die ſequenti, occluſum ſigillo ſuo antrum *Darius* reſerans, *Danielem* vocat, a Deo ſervatum incolumem illæſumque gratulatur. Inde educi jubet, Accuſatoreſque illius, cum filiis & uxoribus eorum, in lacum detrudi, ubi a leonibus confeſtim diſcerpuntur, devorantur. Rex admirabilitate rei permotus, Dei Judæorum timorem & reverentiam promulgato Edicto ſubditis ſuis imperat. *A me*, inquit, *conſtitutum eſt Decretum, ut in univerſo Imperio & Regno meo tremiſcant & paveant Deum Danielis. Ipſe eſt enim Deus vivens & æternus in ſæcula: Et Regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum. Ipſe Liberator atque Salvator, faciens ſigna & mirabilia in cœlo, & in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum*. (Cap. 6. *Danielis*.)

Daniel in lacum leonum iterum conjectus.

Revelatio 70. Hebdomadum facta Danieli.

VII. Anno primo *Darii Medi*, DANIELI ferventiſſimas ad Deum preces fundenti, & Judæorum captivitatem atque calamitates ob ſua, Populique peccata a Deo inflictas humiliter agnoſcenti facta eſt revelatio Septuaginta Hebdomadum, ſuper Dei Populo & Urbe ſancta definitarum, jam inde ab exitu verbi, ſeu Edicto de inſtaurandis Hieroſolymis uſque ad Chriſtum. (*Daniel* 9. 24. & *ſeq.*) Unde autem ducenda ſit celebris illa Septuaginta Hebdomadum epocha, in Diſſertationibus expendemus.

Edictum Cyri de Judæorum libertate & reditu.

VIII. Cum *Cyrus* Rex Perſarum Babylonios ſub jugum miſiſſet, ac totius Orientis Imperio potiretur, jamque ſeptuageſimus numeraretur Judaicæ Captivitatis annus, novo Imperatori monſtrata ſunt *Iſaiæ* de ipſo Vaticinia Cap. 44. & 45. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem: Ædificaberis: & Templo, fundaberis. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, ut ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael. Propter ſervum meum Jacob, & Iſrael electum meum, & vocavi te nomine tuo: Aſſimilavi te, & non cognoviſti me*. Hæc cum legiſſet, vel audiviſſet *Cyrus*, benevolentia ſingulari erga Judæos captivos affectus eſt, & edictum pro ipſorum libertate ac reditu, Templique Hieroſolymitani inſtauratione dedit, hujus tenoris: *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei Domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo Populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo, aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet Domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus qui eſt in Jeruſalem. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco ſuo, & argento, & auro, & ſubſtantia & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt Templo*

Dei, quod eſt in Jeruſalem. Quin & ſacra vaſa reſtituit tum aurea, tum argentea, quinque millia quadringenta, quæ *Nabuchodonoſor* capta Hieroſolymis abſtulerat, & in Templo *Beli* poſuerat. Hæc geſta ſunt anno primo *Cyri* Babylone imperantis. (1. *Eſdræ* 1.) Legatur & *Joſephus* Libro 2. *Antiquitatum*, Cap. 2.

ARTICULUS II.

De Rebus Judæorum a ſoluta Captivitate ad Machabæos.

Judæorum e captivitate Babylonica exitus.

I. IMpetrata redeundi in patriam, Templique ædificandi facultate, Judæi, Ducibus *Zorobabele*, Regia Judæ familia oriundo, & *Joſue* ſeu *Jeſu* filio *Joſedech*, Summo Pontifice, acceptiſque a Theſaurario Regis *Mithridate* vaſis ſacris multiſque privatorum veræ Religioni faventium muneribus, profectionem adornarunt, numero capitum quadraginta duorum millium, trecentorum & ſexaginta, exceptis uxoribus, ſervis, & ancillis. (*Eſdræ* 1. Cap. 2. & Libro 3. Cap. 7.) Sumptus ad Templum ædificandum *Cyrus* Imperator ſuppeditavit, ſed & principum familiarum Patres ſponte contulerunt ſecundum vires ſuas impenſas operis, auri ſolidos ſexaginta millia, & mille; argenti minas quinque millia, & veſtes Sacerdotales centum. In ſuam quiſque civitatem profectus eſt. Prima de rebus ſacris cura fuit. Indictus ſeptimo menſe Hieroſolymis, ſecundum Legem totius Populi Conventus. Excitatum Altare, Sacrificia Deo Liberatori oblata, Feſtum Tabernaculorum ſolemni ritu celebratum, juge Sacrificium inſtauratum eſt.

Secundi Templi jacta fundamenta.

Anno proxime ſequenti, Templi ſecundi ſtructuram jactis fundamentis aggrediuntur. Cujus Ædificii incunabula, qui prius Templum viderant Seniores, cum mœrore & lacrymis, qui non viderant, cum gaudio & tripudio contemplabantur. (1. *Eſdræ* 3.)

Zorobabelem Babylonii *Saſſabaſarem* appellarunt, (1. *Eſdræ* 1. 8. 11. & 5. 14. 16.) Inter eos qui in Judæam reverſi ſunt cum *Zorobabele*, numeratur *Mardochæus*, qui diu in Judæa non manſit, ſed *Suſan* Regni Perſici Metropolim rediit, cum Templi ædificationem impeditam ac retardatam poſt Cyri mortem videret.

Cyrus Templi dumtaxat inſtaurandi, non Urbis ædificandæ licentiam Judæis conceſſit. Petavius refellitur.

II. *Petavius* Libro 12. *De Doctrina Temporum*, Cap. 31. aſſerit *Cyrum* non modo reparandi Templi licentiam Judæis conceſſiſſe, verum & ædificandæ urbis jus iiſdem tribuiſſe. Nititur auctoritate *Iſaiæ* 44. Capite dicentis: *Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Hæc eſt autem voluntas Dei: Qui dico Jeruſalem: Ædificaberis, & Templo, Fundaberis*. Et Cap. 45. *Ipſe ædificabit Civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*. Deinde Judæorum hoſtes ſcribunt ad *Cambyſem* ſucceſſorem *Cyri*; utique prius ad *Cyrum* ſcripturi, niſi Judæos ipſius conceſſione & favore Urbem inſtaurare noviſſent: *Notum ſit Regi, quia Judæi qui aſcenderunt a te ad nos, venerunt in Jeruſalem Civitatem rebellem & peſſimam, quam ædificant extruentes muros ejus, & parietes componentes*. Nititur & auctoritate *Joſephi* Libro 9. *Antiquitatum* Cap. 1. ſcribentis: *Cyrus convocatis clarioribus apud Babylonem Judæis, ait ſe illis permittere ut proficiſcantur in patriam, Urbemque Hieroſolymam, & Dei Templum ædificent denuo*. Et paulo poſt inducit eumdem Regem ita ſcribentem ad Præfectos: *Judæis qui regionem meam habitant, permiſi, ut quicumque vellent in propriam patriam reverti, Urbem denuo conderent, & Templum Dei Hieroſolymis ædificarent, eodem quo prius loco*.

At in Edicto *Cyri* nulla fit mentio inſtaurandæ Urbis, ſed ſolius Templi, ut patet ex 1. *Eſdræ* Cap. 1. *In anno primo Cyri Regis Perſarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum: Et traduxit vocem in omni Regno ſuo, etiam per ſcripturam dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei Domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo Populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo? Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet Domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus qui eſt in Jeruſalem*. Permiſit quidem *Cyrus* conſequenter Judæis, ut domos Hieroſolymis ædificarent ad habitandum cum Templum fruſtra futurum eſſet, niſi Sacerdotes, Levitæ, Populus, ad Religionem exercendam ibi manerent, nec ſub dio degere poſſent, ſed domibus ad arcendos imbres, æſtus, & frigora opus eſſet. Et hoc tantum ſenſu permiſiſſe dici poteſt *Cyrus* ut Judæi Civitatem ædificarent: Nec alio modo *Iſaias* & *Joſephus* intelliguntur. Verum publica ædificia, mœnia, portas, propugnacula, quæ Civitatem faciunt proprie dictam, nec *Cyrus*, nec alius poſt ipſum Rex Perſarum, Judæis ædificare permiſit, uſque ad *Artaxerxem Longimanum*, qui id demum conceſſit anno Regni ſui vigeſimo. Quod autem Samaritani poſt *Ciri* mortem Judæos apud *Artaxerxem*, ſive *Cambyſem* accuſarint inſtauratæ Urbis ac Mœnium, palam eſt hanc expoſtulationem calumniam fuiſſe a Judæorum hoſtibus inſtructam, qui cum domos in Urbe excitari viderent, quod pro ſuo jure Judæi faciebant & Mœnia Templi ædificari, invidia perciti ſcripſerant ad Regem, Urbem condi, & muros Urbis reparari. Unde Rex a neſariis hominibus deceptus, juſſit ut Urbis ædificationem prohiberent. (1. *Eſdræ* 4.) Id autem ſibi non arrogaſſe Judæos regnante *Cyro*, aut deinceps, uſque ad vigeſimum *Artaxerxis Longimani* annum, conſtat ex fine ejuſdem Capitis, ubi ædificatio Templi, non Urbis intermiſſa dicitur. *Tunc intermiſſum eſt opus Domus Domini in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum*.

III. Reverſis a Captivitate Babylonica Judæis, ipſorum quoque modo inſtaurata Reſpublica eſt. Nunquam tamen deinceps omnimoda libertate potiti ſunt, ſed primum Perſis, tum Græcis, poſtremo Romanis ſervierunt, tributiſque pendendis obnoxii fuere.

Judaicæ Reipublicæ ſtatus poſt Captivitatem.

Hinc illorum hoſtes ad *Cambyſem* ſcribunt 1. Eſdræ 4. 13. *Nunc notum ſit Regi quia ſi Civitas illa ædificata fuerit, & Muri ejus inſtaurati, tributum & vectigal, & annuos redditus non dabunt*. Et 2. *Eſdræ* 9. Regnante apud Perſas *Artaxerxe Longimano*, ita Deum orat Nehemias: *Ecce nos ipſi hodie ſervi ſumus, & Terram dediſti patribus noſtris ut comederent panem ejus, & quæ bona ſunt ejus, & nos ipſi ſervi ſumus in ea. Et fruges ejus multiplicantur Regibus quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra, & corporibus noſtris dominantur, & jumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam, & in tribulatione magna ſumus*. Alterum ſervitutis argumentum eſt; quod nonniſi ex Perſarum Regum arbitrio Duces & Magiſtratus habuerint. *Zorobabelem a Cyro* Ducem Populi conſtitutum, conſtat ex 1. Eſdræ 5. 14. *Vaſa Templi Dei aurea & argentea protulit Cyrus Rex de Templo Babylonis: & data ſunt Saſſabaſar, quem & Principem conſtituit*. Certum etiam eſt *Eſdram* ab *Artaxerxe Longimano* poteſtatem accepiſſe viſitandi Judæam & Jeruſalem: ibique conſtituendi Magiſtratus. 1. Eſdræ 7. 25. *Tu autem, Eſdra, ſecundum ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Judices & Præſides, ut judicent omni Populo qui eſt trans Flumen, his ſcilicet qui noverunt Legem Dei tui*. De *Nehemia* idem patet ex 2. Eſdræ 5. 14. *A die autem illa, inquit, qua præceperat Rex mihi ut eſſem Dux in Terra Juda, ab anno vigeſimo uſque ad annum trigeſimum-ſecundum Artaxerxis Regis, per annos duodecim, ego & fratres mei annonas quæ Ducibus debebantur, non comedimus. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverant Populum*. &c.

Penes Pontifices Auctoritas ſumma fuit uſque ad *Machabæos*, qui ſacram adminiſtrationem cum profana conjunxerunt, (*Joſepho* teſte Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 4.) A ſoluta captivitate uſque ad *Alexandrum Magnum* Pontifices fuere, *Joſue* filius *Joſedech*; *Joacim*; *Eliaſib*; *Jojadas*; *Jonathas*; & *Jeddoam* ſive *Jaddus*: quorum ſucceſſio ex Scriptura Sacra; *Joſepho*, & *Nicephoro Conſtantinopolitano* habetur. An Pontifices Ducibus, vel Duces Pontificibus, aut utrique ex æquo externarum Monarchiarum Imperatoribus ſubeſſent, incertum. Id unum conſtat, Pontifices, in iis quæ Religionem & Sacra ſpectarent, primas tenuiſſe.

IV.

Impedimenta ædificationi Templi oppoſita.

IV. Ædificationi Templi multiplex impedimentum interceſſit, primo Samaritanorum apud Judæos, ſeu Cuthæorum artes. Illi enim ſimularunt ſe ſacri Ædificii cooperatores eſſe velle. *Ædificemus*, inquiebant, *vobiſcum, quia ita ut vos, quærimus Deum veſtrum*. Hos merito repulerunt *Zorobabel*, & Princeps Populi, rati cum Schiſmaticis nullam eſſe communionem ineundam. *Non eſt vobis & nobis*, inquiunt, *ut ædificemus Domum Deo noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum*. Ob repulſam exacerbati Cuthæi, vi & minis Judæorum opera impediebant, imo *Cyri* Conſiliarios & Miniſtros pecunia corrumpebant, ut optimi Principis juſſa variis moris & effugiis eluderent, cum præſertim bello Maſſagetico in longinquis regionibus implicitus eſſet. Alterum accesſit impedimentum, ſcilicet mors *Cyri* in illa Expeditione. Tertium mox ſecutum eſt, calumniæ ſcilicet apud *Aſſuerum* & *Artaxerxem*, qui inſtaurationem Urbis Reſcripto Regio inhibuit, ejuſque rei curam ipſis Judæorum Accuſatoribus demandavit. *Tunc intermiſſum eſt opus Domini* (Templi ſcilicet ædificatio) *in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Perſarum*. (1. *Eſdræ* 4.) ASSUERUM illum apud quem Judæos Cuthæi accuſarunt, fuiſſe *Cambyſem* filium *Cyri* ejuſdemque in Imperio ſucceſſorem, eumdemque *Artaxerxem* vocari; *Darium* vero illum ſub quo ſacrum opus reſumptum eſt, eſſe *Darium Hiſtaſpis*, communis eſt ſententia, *Joſephi* ſuffragio firmata Libro 11. *Antiq.* Cap. 3. & 4. Improbabilis ergo ſententia *Scaligeri* aſſerentis *Aſſuerum* eſſe *Xerxem*; *Darium* vero illum eſſe *Darium Nothum*. *Artaxerxem* tamen ab *Aſſuero* diſtinguendum, ſi quis contendat, non admodum repugnabo, ut *Aſſuerus* ſit *Cambyſes*, *Artaxerxes* vero *Smerdis Magus*, qui & *Oropaſtes* a *Trogo Pompejo* vocatur, a *Cteſia* vero *Tanyoxarces*, qui deinde paululum immutato nomine, facile *Artaxerxes* vocari obtinuit. Attamen ſeptuaginta Sixtinæ Editionis pro *Aſſuero Artaxerxem* habent: Et nonnulli Codices Cap. 4. Libri 1. Eſdræ v. 6. *In Regno autem Aſſueri, ipſe eſt Artaxerxes*.

Aſſuerus a quo templi ædificatio prohibita, eſt Cambyſes.

Sacrum opus ſub Dario Hiſtaſpide reſumptum, qui Judæis favit.

V. *Dario Hiſtaſpis* filio regnante, anno ejus ſecundo Prophetis *Aggæo* & *Zacharia* ſuadentibus, *Zorobabel* & *Joſue* Pontifex magno ſtudio ad fabricam Templi converſi, ſuper fundamenta *Cyri* tempore poſita ſtruere, ac divinum opus urgere cœperunt, approbante Rege, qui ſecundum Edictum *Cyri Ecbatanis* inventum, novo ad Magiſtratus Cis-Euphratenſes Reſcripto ſumptus ad ſacrum Ædificium, & victimas ad ſacrificia de Regio Ærario ſuppeditari juſſit, ut Hieroſolymitani Sacerdotes Deum cœli pro Regis & filiorum ejus incolumitate orarent. Suſpendii & publicationis bonorum pœna contra Regiæ Juſſionis violatores adjecta, cum hac imprecatione: *Deus autem qui habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnia Regna, & Populum qui extenderit manum ſuam ut repugnet, & diſſipet Domum Dei illam quæ eſt in Jeruſalem*. (Ex Lib. 1. *Eſdræ*, Cap. 5. & 6. & *Aggæi* Prophetæ Cap. 1.) Anno *Darii Hiſtaſpis* ſexto die tertia menſis Adar, ſexto Februarii noſtri reſpondente, abſoluta eſt Templi fabrica, & dedicatio magna ſolemnitate & lætitia peracta eſt, cui ſucceſſit Paſchalis Feſti celebratio quarta-decima die Menſis primi. (*Eſdræ* 1. Cap. 6.) *Darium* ſub quo ſecundi Templi fabrica abſoluta eſt, fuiſſe *Darium Nothum* Artaxerxis Longimani ſucceſſorem, non *Darium Hiſtaſpis*, contendant *Joſephus*, *Scaliger*, *Calviſius*, *Helvicus*, *Druſius*, & alii, quos in Diſſertationibus refellemus. Diſcrimen Templi ſecundi maximum a prioris Salomonici gloria, ſaltem quoad ornatum & ſplendorem, ſi non quoad aream & latitudinem: Ex præſentia tamen Chriſti Jeſu, *Deſiderati cunctis Gentibus*, major Templi ſecundi quam prima gloria futura, ſecundum *Aggæi* Oraculum, Cap. 2. 8. 10.

Zorobabel & Jeſus Joſedechides, Chriſti typi.

VI. Inſignes Chriſti Salvatoris typi fuere *Zorobabel*, & *Jeſus* filius *Joſedech*. Ut enim illi Judæorum e Captivitate Babylonica redeuntium Duces fuerunt. Ita Chriſtus homines Mundi hujus captivitate liberatos in Patriam cœleſtem nempe Jeruſalem deducit. Illi Templum Hieroſolymitanum inſtaurarunt: Chriſtus Eccleſiam ex vivis lapidibus extruxit. His Cuthæi Judæorum hoſtes: Chriſto Satanas & Mundus adverſati ſunt. *Jeſus* filius *Joſedech*, poſtquam indutus eſſet veſtibus ſordidis, veſtes novas & mundas induit, eique cidaris eſt impoſita: Chriſtus poſt ignominiam paſſionis, immortalitate, gloria, & honore coronatus eſt. Confer *Zachariæ* Caput 3. Denique, ut ait *S. Hieronymus* in *Aggæi* Cap. 1. *Unus atque idem eſt Dominus noſter atque Salvator, Rex & Magnus Sacerdos; cujus typum, ſecundum id quod Rex erat, portabat Zorobabel, ſecundum id autem quod Pontifex erat, portabat cognominis ejus Jeſus*.

Quo tempore contigerunt Eſtheris & Judith Hiſtoria. Rex Judæorum ſub Artaxerxe Longimano. Eſdræ profectio Hieroſolymam, ibique geſta.

VII. Sub *Dario Hiſtaſpis* Hiſtoriam *Eſtheris* contigiſſe, probabilior ſententia eſt. Qua de re in Diſſertationibus agemus. Poſt hæc tempora *Judithæ* contigit Hiſtoria ſub *Xerxis* Imperio, ut ſuo etiam loco oſtendemus.

VIII. Anno ſeptimo *Artaxerxis Longimani* Regis Perſarum, *Eſdras* Sacerdotali genere ortus, & inter exules Judæos principe loco ob inſignem Legis peritiam habitus, Hieroſolymam profectus eſt ad Eccleſiæ & Reipublicæ ſtatum in melius reformandum, Regio munitus Edicto, quod legitur 1. *Eſdræ* Cap. 7. Regio illo Diplomate non ſolum ipſi facultas data eſt Judæos in Patriam reduces viſitandi & docendi, ſed & munera ac donaria Regis, Principum, privatorum, & vaſa ſacra in Miniſterium Domus Dei concredita. Juſſum etiam Regii Ærarii Transeuphratenſibus Præfectis, ut ex theſauro & fiſco Regio *Eſdræ* Sacerdoti, Scribæ Legis Dei Cœli abſque mora darent quicquid peteret, ad Domum Dei ſartam tectam conſervandam & ornandam, & ad ſacrificia procuranda, uſque ad argenti talenta centum, certamque tritici, vini, & olei menſuram, ſal vero abſque menſura. Notanda hæc Regii Edicti verba: *Omne quod ad Ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in Domo Dei: Ne forte iraſcatur contra Regnum Regis & filiorum ejus*. Sacerdotibus, Levitis, Cantoribus, Janitoribus, Nathinæis Sacrorum Miniſtris ex Gabaonitarum gente propagatis, immunitas a vectigalibus & tributis conceſſa. Ipſi vero *Eſdræ* poteſtas data conſtituendi Judices & Præſides, qui in Divinæ, & Regiæ Legis tranſgreſſores pro criminum gravitate animadverterent. (1. *Eſdræ* 7.) Profecti cum *Eſdra* ex principibus Judæorum familiis mille quingenti quatuordecim viri, præter Leviticæ Tribus homines quadraginta, & Nathinæos viginti ſupra ducentos, præmiſſis jejunio & oratione, adornata profectio. Sacerdotibus Levitiſque ſelectis *Eſdras* aurum, argentum, ac vaſa Templo Dei deſtinata concredidit, argenti talenta ſexcenta quinquaginta, auri talenta centum, vaſa argentea centum, crateres aureos viginti, &c. Hieroſolyma cum perveniſſent, poſt triduum depoſitis in theſauro Templi donariis, oblatiſque Deo Sacrificiis, Regis Edictum Satrapis & Ducibus trans Euphratem conſtitutis tradiderunt, qui opibus ac præſidio pios *Eſdræ* conatus, ſecundum *Artaxerxis* Mandata promoverunt. (1. *Eſdræ* 8.) Cum autem cognoviſſet *Eſdras* Judæos cum alienigenis connubia Lege vetita contraxiſſe, peccatum Populi coram Domino primum deflevit, tum iniquas pactiones dirimens, profanas uxores, ac ſuſceptos ex eis liberos abiicere juſſit. (1. *Eſdræ* 9. 10.)

Nehemiæ profectio, inſtauratio urbis, aliaque ejus geſta.

IX. Anno *Artaxerxis Longimani* vigeſimo, *Nehemias*, idem ille qui *Eſdræ* Libro 1. Cap. 2. v. 2. inter capita deportatorum, & cum eodem *Eſdra* redeuntium memoratur, (quamvis repugnet *Scaliger*) Pincerna Regis, cum Gentem ſuam parum proſpere Hieroſolymis agere accepiſſet, Civitate ſcilicet adhuc in ruinis jacente, & hoſtium incurſibus undequaque patente, poteſtatem a Rege impetravit eundi in Judæam, Urbemque inſtaurandi, ac mœnibus, turribus, portiſque muniendi. Cum Regiis ad Provinciarum Præſides literis, & Militum præſidio profectus, opus urget, Judæorum hoſtibus fruſtra repugnantibus, quos inter eminebant *Sanaballat* Horonites, *Tobias* Ammonites, & *Goſem* Arabs. Ædificati ſunt Muri (ut *Daniel* Cap. 9. 25. prædixerat) *in anguſtia Temporum*: Nam *Media pars Juvenum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & Principes poſt eos in omni domo Juda, ædificantium in Muro, & portantium onera, & imponentium: Una manu ſua*

Digitized by Google

faciebat opus, & altera tenebat gladium . . . . Completus eſt autem Murus quinquaginta diebus. (2. Eſdræ Cap. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.) Abſoluta Murorum ſtructura, Dedicationem eorum magna cum ſolemnitate inſtituit *Nehemias* die primo Menſis ſeptimi (quo celebrandum erat ex præſcripto Legis, Feſtum Tubarum.) Recitatis Hymnis ſacris & Pſalmis, oblatiſque ſacrificiis (2. *Eſdræ* 8. 1. 18. & 12. 27. & ſeq.) prælegit *Eſdras* rogante Populo in platea congregato, & cum reverentia audiente, Librum Legis e gradu ligneo ſive ſuggeſto quem paraverat. Populus Legem edoctus, Feſtum Tabernaculorum lætus celebravit, ſolemnem peccatorum Confeſſionem & Pœnitentiæ conteſtationem edidit die vigeſima quarta Menſis, fœduſque cum Deo renovavit, jurata Legis accuratiori obſervantia, quoad certa præſertim capita, quæ negligentius obſervata fuerant; ſcilicet de alienigenis uxoribus non ducendis, de Sabbato ſanctificando, & mercatu ea die impediendo, de Anno ſeptimo, de decimis aliiſque oblationibus præſtandis. (2. *Eſdræ* Cap. 8. 9. & 10.) Eo tempore inventus eſt ignis ſacer, olim a Sacerdotibus jubente *Jeremia* abſconditus, quem in aquam craſſam mirabiliter converſum invenerunt; qua quidem aqua cum ligna & victimas ſuperpoſitas Altari perſudiſſent, ad radios Solis accenſus eſt ignis magnus, quo Sacrificium conſumptum eſt. In perennem hujus Miraculi memoriam inſtituta ſolemnitas poſt Scenopegiam quotannis celebranda. Eventum admirabile cum Rex *Artaxerxes* didiciſſet, locum circumſepſit, & ſacrum eſſe voluit. (*Machab.* 1.) Hic eſt Vulgatæ noſtræ ſenſus: *Conſiderans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei Templum ut probaret quod factum erat.* Græcus Textus habet: Περιφράξας δὲ ὁ βασιλεὺς ἱερὸν ἐποίησε. *Circumſepiens autem Rex Sacrum fecit.* Tunc etiam Tabernaculum, Arcam fœderis, & Altare thymiamatis olim a *Jeremia* in ſpelunca abſcondita, inventa fuiſſe probabile eſt, juxta ejuſdem Prophetæ Vaticinium 2. *Macchabæorum* 2. 7. laudatus: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem Populi, & propitius fiat: & tunc Dominus oſtendet hæc.*

Ignis ſacri inventio.

Uſurarum remiſſio.

Inter cætera *Nehemiæ* pie geſta, illud ſingulari laude dignum eſt, quod divitibus auctor fuit ut uſuras centeſimas remitterent, & fundos pignoris nexo obſtrictos debitoribus reſtituerent; Sinumque ſuum excutiens dixit: *Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum iſtud de domo ſua; & de laboribus ſuis: Sic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit univerſa multitudo, Amen.* (2. Eſdræ 5.) Frequentiæ Sanctæ Civitatis conſuluit, jubens ut Principes Populi, & ex reliqua multitudine decimus quiſque Hieroſolymis habitarent, præter eos qui ſponte illuc eſſent commigraturi. Functiones etiam Sacerdotum, Janitorum, Cantorum in vices ac miniſteria ſua diſtribuit, Regia auctoritate uſus (2. *Eſdræ* 12. 1. 23.) Sacerdotem fuiſſe *Nehemiam* ipſum pleriquе cenſent, negant alii cum *Euſebio*, *Sulpitio Severo*, & *S. Iſidoro Hiſpalenſi*, qui eum ex Tribu Juda fuiſſe cenſet. Decimo quidem Capite Libri *Nehemiæ*, Sacerdotes dicuntur ii, quorum nomina proxime præmiſſa ſunt, inter quæ primum occurrit illud *Nehemiæ*: At hæc notatio, *Hi Sacerdotes*, ad cæteros pertinet, non ad ipſum *Nehemiam*. Quod autem 2. *Macchabæorum* 1. 21. legitur: *Juſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua*, mendoſum eſt, ut ex Græco Textu conſtat: Ἐκέλευσε τοὺς ἱερεῖς Νεεμίας ἐπιρρᾶναι τῷ ὕδατι. Quod ita vertendum eſt *Juſſit Nehemias Sacerdotes aſpergere ipſa aqua.*

Utrum Nehemias Sacerdos fuerit.

X. Anno *Artaxerxis Longimani* trigeſimo-ſecundo, *Nehemias* juxta condictum reverſus eſt in Perſidem. Eo abſente *Eliaſib* Pontifex in gratiam *Tobiæ* Ammonitæ affinis ſui Gazophylacium ingens ad latera Templi extruxerat, Levitis, Cantoribus, aliiſque Templi Miniſtris, decimarum & primitiarum parte fraudatis. Hunc aliosque abuſus *Nehemias*, cum Regis licentia Hieroſolymam redux emendavit, in Sabbati violatores, & eos qui peregrinis Matrimoniis ſe contaminaverant, animadvertit. (2. *Eſdræ* 13.)

Judæorum lingua & characteres poſt captivitatem.

XI. Judæorum lingua poſt reditum e Captivitate mutationem ſubiit. Non enim pure Chaldaica fuit ſeu Aramæa vetus, cui tempore Captivitatis aſſueverant, ſed mixta ex Hebræa vetere, quæ Syriaca dicta eſt, ſenſim linguarum peregrinarum admixtione corrupta. Characteres etiam mutati, & pro veteribus Hebraicis Chaldaicæ literæ, quas quadratas vocant, ab *Eſdra* ſubſtitutæ: Tum ut Populo Chaldaicæ literaturæ tempore Captivitatis aſſueto facilior eſſet lectio ſacrorum librorum; tum ut hoc pacto a Samaritanis tanto evidentius diſtinguerentur, qui vetuſtos characteres Hebraicos uſurpabant. Ita *Euſebius* in Chronico ad annum quater milleſimum ſeptingenteſimum quadrageſimum, *S. Hieronymus* Prologo in 1. *Regum*, & Commentario in *Ezechielis* 9. & in Cap. 3. Epiſtolæ ad Galatas. Eaque communis eſt Hebræorum Traditio. Lege *Waltonum Prolegomeno* 3. *in Biblia Polyglotta*, Num. 29. 30. & ſequentibus.

ARTICULUS III.

De Rebus Judæorum a Macchabæis ad Herodem.

Jaddi Pontificatus. Res Judæorum ſub Alexandro Magno.

I. NOn ex Scriptura Sacra duntaxat, ſed ex *Joſepho*, hujus Epochæ pertexenda Hiſtoria eſt; atque ut ordine procedamus, ab *Alexandri Magni* temporibus incipiendum, cum Auctore Libri 1. *Macchabæorum*. Olympiade 111. quo tempore *Alexander* celeberrimam illam contra Perſas Expeditionem incredibili cum felicitate ſuſcepit, Hebræorum Sacris ſimul & Reipublicæ præerat *Jaddus*. Hujus frater *Manaſſes* profano Matrimonio cum filia *Sanaballat* Cuthæi, Samariæ Præfecti, alterius ab eo qui *Nehemiæ* temporibus Judæis infenſus fuerat, contracto, Popularium ſuorum odium incurrit, a quibus pulſus, ad Socerum confugit.

Cum autem *Alexander* victoria ad *Iſſum* reportata, Syriam & Phœniciam aggrederetur, *Sanaballat* a *Dario* Perſarum Rege deficiens, victorem ſibi conciliavit *Alexandrum*, ab eoque impetravit, ut Templum Hieroſolymitano ſimile in Monte *Garizim*, qui Samariæ imminet, extruere liceret, eique *Manaſſem* generum ſuum Summum Sacerdotem præficere. Hunc multos e Judæis novitatis ſtudio ſecuturos, atque ita gentem in partes trahendam, viribuſque debilitandam, quod in rem *Alexandri* cederet. Hinc perpetua deinceps Judæos inter & Samaritanos de vero adorationis loco diſcordia. Rex, Tyro & Gaza expugnatis, in Judæos arma vertit, qui auxilia ipſi in obſidione Tyri denegaverant, ſacramentum quo Perſarum Imperio obſtricti erant, cauſſati. Hieroſolyma formidando cum Exercitu petenti, *Jaddus* Pontifex infulatus, cum Sacerdotum choro, & univerſo Populo albis veſtibus induto, Urbe egreſſus, ita venerabilis viſus eſt, ut ex equo deſiliens non tantum officioſe ſalutaret, ſed & Nomen Dei, quod in fronte geſtabat, aurea in lamina inſculptum, adoraret: Talis ſpeciem Viri ſibi in Macedonia agenti in ſomnis oblatam, contra Perſas victoriam prænunciaſſe aſſerens. Tum deducente Pontifice Urbem ingreſſus, Deo, cujus ope victoriam de Perſis ſperabat, hoſtias obtulit, *Non ad ejus cultum vera pietate converſus, ſed impia vanitate cum Diis falſis eum colendum putans*, inquit *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 45. Auditaque *Danielis* Prophetia, qua Græco cuidam victoria contra Perſas prædicitur, placatus & benevolus Genti diſceſſit, libero patriarum Legum uſu permiſſo, & tributorum immunitate anno ſeptimo concesſa, quo terram iis colere non licebat. Cum vero Samaritani eadem poſtmodum peterent, nec tamen profiteri poſſent ſe Judaici generis eſſe, reſponſum diſtulit. Hæc pluribus *Joſephus* Libro xi. *Antiquitatum* Cap. 8.

Res Judæorum ſub Ptolemæo Lagi.

II. Diſtractis morte *Alexandri Magni* Aſiæ Provinciis, *Ptolemæus Lagi* Præfectorum ejus unus Ægyptum occupat, eique Syriam adjungere cogitans, Hieroſolyma dolo invadit. Urbem enim Sabbatho ingreſſus velut Sacrorum gratia, Judæis nihil hoſtile ſuſpicantibus, nec ad defenſionem ob religionem diei ſe comparantibus, ipſam in poteſtatem facile redegit: Ingentemque ex illa, & ex vicina Samaritanorum Gente multitudinem in Ægyptum deduxit; Ex quos fideles, ac Sacramenti præſtiti obſervantes comperiſſet, in Præſidia diſtribuit: reliquos Civita-

ſis

tis Alexandrinæ jure donavit, & clementer tractavit, ut teſtatur *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 2. ubi & *Agatharsiden Cnidium* citat, hæc de Judæis ſcribentem: *Eſt gens quæ Judæorum dicitur, Urbem incolens magnam & munitam, Hieroſolyma nomine. Hanc paſſi ſunt in Ptolemæi poteſtatem pervenire: Et dum propter ſuperſtitionem gravantur arma ſumere, gravem Dominum receperunt.* His temporibus Summus Pontifex erat *Onias* Jaddi filius. *Oniæ* ſucceſſit *Simeon* ejus filius, cognomine *Juſtus*, cujus præclarum legitur elogium Eccleſiaſtici 1. *Simon Oniæ filius, Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum. Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio & excelſi parietes Templi. In diebus ipſius emanaverunt putei aquarum, & quaſi Mare adimpleti ſunt ſupra modum. Qui curavit Gentem ſuam, & liberavit eam a perditione. Qui prævaluit amplificare Civitatem, qui adeptus eſt gloriam in converſatione Gentis: Et ingreſſum Domus & Atrii amplificavit. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in Templo Dei*, &c. Cum *Simeon* parvulo filio *Onia* relicto defunctus eſſet, ipſi in Pontificatu ſucceſſit *Eleazarus*. (Ex *Joſepho* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 2. & *Euſebio* in Chronico.)

Onias & Simeon Juſtus Pontifices.

Res Judæorum ſub Ptolemæo Philadelpho. Eleazari Pontificatus. Græca Verſio 70. Interpretum.

III. Regnante poſt *Ptolemæum Lagi* in Ægypto *Ptolemæo Philadelpho* ejus filio, celeberrima illa Sacrorum Librorum Veteris Teſtamenti in Græcam Linguam Tranſlatio facta eſt. *Ptolemæus* ſcilicet miſſa ad *Eleazarum* Pontificem Legatione, Septuaginta duos viros Legis divinæ & utriuſque Linguæ peritiſſimos ab ipſo obtinuit, qui ab ipſo in Inſula Pharo magnifice excepti, Verſionem omnium Veteris Inſtrumenti Librorum, quos Hebræorum Canon habebat, ſummo conſenſu adornarunt. Qua de re præter perſonati *Ariſtea* Libellum, legendi *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 2. & *Philo Alexandrinus* Lib. *De Vita Moſis*, *Euſebius* Libro 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap 1. 2. 3. 4. 5. Hujus auctor conſilii *Ptolemæo* Regi fuiſſe dicitur *Demetrius Phalereus* Philoſophus Athenienſis ad Bibliothecam inſtruendam Libros undequaque conquirens. Singulari Dei providentia hæc Verſio procurata eſt, tum ne Judæi Helleniſtæ Græcum ſermonem uſurpantes Librorum Sacrorum intelligentia fraudarentur, tum ut Gentiles ſic ad Chriſti fidem præpararentur. Qua de re *Euſebius* Lib. 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 1. ita ſcribit: *Cum felix illud tempus inſtaret, quo ſalutaris hujus Servatoris noſtri doctrina Lux, ſub Romanis Imperatoribus in cunctos ſe ſe homines longe lateque diffunderet, adeoque præcipua tum ratio quædam poſtularet, ut quæ de ipſa extarent Oracula, nec non Hebræorum illorum Vita, ac religioſa diſciplina Leges, quos longe Deus ipſe cariſſimos habuiſſet, cum tot ex ſæculorum intervallo patrii ſermonis integumentis clauſa latuiſſent, cæteris tandem aliquando Nationibus, quæ poſtmodum in cognitionis divinæ communionem vocanda erant, omnibus paterent: Deus ille tantorum bonorum auctor divina ſcientia vi futurorum intuitus, ſingulari egit providentia, ut quæ de venturo paulo poſt generis humani Servatore, eodemque ſanctioris erga unum præpotentem Deum Religionis omnibus ſub Sole degentibus Doctore futuro, prædicta jam olim eſſent, ea demum accurata explicatione patefacta, & publicis in Bibliothecis collocata tandem in lucem venirent, immiſſa hac Ptolemæo Regi mente divinitus: Nimirum ut quadam quaſi penus eſſet, unde illa poſtmodum in Populorum omnium uſum fructumque promerentur. Enimvero quorum aliter nulla nobis unquam a Judæis, ſuorum nobis Oraculorum cogitationem invidentibus, copia fieret, eorum divino conſilio proviſam Interpretationem accepimus, atque ab illis ipſis qui plurimum apud eos tum prudentia, tum gentilitiorum quoque literarum ſcientia præſtabant, elaboratam.*

Manaſſe, Onia II. & Simonis II. Pontificatus.

IV. *Eleazaro* in Pontificatu ſucceſſit *Manaſſes* ipſius patruus, *Manaſſi* vero *Onias Secundus*, Simonis Juſti filius, a paterna virtute degener. Hic tributum viginti talentorum, quod Deceſſores Ægypti Regi pro Populo pendere de ſuo ſolebant, ſolvere cum præ avaritia recuſaſſet, Provinciam in maximum diſcrimen conjecit. Sed illud avertit *Joſephus* ejus ex ſorore nepos, qui in Ægyptum profectus, *Ptolemæum Evergetem* placavit ſolito tributo, noviſque oblatis muneribus. (Ex *Joſepho* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 3. & 4.) Poſt *Oniam*, Pontificatum geſſit *Simon* hujus nominis ſecundus, ejus filius: Cujus tempore *Ptolemæus Philopator* Ægypti Rex Hieroſolyma veniſſe dicitur, oblatiſque in Templo Ritu Judaico Sacrificiis, cum in Sancta Sanctorum invitis Sacerdotibus introire vellet, inſigni Miraculo repulſus, atque ob repulſam indignatus, Judæos Alexandriæ degentes atrociter vexaſſe. Ita Scriptor Apocriphus Libri 3. *Machabæorum* Cap. 2. Quæ *Joſephus* in Libris *Judaicarum Antiquitatum* præterit, Libro vero 2. contra *Apionem* ea tribuit *Ptolemæo Phiſconi*.

Oniæ III. Pontificatus.

V. *Simoni Secundo* in Pontificatu ſucceſſit *Onias Tertius*, ad quem *Arius* Rex Spartanorum Legationem & epiſtolam miſit, ſe ſuoſque Cives Judæorum cognatos, ab *Abrahamo* communi parente (ex *Cethura* ſcilicet) progenitos profeſſus. (1. *Machab.* 12. 20. & ſeq. ex *Joſepho* Lib. 12. *Antiquitatum*, Cap. 5.) Alii tamen ad *Oniam Secundum* referunt, ut *Salianus*, quidam ad *Oniam Primum*, ut *Scaliger*.

Judæorum ſtatus ſub Antiocho Magno, & Seleuco ejus filio, Syriæ Regibus.

VI. *Antiocho Magno* in Aſia regnante, in continua vexatione tam Judæa quam Cœleſyria fuere; quod eo bellum gerente cum *Ptolemæo Philopatore*, hujuſque filio *Ptolemæo Epiphane*, ſive vinceret, ſive vinceretur, male mulctarentur, non aliter quam Navis fluctibus utrimque oppugnata; inter proſperam & adverſam fortunam *Antiochi* jactatæ. Tandem victor *Antiochus* Judæam obtinuit. Pax deinde inter utrumque Regem affinitate firmata. *Antiocho Magno* ſucceſſit *Seleucus* ejus filius, Joſepho *Soter*, aliis *Philopator* cognominatus. Duo Regis hujus facta referuntur Libro ſecundo *Machabæorum*, Cap. 2. unum laudabile, quod ſumptus ad Sacrificia Templi Hieroſolymitani ſuppeditaverit; turpe alterum, quod theſauros Templi diripere conatus ſit, ſed fruſtra. *Heliodorus* enim impietatis miniſter divina virtute deterritus, & ab Angelis flagellatus, ac pene exanimis relictus, vitam ægre obtinuit, *Onia* Summo Sacerdote hoſtiam pro ejus ſalute offerente. Sacrilegium Regi ſuggeſſerat *Apollonius* Cœleſyriæ & Phœniciæ Præfectus, proditione *Simonis* cujuſdam Benjaminitæ, qui Templi Præpoſitus erat, incitatus. *Joſephus* Libro *De Machabæis*, non *Heliodorum*, ſed ipſum *Apollonium* ad Sacrum Ærarium diripiendum miſſum, & viſione Angelica ſtupefactum memorat; ſed Scriptori Sacri Libri ſecundi *Machabæorum* major adhibenda fides. Cæterum tunc *Sancta Civitas habitaſſe in pace* dicitur, *& Leges optime cuſtodita, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala.* (Lib. 2. *Machabæorum* Cap. 3. 1.) Cum autem *Simon* ille calumniis pium Pontificem proſcinderet, ac ſeditionis periculum immineret, *Apollonio* Præfecto *Simoni* favente, *Onias* ad Regem profectus eſt, ut *Simonem* ejus auctoritate coerceri obtineret. (2. *Machab.* 4.)

Status Reipublicæ Judaicæ ſub pſeudo-Pontificibus Jaſone & Menelao.

VI. *Antiocho Epiphane* in Aſia, & Syria regnante, Regni ejus anno primo, *Ptolemæo* vero *Philometore* in Ægypto, anno Regni ejus quinto, *Jaſon* frater *Oniæ* Summi Pontificis, corrupto immenſæ pecuniæ promiſſione Rege *Antiocho*, Pontificatum adeptus eſt, piiſſimo fratre exauctorato: mercatus eſt etiam licentiam Gymnaſii, ſeu palæſtræ more Græcorum, & Lupanaris Epheborum ſub ipſa Arce Sion inſtituendi, ac Hieroſolymitanos Antiochenæ Civitatis jure donari obtinuit. Hoc pacto Hebræorum plurimos traduxit ad Inſtituta Gentium; adeo ut plerique etiam e Sacerdotum genere ea licentia uſi, turpiſſimis Ludis ac Spectaculis indulgerent, Legis Moſaicæ Ritus impune negligerent, & Circumciſionis præcipue multos pœniteret, puderetque. (1. *Machab.* 1. 11. & ſeq. 2. *Machab.* 4. 11. & 15.) Anno ſequenti, *Antiochus* in Judæam veniens, a *Jaſone* Pſeudo-Pontifice & Civitate magnifice ſuſceptus eſt. Cum in Syriam rediiſſet, poſt triennium, in quo impius Jaſon fratrem ſuum Pontificatu deturbaverat, *Menelaus Simonis* illius Benjaminitæ frater, qui in odium *Oniæ* theſauros Templi *Seleuco Philopatori* prodiderat, a *Jaſone* miſſus ut Regi *Antiocho* pecunias ferret, trecentorum amplius quam *Jaſon* pendebat talentorum pactione Pontificatum obtinuit, pul-

ſu

ſo *Jaſone*, & in Ammanitam regionem profugo. Sed cum pecunias Regi promiſſas non ſolveret *Menelaus*, pariter amotus eſt, dignitate in fratrem ejus *Lyſimachum* tranſlata. Ille interim ad omne ſcelus paratiſſimus, aurea vaſa furtim e Templo ablata donavit *Andronico* Antiochiæ Præfecto, & alia Tyri, ac in vicinis Civitatibus vendidit. Quamobrem *Onias* Pontifex qui Antiochiam ſeceſſerat, ipſius impietatem coarguens, mortem pro juſtitia ſubiit, illi ab *Andronico* ipſius *Menelai* precibus illatam. (2. *Machab.* 4.) Judæi, Græcique apud Regem de facinore nefario conqueſti. Rex temperare non potuit a lacrymis, *Defuncti ſobrietatem & modeſtiam recordatus*, & *Andronicum* purpura exutum, ac per Civitatem ignominiæ cauſa circumductum, eodem in loco capite plecti juſſit, ubi *Oniam* occiderat. (*Ibidem.*) Haud multo poſt *Lyſimachus* ob ſacrilegia de *Menelai* fratris conſilio occiſus eſt. *Menelaus* apud Regem accuſatus, non ſolum pecunia vitam redemit, ſed & Pontificiam Dignitatem. (*Ibidem*).

VII. *Antiocho* ſecundam Expeditionem in Ægyptum contra *Ptolemæos Philometorem* & *Evergetem* parante, multa oſtenta in aere futurarum cladium prænuntia Hieroſolymis viſa ſunt. Illarum initium ab impio *Jaſone* ducendum, qui occupata improviſo impetu, cum mille virorum manu, Sancta Civitate, cædibus impune graſſatus eſt, quaſi trophæa de hoſtibus, non de civibus capturus. Quo tempore, fugiente in Arcem *Menelao*, & turbata cædibus tota Civitate, Templum derelictum eſt, & Sacrificia intermiſſa, Sacerdotibus pariter fugientibus, vel latebras, quærentibus. Cum dedecore nihilominus a Populo expulſus *Jaſon*, profugus iterum abiit in Ammanitidem. Tandem ab *Areta* Arabum Tyranno, apud quem ſe receperat, in carcerem conjectus, & ex illius etiam ditione expulſus, *Fugiens de Civitate in Civitatem omnibus odioſus, ut refuga legum, & execrabilis, ut patriæ & civium hoſtis, in Ægyptum extruſus eſt.* Poſt hæc, Lacedemonas profectus, miſere periit, deſideratus a nemine, illiuſque cadaver inſepultum abjectum eſt. (2. *Machab.* 5.)

Antiochi Epiphanis perſecutio cladeſque ab eo Judæis illata.

VIII. *Antiochus* ab Ægyptiaca contra *Ptolemæos* Reges Expeditione irrito conatu reverſus, Romanorum ſcilicet Legatorum minis fractus, qui denuntiaverant ut Ægypto excederet, niſi hoſtis Populi Romani eſſe vellet; rumore de morte ſua Hieroſolymis diſſeminato offenſus, & efferato in Judæos animo, quos defectionem meditari ſuſpicabatur anno Imperii Græcorum centeſimo quadrageſimo tertio, Olympiadis centeſimæ quinquageſimæ-ſecundæ anno quarto, Hieroſolymam hoſtiliter ingreſſus eſt, ingenti cum Civium ſtrage ex omni ſexu atque ætate. Cæſa ſunt tridui ſpatio octoginta millia; capta vinctaque quadraginta millia; totidem venundata. Neque hic ſubſtitit immanis Tyranni furor. Nam deducente *Menelao* Pſeudo-Pontifice, Templum & Sanctuarium ingreſſus, ſacra vaſa ſacrilegis manibus contaminavit, comminuit, dirupit, prædaque talentorum mille & octoginta e Templo ablata, Antiochiam reverſus eſt relictis in Judæa Præpoſitis crudeliſſimis qui Gentem vexarent & opprimerent. (1. *Machab.* 1. & 2. *Machab.* 5.) Quo poſtremo loco notat Sacer Hiſtoricus, Deum cladem illam Templique profanationem ob peccata Populi permiſiſſe. *Non enim propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit. Ideoque & ipſe locus particeps factus eſt Populi malorum: Poſtea autem* inquit, *fiet ſocius bonorum, & qui derelictus in ira Dei omnipotentis eſt, iterum in magni Domini reconciliatione cum ſumma gloria exultabitur.* Legatur & *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 7. & in Libello *De Machabæis*.

IX. Poſt biennium, *Apollonius* Ærario & Tributis Præpoſitus, ab *Antiocho* cum viginti duorum millium armatorum Exercitu miſſus, Urbem ſubdole ingreſſus eſt, ſimulata pace; & promiſcuas cædes edidit, Populo Sabbatum celebrante; multa Civium Capita in ſervitutem abduxit, tum ædificia elegantiora exuſſit, arcem communivit ac præſidio firmavit, per quod miſeræ plebis reliquiæ quotidie vexarentur, quoties ſacrorum cauſa Templum aſcenderent. Edictum deinde Regium a Sene quodam Antiocheno, patria Athenienſi, Hieroſolyma perlatum eſt, quo Judæi, omneſque Regis ſubditi, ad unum eumdemque Deorum cultum adigebantur, prohibitis Sacrificiis, Circumciſione, Sabbatorum obſervantia, aliiſque Moſaicæ Legis Ritibus. Hæc perſecutio deſcribitur 1. *Machabæorum* 1. his verbis: *Et fugerunt habitatores Jeruſalem propter eos, & facta eſt habitatio exterorum, & facta eſt extera ſemini ſuo, & nati ejus reliquerunt eam. Sanctificatio ejus deſolata eſt ſicut ſolitudo, dies feſti ejus converſi ſunt in luctum, Sabbata ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. Secundum gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus & ſublimitas ejus converſa eſt in luctum. Et ſcripſit Rex Antiochus omni Regno ſuo, ut eſſet omnis Populus unus: Et relinqueret unuſquiſque Legem ſuam. Et conſenſerunt omnes Gentes ſecundum verbum Regis Antiochi: Et multi ex Iſrael conſenſerunt ſervituti ejus, & ſacrificaverunt Idolis, & coinquinaverunt Sabbatum. Et miſit Rex libros per manus nuntiorum in Jeruſalem, & in omnes Civitates Juda: Ut ſequerentur Leges Gentium terræ, & prohiberent holocauſta, & ſacrificia, & placationes fieri in Templo Dei, & prohiberent celebrari Sabbatum, & dies ſolemnes: Et juſſit coinquinari Sancta, & Sanctum Populum Iſrael. Et juſſit ædificari Aras, & Templa, & Idola, & immolari carnes ſuillas, & pecora communia, & relinquere filios ſuos incircumciſos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis & abominationibus, ita ut obliviſcerentur Legem, & immutarent omnes juſtificationes Dei. Et quicumque non feciſſent ſecundum verbum Regis Antiochi, morerentur.* Ad hæc, Templum Hieroſolymitanum juſſu Regis profanatum eſt, & *Jovi Olympio* dicatum, Garizitanum vero *Jovi Hoſpitali*. (2. Macchab. 6.) *Abominandum deſolationis Idolum ſuper Altare Dei* ab *Antiocho* poſitum eſt die decimo-quinto Menſis *Caſleu*, vigeſimo-ſeptimo Novembris noſtri reſpondente, anno centeſimo quadrageſimo quinto Regni Græcorum; & die vigeſima quinta ejuſdem menſis ei ſacrificari cœptum eſt. Libri Sacri combuſti, Judæi ad defectionem a Fide, Legeque divina compulſi ſunt. Exquiſitiſſimis tormentorum generibus in eos qui Legem obſervarent, aut filios circumciderent, a Tyranno ſævitum eſt. Duæ Mulieres de filiorum Circumciſione delatæ, cum infantibus ad ubera ſuſpenſis per Urbem prius circumductæ, deinde præcipites e Muris actæ ſunt. Alii ad proximas ſpeluncas coeuntes, & latenter diem Sabbati celebrantes, flammis ſuccenſi ſunt, vim vi repellere non auſi, ne Sabbatum violaſſe viderentur. Sanctiſſimus Senex *Eleazarus* unus e Primoribus Scribarum, nec carne manducare porcinas conſentiens, nec ſimulatione uti, glorioſam pro Dei Lege mortem obiit, anno ætatis nonageſimo. *Salomona* quoque heroici animi femina cum ſeptem filiis Macchabæis, ob eamdem cauſſam Antiochiæ excarnificata, Martyrii palmam tulit, cum filios ad tormenta fortiter ſubeunda, mortemque pro patriis Dei Legibus oppetendam adhortata eſſet, eorumque agonem ſpectaſſet, præſentem Tyrannum deſpiciens (2. *Machab.* 5. 6.) Ipſorum triumphum SS. Patres Scriptis ſuis celebrarunt *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 22. *S. Joannes Chriſoſtomus* Homiliis 44. 49. & 50. Tom. 1. *S. Auguſtinus* Sermone trecenteſimo-primo, alias centeſimo decimo De Diverſis, *Prudentius*, *S. Fulgentius*, & alii. Eorumque memoriam colit Eccleſia Kalendis Auguſti. De his etiam extat *Joſephi* Libellus, *De Imperio Rationis* inſcriptus, & a *S. Gregorio Nazianzeno* laudatus.

IX. Hanc *Antiochi* perſecutionem prædixerat *Daniel* Cap. 8. ubi poſtquam quatuor Reges de gente *Alexandri Magni* ſurrecturos, ſed ipſi fortitudine longe impares prædixit, de *Antiocho* hunc in modum vaticinatur: *De uno autem ex eis egreſſum eſt cornu modicum, & factum eſt grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem, & magnificatum eſt uſque ad fortitudinem cœli, & dejecit de fortitudine & de ſtellis, & conculcavit eas. Robur autem datum eſt ei contra juge Sacrificium propter peccata: & proſternetur veritas in terra, & faciet, & proſperabitur. Et poſt Regnum eorum, cum creverint Iniquitates, conſurget Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones. Et roborabitur fortitudo ejus, ſed non in viribus ſuis: Et ſupra quam credi poteſt, univerſa*

Antiochi perſecutio a Daniele prædicta.

verſu

verſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet. Et interficiet robuſtos, & Populum Sanctorum ſecundum voluntatem ſuam, & dirigetur dolus in manu ejus: Et cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: Et contra Principem Principum conſurget, & ſine manu conteretur. Quæ verba *S. Hieronymus* in Commentario ſuo ſic exponit: *Conſurget Antiochus Ἐπιφανὴς, frater Seleuci, qui & Philopator appellatus eſt. Qui cum obſes fuiſſet Romæ, & neſciente Senatu, per dolum cepiſſet Imperium, contra Ptolemæum Philometorem dimicavit, hoc eſt, contra Meridiem, & contra Ægyptios. Rurſumque ad Orientem contra eos qui res novas in Perſide moliebantur, ad extremum contra Judæos dimicans, capta Judæa ingreſſus eſt Hieroſolymam, & in Templo Dei ſimulacrum Jovis Olympii ſtatuit: & uſque ad fortitudinem cœli, id eſt, filios Iſrael, qui Angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam ſuam, ita ut de Sanctis plurimos Idololatriæ ſubjiceret, & velut ſtellas cœli conculcaret pedibus ſuis. Atque ita factum eſt, ut & Meridiem & Orientem, id eſt, Ægyptum & Perſidem ſuo teneret Imperio.* Quodque ait, Uſque ad Principem fortitudinis magnificatus eſt: *Hoc ſignificat, quod erectus ſit contra Deum, & Sanctos illius perſecutus ſit: Et tulerit* ἐνδελεχισμὸν, *id eſt, juge Sacrificium, quod mane offerebatur & veſpere, & polluerit atque dejecerit locum ſanctificationis ejus: & hoc non ſua virtute, ſed propter peccata Populi. Atque ita factum eſt ut veritas proſterneretur in terram, & cultu Idolorum florente, Dei Religio conquieſceret.*

Idem Propheta, Cap. 11. de eadem perſecutione quæ ſecundam *Antiochi* Expeditionem in Ægyptum ſecuta eſt, ita vaticinatur: *Et venient ſuper eum trieres, & Romani, & percutietur & revertetur, & indignabitur contra teſtamentum Sanctuarii. Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent Sanctuarium fortitudinis, & auferent juge Sacrificium: Et dabunt abominationem in deſolationem. Et impii in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter: Populus autem ſciens Deum ſuum, obtinebit, & faciet. Et docti in Populo docebunt plurimos: Et ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum. Cumque corruerint, ſublevabuntur auxilio parvulo: Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de Eruditis ruent, ut conflentur, & eligantur, & dealbentur uſque ad tempus præfinitum: Quia adhuc aliud tempus erit. Et faciet juxta voluntatem ſuam Rex, & elevabitur & magnificabitur adverſus omnem Deum: & adverſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia: Perpetrata quippe eſt definitio.* Quæ *S. Hie-*
1. Machab. 1.
ronymus in *Antiocho* impleta interpretatur, ſicut in Machabæorum Libris legimus, quod poſtquam eum de Ægypto pepulerunt Romani, indignabundus venerit contra teſtamentum Sanctuarii, id eſt, contra ſanctam Civitatem, & Populum Dei, & ab iis invitatus ſit, qui dereliquerant Legem Dei, & ſe
1. Machab. 6.
Cæremoniis miſcuerant Ethnicorum. Brachia autem quæ ex eo ſtabent, & polluent Sanctuarium, & auferent juge Sacrificium, ſunt illi, qui ab *Antiocho* miſſi ſunt poſt biennium, quam Templum expoliaverat, ut tributa exigerent a Judæis, & auferrent cultum Dei, & in Templo Jeruſalem *Jovis Olympii* ſimulacrum, & *Antiochi* ſtatuas ponerent; quas *abominationem deſolationis* vocat: Quando ablatum eſt holocauſtum, & juge Sacrificium; tunc etiam impletum eſt quod ait Daniel: *Et impii in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter*. Id enim *Jaſoni*, *Menelao*, & *Lyſimacho* Pſeudo Pontificibus, patriæ ac Legis proditoribus, aliiſque ex eorum factione apprime convenit, de quibus Machabæorum Hiſtoria. *Et docti in Populo docebunt plurimos*; *ut Eleazarus* Scriba in Lege Doctiſſimus: *Et ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum*. Quod in eodem *Eleazaro*, in ſeptem fratribus Machabæis, & eorum Matre religioſiſſima fortiſſimaque Matrona, & aliis Juſtis impletum eſt, qui pro Legis obſervantia flammas & gladios, & ſervitutem, & rapinas, extremaque ſupplicia ſuſtinuerunt. *Et ſublevabuntur auxilio parvulo*, Mathatia ſcilicet cum quinque filiis, pro Religione & libertate adverſus *Antiochi* Duces pugnantibus. Hæc autem bonis ad virtutis probationem eventura divinus Vates prædicit: *Ut conflentur, & eligantur, & dealbentur*. In Antiochum etiam optime quadrant, quæ ſubdit Propheta: *Et elevabitur & magnificabitur adverſus omnem Deum, & adverſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia*. Elatus namque eſt in tantam ſuperbiam adverſus Deum *Antiochus*, ut in Templo Hieroſolymitano ſimulacrum ſuum poſuerit, & blaſphemiis Deum proſciderit, & Deos etiam Gentilium violaverit; *Dianæ* Templum opulentiſſimum in *Elymaide* ſpoliare conatus, quod opere complevisset, niſi a Cuſtodibus Templi, viciniſque Gentibus fuiſſet oppreſſus. Et nihilominus proſpere egit, donec Deus Populo ſuo placatus eſt, qui ob gravia & diuturna peccata juſte iratus erat. In his autem *Antichriſti* typus fuit *Antiochus*, & hæc illius in Judæos perſecutio figura fuit noviſſimæ perſecutionis in Eccleſiam movendæ ab Impio illo, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui. *Hæc autem*, inquit S. Hieronymus, *ſub Antiocho Epiphane in imagine præceſſerunt, ut Rex ſceleratiſſimus, qui perſecutus eſt Populum Dei, præfiguret Antichriſtum, qui Chriſti Populum perſecuturus eſt*. Unde & in laudata *Danielis* Prophetia quædam ſequuntur, quæ vix *Antiocho* poſſint accommodari, & ad Antichriſtum neceſſario referenda ſunt, ut *S. Hieronymus* contra *Porphyrium* oſtendit.

Antiochus Epiphanes Antichriſti typus.

X. Hanc perſecutionem ut a ſuis capitibus averterent Samaritani, ſe Gentiles profeſſi ſunt, & ad Græcorum ſcelera ultro ſe obtulere, poſtulantes ut Templum in Garizim dicaretur *Jovi Græcanico*. Eorum Epiſtola ad *Antiochum*, quem *Deum Illuſtrem* vocant, & *Antiochi* Reſcriptum, leguntur apud *Joſephum* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 7.

Samaritanorum Apoſtaſia.

XI. Hac fervente perſecutione, *Onias* filius *Oniæ Tertii* Pontificis natu minimus, in Ægyptum fugit ad *Ptolemæum Philometorem*, & uxorem ejus *Cleopatram*, quorum in gratiam ſe inſinuans ſtruendi Templi Hieroſolimitano æmuli facultatem obtinuit. Erexit autem illud non *Alexandriæ* ut Talmudici volunt, ſed *Leontopoli* in Præfectura Heliopolitana, ejuſdem Templi ſummum ſe Pontificem conſtituit; Sacerdotes etiam & Levitas creavit, qui Sacra peragerent Ritu Judaico. Ad Schiſmatis ſui defenſionem detorquebat Oraculum illud Iſaiæ 19. 18. 19. *In die illa erunt quinque Civitates in Terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum Exercituum: Civitas Solis vocabitur una. In die illa erit Altare Domini in medio Terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus erit in ſignum, & in teſtimonium Domino Exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos*. Legatur *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 15. & Libro 13. Cap. 6. Schiſma iſtud ad Excidium uſque Hieroſolymitanum duravit; poſt quod *Oniæ* Templum a *Paulino* Alexandriæ Præfecto dirutum eſt anno Æræ Chriſtianæ ſeptuageſimo primo. Steterat annos ultra ducentos.

Templum ab Onia Schiſmatico Sacerdote in Ægypto exſtructum.

XII. Afflictæ ab impio *Antiocho* & perditiſſimis Apoſtatis Judæorum Reipublicæ & Eccleſiæ Deus opem tulit, excitatis ad ejus defenſionem & liberationem Aſſamonæis ſive Machabæis. Horum Princeps *Mathatias* filius *Joannis*, filii *Simeonis*, Sacerdos ex filiis *Joarib*, quæ prima erat familia Sacerdotalis, ex *Eleazari* proinde, non *Ithamaris* ſtirpe. Pontificem fuiſſe Hebræi plerique putant, & Chaldæus Paraphraſtes. Nos Sacerdotem dumtaxat cum Scriptura dicimus. Huic fuere quinque filii religione & fortitudine non degeneres, *Joannes*, *Simon*, *Judas*, *Eleazarus* & *Jonathas*. *Aſſamonæi* dicti ſunt, vel a quodam *Mathatiæ* Proavo *Aſſamonæo*; vel ab avo Mathatiæ *Simeone*, quaſi *A Simeone*; orti vel a voce Hebræa *Haſmanim*, quæ principes, ſeu optimates aut Primarios Sacrorum antiſtites ſignificat. *Machabæi* autem a *Juda* quinque fratrum fortiſſimo ac celebratiſſimo, cui *Machabæo* cognomen. Vel ex eo quod in vexillis eam ſententiam inſcriptam haberent, quæ *Exodi* 15. 2. legitur: *Mi camoca be Elim Jehova*, id eſt: *Qui ſimilis tui in Diis Domine?* Solent enim Hebræi primas literas nominum colligere, & ex iis collectis vocem fingere compendii cauſa.

Mathatias, ejuſque filii Machabæi ad defenſionem & liberationem Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ divinitus excitati.

XIII. *Mathatias* cum filiis, aliiſque in oppidum

Mathatiæ zelus, fortitudo, prudentia.

Modin confugerat, ubi Sacrorum violationem, Sanctæ Civitatis vaſtationem, & Populi cladem ciliciis induti lugebant; cum *Antiochus* Præfectum illuc miſit qui ad ſacrilega Gentium Sacrificia, & ad Dei Legem ejurandam ipſos cogeret. Blanditiis & promiſſis tentatus *Mathatias*, tantum abſuit ut *Antiochi* morem gereret, ut divino zelo percitus Judæum Idolis ſacrificantem ſuper ipſam Aram trucidaverit, & Regium Præfectum occiderit. Deinde cum filiis, aliiſque piis fugit in Montes. Cum autem pleriqne divinæ Legis ſtudioſi, & *Mathatiæ* clientes in ſolitudinem deſcendiſſent, & ab *Antiochi* copiis die Sabbati oppugnati, perire quam armata manu vim repellere maluiſſent, ne Sabbatum violare viderentur; *Mathatias* Legem probe interpretatus, ſtatuit diebus etiam Sabbati pugnandum, ſi ab hoſtibus premerentur. Collecto itaque Exercitu & Aſidæis aliiſque Legis Zelatoribus, Religionem ac libertatem armis tueri cœpere, incurſiones in hoſtes agere, profanas Aras evertere, pueros, quotquot in finibus *Iſrael* incircumciſos invenerunt, ſecundum præſcriptum Legis circumcidere. Hæc a *Mathatia* fieri cœpta anno centeſimo quadrageſimo quinto Regni Græcorum. Poſt unum Principatus annum obiit Heros Religioſiſſimus, cum filios ad Religionem ac Rempublicam ab hoſtibus vindicandam adhortatus eſſet. (1. *Machabæorum* 2. & *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum* Cap. 7.)

Judæ Machabæi Principatus, & res præclare geſtæ.

XIV. *Mathatiæ* ex ipſius parentis deſignatione ſucceſſit *Judas Machabæus* ejus filius (ſi *Joſepho* credamus) primogenitus, non in bellicis dumtaxat Expeditionibus & Republica gerenda, ſed etiam in Pontificatu, (ut aliqui putant, ſed dubia fide.) Anno primo & ſecundo ſui Principatus, *Antiochi* Duces, *Apollonium*, *Seronem*, *Lyſiam Nicanorem*, & *Gorgiam* cum eorum Exercitibus fudit, oratione magis quam armis: Exiguas enim copias, & male inſtructas habebat. Victor Templum Hieroſolymitanum ab Idolis purgare, & intermiſſum ſolido triennio Sacrorum cultum inſtaurare decrevit, qui eodem die, quo profanatum fuerat, recurrente perfectum eſt, die vigeſima-quinta menſis *Caſleu* anno centeſimo quadrageſimo octavo Regni Græcorum, anno uno ante mortem *Antiochi*. (1. *Machabæorum* 3. 4. & Lib. 2. Cap. 8. & ex *Joſepho* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 9. 10. 11.) Quamquam vero biennio poſt *Antiochi* mortem illa Templi purificatio Lib. 2. *Machabæorum*, Cap. 10. narretur, nulla eſt loci utriuſque antilogia: Non enim dicitur poſt *Antiochi* mortem contigiſſe, ſed recapitulatio quædam eſt eorum quæ ante contigerant.

Purgatio Templi a Juda Machabæo.

De illa Templi purificatione vaticinatus erat *Daniel* Cap. 8. *Et audivi*, inquit, *unum de Sanctis loquentem, & dixit unus Sanctus alteri neſcio cui loquenti: Uſquequo viſio, & juge ſacrificium, & peccatum deſolationis quæ facta eſt, & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei: Uſque ad veſperam & mane, duo millia, trecenti, & mundabitur Sanctuarium.* Quem locum S. *Hieronymus* ſic explicat: *Legamus Machabæorum Libros, Joſephi Hiſtoriam; ibique ſcriptum reperiemus, centeſimo quadrageſimo tertio anno a Seleuco (qui primus regnavit in Syria poſt Alexandrum) ingreſſum Antiochum Hieroſolymam, univerſa vaſtaſſe, reverſumque anno tertio, in Templo poſuiſſe ſtatuam Jovis, & uſque ad Judam Machabæum, id eſt, uſque ad annum centeſimum quadrageſimum-octavum, per annos vaſtitatis Jeruſalem ſex, contaminationis autem Templi tres duo millia trecentos dies, & tres menſes eſſe completos, poſt quos Templum purgatum eſt. Quidam pro duobus millibus trecentis, duo millia ducentos legunt, ne ſex anni & tres menſes ſuperaſſe videantur.... Quod autem infert:* Mundabitur Sanctuarium, *Judæ Machabæi ſignificat tempora: Qui de vico Modin fratribus ac propinquis ſecum annitentibus, & multis de populo Judæorum, Antiochi Duces ſuperavit juxta Emaus, quæ nunc Nicopolis dicitur. Quod audiens Antiochus, qui contra Principem Principum ſurrexerat, id eſt, Dominum dominantium, & Regem Regum, in Elimaide, quæ regio Perſarum eſt, Templum Dianæ ſpoliare cupiens, quod habebat pretioſa donaria, & ibi quoque amiſſo Exercitu ſine manibus contritus eſt, id eſt, triſtitia morbo periit. Veſpere autem & mane ſucceſſionem diei noctiſque ſignificat.* Altaris Dedicatio ſolemni ritu celebrata eſt, & ejuſdem Feſtum inſtitutum, die vigeſima quinta menſis *Caſleu* quotannis celebrandum: Id *Feſtum Luminum* fuiſſe nuncupatum teſtatur *Joſephus*, quod ipſis præter ſpem tanta felicitas ſubito illuxiſſet. Firmiſſimis etiam propugnaculis Montem Sion ac Templum *Judas* communivit, & præſidiarios milites ad cuſtodiendam ab Idumæorum inſultu Bethſuram eo in Monte collocavit. (1. *Machabæorum* 4.)

XV. Præclara Judæ facinora ita vicinarum Gentium invidiam iramque concitarunt, ut Idumæi, Sidonii, Ammonitæ, Syri, Samaritani, velut ex condicto, ad Judæum nomen abolendum conſpiraſſe viderentur. Quos *Judas*, cum fratribus *Simone* & *Jonatha*, vicit, profligavit, & multis eorum urbibus interceptis, mœnibus turribuſque dirutis, profanis Aris everſis, Idolis ſuccenſis, cum Exercitu opimis ſpoliis gravi in Terram Judæ reverſus eſt. 1. *Machabæorum* 5. & ex *Joſepho* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 11.

Mors Antiochi Epiphanis. Trium locorum Scripturæ circa illam conciliatio.

XVI. Interea *Antiochus Epiphanes* dignum ſceleſta, impiaque vita exitum invenit, anno centeſimo quadrageſimo-nono Regni Græcorum. In mortis ejus narratione varietas quædam eſt Libro 1. *Machabæorum*, Cap. 6. Libro 2. Cap. 1. & Cap. 9. contradictio vero nulla. Priori quidem loco legimus, *Antiochum* voluiſſe *Elymaidem* Civitatem in Perſide nobiliſſimam, ditiſſimam, Templumque in ea locupletiſſimum diripere, at ab incolis cum dedecore pulſum. Civitas hæc *Perſepolis* dicitur (2. *Machabæorum* 9.) Non quidem illa Perſidis Regia quam ab *Alexandro Magno* combuſtam & deletam, ita ut nullum illius veſtigium ſupereſſet, *Curtius* teſtatur; ſed urbs aliqua Perſepleos ſive Perſidis; ſicut & priori loco *Elymaidis*, Civitas reddi debuit, non Civitas *Elimais*, ita ut *Elimais* & Perſepolis regionum, non urbium ſint nomina. Ita Græcus Textus Alexandrini Codicis priori loco: Ἐν Ἐλυμαΐς ἐν τῇ Περσίδι: *Suſam* fuiſſe conjicit *Pererius*, in Elymaide Perſidis Provincia ſitam, ut conſtat ex *Danielis* 8. 2. Ibi namque fuit *Dianæ* Templum, quod *Antiochus* diripere voluit, ut docet *Plinius* Libro 6. Cap. 27. *Eulæus, fluvius*, inquit, *circuit Arcem Suſorum, & Templum Dianæ, quod eſt illis regionibus auguſtiſſimum.* Templum *Dianæ*, ab *Antiocho* violatum *Joſephus* ſcribit. Secundus Machabæorum Liber Cap. 1. 13. Templum *Naneæ* vocat. *Nannæa*, Lingua Perſica veteri, *Matrem* ſignificat? Matris autem nomen Deæ ſuæ ipſos tribuiſſe veriſimile eſt. *Dianam Perſicam* memorat *Tacitus* Annalium 3. S. *Hieronymus* in Caput 8. 11 *Danielis*, Templum *Dianæ* in regione Elymaidis fuiſſe ex *Polybio* & *Diodoro Siculo* confirmat, illudque ipſum eſſe innuit, quod ſecundi *Machabæorum* Scriptor *Naneæ* Templum appellat. Ex hoc itaque Templo & Elymaidis regione cum turpi fuga elapſus *Antiochus* in Mediam digreſſus eſſet, atque in Babyloniam reverteretur, Nuntius cladis ejus Ducibus ac Exercitui in Judæa illatæ, qui recta in Perſidem iverat, nec ipſum invenerat, ei circa *Ecbatana* Mediæ Metropolim occurrit. Ita conciliantur loca in ſpeciem pugnantia (1. *Machabæorum* 6. 4. & 2. *Machabæorum* 9. 3.) Magno igitur animi mœrore percuſſus Antiochus, tum ob dedecus & cladem in Perſide acceptam, tum ob res in Judæa deploratas, fuſoſque a Juda Machabæo Duces, Exercituſque ſuos, in morbum graviſſimum incidit; cumque Judæos ad internecionem perdere meditaretur, & curru ſuo agitari juſſo, ſine intermiſſione iter ageret, inſanabili & inviſibili plaga a Deo percuſſus eſt, diro ſcilicet viſcerum dolore, moxque e curru nimio impetu agitato eadem corpore graviter colliſo, periculoſius ægrotavit, ita ut ex ejus corpore vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes effluerent, ejuſque fœtorem nec Exercitus, nec ipſemet ferre poſſet. Criminum gravitas divinæque ultionis pondus has ab ipſo voces extorſerunt: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Sed orabat ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus:* quamvis ampliſſimam ſatisfactionem polliceretur, & Judaicæ Religioni nomen etiam ſe daturum promitteret. Ex ſolo enim pœnæ timore, non ex amore juſtitiæ pœnitentia illa proficiſcebatur, quæ adeo falſa fuit. Literas etiam benevolas ſcripſit ad Judæos, filium illis ſuum commendans. Tandem diadema-

Lib. 9. in Danielem.

2. Machab. 9.

demate, regioque ornatu *Philippo* uni ex amicis, quem & univerſi Regni Adminiſtrum conſtituit tradito, & filio ſuo Regni herede declarato *Homicida* (Ibidem.) *& blaſphemus peſſime percuſſus, & ut ipſe alios tractaverat, peregre in montibus miſerabili obitu vita functus eſt*. Babyloniæ Montes intellige, quam in regionem eſt reverſus. Unde & ſe perire *in terra aliena* (1. Machab. 6.) dixit, longe ſcilicet ab Antiochia Regni ſui Metropoli. Sic facile conciliantur primus *Machabæorum*, Cap. 6. & ſecundus *Machabæorum*, Cap. 9. de genere mortis *Antiochi*. Majorem difficultatem faceſſit Caput primum Libri ſecundi, ubi Judæorum Epiſtola ad *Ariſtobulum* Sacerdotem *Ptolemæi* Magiſtrum, & Judæos in Ægypto degentes deſcribitur, qua mortem *Antiochi* nuntiant, eumque in Perſide, in Templo *Nanea* cæſum ſignificare videntur. *Nam*, inquiunt, *cum in Perſide eſſet Dux ipſe, & cum ipſo immenſus Exercitus, cecidit in Templo Nanea, conſilio deceptus Sacerdotum Nanea. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & Amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine. Cumque propoſuiſſent eas Sacerdotes Nanea, & ipſe cum paucis ingreſſus eſſet intra ambitum Fani, clauſerunt Templum, cum intraſſet Antiochus: Apertoque occulto aditu Templi, mittentes lapides, percuſſerunt Ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt*. Verum ibi mortem *Antiochi* deſcribi nego. Narratur dumtaxat magna illa clades, quæ ipſi in Perſide contigit, cum *Nanea* ſive *Diana* Templum diripere conaretur. Per dolum enim a Sacerdotibus receptus in Templum, concluſuſque, & amicis ejus comitibuſque non tantum cæſis, ſed obtruncatis, membratimque diſſectis, vix ipſe per occultum quemdam aditum elapſus, lapidibus quidem percuſſus, peſſimeque habitus eſt, ſed vivus tamen evaſit. Non ergo concludendum eſt, eum tunc occiſum fuiſſe, quia percuſſus cecidiſſe dicitur. Cadere enim dicitur Imperator; non modo cum in pugna occumbit, ſed etiam cum prælio victus profligato cæſoque Exercitu, vix ipſe graviter ſaucius mortem effugit; percuſſus autem dicitur, quia lapidibus petitus & vulneratus eſt, magnoque cum dedecore, & vitæ diſcrimine fugatus. Unde *Daniel* Cap. 11. prædicens *Antiochum Epiphanem*, omni propemodum Ægypto occupata, & *Ptolemæo Philometore* arctiſſime obſeſſo, coactum iri a Romanis ſolvere obſidionem, ejuſque ſpes omnes fallaces conatus irritos fore, dicit eum a Romanis percutiendum: *Venient*, inquit, *ſuper eum Trieres, & Romani, & percutietur*. Quod Vaticinium explanans *Sanctus Hieronymus*, ait: *Percuſſus dicitur ipſe, non quod interierit; ſed quod omnem arrogantiæ perdiderit magnitudinem*. Quod itaque Capite primo Libri ſecundi Machabæorum legitur, *Mittentes lapides percuſſerunt Ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt*; ſignificat ipſum quidem Antiochum lapidibus petitum & percuſſum; eos vero qui cum ipſo erant, crudeliter occiſos, ut illud *membratim diviſerunt*, non ad Ducem, ſed ad ejus comites referatur.

(*Rerum Judaicarum ſtatus ſub Antiocho Eupatore.*) XVII. Extincto *Antiocho Epiphane* filius ſucceſſit ejuſdem nominis, *Eupator* appellatus, admodum juvenis. Qui Lyſiam ſupremum Regni Adminiſtrum, ac Exercituum Ducem conſtituit, *Ptolemæo Macro*, qui Judæis favebat, in ordinem redacto. *Gorgias*, & *Timotheus* Duces, Judæos aggreſſi, a *Juda Machabæo* fuſi ſunt, non ſine divinis prodigiis. *Lyſias* cum ingenti Exercitu *Machabæum* aggreſſus, magnam cladem accepit, Deo pro Judæis pugnante. Cæſa uno prælio ex hoſtibus undecim millia peditum, & equitum mille ſexcenti, cæteri in fugam verſi, plures vulnerati, nudi evaſerunt. *Lyſias* ipſe turpi fuga ſaluti ſuæ conſuluit. Demum Judæos Dei ſui fretos præſidio invictos eſſe intelligens, *Antiocho Eupatori* Auctor fuit ut pacem illis cum Religionis Legumque libero exercitio ac obſervantia concederet. Sequeſtres pacis fuere Romanorum Legati. (2. *Machabæorum* 10. 11.) Judæis tamen haud diu quietis eſſe licuit: Regii namque Præfecti, & Gentes finitimæ illos laceſſere non deſtiterunt, violata pactorum fide. *Judas* divino auxilio fretus omnes expugnavit, oppreſſit, profligavit. Joppitas, Jamnitas, Arabes, Idumæos, Capſphin, & Ephron Civitates, Præſidium Carnion, quod inexpugnabile ab hoſtibus credebatur, *Timotheum* & *Gorgiam Eupatoris* Duces, cum ingentibus copiis. Prælio cum *Gorgia* feliciter commiſſo, victor *Judas* ad pietatis officia converſus eſt, & Judæorum qui in acie ceciderant corpora ſepelivit. Cum autem ſub tunicis interfectorum inventa eſſent donaria Idolorum Jamniæ direpta, minime dubitavit quin ob violationem Legis, quæ ab ejuſmodi præda temperare jubet, cecidiſſent. Attamen pie exiſtimans eos qui contra Judaicæ Religionis hoſtes fortiter pugnaverant, non ex animo Idololatriæ, ſed ex mera prædæ aviditate id commiſiſſe, & delictum contritione expiaſſe ante pugnam: Pleroſque etiam propter ignorantiam, alios propter indigentiam, ac materiæ levitatem a peccato mortali excuſari potuiſſe: Deum cum ſuis rogavit, ut quod commiſſum fuerat delictum condonaret. Facta autem collatione, duodecim mille drachmas argenti miſit Hieroſolymam, ut pro *peccatis mortuorum* offerrentur Sacrificia. Quibus Judaicæ & Chriſtianæ Eccleſiæ fides de corporum Reſurrectione futura, de Purgatorio, & Animarum, quibus pœnæ temporales pro peccatis luendæ ſuperſunt, expiatione, levamine, liberatione per orationes, eleemoſynas, & Sacrificia confirmatur. *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. (2. Machabæorum 12.)

XVIII. Anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo, *Judas Machabæus* Arcem Hieroſolymitanam oppugnavit, ut ſuis tutiorem commeatum ad Templum faceret, illoſque ab hoſtium infeſtatione liberaret. Sed *Antiochus Eupator* ab obſeſſis, & Judæis Apoſtatis inſtigatus, cum ingenti Exercitu Hieroſolymam venit, *Lyſia* copiarum omnium Duce conſtituto. Cujus ſuaſu *Menelaum* Pſeudo-Pontificem omnium turbarum auctorem ex Turri quinquaginta cubitis alta in ſubjectum cineris aggerem detrudi juſſit. *Judas* variis quidem cladibus hoſtes affecit, quarum una *Eleazarus* ejus frater, Elephantem, quo Regem vehi exiſtimabat, interficiens, beſtiæ ſuper ſe cadentis mole oppreſſus eſt, ob egregiam fortitudinem in Hiſtoria Sacra, & a SS. Patribus plurimum commendatur. Verum cum *Judas* tanto impar Exercitui ſe in Templi propugnaculum recepiſſet, divino confidens præſidio, Rex annonæ defectu, & inteſtini belli neceſſitate revocatus, *Lyſia* ſuadente pacem Judæis conceſſit: Verumtamen Montis Sion mœnia, munitioneſque, contra juriſjurandi fidem deſtruxit. (1. *Machabæorum* 6. & 2. *Machabæorum* 13.) Lege & *Joſephum* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap. 14. & 15.

XIX. Interim *Demetrius*, *Soter* cognominatur, *Antiochi Epiphanis* ex fratre *Seleuco Philopatore* nepos, (*Rerum Judaicarum ſtatus ſub Demetrio Sotere Syriæ Rege, & Alcimo Pontifice.*) a patre pro patruo Romanis olim obſes datus, audita ejuſdem *Epiphanis* morte, Roma aufugit; & Tripoli primum, deinde ab Antiochenis exceptus, *Antiochum Eupatorem* & *Lyſiam* necari juſſit, atque hoc modo paternum Regnum recuperavit. Apud hunc *Alcimus*, Pontificatum ambiens, *Judam Machabæum* & ſocios ejus *Haſidæos*, viros ſingularis inter Judæos pietatis, tanquam rebelles, & publicæ calamitatis auctores accuſavit; ita ut ad eos opprimendos *Bacchides* primum, deinde *Nicanor* cum Exercitu mitterentur. *Alcimo* Pſeudo-Pontifici faciliùs credentes Haſidæi, ab illo ad ſexaginta trucidati ſunt. *Judas* hoſtibus viriliter obſtitit. Cujus animi magnitudinem, ſociorumque virtutem *Nicanor* demiratus, cum eo fœdus iniit, & amicitiam aliquamdiu coluit; adeo ut eo ſuadente *Judas* uxorem duxerit. Quam illorum concordiam cum Pſeudo-Pontifex *Alcimus* Regi ſuſpectam reddidiſſet, juſſiſſetque Rex vinctum ad ſe mitti *Machabæum*, *Nicanor* opportunitatem quærens juſſionem Regis exequendi, auſterius agere cum Juda cœpit. *Judas* inſidias declinat. *Nicanor* ex ſuſpecto acerbiſſimos hoſtis Templum ſe complanaturum, aut certe *Libero* conſecraturum jurat, niſi *Machabæum* ſibi tradant. Interim *Raziam* Seniores inter Judæorum ſpectatiſſimum, Legiſque & Populi conſtantiſſimum amatorem, quem Judæi *Patrem* appellabant, (*Razia facinus.*) *Nicanor* miſſa quingentorum Militum manu vinctum ad ſe adduci jubet, ratus ſe cladem maximam Ju-

dæis illaturum, ſi illum decepiſſet. Ædibus ſuis ab hoſtili cohorte circumſeptis, ſecurimque & ignem ad januas admoventibus, *Razeas* ſe ipſum gladio transfixit, ne vivus in hoſtium manus incideret, atque ex ictu feſtinanter illato necdum mortuus, e muro ſe præcipitem dedit in turbas: Jamque pene exſanguis, inteſtina ſua de ventre confuſſo ac prærupto profluentia utraque manu complexus, projecit in hoſtes, invocans Dominatorem vitæ ac ſpiritus, ut hæc iterum illi redderet. Quod facinus Hiſtoria Sacra refert, non probat, ut *S. Auguſtinus* oſtendit Libro 2. contra Epiſtolam *Gaudentii* Donatiſtæ, Cap. 33.

Onias III. Pontifex ſanctiſſimus, & Jeremias Propheta, pro Populo Deum orare viſi.

Paucis poſt diebus *Judas* ſuorum animos erexit, tum Oratione luculenta ex Lege & Prophetis, tum viſionis divinæ narratione, qua fuerat ipſe recreatus. Viderat ſcilicet in ſomnis *Oniam* III. Pontificem ſanctiſſimum manus protendentem, & orantem pro populo Judaico, una & *Jeremiam*, de quo ad ipſum Onias: *Hic eſt fratrum amator, & Populi Iſrael. Hic eſt qui multum orat pro Populo, & univerſa ſancta Civitate, Jeremias Propheta Dei.* Mox gladium aureum Judæ porrigere viſus erat divinus Vates, dicens: *Accipe ſanctum gladium, munus a Deo in quo dejicies adverſarios Populi mei Iſrael.* Mox collatis ſignis, hoſtilis exercitus profligatus, triginta quinque millia hoſtium cæſa, *Nicanor* ipſe cecidit, reliquus Exercitus in fugam adactus eſt ac diſſipatus. Impii Ducis Caput, ac dexteram amputari, & ad Arcem Hieroſolymitanam, e regione Templi ſuſpendi juſſit *Machabæus*, linguam etiam blaſphemam præcidi, & avibus in eſcam dari. Inſignis illa victoria Judæis a Deo conceſſa eſt anno Regni Græcorum centeſimo quinquageſimo primo, die decimatertia menſis *Adar*, Februarii noſtri vigeſimaquarta, qui deinceps Judæis feſtus ac ſolemnis fuit. (1. *Machabæorum* 7. & 2. *Machabæorum* 14. 15. Lege & *Joſephum* Lib. 12. *Antiquitatum*, Cap. 17.

Judæ Machabæi fœdus cum Romanis.

XX. Cæſo *Nicanore*, *Judas Machabæus* miſſis ad Senatum Populumque Romanum Legatis *Eupolemo* & *Jaſone* fœdus cum ipſis iniit, ut eorum metu & auctoritate *Demetrius* a Judæorum infeſtatione cohiberetur. (1. *Machabæorum* 8.) Id *Machabæis* vitio datum a *Ruperto* Abbate Libro 10. *De victoria Verbi Dei*, Cap. ultimo. Ipſos tamen excuſant neceſſitas, pia intentio, & ſanctorum virorum exempla, qui cogente ſimiliter neceſſitate, ubi periculum Idololatriæ & ſcandali aberat, fœdus cum Infidelibus ante ipſos inierant, ſcilicet *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*, qui cum Palæſtinis; *Davidis*, qui cum *Achis* Philiſtæo Rege, cum *Naas* Ammonita, & cum *Tolmai* Rege Geſſur dexteras ſocietatis junxerunt, ut Sacra Geneſeos & Regum teſtatur Hiſtoria. Lex vero *Deuteronomii* 8. fœdus cum Gentibus omnibus non prohibet Judæis, ſed cum illis ſeptem dumtaxat, quæ ibi nominantur, Hethæis, Gergezæis, Amorrhæis, Chananæis, Pherezæis, Hevæis, & Jebuſæis. Nullus tamen fructus ad Judæos ex Romanorum ſocietate & amicitia pervenit, Deo ita volente. *Demetrius* enim cædem *Nicanoris* vindicaturus, bellum impune redintegravit, *Bacchide* & *Alcimo* cum novo Exercitu in Judæam miſſis, anno Græcorum centeſimo quinquageſimo ſecundo. Collatis ſignis, *Judas Machabæus* in prælio cecidit. De tanti Herois morte, Populique clade lætatus *Alcimus*, paulo poſt apoplexia & paralyſi divinitus immiſſa extinctus eſt, cum Muros ſubdialis interioris Templi, & opera Prophetarum inſtinctu & directione ſuſcepta & perfecta deſtruere moliretur. (2. *Machab.* 9.)

Jonatha Aſſamonæi Principatus, & geſta.

XXI. In *Judæ Machabæi* Principatum, Summumque Sacerdotium ſucceſſit *Jonathas* ejus frater, qui collectis copiarum reliquiis, Geoorem ſuam adverſus *Bacchidem* Regis *Demetrii* Ducem ſtrenuo totatus eſt. *Joannis* etiam fratris ſui mortem adverſus filios *Jambri* ultus magna illorum ſtrage.

Rerum Judaicarum ſtatus ſub Alexandro Bala.

Anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo, cum *Alexander* cognomento *Veles* aut *Bala*, qui ſe *Antiochi Epiphanis* filium jactabat, Ptolemaidem occupaſſet, ibique regnare cœpiſſet, *Demetrius Soter* pacem *Jonathæ* obtulit, poteſtatem ei fecit conſcribendi Exercitum, juſſitque reddi obſides in Arce Hieroſolymitana detentos. Urbem igitur ingreſſus *Jonathas*, munitiones inſtauravit ab hoſtibus derelictas. Interim *Alexander Jonatham* in partes ſuas allicere conatus eſt, ipſi Summi Sacerdotii functiones libere exercere permittens, purpuramque & coronam auream mittens. Oblatas ab *Alexandro* conditiones *Jonathas* accepit, ſpretis *Demetrii* promiſſis, qui anno ſequenti magno prælio ab eodem *Alexandro* victus occubuit. Conſtans fuit *Alexandri* cum *Jonatha* & Judæis amicitia. Illius enim Nuptiis cum *Cleopatra Ptolemæi Philometoris* Regis Ægypti filia Ptolemaide celebratis adfuit *Jonathas*, magnifice ab utroque Rege exceptus, & accuſatores ejus ne auditi quidem ſunt. Deinde vero cum *Demetrius* filius *Demetrii Soteris*, cognomine *Nicanor*, Exercitum Duce *Apollonio* in Syriam miſiſſet, & *Jonathas* eum ingenti clade affeciſſet, Urbeſque Joppem, Azotum, & Aſcalonem expugnaſſet, *Alexander* ei cingulum aureum miſit, ſicut mos erat mitti cognatis Regum, & Accaronem Urbem, omneſque fines ejus, dono dedit. (1. *Machabæorum* 10.) Lege & *Joſephum* Libro 13. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. & 7.

Rerum Judaicarum ſtatus ſub Demetrio Nicanore.

XXII. Anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo-ſeptimo, *Alexander* inſidiis *Ptolemæi Philometoris* ſoceri ſui Regno ſpoliatus, & in Arabiam fugatus eſt. Ejus caput *Zabdiel* Arabs ad *Ptolemæum* miſit; qui & ipſe poſt triduum obiit, *Ptolemæo* fratre ſuo, *Phyſcone* cognominato, Regni relicto hærede. Syriæ vero Regnum ſuſcepit *Demetrius Nicanor*, cui *Ptolemæus* ille *Philometor* filiam ſuam, *Alexandro* ereptam, uxorem tradiderat. Ea opportunitate mutationis Regnorum uſus *Jonathas*, conſilium cœpit Arcis Hieroſolymorum expugnandæ. Quo audito Rex *Demetrius* ipſi per literas imperavit, ut ſoluta obſidione coram ad ſe quantocius properaret. At ille ſuis obſidionem urgere juſſis, dedit ſe periculo, veniens ad Regem cum ſelectis Sacerdotibus & Senioribus Iſrael, *Demetrium* muneribus placavit, cauſamque ſuam ita apud ipſum egit, ut Rex accuſatoribus ejus ſpretis illi Principatum Sacerdotii confirmaverit, ac principem inter amicos locum tribuerit, atque immunitatem toti Judæorum Regioni, & tribus Toparchiis ei adjectis, & Samariæ, ab omnibus tributis & decimis, quæ Regibus pendi conſueverant, conceſſerit, cum idem *Jonathas* ei talenta trecenta promiſiſſet. 1. *Machabæorum* 11.

Rerum Judaicarum ſtatus ſub Antiocho Alexandri Bala filio, & Tryphone.

XXIII. Novis poſtea turbis a *Tryphone* uno ex Ducibus *Alexandri* excitatis, ſeditione etiam ab Antiochenis contra *Demetrium* facta, ipſi adfuit *Jonathas*, miſſo ad ipſum delectorum ter mille virorum Exercitu, qui pro Rege fortiſſime pugnantes, centum millia perduellium occiderunt, & incenſa Civitate reliquos ad implorandam Regis clementiam compulerunt. Tanto beneficio *Jonathæ* Judæorumque Genti devictus *Demetrius*, non ſolum ingratum ſe præbuit, ſed & Judæos vexavit. Interim *Trypho Antiochum Alexandri Bala* filium, qui apud *Emalchuelem* Regem Arabum educabatur, in Syriam perduxit, & debellato *Demetrio*, ac in Ciliciam fugato, Regem conſtituit. Hic *Antiochus* cognomento Θεὸς, ejus nominis ſextus, anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo-octavo Regnum conſecutus, *Jonatham* novis honoribus auctum, & ſuper quatuor Civitates conſtitutum, partibus ſuis addixit. *Simonem* etiam *Jonathæ* fratrem Regiæ Militiæ Ducem a Tyro ad Ægyptum creavit. Cui grati animi vicem rependentes Machabæi fratres, bellum adverſus *Demetrii* fautores geſſerunt, & finitimas regiones Antiocho parere coegerunt. Tum renovato cum Romanis & Spartanis antiquo fœdere, de Præſidiis in Judæa excitandis, & Mœnibus Hieroſolymorum reſtaurandis, & maxime de Arce a Civitate muro intermedio ſeparanda, conſilia inierunt. (1. *Machabæorum* 11. & 12.) Legatur & *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 9.

XXIV. *Trypho* Regnum Syriæ *Antiocho* Rege extincto invadere cogitans, *Jonatham*, quem pro ſua in Regem fide nefariis conſiliis obſtiturum certus erat, dolo intercepit, primumque in vincula conjectum, cum duobus filiis obſidibus interfecit, anno Regni Græcorum centeſimo ſexageſimo nono. (1. *Machabæorum* 12. & 13.) Lege *Joſephum* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 10.

XXV. Poſt *Jonathæ* fratris, Nepotumque cædem a perfido *Tryphone* perpetratam, qui & *Antiocho* Rege

Simonis Aſſamonai Principatus, res geſta, Judæorumque ſub eo felicitas.

ge paulo poſt opera Chirurgorum occiſo Regnum occupavit, *Simon* ſolus e *Mathatia* filiis ſuperſtes ſummo Populi conſenſu bellorum Imperium, Summumque Sacerdotium conſecutus eſt. Ut primum autem audivit *Tryphonem* occiſo pupillo Rege *Antiocho* Regnum occupaſſe, Tyrannum & Aſſamonææ familiæ, cujuſque Judaicæ Gentis crudeliſſimum hoſtem execratus, fœdus renovavit cum *Demetrio Nicanore*, legitimo Syriæ Rege, qui in Aſia ſuperiori agebat, e Syria olim a *Tryphone* pulſus: Ab eoque abſolutam a tributis immunitatem, & liberum Munitionum Hieroſolymis, & in reliqua Judæa extructarum dominium impetravit. Gentium itaque jugum a Judæis ablatum anno Græcorum ſive Seleucidarum centeſimo ſeptuageſimo, ac deinceps Regum Syriæ amici fuere, non ſubditi; novaque Epocha Reipublicæ ſuæ libertatem teſtati ſunt, in Tabulis Actiſque publicis ſcribentes: *Anno Primo ſub Simone Summo Sacerdote Magno Duce & Principe Judæorum*. Porro *Simon* Gaza expugnata, & Arce *Sion* per deditionem Præſidiariorum recepta, & a contaminationibus mundata in eam ſolemni pompa ingreſſus eſt vigeſima-tertia die ſecundi Menſis, anno Græcorum centeſimo-ſeptuageſimo primo, quem diem quotannis feſtum eſſe voluit. Munivit & Montem Templi, & ibi domicilium fixit. *Joannem* vero filium ſuum, univerſo Præfectum Exercitui in Gazariis degere voluit, idoneo ad propulſandos hoſtes propugnaculo. (*1. Machabæorum* 11. Lege & *Joſephum* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 11.)

XXVI. Summa fuit Judaicæ Gentis, ſub *Simonis Machabæi* Principatu felicitas, quam Hiſtoricus Sacer Libro 1. *Machabæorum*, Cap. 14. his verbis deſcribit: *Siluit omnis Terra Juda omnibus diebus Simonis, & quæſivit bona genti ſuæ; & placuit illis poteſtas ejus, & gloria ejus omnibus diebus. Et cum omni gloria ſua accepit Joppem in Portum, & fecit introitum in Inſulis Maris. Et dilatavit fines gentis ſuæ, & obtinuit regionem. Et congregavit captivitatem multam, & dominatus eſt Gazaræ, & Bethſuræ, & Arci, & abſtulit immunditias ex ea, & non erat qui reſiſteret ei. Et unuſquiſque colebat terram ſuam cum pace; & Terra Juda dabat fructus ſuos, & ligna camporum fructum ſuum. Seniores in plateis ſedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & juvenes induebant ſe gloriam, & ſtolas belli. Et civitatibus tribuebat alimonias, & conſtituebat eas, ut eſſent vaſa munitionis, quoad uſque nominatum eſt nomen gloriæ ejus uſque ad extremum terræ. Fecit pacem ſuper terram, & lætatus eſt Iſrael lætitia magna. Et ſedit unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua & non erat qui eos terreret. Defecit impugnans eos ſuper terram: Reges contriti ſunt in diebus illis. Et confirmavit omnes humiles Populi ſui, & Legem exquiſivit, & abſtulit omnem iniquum & malum: Sancta glorificavit, & multiplicavit vaſa Sanctorum*: Sic florente Judæorum Republica, & *Simonis Aſſamonai* nomine longe lateque celebrato, Spartani, & Romani Legationem ejus honorifice exceperunt, & antiqua fœdera cum Judæorum Gente renovarunt. Sed & Judæi *Simoni* & poſteris ejus Principatum hereditarium confirmarunt die decima-octava Menſis *Elul*, id eſt, Auguſti noſtri vigeſima quinta, anno centeſimo ſeptuageſimo-ſecundo Regni Græcorum. Id in Conventu Magno Sacerdotum, & Populi, & Principum Gentis, & Seniorum regionis, id eſt, Synedrii Magni habito in *Aſaramel*, ſive in *Atrio Mello*, deliberatum eſt. Confirmatur autem Aſſamonææ familiæ Principatus & Summum Sacerdotium, *Donec conſurgat Propheta fidelis*: id eſt, uſque ad adventum Meſſiæ. (*1. Machab.* 14.)

Rerum Judaicarum ſtatus ſub Antiocho Sidete Syriæ Rege.

XXVII. *Demetrio Nycanore* ab *Arſace* Parthorum Rege capto, *Antiochus Sidetes* ejus frater ſuadente *Cleopatra* ejuſdem *Nicanoris* uxore, adverſus *Tryphonem* Syriæ Regnum tyrannice occupantem arma ſumpſit: Judæorumque privilegiis confirmatis, novoque addito cudendæ monetæ jure, ac magnificis promiſſis, amicitiam *Simonis* ſibi conciliavit. Adfuit illi *Simon*, & *Tryphonem* Doræ obſidenti auxiliares copias miſit cum argento, & auro, vaſiſque ſeu bellicis inſtrumentis. *Antiochus* fretus ingentibus copiis, in quibus centum viginti millia peditum, & octo millia equitum conſcripti erant, oblatum a *Simone* commeatum non ſolum reſpuit; ſed magnam pecuniæ vim & Urbes quas Judæi in Palæſtina, & ad oram maritimam plurimis annis tenuerant, Joppem præſertim, & Gazaram, & Arcem Sion ſibi tradi poſtulavit, miſſo Hieroſolymam *Athenobio*. Repulſam paſſus, *Cendebæum* Ducem cum Exercitu in Judæam immiſit; qui circa Jamniam & Gazaram caſtrametatus, damna Judæis non levia intulit. Hunc vero fuderunt *Judas* & *Joannes Simonis* filii, in quos Pater onus belli refuderat. Eadem tempeſtate Legati ad Romanos miſſi rediere cum literis Senatus ad Reges & Civitates, quibus Judæos Romani Populi ſocios eſſe denuntiabat, Regibuſque & Regionibus prohibebat ne Judæos impugnarent, aut eorum hoſtibus auxilia, transfugiſve receptum præberent. Senatus Populique Romani nomine ſcripſit *Lucius Conſul*, quem *L. Furium Philum*, a *Cicerone* & ab *Obſequento* memoratum, qui in Faſtis per errorem *Publius* appellatur, *Grotius* exiſtimat. (*1. Machab.* 15. & 16.) Legatur & *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum* Cap. 12. Anno Græcorum centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, *Simon Machabæus* a *Ptolemæo* Jerichuntinæ Regionis Præfecto in Caſtro *Doch* exceptus, inter hoſpitales epulas neſando parricidio ab eodem ſublatus eſt, cum filiis duobus *Mathatia* & *Juda*. Nefariam cædem ſuaſit ipſi Principatus ambitio: Quem miſſis ad *Antiochum Sidetem* nuntiis impetrare conatus eſt. Miſit etiam Satellites Gazaram, qui *Joannem Simonis* filium Judaicæ Militiæ Ducem interficerent: Sed ille compertis inſidiis ipſos interemit. (*1. Machab.* Cap. 16. & poſtremo.) Vide *Joſephum* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 14.

Joannis Hyrcani Aſſamonai Principatus, & geſta.

XXVIII. In *Simonis* patris Principatum ac Sacerdotium ſucceſſit filius ejus *Joannes*, *Hyrcanus* cognominatus. Anno ipſius primo, Regni autem ſui quarto, *Antiochus Sidetes* vaſtata Judæa Jeruſalem obſidione cinxit, eoque tandem *Joannem* annonæ penuria adegit, ut pacem rogaret, arma & obſides traderet: Joppes, ac reliquarum extra Judæam Urbium vectigalibus cederet; ac pro redimendo præſidii onere quingenta talenta ſolveret. Hujus tamen Regis pietatem commendat *Joſephus*, tum quod obſeſſis Hieroſolymitanis ad Feſtum Scenopegiæ celebrandum non inducias tantum conceſſerit, verum etiam victimas & donaria miſerit, tum quod eorum conſilium repulerit, qui Gentem inſociabilem, & Inſtitutis a reliquis omnibus diſcretam, penitus eſſe delendam ſuadebant. *Antiochum* deinde ad Expeditionem Parthicam ſecutus eſt *Joannes Hyrcanus* cum auxiliaribus copiis. Ita *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 16. ubi & *Nicolai Damaſceni* teſtimonium profert, ſcribentis: *Antiochus erecto tropæo ad Lycum fluvium, ubi Indatem Parthorum Ducem profligaverat, hæſit ibi per biduum ad preces Hircani Judæi, quod in id tempus forte quædam Judæorum Feſtivitas incurrerat, per quam non licebat eis iter facere.* Cæſo poſt aliquot annos *Antiocho Sidete* in prælio adverſus *Phraatem* Parthorum Regem, quem *Joſephus* communi Gentis hujuſce Regibus nomine *Arſacem* vocat, & dimiſſo ad Regnum Syriæ turbandum e Captivitate Parthica *Demetrio* ejuſdem *Antiochi* fratre; *Joannes Hircanus* ducto in Syriam Exercitu Urbes aliquas occupavit, inter alias *Garizim*, ubi Templum inſtar Hieroſolymitani a *Sanaballate* ante ducentos annos in gratiam *Manaſſis* ipſius generi, *Alexandro Magno* permittente extructum, funditus evertit. Debellatos inſuper Idumæos ad Circumciſionem recipiendam, & ad Moſaicæ Legis obſervantiam compulit, ni ſedibus ſuis exterminari vellent; haud injuria, cum Lege Moſaica tenerentur utpote poſteri *Abrahami* ab *Eſau* progeniti. Miſſis deinde Romam Legatis, fœdus cum Populo Romano renovavit *Joannes Hyrcanus*; obtinuitque, ut Actis *Antiochi Sidetis* reſciſſis, omnia quæ Judæis ab ipſo fuerant ablata reſtituerentur, omniaque tributa & onera quæ impoſuerat, tanquam inconſulto Senatu Romanorum ſociis indicta, Senatuſconſulto tollerentur. Ita *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum* Cap. 17.

Rerum Judaicarum ſtatus ſub Antiocho Cyziceno.

XXIX. Orti in Regno Syriæ motus pacem Judæis pepererunt. Nam *Demetrio Nicanori* in Regnum reduci *Ptolemæus Phyſcon* Ægypti Rex a Syris inſtiga-

tua æmulum & hoſtem ſuſcitavit, tanquam *Antiochi Sidetis* filium, *Alexandrum* cognomento *Zebinam*. Cæſo *Demetrio* ſucceſſit *Seleucus* ejus ex *Cleopatra* filius. Quo deinde a Matre, ambitioni iræque impotenti femina, ſublato, regnavit ejus frater *Antiochus Gryphus*, a quo deſertos *Alexander Zebina* ab Ægyptiis interfectus eſt. *Antiocho Grypho* adverſatus eſt *Antiochus Cyzicenus*, filius *Antiochi Sidetis* ex eadem *Cleopatra*. Bellum quo ſe mutuo atterebant, occaſionem *Joanni Hyrcano* præbuit, ut ſecure Judææ proventibus frueretur, & ingentem pecuniarum vim inde congereret. Videns autem *Antiocho* nihil eſſe ab Ægypto præſidii, ſed tam ipſum quam ejus fratrem multas clades accipere ex continuis inter ſe præliis, utrumque facile deſpexit. *Samariam* itaque Urbem munitiſſimam expugnavit, *Antiocho Cyziceno* inane Samaritis auxilium ferente. *Scythopolim* etiam & alia quædam oppida recepit prodente *Epicrate* Antiochi Duce. Obiit *Joannes Hyrcanus* anno ſui Principatus trigeſimo primo, anno Regni Græcorum ducenteſimo-octavo, quinque filiis relictis. Hunc Secta Phariſæum, & exorta inter illum & Phariſæos offenſione ad Sadducæos defeciſſe teſtatur *Joſephus*, legendus Libro 13. *Antiquitatum* Capp. 17. & 18. *Joannis Hyrcani* geſta complectitur & quartus *Machabæorum* Liber Apocryphos. Extabat olim de iiſdem Liber inſcriptus, *Dies Sacerdotii Joannis*, laudatus Cap. ultimo Libri 1. *Machabæorum* Canonici, his verbis: *Et cætera ſermonum Joannis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & ædificii murorum quos extruxit, & rerum geſtarum ejus: Ecce hæc ſcripta ſunt in Libro dierum Sacerdotii ejus, ex quo factus eſt Princeps Sacerdotum poſt patrem ſuum.*

Ariſtobulus filius Joannis Hyrcani poſt mortem patris Regis nomen & inſignia ſumit.

XXX. *Hyrcano* ſucceſſit filiorum natu maximus *Ariſtobulus*, qui Pontificis & Principis appellatione non contentus, Regis nomen & inſignia primus poſt *Sedeciam* ſumpſit. Illato *Iturææ* bello, Gentem illam Iſmaelitici generis debellavit, & ad Circumciſionem, cæteraque Moſaicæ Legis Sacra ſuſcipienda coegit. Crudelis in ſuos fuit, quamvis æquum in cæteros, *Joſephus* ex *Strabonis* & *Timagenis* auctoritate prædicet. Matrem enim Principatus æmulam, quam ſcilicet *Hircanus* pater rerum Dominam reliquerat, fame necavit: Tres fratres in vinculis tenuit; *Antigonum*, quem Regni conſortem fecerat, calumniatoribus faciles aures præbens, per ſicarios interfecit. Nec multo poſt crudelitatis pœnas luit, continuo ſanguinis vomitu exhauſtus, & conſcientiæ ſtimulis miſere dilaniatus, cum uno duntaxat anno regnaſſet. Ita *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 19.

Alexander Jannæus Rex & Pontifex Judæorum. Ejus geſta & crudelitas.

XXXI. Poſt obitum *Ariſtobuli*, Regina *Salome* ejus uxor, Græcis *Alexandra* dicta, filiis carcere ſolutis, natu maximum *Alexandrum Jannæum* Regem ac Pontificem conſtituit. Principatus exordia funeſtavit cæde fratris ex inſidiis agentis. Ptolemaidem obſidione cinxit, vaſtatis *Zoili* Dorenſium Tyranni, & Gazæorum agris, obſidionem ſolvere coactus eſt a *Ptolemæo Lathuro* Ægypti Rege, qui a *Cleopatra* Regina Matre, in *Ptolemæum Alexandrum* fratrem ejus minorem propenſiori, Regno pulſus, Tyrum obtinebat. Reducto domum Exercitu, *Alexander Jannæus* fœdus cum *Ptolemæo Lathuro* percuſſum violavit, ſollicitata clam ad bellum *Cleopatra*, quam filio infenſam noverat. Fraude comperta, *Lathurus* valido cum Exercitu in Judæam irrupit, collatiſque cum *Alexandro* ſignis, magnam ipſi cladem intulit. Triginta millia Judæorum eo in prælio deſiderata. *Lathurus* tam inſigni parta victoria Judæam devaſtans, cum in quoſdam vicos pueris refertos incidiſſet, juſſit eos promiſcue jugulari, & in fruſta concidi, ac in ollis coqui, ut terrore omnia impleret, ejuſque Milites carnibus humanis veſci crederentur. Animum tamen non deſpondit *Jannæus*, ſed *Ptolemæo* Cyprum reverſo, *Gazam* oppugnavit, agrum undequaque populatus. Urbe capta, dataque ſæviendi licentia, *Gazæi* paſſim trucidati, quingentis etiam Senatoribus, qui ad conſulendum de re publica in *Apollinis* Templum convenerant, miſere jugulatis. Hieroſolymam reverſus, Populi captivitatem ipſi exprobrantis convitium, ſex millium circiter cæde ultus eſt. Victis deinde Arabibus, Moabitis, & Galaditis tributa imperavit, & Amathuntem diruit. Congreſſus demum cum Arabum Rege *Obeda*, & pertractus in inſidias, cum camelorum multitudine protruſus eſſet in fauces aſperas & acceſſu difficiles juxta Gadara vicum Galaaditidis, ægre incolumis evaſit, delatuſque fuga Hieroſolymam, civili bello per ſex annos vexatus, quinquaginta millia Judæorum occidit. Quod facinus Judæorum odia ita accendit, ut reconciliationem quærenti, & roganti quid poſtularent, ore uno reſponderint: Ut de medio ſe ipſum tolleret. Ab *Alexandro* igitur penitus alieni, *Demetrium Eucærum* Syriæ Regem in auxilium advocant: Qui caſtris ad Sichima poſitis, commiſſoque prælio, omnes *Alexandri* conductitios Milites, Piſidas & Cilices interemit, ipſum vero ad fugam in Montes capeſſandam compulit. Tunc Judæi Regis fortunam miſerati, ad eum ſex millia circiter confugerunt: Quorum metu *Demetrius*, deſperato belli eventu retro abiit. Cujus ope deſtitutus Judæorum perduellium Exercitus, ab *Alexandro* debellatus eſt. Is enim ſpectatiſſimos fortiſſimoſque ex iis in *Bethoma* compulſos, oppidoque capto in poteſtatem redactos adduxit Hieroſolyma, ubi octingentos crucifigi juſſit, cum prius ſub eorum oculis uxores & liberos illorum jugulari mandaſſet: Eoque ſpectaculo paſci voluit crudelis Princeps, dum in editiore loco, unde proſpectus patebat, cum meretricibus epularetur. *Alexander Jannæus* morbo ex largiori potatione contracto, & quartana triennio integro afflictus, nec tamen a caſtrenſibus officiis abſtinens, in Geraſenorum finibus mortuus eſt, Ragaba caſtellum, quod ultra Jordanem ſitum eſt, obſidens, cum annos viginti-ſeptem regnaſſet, ac unde-quinquageſimum ætatis ageret. Moriturus uxorem *Alexandram* monuit, ut apud Milites mortem ipſius tantiſper celaret: Deinde poſtquam victrix magnifice Hieroſolyma reverſa eſſet, Phariſæis nonnihil licentiæ permittaret. Poſſe hos plurimum apud Judæos, ſive eorum aliquem cupiant lædere, ſive amicum juvare. Valde enim his fidem habere vulgus, etiamſi per invidiam de quopiam male loquantur: Et eam ob cauſam ſe gentis odium incurriſſe, quod id genus hominum offendiſſet. Suaſit igitur ut ipſius cadaver illorum arbitrio permitteret, polliceretur que nihil ſe niſi ex illorum ſententia in adminiſtrando Imperio geſturam. Sic enim fore ut & ipſe magnificentius ſepeliretur, & illa ſecurius cum filiis dominaretur. Ita *Joſephus*, legendus Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 20. 21. 22. & 23.

Alexandra Judæorum Regina.

XXXII. *Alexandra* Regina ex mariti teſtamento rerum adminiſtrationem ſuſcepit. Mox *Hircanum* majorem natu filium Pontificem declaravit, non tam propter ætatis prærogativam, quam propter innatam ſegnitiem, & otii amorem; *Ariſtobulum* vero, quod ferventioris eſſet ingenii, & ad res novandas idoneus, privatum vivere voluit: Per novem annos Regnum adminiſtravit Mulier apud Populum gratioſa, tum ob favorem Phariſæorum, tum quod ſemper viſa eſſet ægre tuliſſe ea quæ Maritus præter officium feciſſet. Et nomen quidem Regni penes Reginam erat, ejus autem adminiſtratio penes Phariſæos, quibus etiam plebs ab ea parere juſſa eſt. Si quid igitur Conſtitutionum Phariſaicarum *Hircanus* ſenex abrogaverat, id totum illa reſtituit: Iidemque & exulibus reditum, & vinctis libertatem procurabant. Qui Reginæ gratia abuſi, in illos qui regnante *Alexandro* ipſis moleſti fuerant, crudeliter ſævierunt, pluribus e medio ſublatis. Quieta fuit ſub hoc Regno Judæorum Reſpublica: Niſi quod a *Tigrane* Armeniæ Rege Syriam cum quingentis militum millibus invadente, & Ptolemaidem obſidente, metus erat. Verum hunc honorifica Legatione & muneribus *Alexandra* placavit. Illa poſtmodum difficili morbo laborante, *Ariſtobulus* junior filiorum ad res novas moliendas impatientem contemptus animum applicuit, & viginti Caſtellis intra quindecim dies occupatis, Exercitum contraxit a Monte Libano & Trachonitide, viciniſque Dynaſtis, ut Regnum fratri eriperet. Lege *Joſephum* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 24.

Hyrcanus Rex & Pontifex.

XXXIII. *Hyrcano* Summo Sacerdote, poſt *Alexandræ* Matris obitum Judæorum Rege ſalutato, anno tertio centeſimæ ſeptuageſimæ ſeptimæ Olympiadis

Q. Hor-

Q. Hortenſio, & *Q. Metello Cretico* Romæ Coſſ. bellum ei junior frater *Ariſtobulus* intulit: Quod quidem cum triennio circiter exarſiſſet, decretorium prælium ad Jerichuntem commiſſum eſt. Plurimi ex *Hyrcani* militibus ad *Ariſtobulum* transfugerunt. *Hyrcanus* in Arcem confugit; reliquus Exercitus cum intra ſeptum Templi ſe recepiſſet, brevi deditionem fecit. Tum de pace inter fratres actum.

Ariſtobulus Rex & Pontifex.

Ariſtobulus Regnum obtinuit, *Hyrcano* ad privatam vitam coacto. (Ex *Joſepho* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 1.) Cujus quidem vitæ *Hyrcanum* mitis animi virum nunquam pœnituiſſet, niſi ipſum ad res novandas impuliſſet *Antipater* Idumæus, vir pecunioſus, & factioſus.

Civile Bellum.

Eo ſuadente, ad *Aretam* Arabiæ Regem confugit, ejuſque auxiliis Hieroſolymam obſidione cinxit. Sed *Ariſtobulus Æmilium Scaurum*, *Pompeii*, qui tunc Orientis rebus a Romanis præpoſitus, bellum contra *Tigranem* Armeniæ Regem gerebat, Legatum pecunia expugnavit, ut ſpretis *Hyrcani* promiſſis, Arabes ad ſolvendam Urbis obſidionem cogeret, ni parerent, hoſtes Romani Populi declarandos. Ipſe vero ducto contra *Aretam* & *Hyrcanum* Exercitu, collatiſque ſignis ad *Papyronem*, victor fuit, ſeptem circiter hoſtium millibus cæſis, quos inter fuit *Cephalio* frater *Antipatri*. Bellum iſtud civile præſentiens *Onias* quidem vir juſtus, qui pluviam olim ſiccitatis tempore a Deo impetraverat, in latebras ſe abdidit. Hunc in caſtra abductum Judæi rogabant ut *Ariſtobulum*, ejuſque partiarios diris devoveret. Id cum diu recuſans cogeretur a turba, ſtans in medio eorum ſic precatus eſt: *Deus univerſi hujus Mundi Rex, quoniam & hi, qui mecum ſtant, tuus ſunt Populus; & qui oppugnantur, tui ſacerdotes ſunt, precor ut neque hos contra illos, neque illos contra hos orantes exaudias.*

Pompeius Hieroſolymam occupat Judæos Romani Populi vectigales facit exauctorato Ariſtobulo Hyrcanum reſtituit.

Poſt hæc vota, quidam ex Judæis viri perditi juſtum lapidibus obruerunt. Cujus cædis pœnas Deus a Judæis exegit. Non multo poſt, cum *Pompejus* ipſe in Syriam veniſſet, *Ariſtobuli* & *Hyrcani* de regno certantium cauſam cognovit: Sententiam tamen diſtulit, donec *Ariſtobulo* ſpe lactato pecuniam & caſtella quædam extorſiſſet. Cunctantem, & promiſſa non præſtantem in vincula conjecit, & Hieroſolyma profectus, ac intra Urbem ab *Hyrcani* factione admiſſus Templum ab *Ariſtobuli* partibus propugnatum, poſt trium menſium obſidionem cepit, die Jejunii, Olympiade centeſima ſeptuageſima nona, *C. Antonio*, & *M. Tullio Cicerone* Coſſ. Magna Judæorum ſtrages edita, e quibus duodecim millia cecidere. Tum *Pompejus* ſupplicio affectis, qui factionis principes erant, Judæos Romani Populi vectigales fecit, Pontificatum *Hyrcano* reddidit, a Templi theſauris manus abſtinens: Urbes in Cœleſyria, & maritimas præſertim, Gazam, Joppem, Doram, Stratonis Turrim, Judæis ademptas, Provinciæ Syriæ jam Romanis ſubjectæ attribuit; *Ariſtobulum* vero cum filiis duobus, & filiabus totidem, vinctos Romam miſit; qui deinde in Triumpho ejus Aſiatico currum victoris cum liberis *Mithridatis*, aliiſque Aſiæ Regibus & Dynaſtis comitati ſunt. Hæc pluribus *Joſephus* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Aſſamonæorum animos non fregit calamitas. *Alexander Ariſtobuli* captivi filius collecto decem millium peditum, & mille quingentorum Equitum Exercitu, & Caſtellis quibuſdam munitis, Romanorum Præſidia, & *Hircani* factionem laceſſebat. Victus autem, & ad caſtrorum ſuorum deditionem coactus eſt a Proconſule *Gabinio*, quem Mater *Alexandri* Romanis favens exoravit ne filium prorſus perderet. *Hyrcano* vero Hieroſolyma reducto, & in Sacerdotii principatu confirmato, Judæam in quinque Conventus juridicos diviſit. Ita refert *Joſephus* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 10. Poſt hæc, *Ariſtobulus* Roma profugus ac in Judæam reverſus, contracta octo millium armatorum manu, *Alexandrium* & Machæruntem caſtra diruta occupavit, ac munire fruſtra aggreſſus eſt. Nam a Romanis victus, captuſque a *Gabinio* Proconſule Romam remiſſus eſt, una cum filio *Antigono*, qui ei fugæ comes adfuerat. Liberos tamen ejus dimiſit Senatus, cum ex *Gabinii* literis cognoviſſet id eorum Matri promiſſum in caſtrorum deditione. Interea Romanorum Copiis in Ægypto occupatis, *Alexander Ariſtobuli* filius multos Judæorum ad defectionem compulit, & Romanorum Præſidia oppreſſit; ac triginta millia Militum ſub ſignis habens, auſus eſt cum *Gabinio* prælium committere, quo ex acie Judaica decem millia deſiderata ſunt. (Ex *Joſepho* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 11.) *Gabinio* Proconſuli ſucceſſit in Præfectura *M. Craſſus*, qui contra Parthos ducens Exercitum, & Hieroſolyma tranſiens, Templi theſaurum, a quo *Pompeius* abſtinuerat, diripuit, ad talentorum decem millia, præter trabem auream, quam redimendo theſauro fruſtra Sacerdos *Eleazarus* tradidit. *Craſſo* a Parthis interfecto, *C. Caſſius Longinus* cum reliquiis Exercitus Syriam ſtrenue propugnavit, & *Ariſtobuli* partes inſtigante *Antipatro* vexavit, plurimumque debilitavit. Superior erat itaque *Hyrcani* factio. Et licet *Julius Cæſar* occupata Roma *Ariſtobulum* Regem ſolutum vinculis cum duabus legionibus in Syriam mitteret; irritum tamen id conſilium fuit. *Ariſtobulus* enim veneno a Pompejanarum partium hominibus propinato in itinere extinctus eſt: Et filium ejus *Alexandrum* quod arma contra Romanos non ſemel cepiſſet, *Scipio* juſſu *Pompeii* Antiochiæ ſecuri percuti curavit. (Ex *Joſepho* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 12. & 13.)

ARTICULUS IV.

De Rebus Judæorum, ab Herode uſque ad ortum Chriſti.

Genus Herodis.

I. ANtipater, cujus Articulo ſuperiori ſæpe meminimus, homo varius & induſtrius, victo & interfecto *Pompejo*, ad Cæſaris partes tranſit, eique in Ægypto bellum gerenti opem ferens, & *Hircanum* in eadem ſtudia trahens, in Cæſaris amicitiam ſe inſinuavit, a quo multis honoribus affectus, Civitate Romana, & ea, quam eligeret, Præfectura in Syria, & Judææ Procuratione donatus eſt. Ejus etiam commendatione *Hyrcano* Pontificiam Dignitatem Cæſar confirmavit; neglecto *Antigono*, qui patrem *Ariſtobulum*, & fratrem ſuum e medio ſublatos, in odium Cæſarianarum partium allegabat. Habuit autem *Antipater* ex *Cypride* ſive *Cypro* uxore, nobili, inter *Idumæos* genere orta, filios quatuor, *Phaſaelum*, *Herodem*, *Joſephum* & *Pheroram*; filiam vero *Salomen*. Ex his *Phaſaelum* Hieroſolymis *Herodem* admodum licet juvenem, *Galilææ* præpoſuit. (Ex *Joſepho* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 19. 15. & 17.)

Herodis adhuc Juvenis audacia.

Indolem ſuam mox prodidit *Herodes*, cum enim quemdam Latronum Ducem, *Ezeciam* nomine, cum ſociis extremo ſupplicio affeciſſet, judicii capitalis poteſtatem, quæ penes Regem dumtaxat & Senatum erat, uſurpans, ea de re in judicium vocatus, cum armatis Stipatoribus coram Synedrio comparuit, & *Sexti Cæſaris* Syriæ Præſidis auctoritate judicium eluſit. Deinde ab eodem *Sexto* Cœleſyriæ Præfectus, injuriam armata manu decreverat ulciſci, & Hieroſolyma invadere; niſi patris ac fratris occurſu & precibus placatus fuiſſet.

Senatusconſulta in gratiam Hyrcani & Judæorum Romæ data.

Plura per id temporis Senatuſconſulta Romæ data ſunt in gratiam *Hyrcani*, Gentiſque Judaicæ, auctoribus *Julio* & *C. Octaviano* Cæſaribus, ut refert *Joſephus* (Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 17.) Decretum *Julii Cæſaris* ſic habet: *Hyrcanum filium Alexandri, & ejus liberos Ethnarchas Judæorum eſſe jubeo, & Pontificatum Judæorum perpetuo retinere more patrio, eſſeque ipſum & filios ejus noſtros ſocios, & in amicorum noſtrorum reſipi numerum. Jura quoque omnia Pontificalia habere illum, & filios decerno. Et ſi qua controverſia exorta fuerit de Judaica Diſciplina, judicium penes ipſum eſſe: Ad hoc hyberna Militi debere, nec pecunias ab eo exigi.* C. Cæſar Conſul edixit, ut *Hyrcani* filii Principatum Gentis Judæorum, & donata ſibi loca poſſideant: Ut Pontifex ille ac Ethnarcha Judæorum injuriam paſſis adſit: Ut ad *Hyrcanum* Judæorum Pontificem mittantur Legati acturi de Societate & amicitia, dedicarique decrevit æream tabulam hæc continentem in Capitolio, & Tyri, & Sydone, & Aſcalone in Templis, inſcriptam Romanis Græciſque literis. Idem *C. Cæſar* V. Conſul decimas *Hyrcano* ejuſque filiis ſecundum morem Majorum, a Judæis ſol-

Digitized by Google

ſolvi decrevit, illique *Joppen*, & ejus tributa & vectigalia conceſſit, quotannis ſolvenda, excepto Sabbatico, in quo neque arant, nec de arboribus fructus colligunt. Poſt mortem autem Cæſaris *M. Antonius*, *P. Dolabella* Coſſ. advocato Senatu, & introductis *Hyrcani* Legatis retulerunt de eorum poſtulatis, & amicitiam cum eis renovarunt, & quicquid petierunt Senatuſconſulto eis decretum eſt. *Dolabella* etiam acceptis ab *Hyrcano* literis, ſcripſit per univerſam Aſiam, & primæ ejus Provinciæ Civitati Epheſiorum, hunc in modum: *Dolabella Imperator Epheſiorum Magiſtratibus S. P. Q. Sal. Alexander filius Theodori, Legatus Hyrcani Pontificis ac Ethnarcha Judæorum, mihi retulit de Civibus ſuis, quod militare non poſſint, eo quod neque arma geſtare, neque iter facere eis fas ſit diebus Sabbati, neque victum more patrio p[o]ſſent ſibi quærere. Quamobrem ego quoque, quemadmodum alii ante me Imperatores immunes eos volo a Militia, permittoque ut patriis utantur moribus, convenientes Sacrorum cauſa, ſicut Leges eorum poſtulant, & conferentes in offerenda Templo Sacrificia.* Obſervandum tamen, non tam ea divinæ Legis intentione, quam ea Phariſaica Traditione, Sabbaticas ferias eo uſque extenſas a Judæis, ut ea die arma geſtare & pugnare pro ſua, & Reipublicæ ſalute non poſſent. Sed e diverticulo in viam redeamus.

Herodes cum Regia Judæorum familia affinitatem contrahit.

II. *Antipatrum* veneno extinxit *Malichus* quidam *Hyrcani* familiaris. Patris necem *Herodes*, a *Caſſio* & *Marco* Romanis ducibus Cœleſyriæ Præfectus, ultus eſt *Malichi* cæde. Cum deinde *Antigonus Ariſtobuli* filius a *Fabio Ptolemæo Mennæo* & *Marione* Tyri Præfecto adjutus Galilæam invaſiſſet, illum prælio vicit *Herodes*, & ex Provincia ſibi demandata expulit. Quo facto magnos honores ab *Hyrcano* promeritus & conſecutus eſt, eoque lubentius in Regiæ familiæ affinitatem ſuſceptus. Deſponſata enim illi erat *Mariamne* filia *Alexandri*, filii *Ariſtobuli*, neptis vero *Hyrcani*. Quæ tamen primos ejus amores non habuit, cum antea plebeiam duxiſſet uxorem, *Dorem* nomine, ex qua & *Antipatrum* filiorum natu maximum ſuſceperat. Non multo poſt, *M. Antonium*, poſt pugnam Philippicam, oppreſſoſque *Brutum* & *Caſſium*, Aſia potitum, muneribus & pecunia ita ſibi conciliavit, ut accuſatores ejus, & fratris *Phaſaeli* ne audire quidem voluerit: Quin etiam eo rogante *Antonius* edictum dedit in gratiam *Hyrcani* & Judæorum, quo mores ipſorum laudat compoſitos & pios, & quæ *C. Caſſius* tributorum exigendorum cauſa ſub haſta vendiderat Judæorum corpora, ſive bona libera eſſe, & agros a Tyriis occupatos reſtitui juſſit. Cum deinde in Syriam veniſſet *Antonius*, præſente *Cleopatra* ejus amoribus jam implicita, auditis centum accuſatoribus e Primoribus Judæorum adverſus *Herodem* ejuſque fratrem, non ſolum ambos abſolvit, ſed etiam Tetrarchas conſtituit. Illorum cauſam defendendam ſuſcepit *Meſſala*, aſſiſtente etiam *Hyrcano*. Deinde mille Judæi accuſationis inſtaurandæ cauſa Tyrum progreſſi, partim trucidati, partim diſſipati ſunt ac fugati *Herode* auctore: Populo vero clamoribus contra ipſum agente, primos accuſatores, quos in vinculis tenebat, interfici juſſit *Antonius*. (Ex *Joſepho* Lib. 14. *Antiquitatum*, Cap. 22. & 23.)

M. Antonius Herodi contra Judæos ejus accuſatores favet.

III. Magnum ſurgenti *Herodis* felicitati periculum ab *Antigono Ariſtobuli* filio creatum eſt, qui Parthos promiſſis mille talentis, & quingentis virginibus, in Judæam ad Regnum ſibi reſtituendum induxit. Hieroſolyma direpta, *Hyrcanus* & *Phaſaelus Herodis* frater in vincula conjecti; *Antigonus* Regnum & Sacerdotium occupavit, juſſitque *Hyrcano* aures amputari, ut ad Pontificatum deinceps inutilis eſſet. *Phaſaelus* ne inimica manu caderet, eliſo ad parietem capite vitam abrupit. *Herodes* cum uxorem, ſocrum, & neceſſarios reliquos Maſſadæ depoſuiſſet, fruſtra quæſito a *Malco* Arabum Dynaſta auxilio in Ægyptum fugit, indeque Romam properavit, nequidquam diſſuadente *Cleopatra*, nec hyberna tempeſtate, navigationiſque difficultate, & turbato rerum Italiæ ſtatu, profectionem retardantibus. Ut in Urbem appulit, narravitque *M. Antonio*, quæ in Judæa a Parthis & *Antigono* geſta erant, miſeratione mutatæ fortunæ, paterni hoſpitii memoria, induſtria, pecuniæque pollicitatione ita permovit non *Antonium* tantum dudum ſibi faventem, ſed & *Cæſarem Octavianum*, ut iis auctoribus, & *Meſſala* atque *Atratino* illum commendantibus, & *Antigonum* accuſantibus, non ſolum ob vetera crimina, verum etiam quod contemptis Romanis a Parthia accepiſſet Imperium, idem *Herodes* Rex a Senatu declaratus ſit. Cæterum dimiſſo Senatu, *Antonius & Cæſar medium habentes Senatum exiverunt, Conſulibus, cæteriſque Magiſtratibus deducentibus, aſcenderuntque in Capitolium, ſacra ibi facturi & Senatuſconſulta depoſituri: Et novus Rex primo Regni ſui die convivio acceptus eſt ab Antonio. Regium* autem *faſtigium adeptus eſt CLXXXIV. Olympiade, C. Calvino Domitio iterum, & C. Aſinio Pollione Coſſ.* (Ita refert *Joſephus* Lib. 14. *Antiquit.* Cap. 24. 25. & 26.)

Antigonus a Parthis adjutus Regnum & Sacerdotium occupat, Hyrcano exauctorato.

Herodes Romam ad Antonium confugit.

Rex Judæorum a Senatu creatur.

IV. Reverſum Roma *Herodem* bellum cum *Antigono* toto triennio exercuit, quo *Joſephus* ipſius *Herodis* frater ſublatus eſt. Multis oppidis, caſtriſque expugnatis, multis cladibus *Antigoni* factioni illatis, Hieroſolyma ondecim Romanis Legionibus adjutus expugnavit, qua durante obſidione *Mariamnem* filiam *Alexandri*, neptem *Ariſtobuli* dudum ſibi deſponſatam uxorem ducturus, Nuptiaſque celebraturus, Samariam profectus eſt. Clades Hieroſolymorum incidit in Conſulatum *M. Agrippæ*, & *Canidii Galli* CLXXXV. Olympiade, menſe tertio, feriis quibus ſolemne fiebat jejunium, eo ipſo die quo Urbs ante annos viginti ſeptem a *Pompejo* capta fuerat. Vinctus Romam ad *Antonium* ductus eſt *Antigonus*, quem *Herodis* ambitioni mactavit, & Antiochiæ ſecuri percuti juſſit. (Ex *Joſepho* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 27. & 28. & Libro 15. Cap. 1.) Sic finitus eſt *Aſſamonæorum* Principatus poſt annum centeſimum vigeſimum-ſextum. De *Antigono* poſtremo hujus familiæ Rege hunc *Strabonis* locum deſcribit *Joſephus* Cap. 1. Libro 15. *Antonius Antigonum Judæum perductum Antiochiam ſecuri ſubjecit, Romanorumque primus affecit Regem hoc ſupplicio, ratus non aliter poſſe adduci Judæos, ut Herodem pro illo Regem conſtitutum admitterent. Nam ne tormentis quidem adigi poterant ut appellatione Regis eum dignarentur. Tanta apud eos fuit prioris Regis exiſtimatio. Quare viſum eſt ignominioſa morte obſcurare ejus memoriam, & lenire publicum Herodis odium.*

Herodis bellum cum Antigono.

Antigoni cædes.

V. *Hyrcanum* Pontificem apud Parthos clementer habitum, ut ſecurior ab eo eſſet, Hieroſolyma pellexit *Herodes*; deinde precibus uxoris & ſocrus, tum *Cleopatræ* & *Antonii* interceſſionibus commotus, *Ariſtobulum*, ultimum præter ſenem *Hyrcanum* ex Aſſamonæis, uxoris fratrem, Pontificem creavit, exauctorato *Ananelo*, quem Babylone accitum eo Munere ornaverat. Sed eumdem *Ariſtobulum*, anno primo Pontificatus, in piſcina vicina Regiæ natantem, ſpecie luſus aquis præfocari juſſit, annos octodecim natus, quod & Populum ei favere, & ſocrum *Alexandram*, eo vivente, Regni in familiam ſuam reducendi ſpem non depoſituram ſuſpicaretur. Ob *Ariſtobuli* cædem ad dicendam cauſam ab *Antonio* Laodicæam vocatus, eum muneribus placavit. Hieroſolymam redux, *Joſephum* patruum ſuum, ſororiſque maritum occidit, quod *Mariamni* uxori ſecreta mandata, de ea, ſi vivus ipſe non rediiſſet, interficienda, revelaſſet. *Alexandram* ſocrum in vincula conjecit, uxori ægre admodum reconciliatus eſt. (Ex *Joſepho* Lib. 15. Capp. 2. 3. 4.

Ariſtobulus ultimus ex Aſſamonæorum ſtirpe Pontifex.

Herodis crudelitas.

VI. *Antonio* Actica pugna victo in ſummo periculo conſtitutus *Herodes*, ad *Cæſarem Auguſtum* profectionem adornavit. Antea tamen *Hyrcanum* ſenem octogenarium, olim Pontificem, occidit, qui ſpe Regni recuperandi fugam ad Arabes meditabatur, *Alexandræ* filiæ importuna ſuaſione victus. *Mariamnem* vero uxorem, quia propter ſimultatem cum matre ejus & ſorore degere non poterat, in Alexandrio caſtro cum *Alexandra* matre concluſit, commiſſa Quæſtori ſuo *Joſepho* & *Sohemo* Ituræo Caſtri cuſtodia; Quibus etiam mandaverat, ut ſi forte in itinere moreretur, confeſtim ambas interficerent, Regnumque pro viribus liberis ejus, ac *Pheroræ* fratri conſervarent. Ubi *Rhodum* appulit, poſito tantum diademate, de cætero cultu regio nihil mutans, ad *Cæſaris* colloquium admiſſus eſt, animique ſui magnitudinem oſtendit, non ad ſupplicationes verſus, ut in tali

Herodis periculum, ad Cæſarem Auguſtum profectio. Magnanimitas.

for-

Digitized by Google

fortuna mos eſt, ſed facti ſui rationem intrepide reddens. Amicum enim *Antonii* ſe fuiſſe profeſſus eſt, nec ejus rei ſe pœnitere: Poſſe autem *Cæſarem* experiri, num ipſe fidelis & conſtans amicus eſſet. Generoſa ejus oratione, & obſequii oblatione permotus *Cæſar*, Regnum ei confirmavit: Redeuntem deinde en Ægypto *Cæſarem* cum Exercitu regis magnificentis Ptolemaide excepit, & octingentis ſalenſis donavit. (Ex *Joſepho* Libro 15. *Antiquitatum*, Capp. 9. & 10.)

VII. Cum *Cæſar* extinctis *Antonio*, & *Cleopatra*, Ægypto potiretur, ad ipſum profectus *Herodes* magnis ab eo beneficiis ornatus eſt. Quadringentorum enim Gallorum *Cleopatræ* ſatellitium illi donavit *Cæſar*, & regionis partem ei reddidit quam illa prius occupaverat. Attribuit etiam ejus Regno Gadara, Hippon & Samariam; in maritimis Gazam, Anthedonem, Joppen, Sistoniſque Turrim; quæ illi non mediocris fuit ad Regium ſplendorem acceſſio. Deducto Antiochiam *Cæſare* in Regnum reverſus, domeſtico ſcelere felicitatem ſuam corrupit, interfecta en iniquis ſuſpicionibus, & *Salomes* ſororis ſuæ calumniis, *Mariamne* uxore pulcherrima & caſtiſſima, ſed moroſiore, & quæ ſorori ejus ac matri humilitatem generis, ipſi vero *Herodi* patris ac fratris ſui necem exprobaret.

Herodis crudelitas in Mariamnem uxorem, ſocrum Alexandram, & amicos.

Extincta *Mariamne*, in corde *Herodis* haud extinctus eſt ejus amor, quin etiam flagrare cœpit impotentius. Sæpe invocabat ejus nomen, ſæpe etiam indecore lamentabatur, neque convivio, compotationibus, aliiſque oblectationibus lenire dolorem poterat. Sæpe Miniſtros vocare Mariamnem jubebat, quaſi illa adhuc viveret. Vis doloris ipſum a Regni curis diſtraxit, gravi morbo affecit, ac de ſtatu mentis pauliſper deturbavit. Hujus ægritudinis occaſione *Alexandram* ſocrum novas res moliri cum audiviſſet, eam ſine mora juſſit interfici. Recuperata ſanitate ferocios evaſit, ne ab intimis quidem amicis cruentas manus abſtinens, *Coſtobaro* ſcilicet, *Lyſimacho*, *Antipatro* cognomine *Godiæ*, & *Doſitheo*. *Coſtobarus* ſecundus erat *Salomes* ſororis *Herodis* maritus, cui illa novo exemplo & antea in Gente Judaica inaudito, libellum repudii ob privata diſſidia ſcripſerat. Pluses illis adjuncti fati comites, quotquot præſertim ex *Hyrcani* cognatione ſupererant. Pacato, ut illi videbatur, tot cædibus imperio, quo magis *Cæſarem* promereretur, Athletica certamina quinto quoque anno in ejus honorem inſtitui, Amphitheatro Hieroſolymis extructo, quod a Judaicis moribus alienum erat.

Herodes Cæſari adulatur.

Cum vero Trophæis Cæſaris Theatrum ornatum eſſet, Judæi hominum imagines ſub his latere arbitrati ſeditionem fecerunt, quæ plurimorum cædibus vix ſedata eſt. Hieroſolymitanis Arcibus non contentus, *Samariam & Stratonis Turrim* munivit, ut totam Gentem Judaicam, ad defectionem pronam, in officio contineret; mutatiſque nominibus, primam *Sebaſten*, alteram *Cæſaream* appellavit. Alias etiam Arces condidit, & Præſidiarios Milites in illis collocavit ad tutelam Regni. (Ex *Joſepho*, Libro 15. *Antiquitatum*, Cap. 12.)

Herodes Judæorum odium beneficiis lenire conatur.

VIII. Peſtilentia & fame per Judæam graſſantibus, *Herodes*, profuſis opibus, & diſtracta Regia ſupellectile en Ægypto nonaginta millia cororum tritici alendo Populo coemit, lenitiſque plebis odiis eximiam laudem beneficentiæ ac providentiæ retulit. Nova deinde Regia in ſuperiori Urbis parte extructa, novam etiam uxorem duxit *Simonis Boethi* filiam. Socerum vero Pontificem creavit, exauctorato *Jeſu Phabetis* filio. Apud *Cæſarem*, & *Agrippam* a *Zenodoro* & Gadarenſibus quibuſdam accuſatus, non ſolum abſolutus eſt, ſed Trachonitide, aliiſque Dynaſtiis auctus. In grati animi monumentum *Cæſaream Urbem* condidit in honorem *Cæſaris* in loco cui olim *Stratonis Turri* nomen fuerat; ibique, & in aliis etiam locis extra Judæam, Templa ipſi erexit, & Statuas dedicavit cum *Jovis Olympii* ſimulacro & mole & arte certantes.

Herodis Politica.

Cum autem ob hujuſmodi opera Judaicæ Religionis integritati contraria grave murmur, ſeditionique proximum apud Judæos ortum eſſet, *Herodes* tertiam tributorum partem eis remiſit, ut eorum animos placaret. Conventicula etiam & frequentiora convivia prohibuit, graviſſimis pœnis in Edicti tranſgreſſores decretis. Plebejo ſæpe cultu noctu ſe miſcebat vulgo, Populi animos & ſtudia exploraturus; & in eos omnes ſæviebat, qui erga ipſum non bene affecti eſſent. Reliquam vero multitudinem jurejurando ſuis partibus obſtringebat. Phariſæis dumtaxat *Pollionis* & *Sameæ* ſectatoribus, necnon *Eſſæis*, quorum unus *Manahemus* nomine Regnum ipſi prædixerat, juramentum remiſit. (Ex *Joſepho*, Libro 15. *Antiquitatum*, Cap. 13.) Anno Regni ſui octavo novum Hieroſolymis Templum, idque majus, & magnificentius quam illud *Zorobabelis*, a fundamentis extruere aggreſſus eſt, ſi quæ fides *Joſepho*, Libro 15. Cap. 14. & Libro 6. *De Bello Judaico*, Capp. 6. & 16. idque ſpatio annorum novem & dimidii. An autem *Joſepho* de hujus Templi ſtructura credendum ſit, ſive an *Herodes* Templum a fundamentis revera extruxerit, Capite ſequenti expendemus.

Herodis cum filiis diſſidium.

IX. Contra ſuos ex *Mariamne* filios, tanquam altiora ſpirantes, a *Salome*, & *Pherora* inſtigatos, conſilium cepit promovendi præ illis *Antipatrum* prioris uxoris filium. Huic itaque *Cæſari* commendavit, & in *Agrippæ* comitatu Romam miſit. Haud multo poſt, repetitis ab *Antipatro* calumniis, dictos filios apud Cæſarem, tanquam ſibi inſidias ſtruerent, accuſavit. Ex illis *Alexander* pro ſe ac fratre *Ariſtobulo* tanta modeſtia, tantoque affectu peroravit, ut *Cæſar* leves eſſe ac vanas *Herodis* ſuſpiciones minime dubitaret. Reconciliavit itaque parentem filiis, ac dimidia parte metallicorum proventuum in Cypro donatum domum remiſit, trecentis viciſſim talentis ab eo donatus; illique poteſtatem fecit eligendi ſucceſſorem, quem vellet ex filiis, data etiam optione dividendi Regni in ſingulos. (Ex *Joſepho*, Libro 16. *Antiquitatum*, Capp. 6. 7. & 8.)

Edictum Cæſaris in gratiam Judæorum.

X. Interea Judæi Aſiatici & Cyrenenſes a *Cæſare* obtinuerunt Edictum pro libero Legum & Rituum ſuorum uſu, & pecuniæ mittendæ Hieroſolyma facultate, his verbis præſcriptum: *Cæſar Auguſtus Pont. Max. Tribunus poteſtatis ita cenſet: Quoniam Judæorum Gens ſemper fida & grata fuit Populo Romano, non nunc tantum, ſed ſuperiori etiam tempore, præcipue Patri meo Imperatori Cæſari, ſub Hyrcano Pontifice: Placet mihi de communi jurati Senatus ſententia Judæos uti propriis Ritibus ac Legibus, ſicut utebantur tempore Hyrcani Pontificis Dei Maximi: Et Fanis eorum jus Aſyli manere: Liceatque eis votivam pecuniam per certos homines mittere Hieroſolyma: Neque cogi ad præſtanda vadimonia Sabbatis, aut pridie Sabbatorum poſt horam nonam in Paraſceve. Quod ſi quis deprehendatur furari ſacros Libros, aut ſacram pecuniam ex locis eorum religioſis, hunc teneri ſacrilegii, & bona ejus addici Ærario Romani Populi.* (Refert *Joſephus* Libro 16. *Antiquitatum*, Cap. 10.)

Inteſtina in Herodis domo diſſidia.

XI. Inteſtina diſſidia in *Herodis* Domo recruduerunt, *Salome* ſorore, & *Pherora* fratre novas ſuſpiciones adverſus *Mariamnes* filios excitantibus; ita ut *Alexander* in vincula conjiceretur, ejoſque honoratiores amici quæſtioni ſubjecti, crimen licet nullum confeſſi, extremo ſupplicio afficerentur. Juvenis Princeps multa non ex vero, ſed vexandi parentis cauſa faſſus eſt, quem videbat injuſtis ſuſpicionibus miſere excruciari. Quatuor namque Libellos a ſe conſcriptos ei miſit, negans opus eſſe tormentis pluribus. Structas inſidias fatebatur, earumque participes eſſe *Pheroram*, & amicorum fidiſſimos. Quin & *Salomem* obrepentem noctu ſecum invito eſſe congreſſam; omneſque eo tendere, ut illo ſublato optatam aſſequerentur licentiam. Ejuſdem conjurationis arguebantur & *Ptolemæus* & *Sapinnius*, præ cunctis Regi fidiſſimi. Nec aliter quam rabie quadam occupati in ſe invicem efferebantur Aulæ Herodianæ Proceres, non defenſione, non coargutione expectata tantiſper, dum veritas pateret, judicium prævenientes ſupplicio. Alii vinciebantur, alii necabantur, alii nihil lætius expectantes, moras ipſas quam repræſentationem malorum impatientius ferebant: Ingenſque mœror fœdabat priſtinam Regiæ felicitatem. Ne *Herodem* quidem ipſum vitæ in tali perturbatione non tædere poterat, cui quod nemini ſe auderet credere, pro tormento erat futuri exitus expectatio: Sæpeque illi obverſabatur ſtricto gladio irruens fili-

us,

us, noctu diuque nihil aliud cogitanti, ut jam parum abeſſet ab inſania. Verum & hac vice patri reconciliatus eſt *Alexander* opera *Archelai* Cappadocum Regis, cujus filiam *Glaphyram* uxorem duxerat. (Ex *Joſepho*, Libro 16. *Antiquitatum*, Capp. 11. & 12.

Herodes apud Cæſarem accuſatus, ei reconciliatur.

XII. A *Syllæo* Arabe apud *Cæſarem* accuſatus *Herodes* ejus indignationem ſubiit, ſed *Nicolai Damaſceni*, qui pro ipſo Legationem obiit ſingulari induſtria illi reconciliatus eſt. Filios interim ſuos *Alexandrum* & *Ariſtobulum* calumniis ab *Euryele* quodam Lacedemonio viro perditiſſimo oppreſſos in vincula conjecit, deinde apud *Cæſarem* accuſavit. Cauſa vero eorum, ut juſſerat *Cæſar*, apud Syriæ Præſides, & Conventum Romanorum Beryti ab *Herode* ſumma cum vehementia, propoſita, infelices illi Principes ne auditi quidem, damnati ſunt, & crudeliſſimi Patris arbitrio relicti, cujus mandato *Sebaſte* ſtrangulati ſunt. Trecentos etiam ordinum Ductores ex Militibus ſuis imprudenti veterani cujuſdam nomine *Tyronis* libertate nominatos, tanquam filiorum complices, & conjurationis a *Tryphone* Tonſore eidem *Tyroni* per calumniam affictæ conſcios, apud Populum accuſavit, a quo lapidibus obruti ſunt. (Ex *Joſepho* Lib. 16. Capp. 17. & 18.)

Alexandrum & Ariſtobulum ſuos ex Marianna filios necat.

Bethleemiticarum infantium cædes ab Herode imperata.

XIII. *In diebus Herodis Regis*, anno pene integro ante illius Tyranni mortem, natus eſt JESUS CHRISTUS SALVATOR MUNDI, de cujus Natalis Epocha legi poteſt Diſſertatio noſtra I. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi primi. Cum autem Magi ad Regis Judæorum recens nati, Chriſti ſcilicet cunas, illum adoraturi cum muneribus Hieroſolymam Stella duce veniſſent, *Herodes* a Principibus Sacerdotum & Scribis ſciſcitatus ubi Chriſtus naſceretur, illiſque ſecundum Scripturas reſpondentibus, *In Bethleem Judæ*; cum deinde ſe a Magis per aliam viam in patriam reverſis deluſum videret, *Iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, a bimatu & infra ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis* (Cap. 2. S. *Matthæi*) quam *Herodis* παιδοκτονίας infideli ſilentio preſſit *Joſephus*. Eodem circiter tempore *Antipatrum* filium parricidalis ſceleris præſente *Quintilio Varo* Syriæ Præſide, qui *Saturnino* ſucceſſerat, primum ipſe, deinde per *Nicolaum Damaſcenum* accuſatum, & multis teſtimoniis convictum, in vincula conjecit, remque omnem ad *Cæſarem* detulit. Interim ipſe & ſenio confectus (ſeptuageſimum enim annum agebat) & domus ſuæ malis exulceratus, in gravem ac fœdum morbum incidit, cui leniendo cum nulla remedia proficerent, doloris impatientia ſibi ipſi manus inferre conatus eſt. Nihil tamen ex ſævitia ſua remiſit, cadaveri licet quam homini vivo ſimilior. Vivos enim comburi juſſit *Judam* & *Matthiam* nobiles Juvenes & Legis Peritos, quorum ſuaſu quidam Aquilam auream, quam in frontiſpicio Templi *Cæſari* dicaverat, Religionis Legiſque zelo detraxerant. Deinde *Antipatrum*, cum fugam e carcere moliretur, interfici juſſit. *Cum autem audiſſet Auguſtus, inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum juſſit interfici, filium quoque ejus occiſum, ait, Melius eſſe Herodis porcum eſſe quam filium.* Refert *Macrobius* Libro 2. *Saturnalium* Cap. 4. Filium illum *Herodis* inter pueros Judæos Bethlemitas a Patre interfectum, fuiſſe infantem recens natum, quem cum aliis ſuſtulit, ne is foret ad quem, ex Magorum vaticinio Judæorum Regnum eſſet perventurum, cenſet *Baronius* ad Annum primum Chriſti. Hanc opinionem merito refellit *Caſaubonus* Exercitatione ſecunda adverſus Baronium Articulo 17. primo quod veriſimile non ſit, *Herodem* qui ſeptuagenarius obiit, ante biennium genuiſſe filium qui bimulus cum cæteris ſit occiſus. Secundo, ſi jure miramur inexcuſabile ſilentium *Joſephi*, qui de infanticidio nihil dixit, ei admirationi multo juſtior erit locus, ſi inter cæteros unus extitit ipſius *Herodis* filius. Tertio. *Herodis* filium ejus ætatis, Bethleemi potius quam in Urbe fuiſſe nutritum, nulla ſuadet ratio veriſimilis. Si autem Hieroſolymis nutriebatur, cur occidendis in Bethleem eſt annumeratus? Poſtremo, cædes infantium Bethleemitarum cauſam habuit, quia e Scripturis perſuaſum *Herodi* fuerat, quemdam eſſe Bethleemi natum infantem, qui futurus eſſet Rex Judææ tranſlato ad ſe Regno e domo *Herodis*. Dura autem eſt & pene abſurda conjectura, *Herodis* conjugem Bethleemi potius quam in Regia peperiſſe, ſi quidem peperit. Nec etiam veriſimile eſt ſæviſſimum illum Tyrannum filios, aut ſuos e filiis, quos occiderat, nepotes, amore tanto fuiſſe proſecutum; ut natum ex ſe infantem propterea necari juſſerit; ne priores liberi Regnum amitterent, cum præſertim Regnum in ſua Domo nihilominus manſurum cognoſceret. *Grotius* ad *S. Matthæi* Cap. 2. cenſet *Macrobium* errore quodam hiſtorias duas ejuſdem temporis miſcuiſſe: Quia non ſatis recte dici poteſt *Antipater* Herodis filius, jam provectæ ætatis, quique *Bethleemi* non fuit, inter Infantes Bethleemiticos occiſus. Adde, quod *Antipater* occiſus eſt quinto ante mortem *Herodis* die; hæc autem laniena ante aliquanto contigit, ut colligitur ex *Cap.* 2. S. Matthæi, v. 19. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & vade in Terram Iſrael: Defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Eruditus Præſul *Daniel Huetius Demonſtrat. Evangel. Propoſit.* 9 Cap. 15. *Antipatri* cædem a *Macrobio* notari exiſtimat, ſic tamen ut non duas in unam confuderit hiſtorias, ſed unicam hiſtoriam, eamque diſtinctam ac veram narraverit. Nam quod ſcribit, occiſum eum fuiſſe inter pueros Bethleemitas, non ſic intelligendum quaſi unus fuerit ex his pueris; ſed quo tempore trucidati illi ſunt, eodem & hunc fuiſſe morte affectum. Neque hic fuit Herodianæ ſævitiæ cumulus. Cum enim in extremis eſſet, *Salomæ* ſorori, ejuſque marito *Alexæ* juſſit, ut Primores Judæorum, quos ob id Hieroſolymis Hiericuntem, ubi decumbebat, evocatos, in Circo concluſerat, ſtatim atque ipſe animam efflaſſet, occidi curarent. Scilicet ut Populus Judaicus, cui magnum ex morte ſua gaudium futurum ſciret, luctus univerſalis cauſam haberet, ſicque non abſque lacrymis funus ejus efferretur. Condito teſtamento quo filio *Archelao* Regnum, *Antipæ* Galilæam, & *Philippo* Trachonitidem, Gaulanitidem, Bathanæam & Paneadem, Tetrarchiæ nomine relinquebat, adſcripta ingenti pro Cæſare, amicis, & cognatis legatorum ſumma, obiit ante Ferias Paſchales, poſt detruſum Regno *Antigonum* anno trigeſimoquarto; ex quo autem a Romanis Rex declaratus eſt anno trigeſimoſeptimo. De cujus extremis legendus *Joſephus* Libro 17. *Antiquitatum*, Capp. 8. 9. 10.

Herodes filium Antipatrum interfici jubet.

Inter Infantes Bethleemitas occiſus non fuit.

Baronius refellitur.

Mors Herodis.

ARTICULUS IX.

DE SECTIS JUDÆORUM
Sexta Mundi Ætate exortis.

---

§. I.

De Samaritanis.

POſt Decem Tribuum deportationem, coloni in Samariam a *Salmanaſſare* Aſſyriorum Rege ſubmiſſi, novam Religionem ex commixtione ſacrorum & profanorum Rituum condiderunt Samaritaniſmi nomine. Deum Iſraelis, & Vitulos aureos *Jeroboami* colebant, illiſque Sacra faciebant in Excelſis, unaque Idola ex veteri ſuperſtitione venerabantur. *Manaſſis* fratris *Jaddua* Summi Pontificis ad *Sanaballatum* ſocerum, Samariæ Præfectum defectio, Sectam celebriorem fecit. Cum enim *Sanaballat* a *Dario* primum, tum ab *Alexandro Magno* veniam impetraſſet ædificandi Templum in Monte *Garizim*, æmulum Hieroſolymitano, Judæorum cæremoniis ad imitationem tractis, & *Manaſſe* illis Sacris præfecto, repurgatus a Gentiliſmo Samaritanorum cultus, plures etiam, qui ſeveriori ſe Judæorum diſciplinæ ſubduxerunt, ſectatores habuit. Figmenta Samaritanorum ex odio & æmulatione Judaicæ Gentis, quæ jam inde ab inſtauratione Templi ſecundi cœperat, ut conſtat ex Libro 1. *Eſdræ*, Cap. 4. & ex *Joſepho* Libro 11. Cap. 4. & quæ flagrabat adhuc Chriſti tempore, ut ex

ſ. S,

Digitized by Google

4. *S. Joannis* Capite compertum eſt, hujuſmodi fuere: Se *Jacob* Patriarchæ ex duobus filiis oriundos gloriabantur, ex Ægypto eo tranſlatos, ſibi a *Joſue* eam Terram aſſignatam, ubi ſepulcrum *Joſephi*; ſe poſſeſſores ab ævo Montis benedicti; Sacerdotes ſuos vere Aaronicos eſſe. Cæterum unum Deum Iſraelis adorabant, Meſſiam expectabant, (*Joannis* 4. 25.) in Circumciſione, Sacrificiis, obſervatione Feſtorum, damnatione Pollutionum, Purificationibuſque Legalibus, cum Judæis conveniebant. *Moſis* Pentateuchum recipiebant & ſervabant. A Judæis vero diſcrepabant in loco cultus, in Scriptorum Propheticorum, cæterorumque in Canone Judaico conſcriptorum repudiatione, in Traditionum per Phariſæos invectarum rejectione. Multa Samaritanis affinxerunt Judæi odio æmulæ Gentis. 1. Quod columbæ ſimulacrum in memoriam Semiramidis colerent. Secundo, quod Reſurrectionem negarent, quod ipſis etiam tribuunt *S. Epiphanius* Lib. 1. *Hæreſ.* 4. & *S. Gregorius* Lib. 1. *Moralium*, Cap. 15. 3. Quod tres Alphabeti literas non agnoverint. 4. Quod verba Geneſis 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ita legerint; *In principio creavit azyma*. Quas quidem calumnias *Vualtonus* poſt alios refellit *Prolegomeno* 11. *in Biblia Polyglotta*.

De Judæorum in Samaritanos odio ſcriptum eſt in *Pirke Avoth*, ſive *Capitibus Patrum*, (ſi *R. Eleazaro* fides habenda ſit) *Veniſſe Samaritarum* 180000. *viros contra Eſdram & Nehemiam, ut impedirent eos in ædificando: Unde Excommunicationem ſolemnem contra ipſos Eſdra, Zerubbabel, & Jehoſua fulminarunt.... Convocarunt totum cœtum, in Templum Dei, & venire fecerunt trecentos Sacerdotes, trecentos pueros qui habuerunt trecentas buccinas, & trecentos Libros Legis in manu eorum qui clangebant. Levitæ vero canebant & pſallebant, & Cuthæos anathematizabant, & ſchammatizabant, & excommunicabant per ſecretum nominis Tetragrammati, & per Scripturam quæ ſcripta fuit in Tabulis, & per Anathema Domus Judicii ſuperioris, & per Anathema Judicii inferioris, ne quis Iſraelita comederet panem Cuthæi in æternum. Unde dixerunt: Quiſquis comederit carnem Cuthæi, erit ſicut comedens carnem porci*. Et, *ne quiſquam Cuthæum faceret Proſelytum: Nec ſit Cuthæis pars in Reſurrectione Mortuorum, ſicut dictum eſt: Non nobis & vobis ædificatio domus Dei; neque in hoc ſæculo neque in futuro; nec iis ſit pars & hereditas in Jeruſalem*. Refert *Joſephus* Libro 12. Cap. 1. poſt *Alexandri Magni* mortem, *Ptolemæum Lagum* Regem Ægypti, devicta Judæa, & Samaria, magnam Judæorum & Samaritanorum turbam in Ægyptum captivam abduxiſſe, quos multi ſponte ſecuti ſunt, partim ubertate ſoli, partim *Ptolemæi* liberalitate allecti. Continuas vero inter Samaritanos & Judæos Alexandrinos fuiſſe rixas, utriſque pro Templo ſuo certantibus, dum hi victimas ad Hieroſolymitanum dumtaxat, illi ad Garizitanum mittendas contendebant: Eoque audaciæ Samaritanos progreſſos fuiſſe, ut etiam coram Rege *Ptolemæo Philometore*, & amicis ejus contra Judæos pro Templo ſuo contra Hieroſolymitanum litigare auſi, idque pœna capitis conſtituta, ſi cauſa caderent. Victos qui pro Samaritanis certabant juſſu Regis morte mulctatos, teſtatur *Joſephus* Libro 13. Cap. 6.

Antiochi Epiphanis perſecutione in Judæos territi ad Ethnicismum deſecerant, & Garizitanum Templum conſecraverant *Jovi Hellenio*; ſed poſt *Antiochi* mortem ſtatim ipſos ab Idololatria receſſiſſe, probat illa ſub *Ptolemæo Philometore* cum Judæis contentio a *Joſepho* relata. Templum illud a *Joanne Hyrcano Simeonis* filio, Pontifice Judæorum cum Urbe Samaria dirutum, & ſolo æquatum diximus, referente *Joſepho*, Libro 13. Cap. 17. *Herodes* Urbem inſtauravit, Templumque in ea condidit, ſed in eo ut offerrent Sacrificia Samaritani adduci non potuere, quæ ſemper celebrarunt in Altari, quod ſuper Montem Garizim conſtruxerant, uſque ad Chriſtum, ad quem mulier Samaritana Joannis 4. *Patres noſtri in Monte hoc adoraverunt, & vos dicitis quod Hieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet*.

Plures Samaritanorum Sectas *S. Epiphanius* recenſet, *Gorthenos*, *Eſſenos*, *Doſitheanos*. At *Eſſeni* Judæorum Secta fuerunt, non Samaritanorum, ut conſtat ex *Joſepho* & *Philone*. *Doſitheanos* quod ſpectat, auctorem habuerunt illi *Doſitheum* Apoſtolicorum circiter temporum Impoſtorem, qui ſe Chriſtum eſſe dicebat a *Moyſe* prænunciatum his verbis: *Prophetam tibi ſuſcitabit Dominus Deus tuus ex fratribus tuis, ſicut me*. Deuteron. 18. 15. Ita referunt *Origenes* Libro 1. *Contra Celſum*, & Tractatu 27. in *Matthæum*; ejuſdem meminit & *Tertullianus*. Illum in Sanctos Prophetas maledicum fuiſſe & potiſſimum in *Judam* unum ex 12. Patriarchis, & Reſurrectionem negaſſe, & Moſaicum Pentateuchum adulteraſſe, alioſque libros fabulis plenos & erroribus conſarcinaſſe, Auctor eſt *Photius* in Bibliotheca.

Pentateuchus Samaritanus antiquiſſimus eſt ab *Euſebio Cæſarienſi*, *S. Hieronymo*, *S. Cyrillo Alexandrino*, *Diodoro Tarſenſi*, *Procopio Gazæo* laudatus. Textum Samaritanum *Pentateuchi* Viri quidam Eruditi conflatum volunt a *Doſitheo* partim ex Hebræo Textu, partim ex Græco, & ab utroque in multis diſcedere obſervant, modo auctiorem, modo mutilum, ac mutationibus fœdum. In his *Simeon de Muis*, *Uſſerius*, *Seldenus*, *Bootius*, *Hotingerus*, *Buxtorfius*, *Photio* præeunte *Cod.* 230. ubi de *Doſitheo* ſic loquitur: *Octateuchum ſpuriis Scriptis, & omni genere mixtis corruptelis adulteravit: Alioſque Libros ſtultitia & portentis plenos, divinisque Legibus contrarios conſarcinavit*. Alii cenſent Samaritanos Codices & Hebræos eoſdem olim fuiſſe, utcumque in aliquibus diſcrepent, eodemque charactere ſcriptos quem Samaritani adhuc retinent. Unde Samaritanum Pentateuchum hodieque ſincerum extare probant, nec a *Doſitheo* interpolatum. In his *Morinus Exercitatione in Samaritanum Pentateuchum*, *Capellus*, *Vualtonus* Prolegomeno 11. in Biblia Polyglotta. Quos lector ſtudioſus conſulere poterit. Si quæ autem diverſitas occurrit, eam in lectionum varietatem omnino refundunt. De Samaritanis legi poſſunt *R. Benjamin* in *Itinerario* quod Hebraice & Latine edidit *Conſtantinus Lempereur*, & *Scaliger* Libro 7. De Emendatione Temporum, *Heinſius* Cap. 20. Ariſtarchi Sacri, *Druſius* Lib. 3. *De tribus Judæorum Sectis*, & alii.

§. II.

De Sadducæis.

Sadducæos a *Sedeck*, id eſt, *juſtitia* nominatos *S. Epiphanius* aſſerit, hac in re doctis non probatus. Alii a *Sadoc* eorum nomen derivant, non quidem ab antiquo illo qui *Davidis* & *Salomonis* ætate vixit, ut *S. Epiphanius*; ſed ab altero qui diſcipulus fuit *Antigoni Sochæi* clari poſt *Simonem juſtum*, cujus ſocius & condiſcipulus fuit *Baithos*, ut auctor eſt *Elias* in Thiſbi. *Sadoc* enim ille, & *Baithos*, a præceptore deſciſcentes, Legem oretenus traditam abnegarunt; neque alteri quam quod Legis ſcripto eſſet expreſſum, adhibendam fidem putarunt. Ex quo *Karæam* ſeu *Karræi* & *Karraita*, quaſi *Textuales* dicti & *Scripturarii*, id eſt ſolo Scripturæ Textui, Traditionibus rejectis, adhærentes. A *Doſitheo* Samaritano propagatos *S. Epiphanius* Hæreſi 14. & *S. Hieronymus* Dialogo contra Luciferianos, aſſerunt. Sadducæorum dogmata, moreſque deſcribit *Joſephus* Libro 2. *De Bello Judaico*, Cap. 7. *Sadducæi*, inquit, *fatum omnino negant, & Deum extra omnem mali patrationem inſpectionemque conſtituunt. Aiunt autem electioni hominum vel bonum vel malum eſſe propoſitum: Et ſecundum voluntatem propriam utrumque unicuique contingere. Animarum autem generaliter vel ſupplicia denegant, vel honores. Et Phariſæi quidem faciles, & qui ſtudeant ſe mutua dilectione complecti: Sadducæi vero & inter ſe ſeſe moribus diſcrepantes, & converſatio eorum circa exteros inhumana*. Et Libro 18. *Antiquit.* Cap. 2. *Sadducæorum opinio cum corpore extinguit ſimul & animas: Nec quidquam præter Legem ſervandum exiſtimant. Nam de ſapientia cum Præceptoribus diſceptare, ad virtutem reputant. Hujus Sectæ pauci ſunt, ſed fere dignitate præcipui. Ex horum tamen ſententia vix quicquam agitur. Nam quo-*

tiei Magiſtratus licet inviti ſuſcipiunt, Phariſæorum decretis aſſentiunt, ni facerent, non ferendi a plebejorum multitudine. Mortuorum Reſurrectionem, Angelos, & ſpiritualem omnem ſubſtantiam ipſos negaſſe, conſtat ex Actuum 23. 8. *Sadducæi enim dicunt, non eſſe Reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Phariſæi autem utraque confitentur.* Unde conſequens eſt ipſos aſſeruiſſe, corporeum eſſe Deum, ut *Lyranus* exiſtimat, & Spiritum Sanctum etiam abnegaſſe, quod illis tribuit & S. Epiphanius, *Angelos*, inquit, *repudiant, ac Spiritum Sanctum ignorant, quem nec accipere meruerunt.* De illorum cum *Jeſu* congreſſu Matthæi 22. 23. legimus: *Acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, Non eſſe Reſurrectionem, & interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Erant autem apud nos ſeptem fratres: & primus, uxore ducta, defunctus eſt: Et non habens ſemen, reliquit uxorem ſuam fratri ſuo. Similiter ſecundus & tertius uſque ad ſeptimum. Noviſſime autem omnium & mulier defuncta eſt. In Reſurrectione ergo cujus erit de ſeptem uxor? Omnes enim habuerunt eam. Reſpondens autem Jeſus, ait illis: Erratis neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. In Reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: Sed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. De Reſurrectione autem Mortuorum non legiſtis quod dictum eſt a Deo dicente vobis; Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Sadducæos Sacros omnes Libros præter Pentateuchum repudiaſſe affirmant Veteres omnes, præſertim *Origenes*, *Tertullianus*, *S. Hieronymus*, *Beda*. Quod perperam negat *Scaliger*, & contrarium a *Joſepho* tradi aſſerit. Sed tantum abeſt ne contrarium *Joſephus* ſentiat, ut in communem illam ſententiam potius adſtruat Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 18. *Nunc*, inquit, *indicandum eſt, quod multas Conſtitutionum a Majoribus per manus acceptas Phariſæi tradiderint Populo, quæ non ſunt ſcriptæ inter Leges Moſaicas: & ideo Sadducæi his auctoritatem abrogant dicentes, Oportere tantum eas ſervari quæ ſcripto continentur.* Sadducæi igitur, auctore *Joſepho*, ſola hæc admittenda, obſervandaque dicebant, quæ eſſent ſcripta in Moſaica Lege. Quod & Libro 18. Cap. 2. his verbis expreſſit: *Nec quicquam præter Legem ſervandum exiſtimant.*

S. III.

De Phariſæis & Scribis.

I. PHariſæorum nomen a voce Hebraica *Pharez*, quod *Separationem* ſignificat, derivatum, quod dignitate, ſanctitate, inſtitutis, habitu, a reliquis ſeparati viderentur. Prima illorum origo incerta. Alii a Viris Synagogæ Magnæ arceſſunt, centum-viginti illis, quorum Præſes fertur *Eſdras*. Alii a temporibus *Jonathæ Machabæi*, qui centum quadraginta & amplius annis ante Chriſti Nativitatem obiit. Ita *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 9. & Libro 18. Cap. 2. Alii a temporibus *Ariſtobuli* vel *Alexandri Jannæi* Judæorum Regis. Alii a tempore *Sammæi* & *Hillelis Babylonii* celeberrimorum Judaicæ Gentis Magiſtrorum circa tempora *Herodis*. Ita *S. Hieronymus* in Caput *Iſaiæ*, ad illa verba: *Et erit in petram ſcandali duabus domibus Iſrael.* Ubi tamen ex propria mente id non aſſerit, ſed ex fide Nazaræorum. Verum tam recentes fuiſſe Phariſæos aſſeret nemo, qui *Joſepho* credere voluerit. Nulla autem ratio eſt cur hac in re ipſi non credatur. *Phariſæorum* dogmata potiſſima fuere, 1. illud de Lege orali, ſeu Traditionibus non ſcriptis, ac Moſaicis, ut contendebant. De quibus illi ad Jeſum, Matt. 15. 2. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur Traditionem Seniorum? Non enim lavant manus ſuas cum panem manducant. Ipſe autem reſpondens ait illis; Quare & vos tranſgredimini Mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora Patrem & matrem; & : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis; Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: Et honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam. Et irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat: Cor autem eorum longe eſt a me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* 2. Fatum admittebant, quod tamen liberum arbitrium, & indifferentiam ad bonum & malum non tolleret. Id conſtat ex *Joſepho* Libro 2. *De Bello Judaico*, Cap. 7. *Phariſæi*, inquit, *certiorem legalium Rituum notitiam profitentur. Et hi primum dogma habent, ut fato & Deo univerſa deputent: & quidem vel agere quæ juſta ſunt, vel negligere, ſecundum majorem partem eſſe in hominibus profitentur: Adjuvare tamen in ſingulis & fatum.* Et Libro 18. *Antiquitatum*, Cap. 2. *Fato, quæcumque geruntur, tribuunt, nec tamen homini voluntatis aſſenſum adimunt, hoc temperamento Deum uti dicentes, ut cum omnia fiant ex ipſius conſilio, in homine tamen ſit voluntas accedendi ad virtutem aut vitium.* Et Libro 13. Cap. 9. *Phariſæi quædam, at non omnia fato tribuunt, quædam vero in ſua poteſtate eſſe ajunt, ut vel fiant, vel non fiant. Eſſeni vero omnia in fati poteſtate eſſe affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducæi fatum omnino negant, & e rebus tollunt, dicentes, Nihil fataliter evenire hominibus: & omnia in noſtra ipſorum poteſtate eſſe, ut tam felicitatis nobis ipſis auctores ſimus, quam infortunii; ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus.* 3. Immortalitatem Animæ Phariſæi credebant, & bonarum Animarum Metempſychoſim, ut tradidit *Joſephus* Secta Phariſæus Libro 18. *Antiquitatum*, Cap. 2. *Animas*, inquit, *credunt immortales, & ſub terris earum judicia fieri: Tum præmia quoque contingere ex virtutis aut malitiæ merito: Et has perpetuis damnari carceribus, illis facilem eſſe ad vitam reditum.* 4. Præcepta Moſaicæ Legis varie reſtringebant pravis interpretationibus, ut conſtat ex Capp. 5. & 23. *S. Matthæi.* Cæterum ſaniora Sadducæis ſentiebant atque docebant: Unde Chriſtus ait: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcumque ergo dixerint vobis, ſervate & facite.* Et *S. Paulus* Actuum 23. in jus vocatus coram Judæorum Senatu, *Sciens quia una pars eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & Reſurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo.*

Inſtituta vitæ quod attinet, omnia ad pompam externam, & ſimulatæ pietatis ſchema comparata erant. Affectabant cœlibatum, jejunium hebdomadale repetitum, decimationem univerſalem & ſupra Legis præceptum; ablutiones ſuperſtitioſas, preces & eleemoſynas in publico, dilatationem phylacteriorum, & oſtentationem fimbriarum. De his Chriſtus Matthæi 23. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea movere. Omnia vero opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus: Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. . . . Væ vobis Scribæ & Phariſæi Hypocritæ: Quia clauditis Regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ: Quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: Propter hoc amplius accipietis judicium. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ: Qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum Proſelytum: & cum fuerit factus, facietis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ: Quia mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis: Intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſi-*

Philacteria, membranæ in quibus Decalogus inſcriptus frontibus circum ligata. Memoralia, frontalia, Hebraice Tephot.

copſidis, ut fiat id quod de foris eſt mundum. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ: Quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Sic & vos a foris quidem paretis hominibus juſti; intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta Juſtorum & dicitis: Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmet ipſis, quia filii eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Quales eſſent mores Phariſæorum, curſim innoteſcit ex Parabola Phariſæi & Publicani a Chriſto propoſita Lucæ 18. *Duo homines aſcenderunt in Templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum; raptores, injuſti, adulteri; velut etiam hic Publicanus; Jejuno bis in Sabbato. Decimas do omnium quæ poſſideo.* Dies illi jejunii ſponte ſuſcepti qualibet Hebdomada, erant feria ſecunda & quinta, ſeu dies Lunæ & Jovis, ut recte *S. Epiphanius & Theophylactus* explicant, conſentientibus Hebræorum Libris.

De Phariſæorum Inſtitutis *S. Epiphanius* Hæreſi 15. hæc habet: *Phariſæi ſeverioribus ſe Inſtitutis adſtringebant. Quidam enim cum ſuas illas exercitationes adhiberent, decem vel octo, vel quatuor annorum ſpatia ſibi præfigebant, quibus virginitatem aut caſtimoniam colerent; hoc tempus continuis precibus traducebant, & id certaminis frequentius inſtaurabant, ne ullam corporis labem contraherent, neve furtim turpe aliquod in ſomnis profluvium obreperet. Ergo alii tabulas ad eum uſum parabant, latitudine non amplius dodrantali: In quibus poſt veſperam jacebant; ut ſi fortaſſe dormirent, in pavimentum prolapſi rurſum ſe ad orandum excitarent; quo ſomni quoad liceret, expertes ætatem tranſigerent. Alii collectos calculos ſubſternebant, quorum replicatio profundiorem ſomnum arceret, ut vel inviti pervigiles eſſe conſueſcerent. Nec deſunt qui iiſdem de cauſis ſpinas ſubjicerent. Cæterum bis hebdomada quaque jejunare mos illis fuit, ſecunda videlicet ac quinta die. Ad hæc decimarum decimas dabant, primitias offerebant, trigeſimas & quinquageſimas.* Tenebantur omnes Judæi ad tres decimas. Decimæ primæ præceptum extat *Numerorum* 18. 21. 25. Hæc præſtabantur Levitis ad eorum alimoniam: Ipſi autem Levitæ hujus Decimæ Decimam præſtabant Sacerdotibus, Altera Decima imperatur *Deuteronomii* 14. 22. & 23. quam penes ſe quiſque retinebat ut ibi ubi Sanctuarium erat, illa veſceretur, adhibitis ad convivium Levitis. Tertia demum, quam tertio quoque anno in Levitas & pupillos, viduaſque diſtribuebant. (*Ibidem* v. 28. 29.) Phariſæi, quamvis ex Levitarum ſtirpe omnes non eſſent, Decimarum tamen decimas, Levitarum inſtar, ſponte dabant. Præterea primitias, atque oblationes cæteris largiores præbebant, Hebraice *Theruma*. De his docent Rabbini morem ſervari ſolitum apud Judæos, ut qui minimum donum darent, minus ſexageſima parte juſtæ æſtimationis frugum ſuarum non darent: Qui autem liberaliter agere volebant, quadrageſimam penderent: qui neque liberalitate inſignes erant, neque tamen avari, intra hos terminos conſiſtentes, aut ad hos, aut ad illos, prout erant affecti, propius accedebant. Primorum oblatio dicebatur *Theruma oculi boni*. Aliorum, *Theruma oculi mali*: Poſtremorum, *Theruma Mediana*. De quibus *Joſephus Scaliger* ſingulari Diſſertatione. Phariſæos in utroque termino communes Leges exceſſiſſe docet *S. Epiphanius*; Liberalitatis, cum trigeſimam partem frugum darent, aliis quadrageſimam conferentibus; Parſimoniæ, quod ultra quinquageſimam nunquam deſcenderent; cæteris ſexageſimam duntaxat dantibus, quoties parcius agere vellent. Hic verborum illorum *S. Epiphanii* ſenſus: *Primitias offerebant, triceſimas & quinquageſimas*. Addit S. Epiphanius: *Sed & muliebria palliola geſtabant, & cum latioribus crepidis ac ſolearum ligulis procedere ſolebant.* Id veriſimile non videtur. Hæc enim mollities cum Phariſaica ſeveritate non convenit. Et quod Lege Dei expreſſe cautum erat, ne viro muliebri cultu, aut feminæ virili ornari fas eſſet, nemo ſibi facile perſuaſerit Phariſæos, qui exquiſitiſſimam auſteritatem, & ſanctimoniæ ſpeciem oſtentabant, publice violaturos: Maxime cum ea ſanctitatis opinione eſſent inflati, ut vel ſolo contactu communium veſtimentorum pollui ſe crederent, ſicut refert *Abraham Zacuth* in *Juchaſin*, ubi hæc ſententia legitur: *Veſtimenta filiorum terræ ſunt conculcatio Phariſæis*. Judæos itaque *S. Epiphanio* impoſuiſſe puto.

II. *Scribarum* nomen non Sectæ, ſed ordinis & gradus fuit. Alii Politici, alii Eccleſiaſtici fuere. Politici, fuerunt alii ſuperiores ſeu Regii, qui Regibus a ſecretis, aut etiam Conſiliis, penes quos inſtrumenta & Acta publica, & ratio temporum, geſtorum, redditiuum. Alii inferiores & plebeii, qui erant Actuarii, & Notarii communes. Scribæ Sacri, ſeu Eccleſiaſtici fuerunt Doctores & Interpretes Legis, quorum erat Legem interpretari, Scripturas Populo in Templo & Synagogis prælegere, dubia ſolvere, obſcura declarare. Unde & *Legis-periti* dicti paſſim in Evangelio. Scribas Populi a Scribis Legis perperam diſtinguit *Scaliger* in Elenco *Trihæreſii* Cap. 21. & priores illos Actuarios publicos fuiſſe putat. Quippe Matth. 2. 4. *Herodes* cum Magorum adventum, & Chriſti Nativitatem inaudiſſet, ut quo in loco Chriſtus naſceretur, inquireret, *Principes Sacerdotum & Scribas Populi* convocat, & eorum reſponſum expetit. Hi vero non alii quam Legis Interpretes & Doctores. Non enim Pragmaticos aut Actuarios de re tanta ac tam recondita conſuleret, ad quam ſcilicet intelligendam diſceptandamque non mediocris Sacrarum Literarum uſus ac ſcientia requiratur. A Phariſæis diſtinctus erat Scribarum ordo. Licet enim Scribæ plerique Phariſæi, non tamen omnes: Quemadmodum inter Theologos nonnulli Regulares & arctioris vitæ Profeſſores; non tamen omnes Theologi ſunt Regulares, nec omnes Regulares Theologi. Poſt Captivitatem Babylonicam ortum Scribarum ordinem, quamvis a Moſaicis temporibus fuerint ſemper in Synagoga Viri Legis Peritiſſimi, probabilior opinio eſt. Prophetis enim ſucceſſere. Primus cui Scribæ nomen in Scriptura tributum, fuit *Eſdras*, de quo 1. *Eſdræ*, Cap. 7. 6. *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone, & ipſe Scriba velox in Lege Moyſi quam Dominus Deus dedit Iſrael.*

---

§. IV.

De Eſſæis ſive Eſſenis.

ESSÆI ſive *Eſſeni* Phariſæis recentiores, de Dei providentia, & Animarum immortalitate ſane ſentiebant. Vitæ Aſceticæ inſtituto celebres fuere. Non admittebant in ſocietatem niſi viros graves, & quorum ætas ad ſenectutem vergeret. Diſcipulos quadriennio toto probabant. Cœlibatum ſervabant, paucis tamen exceptis. Alienos pueros velut cognatos inſtituebant ſub unius Magiſtri cura. Sabbatum cæteris Judæis ſcrupuloſius obſervabant. Summa inter illos erat bonorum communio, deſignati communium rerum Procuratores. Candida veſte utebantur, victu parco & auſtero, cujus ſumptioni præmittebatur oratio, gratiarum actio ſubſequebatur. Statæ illorum preces, maxime ad ortum Solis. Artes, occupationeſque variæ. Nullas tamen exercebant, ex quibus aliquid ad homines detrimenti rediret, aut pravæ cupiditates foverentur. Servus apud eos nemo, liberi omnes. Juſjurandum quaſi perjurium vitabant. Vitæ theoricæ & lectioni deditiſſimi, pietatis, beneficentiæ, hoſpitalitatis ſtudioſiſſimi, ſolitudinis & ſilentii obſervantiſſimi fuere. In juvando duntaxat & miſerando ſui juris erant; in cæteris e Curatoris pendebant arbitrio; ſine cujus venia vel cognatis aliquid dare nefas ducebant. Myſticum Sacræ Scripturæ ſenſum ſectabantur: Adverſa quæque æquanimiter tolerabant. Mortem, ſi pro Religione & pietate ſubeunda eſſet, judicabant immortalitate meliorem. Prodidit autem eorum in omnibus negotiis animos bellum quod geſtum eſt cum Romanis teſte *Joſepho*. Tunc ſi quidam artuum confractionibus, ignibus, ac omni tormentorum genere cruciati, ut aliquid in

Legiſlatoris injuriam loquerentur, vel cibos Lege vetitos deguſtarent, ad neutrum compelli potuere: & inter exquiſitiſſimos cruciatus ſubridentes, & tortoribus illudentes, animas quadam cum hilaritate reddebant. Severi erant criminum vindices. Deprehenſos nempe in crimine a ſua Societate pellebant, & panis etiam ac cibi communis alimonia privatos, ad herbas more pecudum decerpendas damnabant. Hæc ex *Joſepho* excerpta Libro 2. *De Bello Judaico*, Cap. 7. & Libro 18. *Antiquitatum*, Cap. 2. necnon ex *Philone* apud *Euſebium* Libro 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 11. & 12. *Plinius* Libro 5. Naturalis Hiſtoriæ Cap. 17. *Eſſenos* per aliquot *ſæculorum millia* ſtetiſſe ſcribit, *Gentem æternam*, ad Judæorum antiquitatem reſpiciens: & vivere *ſine ulla fœmina, omni venere abdicata*. S. Epiphanius Hæreſi 19. Oſſenos ab Eſſenis diverſos facit; & diverſos plane fuiſſe neceſſe eſt, aut certe degeneres Eſſenos, & qui a prioribus inſtitutis omnino deflexerint, cum *Elxæi* Pſeudo-Prophetæ prava dogmata ſunt amplexi.

Eſſeni cum *Aſſidæis* minime confundendi, quorum mentio 1. *Machab.* 2. 42. 7. 13. & 2. *Machab.* 14. 6. *Aſſidæi* namque ſpecialem Sectam apud Judæos non conſtituebant, ut ex *Joſepho* conſtat, tres dumtaxat Sectas accenſente; ſed commune id piorum omnium nomen erat. De Sectis vero Sadducæorum, Phariſæorum, & Eſſenorum, legi poſſunt *Serarius* Libro *De tribus Sectis Judæorum*, Scaliger in *Trihæreſio Elenchō*; Cardinalis *Baronius* Tom. 1. Annalium; *Caſaubonus* Exercitatione 1. in *Baronium*, Cap. 9. *Druſius*, Libro de tribus Sectis Judæorum; *Petavius*, Animad. in *S. Epiphanium Spanhemius* Dubiorum Evangelicorum P. 3. Dubio 28. & 29. & alii.

---

§. V.

De Hemerobaptiſtis & Herodianis.

I. HEmerobaptiſtæ a quotidiano Baptiſmo ſeu lavacro appellati, cum Sadducæis Reſurrectionem mortuorum negabant, in reliquis dogmatibus cum Phariſæis conveniebant. Illis peculiare erat quod hominem ſine quotidiano Baptiſmo *vivere non poſſe* (probe ſancteque nimirum) aſſererent. De his *S. Epiphanius Hæreſi* 17.

II. *Herodiani* ab *Herode Magno* nomen ſortiti, de quibus *Matthæi* 22. 16. & *Marci* 12. 13. ita delirarunt, ut *Herodem Magnum* Meſſiam eſſe dicerent, in eoque impletum celebre illud Oraculum Jacob Geneſis 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*. Teſtes ſunt *Tertullianus*, ſive auctor quiſquis eſt Supplementi Libri ipſius *De Præſcriptionibus Hæreticorum*, & *S. Epiphanius*, *Hæreſi* 20. & *S. Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos*, ubi hæc habet: *Taceo de Judaiſmi Hæreticis, qui ante adventum Chriſti Legem traditam diſſiparunt: Quod Doſitheus Samaritanorum Princeps Prophetas repudiavit: Quod Sadducæi ex illius radice naſcentes etiam Reſurrectionem carnis negaverunt: Quod Phariſæi a Judæis diviſi propter quaſdam obſervationes ſuperfluas, nomen quoque a diſſidio ſuſceperunt: Quod Herodiani Herodem Regem ſuſcepere pro Chriſto*. At Commentario in *Matthæi* Cap. 22. *Herodianos Milites Herodis* interpretatur, ſeu *quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſolvebant, Herodianos vocabant, & non divino cultui deditos*. Subditque: *Quidam Latinorum ridicule Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant; quod nuſquam omnino legimus.*

CAPUT II.

ANIMADVERSIONES in Joſephum circa ſextæ Ætatis Hiſtoriam.

I. DE ſoluta Judæorum captivitate ſcribit *Joſephus* Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 1. *Epiſtolam ad Syriæ Satrapas Cyrus in hæc verba ſcripſit: Rex Cyrus Siſinæ & Sarabaſanæ S. Judæis qui regionem meam habitant, permiſi, ut quicumque vellent, in propriam Patriam reverſi Urbem denuo conderent, & Templum Dei Hieroſolymis ædificarent eodem quo prius loco.* Quæ *Darii Hiſtaſpis* erant, & ſecundo Regni ejus anno contigerunt, ut ex 1. *Eſdræ* 5. & 6. certum eſt, ea *Cyri* anno primo tribuit; & quæ diverſis temporibus geſta ſunt, permiſcet, atque confundit. Non enim *Cyrus* ſcripſit ad *Siſinem & Sarabaſanem* Syriæ & Phœnicis Præfectos, ſed *Darius Hiſtaſpis* ſexdecim ab hinc annis: quos Editio Sixtina 70. Interpretum vocat *Siſinnem* Subregulum Syriæ & Phœnicis, & *Satbrabuzanem*; Vulgata vero *Thathanai & Starbuzanai*. 1. Eſdræ 6. *Nunc ergo Tathanai Dux regionis, quæ eſt trans Flumen; Stharbuzanai, & Conſiliarii veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans Flumen, procul recedite ab illis, & dimittite fieri Templum Dei illud a Duce Judæorum, & a Senioribus eorum, ut Domum Dei illam ædificent in loco ſuo. Sed & a me præceptum eſt, quid oporteat fieri a Presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur Domus Dei, ſcilicet ut de arca Regis, id eſt, de tributis, quæ dantur de regione trans Flumen ſtudioſe ſumptus dentur viris illis, ne impediatur opus ..... Ego Darius ſtatui Decretum, quod ſtudioſe impleri volo. Igitur Tathanai Dux regionis trans Flumen, & Stharbuzanai, & Conſiliarii ejus, ſecundum quod præceperat Darius Rex ſic diligenter executi ſunt.*

Scribit *Joſephus* ibidem: *Mandato a Cyro accepto, duarum Tribuum Principes, Judæ & Benjamin, ſimulque Levitæ & Sacerdotes, prope Hieroſolyma ſe contulerunt: Multi enim maluerunt manere apud Babylonem, non ſuſtinentes poſſeſſiones ſuas relinquere.* At non modo Tribuum illarum Principes, *ſed omnem, cujus Deus ſuſcitavit ſpiritum*, aſcendiſſe in Jeruſalem ad ædificandum Templum Domini, & omnem multitudinem captivorum, legimus 1. Eſdræ 1. 5. & 2. 64. 65. 70 *Omnis multitudo quaſi unus, quadraginta duo millia trecenti ſexaginta; exceptis ſervis eorum & ancillis, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem. Et in ipſis Cantores atque Cantatrices ducenti .... Habitaverunt ergo Sacerdotes & Levitæ, & de Populo, & Cantores, & Janitores, & Nathinæi in urbibus ſuis, univerſuſque Iſrael in Civitatibus ſuis.*

II. Edicti a *Dario Hyſtaſpis* anno Regni ejus ſecundo dati, de Templi ædificatione promovenda & abſolvenda, impetrationem tribuit *Joſephus* eloquentiæ & ſapientiæ *Zorobabelis*, qui inter tres Cubicularios Regis, de quæſtione illa: Quænam res ſit omnium potentiſſima? optime diſſeruiſſet, palmamque dediſſet veritati: Imo ipſum Regem voto obſtrictum fuiſſe ait ad inſtaurationem Templi. (Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 4.) Id ex 3. Libro *Eſdræ* Apocrypho Capp. 3. & 4. *Joſephus* accepit, a quo tamen paululum diſcrepat. At certius eſt, & Scripturæ Canonicæ conformius, novum hunc inſtaurandi Templi conatum ab inſtinctu divino excitatum eſſe. Aggæi 1. 12. 14. *Et audivit Zorobabel filius Salathiel & Jeſus filius Joſedech Sacerdos Magnus, & omnes reliquiæ Populi vocem Domini Dei ſui, & verba Aggæi Prophetæ, ſicut miſit eum Dominus Deus eorum ad eos .... Et ſuſcitavit Dominus ſpiritum Zorobabel filii Salathiel, Ducis Juda, & ſpiritum Jeſu filii Joſedech Sacerdotis Magni, & ſpiritum reliquorum de omni Populo: & ingreſſi ſunt, & faciebant opus in Domo Domini Exercituum Dei ſui.* Et 1. Eſdræ 4. & 5. *Intermiſſum eſt opus Domini in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum. Prophetaverunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa & Jeruſalem, in nomine Dei Iſrael. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Joſue filius Joſedech, & cœperunt ædificare Templum Dei in Jeruſalem, & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Neque ratio ulla erat, cur *Zorobabel* Edictum a *Dario* hac occaſione impetraturum Præfectos Regios celaſſet haud male erga ſe affectos, Regique moleſtiam creaſſet Edicti *Cyri* in Bibliotheca Babylonica, ſeu Regio Chartulario inquirendi, ut factum narratur 1. *Eſdræ* Cap. 6. Voti etiam a *Dario* Rege antea nuncupati de Templo inſtaurando, Scriptura Canonica non meminit.

III.

III. Omnia quæ de *Artaxerxe* commemorantur 1. *Eſdræ*, & 2. *Eſdræ* Capp. 1. & 2. quod ejus Edictis muniti *Eſdras* & *Nehemias*, ille anno Regni ejus ſeptimo, hic vigeſimo, Hieroſolymam aſcenderint ad reformationem Eccleſiæ, Reipublicæ inſtaurationem, & ſanctæ Civitatis ædificationem atque munitionem, ad *Xerxem* inſigni parachroniſmo refert *Joſephus* Libro 2. *Antiquitatum*, Cap. 5.

IV. Templum anno Regni *Darii* nono abſolutum ſcribit *Joſephus* Libro 11. Cap. 4. repugnante Scriptura Sacra, quæ anno ſexto Regni *Darii* Regis ædificationem Templi completam teſtatur, 1. Eſdræ 6. 15. *Et compleverunt Domum Dei iſtam, uſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus Regni Darii Regis.* Pro die tertio, vigeſimum-tertium ſcripſit *Joſephus*, quem tamen excuſatum velim ob varietatem lectionum in Græcis Codicibus. Quidam enim, ex quibus Editio Sixtina prodiit, diem vigeſimum-tertium adſcribunt, ſicut & Liber 3. *Eſdræ* Apocryphus, Cap. 7. quamvis Hebræi Codices, Græca Regia, Latina Vulgata, & Chronicon Hebræorum, Cap. 39. diem tertium menſis Adar conſtanter retineant. Aliud in *Joſepho* erratum eſt, tam in Textu Græco, quam in Latina *Geleni* Verſione: Menſem Adar undecimum vocat, qui duodecimus fuit Anni ſacri. Præterea *Nehemiam Xerxi* Regi ſupplicantem inducit, ut quod deeſt ad fabricam Templi ſuppleat (*Cap. 5.6.*) quod tamen anno nono *Darii* Regis omni ea parte abſolutum, ſolemnique ritu dedicatum ſcripſerat ſuperiori Capite. Denique *Joſephus Nehemiam* Hieroſolyma perveniſſe ſcribit anno *Xerxis* vigeſimo quinto, cum nec tot annos *Xerxes* regnaverit; & anno vigeſimo *Artaxerxis* facultatem obtinuerit *Nehemias* eundi in Judæam, ut Muros, Turres, & Portas Hieroſolymorum inſtauraret, ſtatimque profectionem adornaverit, nec toto quinquennio ipſum hæſiſſe in via ſit veriſimile.

V. Mirabilem illam Ignis ſacri inventionem, quam *Nehemiæ* tribuit Sacra Scriptura *Machabæorum* 2. 31. 32. *Joſephus* alto ſilentio obruit.

VI. *Joſephus* Libro *De Machabæis*, ſcribit, *Apollonium* a *Seleuco* Magni *Antiochi* filio miſſum Hieroſolymam ad expilandum Templum, & Viſione Angelica ſtupefactum receſſiſſe. At Scriptura Sacra Libro 2. *Machabæorum* Cap. 3. 7. 8. non *Apollonium*, ſed *Heliodorum* a Rege miſſum teſtatur. Nec ſolum Viſione Angelica ſtupefactum, ſed ab Angelis flagellatum, & ſemianimem relictum commemorat, v. 2. 3. & ſeq. *Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipſe cum Satellitibus circa ærarium præſens, Sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis evidentiam, ita ut omnes qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in diſſolutionem & formidinem converterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit .... Alii etiam apparuerunt duo Juvenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictu, qui circumſteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, ſine intermiſſione multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram........ Et ille quidem per divinam virtutem jacebat mutus, atque omni ſpe & ſalute privatus.*

VII. De morte *Antiochi Epiphanis* ſcribit *Joſephus* Libro 12. Cap. 13. *Demiror Polybium Megalopolitanum, qui vir alioqui probus, ait, hunc Antiochum periiſſe quod conatus ſit Dianæ Templi theſauros ac donaria diripere. Voluiſſe enim tantum, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res digna ſupplicio. Quod ſi hæc cauſa Polybio digna videtur, cur Antiochus deberet capite pœnas perſolvere, multo veriſimilius eſt, ob exhauſtum ſacrilegiis Hieroſolymitanum Templum accelaratum eſſe ejus interitum. Si quis tamen magis probat Polybii ſententiam, cum eo nunc non libet contendere.* In his multiplex eſt erratum *Joſephi*: Primum quod ſacrilegii voluntatem ſupplicio dignam non eſſe aſſerat. Secundum, quod in gratiam Ethnicorum contentionis ſuſcem adverſus *Polybium* movere nolit, ſed permittat credere *Antiochum* ob direptum Dianæ Templum, potius quam ob violatum ac ſacrilegiis exhauſtum Hieroſolymitanum veri Dei Templum, mala morte periiſſe.

VIII. Judicium deſideratur in iis quæ narrat *Joſephus* Libro 13. Cap 6. de Poteſtate data *Oniæ* filio *Oniæ* alt. Pontificis a *Ptolemæo Philometore* Ægypti Rege & *Cleopatra* ejus uxore Templi in Præfectura Heliopolitana ædificandi inſtar Hieroſolymitani. Regem enim & Reginam Idololatras magis ſolicitos facit quam *Oniam* ipſum ne Lex *Moyſi* violetur; hanc ipſis Epiſtolam affingens: *Rex Ptolemæus, & Regina Cleopatra. Oniæ gaudium. Legimus tuas Literas in quibus poſtulas, ut tibi permittamus illud apud Leontopolim Præfecturæ Heliopolitanæ collapſum Templum repurgare, quod vocatur Agreſtis Bubaſtis: Quod ſane miramur, ſi poterit acceptum eſſe Deo Templum ſtatutum in impuro loco & pleno animalibus. Sed quoniam ais, Prophetam Iſaiam jam olim hoc prædixiſſe, permittimus tibi hoc quatenus poteſt ſalva Legis obſervatione fieri, ne videamur per hoc peccare in Dominum.* Hominem Ethnicum, *& quotidiana luxuria ita marcentem, ut non ſolum Regiæ Majeſtatis officia intermitteret, verum etiam ſenſu hominis nimia ſagina careret,* ut ſcribit *Juſtinus* Libro 34. Cap. 2. adeo ſolicitum fuiſſe de Moſaicæ Legis obſervantia, & de offenſione veri Dei vitanda, nemo ſibi facile perſuaſerit.

IX. Templi Heliopolitani extruendi conſilium cepiſſe *Oniam* ſcribit Joſephus, *fretum maxime Prophetæ Iſaiæ Vaticinio, qui ante ſexcentos amplius annos prænuntiaverat fore omnino, ut Templum aliquando a Deo Maximo ædificaretur in Ægypto. idque hominis Judæi opera.* Iſaiæ teſtimonio fœde abuſus eſt *Onias*, idemque in alienum ſenſum traxit deceptus pariter *Joſephus*. Locus extat *Iſaiæ* Cap. 19. v. 9 quem de converſione Ægyptiorum ad Chriſtum Salvatorem, & de Eccleſiæ Chriſti olim in Ægypto propaganda, non de Templo materiali ab homine Judæo excitando intelligi certum eſt. *In die illa erit Altare Domini in medio Terræ Ægypti. & titulus Domini juxta terminum ejus erit in ſignum, & in teſtimonium Domino Exercituum in Terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & Propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus Et vota vovebunt Domino. & ſolvent.* Lætari certe non poterat *Iſaias* de Templo vel Altari excitato, quo Lex Moſaica violabatur, cujus obſervatio Judæis ſub maledictionis interminatione præcepta fuerat. Aliud igitur Templum, aliudque Altare ſpectat, ut oſtendit *Euſebius* Libro 1. *Demonſtrationis Evangelicæ*, Cap. 6. pag. 19. *Etenim*, inquit, *Moſes Altare & Sacrificia nuſquam terrarum, ſed in ſola Judæa, & in hujus una duntaxat civitate conſtitui, longe a ſe poſita jubet: Prophetia autem in terra Ægypti ait Altare Domino ſtruendum, dicandumque eſſe, & Ægyptios ipſos non amplius Diis patriis rem facturos, ſed ipſi Prophetarum Deo facturos, & quod verum Deum ſint agnituri, non Moſen illis, neque alium ex Prophetis quempiam Auctorem fore, ſed novum quemdam divinitus miſſum hominem. Porro autem tranſlato commutatoque Altari præter Moſis conſtitutiones, atque decreta, neceſſe eſt penitus etiam Legis Moſis fieri mutationem. Quod ſi ſummo Deo ſacrificaturi ſunt Ægyptii, prorſus etiam Sacerdotii munus ſunt adepturi. At Ægyptiis ad tale munus aſſumptis, quæ de Levitis & Aaron Succeſſoribus a Moſe ſunt conſtituta, nullius plane uſui Ægyptiis amplius eſſe poſſe perſpicuum eſt. Tempus igitur jam tum fuerit, Legem Novam, ad ea quæ dicta ſunt confirmanda ponere opus eſſe! Quid igitur? Temere hæc enuntiata ſunt? An exitum invenit oratio? Inſpice igitur ſi non hodie, hoc eſt, noſtris interim ipſorum temporibus, ipſis oculis cernuntur non ſolum Ægyptii, verum etiam omne genus hominum, qui antehac ſimulacris addicti erant, quouſque Ægyptiorum appellatione Prophetica Prædictio ſignificat, a multorum Deorum ac Dæmonum impio cultu liberatum, & verum Prophetarum Deum invocare & adorare. Vota autem faciunt, non pluribus amplius Dominis, ſed uni ſoli Domino, quemadmodum ſacrum prædixit Oraculum. Et huic quidem Altare incruentarum, & rationalium hoſtiarum, ut nova Novi Teſtamenti Myſteria poſtulant, per totum Terrarum orbem erectum eſt: Et tum in Ægypto, tum in reliquis Gentibus, quæ mores Ægyptiorum imitantes,*

ſuper-

Digitized by Google

ſuperſtitionis errore tenebantur, *hac ipſa ætate noſtra*,
cognitio veri Dei relucens, *fidem iis*, *qua a Prophe-*
tis prædicta ſunt, *indubitatam adjungit*. *Hac autem*
cum reipſa interim perfici videas, *nec amplius*, *ut*
quondam audita exſpectari, *ſi tempus quæras unde prin-*
cipium ejuſmodi res acceperit, *non aliud invenies quam*
cum Salvator noſter advenit. *Ipſe igitur ille fuit*,
quem Oraculum ſignificabat, *cum diceret* : *Deum &*
Dominum univerſi, *miſſurum Ægyptiis hominem*, *qui*
ſalvos faciat eos : *Quem & Moſi Vaticinia perhibe-*
„ *bant*, *ubi ait* : Egredietur homo de ſemine ejus,
„ & dominabitur Gentibus multis : *In quibus ſane*
Gentibus & Ægyptios numerari par eſt.

X. *Alcimo* in Pontificatu *Judam Machabæum* ſuc-
ceſſiſſe ſcribit *Joſephus* Libro 12. *Antiquitatum*, Cap.
17. *Alcimo autem Pontifici*, inquit, *volenti demoliri*
veterem Adyti parietem, *Sanctorum Vatum ædificium*,
morbus divinitus inflictus eſt, *per quem repente voce*
privatus in terram procidit, *& cruciatus non pau-*
cis diebus miſere periit, *poſt exactum in Sacerdotio*
quadriennium : *Quo defuncto*, *Pontificatum Populus*
communibus ſuffragiis Judæ tradidit. Joſephum ſequi-
tur *Euſebius*; ſed uterque a Scriptura Sacra aber-
rat, quæ *Judam Machabæum* ante *Alcimum* obiiſſe
teſtatur 1. *Machabæorum* 9. 18. 56.

XI. De *Joanne Hyrcano* ſcribit *Joſephus* Libro 13.
Antiquitatum, ipſum *Aperto monumento Davidis*, *qui*
olim Regum omnium fuerat ditiſſimus, *tria millia ta-*
lentorum inde protuliſſe : *Quibus pecuniis fretus*, *pri-*
mus omnium cœpit externum Militem alere. Hæc fa-
bulas Judaicas redolent. Quis enim credat *Davidem*
Regem pientiſſimum, theſauros ad fabricam Templi
tanto ſtudio colligentem, immenſam pecuniæ vim in
ſepulcris condere voluiſſe? Aut *Salomonem*, ſi ad
eum tot opum defoſſionem referendam quis cenſeat,
maluiſſe ab *Hiramo* Rege Tyri centum viginti talenta
auri mutuo accipere, & viginti Galilææ oppida ipſi
oppignerare, & circa extrema Regni ac vitæ ſuæ
tempora Populum tributis premere & exhaurire, (3.
Regum, Cap. 9. 10. 2. 14. & Cap. 12. 4.) quam the-
ſaurum illum minuere, præſertim cum tantus fuerit,
ut etiam *Herodes* idem ſepulcrum ſcrutatus, magnam
vim aureorum ornamentorum inde ſuſtulerit, ut re-
fert idem *Joſephus* vulgi fabulis nimis credens, Li-
bro 16. Cap. 11.

XII. De *Joanne Hyrcano* rurſus ſcribit *Joſephus*
Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 18. *Tribus maximis*
a Deo dignum habitum honoribus, *Principatu Gentis*
Judæorum, *& Pontificatu*, *& Prophetia*. *Fruebatur*
enim divinis colloquiis. Sed Prophetæ parum con-
gruunt, quæ de ipſo idem *Joſephus* commemorat, a
Phariſaica Secta ad Sadducæos defeciſſe: Et *Alexan-*
drum filium odio implacabili fuiſſe proſecutum, nec
unquam in conſpectum ſuum admiſiſſe, quod ei Deus
in ſomnis apparens revelaſſet, hunc cæteris fratribus
poſthabitis regnaturum. (*Cap.* 20.)

XIII. Mirum quod *Ariſtobulum* Judæorum Regem
natura æquum & modeſtum fuiſſe Cap. 19. Libri 13.
Joſephus ſcribat ex auctoritate *Strabonis* : Cum hunc
eo crudelitatis proceſſiſſe teſtetur, ut Matrem fame
necaret in vinculis, fratrem *Antigonum* calumniis
oppreſſum interfecerit : Pœnaſque dediſſe Deo vin-
dici ob fraternam cædem, cujus conſcientia has i-
pſi morienti voces extorſit : *Ergo non latet Deum*,
inquit, *meum impium ac ſceleratum facinus*, *quando*
tam cito repoſcor pœnas cognati ſanguinis. *O corpus*
impudens, *quouſque retinebis animam*, *quam mater-*
ni ſimul ac fraterni Manes flagitant? Cur non ſemel
eam reddis, *ne ſic per partes opus ſit libare meum*
ſanguinem, *atque ita parentare oppreſſis per nefas &*
parricidium! Vix ea fatus erat, *cum exhalavit ani-*
mam, *uno tantum anno in Regno exacto*, *cognomina-*
tus Philellen, *id eſt*, *Græcorum Amator*. Quod cogno-
men ſuſpicionem etiam facit, ipſum Græcorum po-
tius quam Judæorum moribus vixiſſe, & Judaica Re-
ligione non ex ſincera pietate, ſed ex mera Poli-
tica, ad Populum in officio continendum uſum
eſſe.

XIV. Judæorum intra Templum a *Pompejo* obſeſſo-
rum pietatem laudat *Joſephus* Lib. 14. Cap. 8. quod
Romanorum opera & machinas, quibus erigendis
Sabbato occupabantur, aggredi, diſturbare, ac ver-
tere nefas ducerent. At mera hæc erat ſuperſtitio
ex Phariſaica Traditione, Legis divinæ ſenſui re-
pugnans, ut conſtat ex 1. *Machabæorum* 2. ubi *Ma-*
thatias & amici ejus, divinæ Legis intelligentia,
& pietate inſignes, die Sabbati pugnandum, & re-
pellendos frangendoſque hoſtium inſultus decreverunt.
V. 40. & 41. *Et dixit vir proximo ſuo* : *Si omnes*
fecerimus ſicut fratres noſtri fecerunt, *& non pugna-*
verimus adverſus Gentes pro animabus noſtris, *& ju-*
ſtificationibus noſtris ; *nunc citius diſperdent nos a*
terra. *Et cogitaverunt in die illa*, *dicentes* : *Omnis*
homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbato-
rum, *pugnemus adverſus eum* : *Et non moriemur omnes*
ſicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis.

XV. De *Pompeii* in Templum expugnatum ingreſſu
Joſephus ibidem ſcribit : *Læſa eſt etiam non mediocri-*
ter Templi Religio, *humanis antehac nec veſtigiis pe-*
netrati, *nec oculis*. . . . *Introgreſſus eſt enim in il-*
lud Pompejus, *& una cum eo non pauci alii*, *& in-*
ſpexerunt, *quæ nefas eſt videre niſi ſolis Sacerdotibus*.
Oblitus eſt *Joſephus* eorum, quæ de *Antiocho* ſcrip-
ſerat Libro 12. Cap. 7. *Spoliato igitur Templo*, *&*
ablatis vaſis ſacri miniſterii, *& inter cætera candela-*
bris aureis, *Altari aureo*, *Menſaque Propoſitionis*, *ac*
ne aulæis quidem relictis, *quæ e cocco ac byſſo conſta-*
bant, *evacuatis etiam theſauris reconditis*, *ita ut ni-*
hil omnino relinqueret, *conjecit Judæos in luctum ma-*
ximum . . . . *In Templo quoque Ara poſita*, *porcos ma-*
ctavit, *Sacrificium a Judæorum Religione alieniſſimum*,
&c. Non ſolum ſibi ipſi, ſed & Scripturæ Sacræ re-
pugnat 1. *Machabæorum*. Cap. 1. *Et convertit Antio-*
chus, *poſtquam percuſſit Ægyptum in centeſimo & qua-*
drageſimo tertio anno : *Et aſcendit ad Iſrael*, *& aſ-*
cendit Hieroſolymam in multitudine gravi. *Et intra-*
vit in ſanctificationem cum ſuperbia, *& accepit Al-*
tare aureum, *& candelabrum luminis*, *& univerſa*
vaſa ejus, *& Menſam Propoſitionis*, *& libatoria*, *&*
phialas, *& mortariola aurea*, *& velum*, *& coronas*,
& ornamentum aureum, *quod in facie Templi erat* :
Et comminuit omnia. *Et accepit argentum & aurum*,
& vaſa concupiſcibilia : *Et accepit theſauros*, *quos*
invenit . . . . *Die quinta decima menſis Caſleu*, *quin-*
to & quadrageſimo & centeſimo anno, *ædificavit Rex*
Antiochus abominandum Idolum deſolationis ſuper Al-
tare Dei. Cum his certe non conveniunt, quæ de
Pompejo in Templum introgreſſo ſcribit *Joſephus*, Læ-
ſam eſſe religionem Templi, *humanis antehac nec ve-*
ſtigiis penetrati, *nec oculis*. Pergit Judæorum Hi-
ſtoricus, & *Pompeii* laudat pietatem quod theſaurum
ſacrum non attigerit. *Cumque*, inquit, *intus eſſent*
ex auro menſa, *& candelabrum*, *& pocula*, *& odo-*
ramentorum magna copia ; *præterea in theſauris ſacra*
pecunia circiter talentorum duo millia, *nihil horum*
pro pietate attigit, *ſed hic quoque ſui ſimilis fuit*,
& nihil commiſit indignum cæteris virtutibus. Sed
Pompeii mentem longe aliter interpretatur *Cicero* O-
ratione pro L. Flacco. *Cn. Pompejus*, inquit, *captis*
Hieroſolymis, *victor ex illo fano nihil attigit*. *In pri-*
mis hoc ut multa alia, *ſapienter quod in tam ſuſ-*
picioſa ac maledica civitate locum ſermoni obtrectatorum
non reliquit. *Non enim credo*, *Religionem & Judæo-*
rum, *& hoſtium*, *impedimento præſtantiſſimo Impera-*
tori, *ſed pudorem fuiſſe*.

XVI. *Antipatri* mortem commemorans *Joſephus* Li-
bro 14. *Antiquitatum*, Cap. 19. ſcribit : *Hic fuit fi-*
nis Antipatri viri juſti ac pii, *& patriæ amantiſſi-*
mi. Capite vero 2. ejuſdem Libri hunc *natura factioſum*
dixerat, quem viri juſti, pii, & amantiſſimi chara-
cterem eſſe, nemo prudens dixerit.

XVII. Quamvis *Herodes* Templum Hieroſolymita- *Novum*
num amplificaverit, noviſque porticibus ornaverit, *Templum*
falſum tamen eſt quod tradit *Joſephus* ipſum novum *Hieroſoly-*
Templum, idque majus & magnificentius quam il- *mis Hero-*
lud *Zorobabelis*, a fundamentis erexiſſe. In eo de- *des non*
ſcribendo multus eſt *Joſephus* Libro 6. *De Bello Judai-* *extruxit*.
co, Cap. 6. & Libro 15. *Antiquitatum*, Cap. 14.
Sublatis, inquit, *veteribus fundamentis*, *& novis*
repoſitis, *deſuper Templum exſtruebat*, *longitudine cen-*
tum cubitorum, *altitudine totidem & viginti amplius* :
Qui viginti cubiti aliquanto poſt ſidentibus fundamen-
tis deceſſerunt, *eoſque denuo addere decreverunt no-*
ſtri Neronis temporibus, *Conſtabat autem ſtructura e*

lapi-

Digitized by Google

lapidibus candidis firmiſſimis, magnitudine viginti-quinque cubitorum in longum, octo in altum, latitudine vero cubitorum duodecim. Habebatque Baſilicæ ſimilitudinem, hinc & inde humilius, media ſui parte excelſam, a multis ſtudiis conſpicuum, maxime ex adverſo habitantibus, aut adventantibus, &c. Duabus maxime rationibus novi illius Templi ſtructuram Viri Eruditi impugnant.

Prima eſt, quod *Herodi* tot jam ſumptibus exhauſto, & Romanorum dominationi ſubjecto, in quos largitiones immenſas feciſſe dicitur, tanta pecuniæ vis non ſuppeteret, quanta ad Templi tam magnifici fabricam opus erat. Qui Cæſaream, Sebaſten, tot Templa in honorem Cæſaris, Arcem Antoniam, novam Hieroſolymis Regiam, Theatrum & Amphitheatrum, Caſtrum Herodium ſexageſimo ab urbe ſtadio, alia caſtra, atque ædificia ab *Herode* condita, inſtaurata, ornata (ut paſſim refert *Joſephus*) cogitaverit: Qui meminerit Regiam dignitatem magis ab ipſo ſumptibus Romæ comparatam: Urbis ulteriorem direptionem immenſa item pecunia ab illo redemptam, cum primum Regni poſſeſſionem iniit, cum eam jam *Antigonus*, ut Parthis ſatisfaceret, mille talentis exhauſiſſet: Templum a *Craſſo* expilatum, toties vaſtatam a paucis annis Provinciam decem millia talenta, & amplius, a Romanis exacta: Partem Judææ fructuoſiſſimam *Cleopatræ* ab *Antonio* attributam, pro qua ducenta eidem *Cleopatræ* talenta annua ad annos aliquot perſolvere coactus eſt *Herodes*: Stipendia Exercitus, in quo triginta hominum millia militabant: Ærarium non ſolum exhauſtum, ſed quicquid erat in Regia ſuppellectilis, tam aureæ, quam argenteæ, ab *Herode* diſtractum & conſumptum, ut nonaginta millia cororum frumenti ex Ægypto compararet, Populique miſeriæ graſſante fame ſubveniret: Cæſarem octingentis talentis ab ipſo donatum, omnemque ejus Exercitum tam laute ubique exceptum, in memoriam revocaverit, & reditus *Herodis* cum *Salomonis* opibus comparaverit, *Herodem* ipſum parem non fuiſſe ſumptibus ad fabricam Novi Templi, quod Salomonici magnificentiam ſuperaret, vel æquaret, ultro fatebitur.

Secunda ratio contra Herodiani Templi fabricam militans, petitur ex *Aggæi* Prophetæ Vaticinio, Cap. 2. qui Populum de ſecundi Templi vilitate, præ gloria & magnificentia Salomonici mærentem conſolatur, majoremque fore gloriam Domus iſtius noviſſimæ prædicit quam primæ, quia corporea Meſſiæ deſiderati cunctis Gentibus præſentia ornanda eſt. *Quis in vobis eſt derelictus*, inquit, *qui vidit Domum iſtam in gloria ſua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris? Et nunc conforture, Zorobabel, dicit Dominus. Et confortare, Jeſu fili Joſedech Sacerdos Magne, & confortare omnis Populus terræ, dicit Dominus exercituum: Et facite (quoniam ego vobiſcum, dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiſcum cum egrederemini de Terra Ægypti; Et Spiritus meus erit in medio veſtrum, nolite timere. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes Gentes: ET VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS: & implebo Domum iſtam gloria, dicit Dominus Exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus Exercituum. Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ, plus quam primæ dicit Dominus Exercituum: Et in loco iſto dabo pacem*. Templum a *Zorobabele* & *Jeſu* filio *Joſedec* extructum dicitur *Domus noviſſima*: Poſterior igitur alia non fuit ab *Herode* a fundamentis excitata. Præterea, Templum iſtud *Zorobabelis* præſentia, prædicatione, miraculis Chriſti Salvatoris glorioſum fore prædicitur, eoque nomine, non auro, argento, vel arte, exiturum Salomonico magnificentius; Stabat itaque dum Chriſtus mortalem in terris vitam egit, proindeque non fuerat a fundamentis everſum. Tertio, Templum quod ſtabat Chriſto vivente ac prædicante, *quadraginta ſex annis* ædificatum fuerat, ut dicitur *Joannis* 2. 20. Templum autem Herodianum novem annis cum dimidio abſolutum ſcribit *Joſephus* Libro 15. *Antiquitatum*, Cap. 14. Quadriennio quidem abſolutum fuerat Templum *Zorobabelis*: Sed Judæi tempora ædificationis ſub Perſarum Regibus numerabant, comprehenſis etiam annis, quibus interruptum opus fuerat, quo majorem Jeſu invidiam facerent. Computantur autem anni illi quadraginta ſex vulgari opinione a primo anno *Cyri* Perſico. Inde triginta anni numerantur ad Cambyſen; ab hoc novem ad *Darium*, incluſis ſimul Magis, hinc ſex ipſius *Darii*; Ita pervenitur ad annum quadrageſimum ſextum.

Addi poſſunt aliæ rationes ex Architectura deſumptæ, quæ Templum illud Herodis male confictum a *Joſepho* demonſtrant, quas vide apud *Villalpandum* Tomo 2. in *Ezechielem* Libro 5. Cap. 68.

At, (inquit *Ribera* Commentario in Cap. 2. *Aggæi* Prophetæ,) tam demens non erat *Joſephus* Judaici Populi Sacerdos, vir eruditus, & recentis Scriptor Hiſtoriæ, ut notiſſimum & imprudentiſſimum mendacium univerſis Judæis auderet obtrudere. Tantumne illi *Herodis* memoriæ favebant, ut opus inſigne Patrum ſuorum impio Regi adſcribi paterentur?

Reſpondet *Salianus*, Tom. 6. Annalium ad annum Mundi 4035. §. 29. Perpaucos, aut potius nullos fuiſſe ſuperſtites, qui eum mendacii poſſent redarguere. Nam, ut ex Vita ejus colligi poteſt, *Antiquitates* ſcripſit *Domitiano* imperante, cujus annus primus cadit in octogeſimum Chriſti annum, ſecundum calculos *Baronii*: quibus adde octodecim, quos ab Herodianæ illius fabricæ tempore ad Chriſtum uſque reliquos ſupponit, fiunt anni octo ſupra nonaginta. Deinde, ita rerum facies mutata erat atque confuſa apud Judæos, everſa funditus eorum Reſpublica, ut Judæorum quiſquiliæ, quæ ſupererant, *Joſephi* Scripta recognoſcere, aut examinare negligerent, aut etiam Græce ſcribentem intelligere non poſſent; aut ſubnixum Imperatorum benevolentia redarguere non auderent, cui in promptu erat ultionem de inimicis ſui ſumere, ut ipſe in Vita ſua fatetur. In *Joſepho* itaque potentius fuit ſtudium extollendæ Gentis ſuæ, quam ejus in *Herodem* odium, cujus etiam Nepoti *Agrippæ* chariſſimus erat. Quod ſi ſtudium tum celebrandæ Gentis, tum Romanis Imperatoribus placendi, & ſcribendi quæ vulgo ab Ethnicis probari poſſet, eo impudentiæ *Joſephum* adduxit, ut ea ſcriberet, quæ omnium ſæculorum poſteritas poſſet ex Sacris Literis coarguere atque convincere falſitatis; quid mirum ea ſcripta ab illo fuiſſe, quæ ſola ſcribentis auctoritas tuta redderet, nec Sacrorum Librorum, aut alterius Auctoris teſtimonio refutari poſſent?

XVIII. Alia *Joſephi* errata hiſtorica & chronologica prætereo paſſim in hujus Ætatis Hiſtoria occurrentia, ſed dogmata quædam erronea ſine animadverſione præterire non poſſum; illud imprimis, quo fortitudinis actum eſſe cenſet, ſibi manus inferre. Unde *Phaſaelum* hoc nomine commendat Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 25. Sed *maxime*, inquit, *miranda eſt Phaſaeli generoſitas, qui ubi neci ſe deſtinatum cognovit, non tam mortem indigne ferens, quam miſerabile ac turpe ducens inimici arbitratu cadere, cum manus ſibi inferre non poſſet propter vincula, alliſo ad ſaxum capite vitam abrupit: Quod illi tum in tali neceſſitate conſtituto viſum eſt honeſtiſſimum, adempta Inimico poteſtate ſæviendi in ſe pro libidine*. Et Libro 2. *De Bello Judaico* Cap. 12. *Phaſaeli virtute præventus eſt Antigonus. Qui cum nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad ſaxum fracto capite interiit: Atque ita probato quod verus Herodis frater eſſet, Hyrcanuſque degeneraſſet, viriliter moritur: Dignum intecta vita obitum aſſecutus*.

XIX. Fatum admittit *Joſephus*, omniaque vi ac neceſſitate ineluctabili contingere, impie aſſerit Libro 16. *Antiquitatum*, Cap. 17. ubi de nece filiorum *Herodis* agit. *Illud*, inquit, *merito dubitari poſſit, in Adoleſcenteſne ea culpa conferenda, qua Patrem longo tempore exaſperatum tandem in odium conjecerint immedicabile: An in ipſius duritiem, & cupiditatem tum gloriæ quam dominationis immodicam, qui nullum ferret ſocium, malens omnia ſuo arbitratu facere: An potius in fortunam, cujus potentia nullis humanis rationibus reſiſtere licet, ne ſapientiſſimis quidem. Unde perſuaſum habemus tam omnes humanas*

actio-

actiones profanaviſſe, ut neceſſaria conſequantur: Eamque vim fatum vocamus, quod nihil ſit quod illa non efficiat. Sed hunc ſermonem ut arduum leviter attigiſſe ſufficiet, qui & noſtris ſtudiis nonnihil tribuit, & varietatis actionum cauſas examinat: Quæ quidem contemplatio jam olim incluſa eſt Legis noſtræ Voluminibus.

Obiiciet fortaſſe quiſpiam nos in toto hoc Opere *Joſephum* intemperantius reprehendiſſe, cujus in ſcribendo fidem commendat *Euſebius* Libro 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 9. his verbis: *Joſephus Mathatiæ filius, Natione Hebræus, domo Hieroſolymitanus, ex numero Sacerdotum .... Omnium tunc temporis Judæorum præſtantiſſimus fuit, non modo Popularium ſuorum, ſed etiam Romanorum judicio: Adeo ut ipſe quidem in Urbe Roma ſtatua donatus ſit, Libri vero ab eo conſcripti in Bibliotheca publica fuerint collocati. Scripſit autem Antiquitates quidem Judaicas viginti Libris: Hiſtoriam vero Belli Judaici, quod a Romanis ſua ætate geſtum eſt, ſeptem Voluminibus complexus eſt: Quam non ſolum Græco, ſed etiam patrio ſermone a ſe editam teſtatur. Dignus omnino cui & his & in cæteris fides habeatur.*

Fide dignum *Joſephum* fateor, ſed quatenus Sacris Literis non repugnat. Cum vero Scripturæ Sacræ contradicit, ac in manifeſtos errores impingit; quod ipſi fuiſſe frequentiſſimum, paſſim in hac Veteris Teſtamenti Hiſtoria comprobavi, non ſolum indignus eſt cui fides habeatur, ſed plane dignus in quem animadvertatur. Honores vero quibus a Romanis ornatus eſt, Hiſtoriam duntaxat *Belli Judaici*, non vero Judaicas Antiquitates ſpectant. Cum enim Romani in Hebræorum literis & Hiſtoria peregrini penitus eſſent, judicium de fide *Joſephi* in illa conſcribenda ferre non poterant. Quod dixi, *Joſephi* ipſius teſtimonio confirmatur in Epilogo *Antiquitatum*. Arguens enim mendacii *Juſtum Tiberienſem*, qui illorum temporum Hiſtoriam perinde ac ipſe ſcribere inſtituerat, multaque alia eidem obiiciens crimina, hæc ad extremum adjungit: *At non ego*, inquit, *de meis Libris perinde ac tu ſum veritus. Sed ipſis Imperatoribus eos obtuli, cum res geſtæ pene adhuc ante omnium oculos verſarentur. Quippe conſcius eram mihi ſervatæ ubicumque veritatis. Ac proinde cum teſtimonium illorum ſperaviſſem, non ſum expectatione mea fruſtratus. Quin etiam pluribus aliis Hiſtoriam meam communicavi, quorum nonnulli bello interfuerant. Inter quos fuit Rex Agrippa, & quidam ex ejus propinquis. Titus quidem Imperator ex ore ſolis earum geſtarum notitiam hominibus tradi tantopere voluit, ut manu ſua ſubſcriptos publicari præceperit. Rex vero Agrippa duas & ſexaginta ſcripſit Epiſtolas, quibus veritatem a me expoſitam eſſe teſtatur.* Hunc *Joſephi* locum deſcripſit *Euſebius* Libro 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Cap. 10.

CAPUT III.

HISTORIA VI. ÆTATIS
Ab Ethnicis interpolata.

Pythagoram aut Nazaratum, Pythagoræ præceptorem Græcorum quidam cum Ezechiele confuderunt.

I. EZechielem Prophetam cum *Pythagora*, vel certe cum *Nazarata* Aſſyrio *Pythagoræ* Præceptore, Græcorum quidam confuderunt, ut refert *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum: *Alexander autem* (inquit) *in Libro de Pythagoricis Symbolis, narrat Pythagoram Nazarati Aſſyrii auditorem fuiſſe. Hunc quidam Ezechielem fuiſſe putant; Haud quaquam vero eſt, ut infra oſtendetur.* Juvenis erat *Pythagoras* cum jam ſenex *Ezechiel* apud Chaldæos degeret. Illuc peregrinatus Philoſophus ut teſtatur *Porphyrius* in ejus Vita, *Ezechielem* & *Danielem* videre potuit, & cum illis congredi. Ab ipſis, aliiſque Judæis in Chaldæa captivis Moſaica dogmata, quibus philoſophiam ſuam inſperſit, ipſum accepiſſe veriſimile eſt: Et imprimis mirificam illam *Tetractyn*, quam ipſum eſſe Dei nomen *Tetragrammaton* conjiciunt *Seldenus* Syntagmate 2. *De Diis Syris*, & *Godefridus Vvendelinus* Libro *De Pythagora Tetracty*.

Pythagoræ Tetractys.

Alatus Jovis currus unde conflatus.

II. Ex Capp. 1. & 10. *Ezechielis*, ubi gloria Dei, & currus Cherubim deſcribuntur, petitum eſt illud Platonis: *Magnus ſane Imperator in cœlo Juppiter, alatum currum agitans:* ut obſervat S. *Juſtinus Martyr* in Parænesi.

An Beleſis ſit ipſe Daniel? Dan. 4.

III. *Beleſim* a *Diodoro Siculo* Libro 2. memoratum *Danielem* ipſum fuiſſe, Viri quidam Eruditi ſuſpicati ſunt, quod *Beleſis* fuerit de genere Chaldæorum Hebræi autem e Chaldæis orti: Aſtrologiæ peritus & futurorum præſcius fuerit *Beleſis*; Daniel *eruditus omni ſapientia, cautus ſcientia, & doctus diſciplina*; & vaticinandi peritia celebris: Quod denique *Beleſis* unus fuerit ex Babylonis Proceribus, fuerit & *Daniel*. Sed utriuſque repugnat ætas longo intervallo diſſita. *Danielis* enim deportatio annis pluſquam ducentis & ſexaginta poſterior fuit interitu *Sardanapali*, cujus Regnum *Arbaces* occupavit, *Beleſis* opibus, conſiliis, induſtria ſubnixus, ut obſervat Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius*.

CAPUT IV.

HISTORIA EXOTICA
Sexta Mundi Ætatis.

ARTICULUS I.

De Rebus Ægyptiorum.

Amaſis Rex Ægypti.

I. ANno Babylonicæ Captivitatis circiter trigeſimo, *Amaſis* Ægypti Regnum *Pharaonis Apriæ*, ſeu *Ephreæ* cæde ſibi firmavit, quod per annos quadraginta-quatuor adminiſtravit, ut ſcribit *Herodotus*, ſeu per annos quinque & quinquaginta, ut *Diodorus Siculus* teſtatur. Hunc Regem initio ob generis obſcuritatem Ægyptii contemnebant, ſed illos ſolertia ſua ad ſuæ reverentiam Majeſtatis perduxit. Erat ei pelvis aurea, in qua tum ipſe, tum convivæ pedes abluere ſolebant. Hanc ille confregit, ex eaque fuſum Numinis ſimulacrum in appoſitiſſimo Urbis loco repoſuit. Id cum Ægyptii frequentes adirent, ſuppliceſque venerarentur, *Amaſis* illis in concionem vocatis aperuit, Simulacrum, quod divinis proſequebantur honoribus, factum eſſe ex pelvi, in qua Ægyptii prius pedes abluere conſueverant. Itaque ajebat ſe perinde ac pelvim eſſe factum: Etſi enim antehac fuiſſet plebejus, tum ſe tamen ipſorum eſſe Regem, ideoque ſibi honorem ac reverentiam deberi. Hunc in modum ad ſe traduxit Ægyptios, ita ut ei ſervire æquum cenſerent. Refert *Herodotus* Libro 2. Cap. 172. Eamdemque Hiſtoriam *Ariſtoteles* indigitat Libro 1. *Politicorum* Cap. 8. Bellum ab *Amaſi* adverſus Arabes geſtum *Polianus* Libro 7. commemorat. Cyprum Inſulam ab ipſo captam, tradit *Herodotus*. Quæ de *Amaſis* felicitate & potentia ſcribit, jure merito ſuſpecta ſunt falſitatis; ſiquidem *Nabuchodonoſoris* & Succeſſorum ejus tributarius fuit, cum circa Regni illius initia *Nabuchodonoſor* Ægyptum ſubegiſſet, eumque Proregem, ut creditur, potius quam Regem reliquiſſet: Quod ignoravit *Herodotus*. Sacerdotes enim Ægyptii, qui ei ſciſcitanti de rebus Ægyptiacis reſpondebant, ea quæ ad laudem Gentis faciebant, tantum docuerunt; cætera quæ ad illorum ignaviam, ſervitutem, & tributa quæ Chaldæis pendebant, tacuerunt; ut in Notis ad Græca Chronici Euſebiani Fragmenta recte obſervavit *Scaliger*.

Ægypti deſolatio a Nabuchodonoſore.

II. *Nabuchodonoſor* Ægypto potitus, tum Ægyptiorum, tum Judæorum inter illos habitantium, alios gladio cecidit, alios captivos abduxit, juxta Vaticinia Jeremiæ, Cap. 43. 8. *Et factus eſt ſermo Domini ad Jeremiam in Taphnis, dicens: Sume lapides grandes in manu tua, & abſcondes eos in crypta, quæ eſt in muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Judæis. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſrael: Ecce ego mittam, & aſſumam Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum: Et ponam thronum ejus ſuper lapides iſtos, quos abſcondi, & ſtatuet ſolium ſuper eos. Venienſque percutiet Terram Ægypti; quos in mortem, in mortem, & quos in captivitatem, in captivitatem; & quos in gladium, in gladium. Et*

ſuc-

Digitized by Google

ſuccendet ignem in delubris Deorum Ægypti, & comburet ea, & captivos ducet illos; & amicietur Terra Ægypti, ſicut amicitur Paſtor pallio ſuo: Et egredietur inde in pace. Et conteret ſtatuas Domus Solis, quæ ſunt in Terra Ægypti, & delubra Deorum Ægypti comburet igni. Et Cap. 46. *Verbum quod locutus eſt Dominus ad Jeremiam Prophetam, ſuper eo quod venturus eſſet Nabuchodonoſor Rex Babylonis, & percuſſurus Terram Ægypti. Annuntiate Ægypto, & auditum facite in Magdalo, & reſonet in Memphis, & in Taphnis, dicite: Sta & prepara te: Quia devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum ſunt. Quare computruit fortis tuus? Non ſtetit, quoniam Dominus ſubvertit eum. Multiplicavit ruentes, ceciditque vir ad proximum ſuum; & dicent: Surge & revertamur ad Populum noſtrum, & ad Terram nativitatis noſtræ, a facie gladii columbæ. Vocate nomen Pharaonis Regis Ægypti, Tumultum adduxit tempus. Vivo ego (inquit Rex, Dominus Exercituum nomen ejus) quoniam ſicut Thabor in Montibus, & ſicut Carmelus in Mari, veniet. Vaſa tranſmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti: Quia Memphis in ſolitudinem erit, & deſeretur, & inhabitabilis erit. Vitula elegans atque formoſa Ægyptus: Stimulator ab Aquilone veniet ei. Mercenarii quoque ejus, qui verſabantur in medio ejus, quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, & fugerunt ſimul, nec ſtare potuerunt: Quia dies interfectionis eorum venit ſuper eos, tempus viſitationis eorum. Vox ejus quaſi æris ſonabit: Quoniam cum Exercitu properabunt, & cum ſecuribus venient ei, quaſi cædentes ligna. Succiderunt ſaltum ejus, ait Dominus, qui ſupputari non poteſt: Multiplicati ſunt ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus. Confuſa eſt filia Ægypti, & tradita in manus Populi Aquilonis. Dixit Dominus Exercituum Deus Iſrael: Ecce ego viſitabo ſuper tumultum Alexandriæ, & ſuper Pharaonem, & ſuper Ægyptum, & ſuper Deos ejus, & ſuper Reges ejus, & ſuper Pharaonem, & ſuper eos qui confidunt in eo. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & in manus ſervorum ejus: Et poſt hæc habitabitur ſicut diebus priſtinis.* Refloreſcere autem cœpit ſub *Amaſis* extrema tempora, *Cyro* regnante.

II. Eamdem Ægypti a *Nabuchodonoſore* deſolationem vaticinatus eſt *Ezechiel*, Cap. 29. *Factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit Exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum: Omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque Exercitui ejus, de Tyro pro ſervitute qua ſervivit mihi adverſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in Terra Ægypti: Et accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet ſpolia ejus; & erit merces Exercitui illius, & operi, quo ſervivit adverſus eam: Dedi ei Terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Et Cap. 30. *Hæc dicit Dominus Deus: Ceſſare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis. Ipſe & Populus ejus cum eo, fortiſſimi Gentium adducentur ad diſperdendam Terram; & evaginabunt gladios ſuos ſuper Ægyptum, & implebunt Terram interfectis. Et faciam alveos fluminum aridos, & tradam Terram in manus peſſimorum: & diſſipabo Terram, & plenitudinem ejus manu alienorum, ego Dominus locutus ſum. Hæc dicit Dominus Deus: Et diſperdam ſimulacra, & ceſſare faciam Idola de Memphis: & Dux de Terra Ægypti non erit amplius.... Et confortabo brachia Regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident; & ſcient, quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu Regis Babylonis, & extenderit eum ſuper Terram Ægypti. Et diſpergam Ægyptum in Nationes, & ventilabo eos in Terras, & ſcient quia ego Dominus.* Legatur ejuſdem Prophetæ Capp. 31. & 32.

Pſammenitus Rex Ægypti. III. Poſt *Amaſin*, Regnum Ægypti obtinuit ejus filius *Pſammenitus*, quem *Pſammacheritem* Julius Africanus vocat. Hic a *Cambyſe* Perſarum Rege prælio victus, primum Sceptro, quod ſex dumtaxat Menſes tenuerat, tum & vita privatus eſt. Sic Ægyptus redacta eſt in formam Provinciæ ſub Perſarum Imperio.

ARTICULUS II.

De Rebus Tyriorum.

I. POſt Hieroſolymorum cladem Tyrus a *Nabuchodonoſore* Babyloniorum Rege exciſa eſt, ut conſtat ex *Ezechielis* Capit. 26. 2. Anno Regni ſui ſeptimo cœpiſſe *Nabuchodonoſorem* obſidionem Tyri, *Joſephus* Libro 1. contra *Apionem* teſtatur. *Joſephum* erroris poſtulat *Petavius*, Libro 9. *De Doctrina Temporum*, Cap. 63. ſeque convincere putat *Ezechielis* Prophetæ teſtimonio, qui Capite 26. 1. ſcribit: *In anno undecimo* (nimirum a deportatione *Jechoniæ*) juſſum ſe divinitus Tyro Chaldæorum, & *Nabuchodonoſoris* Regis incurſionem, obſidionem, vaſtitatemque nuntiare. Annus deportati *Jechoniæ* eſt *Nabuchodonoſori* Regis octavus. Undecimus igitur iniens a deportatione eſt decimus nonus ejuſdem Regis, aut octavus-decimus jam affectus. Quocirca nondum anno ſeptimo Regni ſui *Nabuchodonoſorus* Tyrum aggreſſus erat. Annum *Ithobali* ſeptimum, pro ſeptimo *Nabuchodonoſori* ſubſtituendum fuiſſe Vir Doctiſſimus conjicit. Utcumque res habet, Emporium illud totius Orientis nobiliſſimum ſub *Ithobalo* Rege a Chaldæis obſeſſum fuiſſe, conſtat ex Phœnicum Annalibus a *Joſepho* Libro 1. contra *Apionem* laudatis. Conſtat etiam ex Indica & Phœnicia *Philoſtrati* Hiſtoria, *Nabuchodonoſorem* annis tredecim Tyrum obſediſſe, regnante per id tempus *Ithobalo*. Obſidionem & excidium Urbis illius florentiſſimæ prædixit *Ezechiel*, Capite 26. *Fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Jeruſalem: Euge, confractæ ſunt portæ Populorum, converſa eſt ad me: implebor, deſerta eſt. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ſuper te Tyre, & aſcendere faciam ad te Gentes multas, ſicut aſcendit Mare fluctuans. Et diſſipabunt muros Tyri, & deſtruent turres ejus, & radam pulverem ejus de ea, & dabo eam in limpidiſſimam petram. Siccatio ſagenarum erit in medio Maris, quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus: Et erit in direptionem Gentibus. Filiæ quoque ejus, quæ ſunt in agro, gladio interficientur, & ſcient, quia ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonoſor Regem Babylonis ab Aquilone, Regem Regum, cum equis & curribus, & equitibus, & cœtu, Populoque magno. Filias tuas, quæ ſunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro; & elevabit contra te clypeum. Et vineas & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas deſtruet in armatura ſua. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum: A ſonitu equitum, & rotarum, & curruum movebuntur muri tui, cum ingreſſus fuerit portas tuas, quaſi per introitum Urbis diſſipatæ. Ungulis equorum ſuorum conculcabit omnes plateas tuas: Populum tuum gladio cædet, & ſtatuæ tuæ nobiles in terram corruent. Vaſtabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas: & deſtruent muros tuos, & domos tuas præclaras ſubvertent: & lapides tuos, & ligna tua, & pulverem tuum in medio aquarum ponent. Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus cithararum tuarum non audietur amplius. Et dabo te in limpidiſſimam petram, ſiccatio ſagenarum eris, nec ædificaberis ultra: Quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus...... Nunc ſtupebunt naves in die pavoris tui: Et turbabuntur Inſulæ in Mari eo quod nullus egrediatur ex te.* (Secundum Hebræum Textum: *Ab egrediendo te, ſeu Ab exitu tuo.*) *Quia hæc dicit Dominus Deus: Cum dedero te Urbem deſolatam, ſicut Civitates, quæ non habitantur, & adduxero ſuper te abyſſum & operuerint te aquæ multæ. Et detraxero te cum his, qui deſcendunt in lacum ad Populum ſempiternum, & collocavero te in Terra noviſſima, ſicut ſolitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris: Porro cum dedero gloriam in terra viventium, in nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non invenieris ultra in ſempiternum, dicit Dominus Deus.* Tyrum a *Nabuchodonoſore* penitus dirutam fuiſſe, ex hoc *Ezechielis* Vaticinio perſpicuum eſt. At Cap. 29. 18. ſignificat *Nabuchodonoſori* Regi operæ diuturnæ,

Tyri Excidium.

Ithobolus Rex Tyri.

quam in obſidione Tyria Deo navavit, nondum perſolutam eſſe mercedem; Cujus gratia Ægyptum illi datam. Hujus item excidii nulla in *Menandro*, aliiſque rerum Phœniciarum, vel Græcarum Scriptoribus mentio extat. Unde *S. Hieronymus* in hunc locum; *Graecas*, inquit, *& Phœnicum, maximeque Nicolai Damaſceni, & aliae Barbarorum ajunt, ſe qui huic Hiſtoriæ contradicunt, legiſſe Hiſtorias, & nihil ſuper oppugnatione a Chaldæis inveniſſe Tyriæ Civitatis, cum probare poſſimus multa dici in Scripturis ſacris, quæ in Græcis Voluminibus non inveniantur. Nec debere nos eorum auctoritati acquieſcere, quorum perfidiam & mendacia deteſtamur. Poteſt ergo quod dicitur.* Nec ædificaberis ultra, *ſic accipi: Quod nequaquam ultra ſit Regina Populorum, nec proprium habeat imperium, quomodo habuit ſub Hiram & cæteris Regibus: Sed vel Chaldæis, vel Macedonibus vel Ptolemæis & ad poſtremum Romanis Regibus ſervitura ſit*. Et infra: *Tyrum fuiſſe Inſulam, & nullum habuiſſe de terra introitum, in Græcis, Latiniſque & barbaris Hiſtoriis legimus: ſed poſtea a Nabuchodonoſore Rege Chaldæorum; vel, ut nonnulli affirmant, ab Alexandro Rege Macedonum jactos eſſe aggeres, & oppugnationi, vineiſque & arietibus locum præparatum, ac de Inſula factum eſſe Peninſulam.* S. Hieronymus aggerem *Alexandri Magni*, qui Tyrum ſex menſibus obſedit & cepit, poſtquam *Darium* in Lycia viciſſet, *Nabuchodonoſori* tribuit, *Nabuchodonoſor* (inquit Commentario in Cap. 29. ejuſdem Prophetæ) *cum oppugnaret Tyrum & arietes, machinas, vineaſque (eo quod cincta eſſet Mari) muris non poſſet adjungere: Infinitam Exercitus multitudinem juſſit ſaxa & aggeres comportare, & expleto medio Mari, immo freto anguſtiſſimo, vicinum litus Inſulæ fecit continuum. Quod cum viderent Tyrii jam jamque perfectum, & percuſſione arietum murorum fundamenta quaterentur, quidquid pretioſum in auro, argento, veſtibuſque, & varia ſupellectili Nobilitas habuit, impoſitum navibus ad Inſulas aſportavit, ita ut capta Urbe nihil dignum labore ſuo inveniret Nabuchodonoſor. Et quia Dei in hac parte obedierat voluntati, poſt aliquot Captivitatis annos Tyriæ, datur ei Ægyptus.* Duplicem Tyrum *Geographi* inſigniores diſtinguunt *Strabo*, *Plinius*, *Ptolemeus*, *Scylax*; ſcilicet *Inſularem*, & *Palætyrum*. De veteri Tyro ſeu Palætyro, Urbe maritima, in continente poſita, *Ezechielis* Prophetia intelligenda eſt. Id enim circumvallationes, machinæ, equitatus indicant. Hanc *Nabuchodonoſor* expugnavit, diruit, ſubvertit, atque in perpetuam ſolitudinem redegit. Antequam vero Urbs caperetur, Tyrii patente per Mare exitu in Inſulam migrarunt. Ita deſtructio veteris Tyri origo fuit novæ, ſcilicet *Inſularis*, quam deinde *Alexander Magnus*, jacto aggere, ex Inſula Peninſulam fecit, teſte *Quinto Curtio* Libro 4. Cap. 2. *Ithobalus*, ea in obſidione periiſſe videtur, ſecundum *Ezechielis* Oraculum Cap. 28. *Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum eſt cor tuum quaſi cor Dei: idcirco ecce ego adducam ſuper te alienos, robuſtiſſimos Gentium: & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ & polluent decorem tuum. Interficient, & detrahent te: & morieris in interitu occiſorum in corde Maris. Numquid dicens loqueris: Deus ego ſum, coram interficientibus te? cum ſis homo, & non Deus in manu occidentium te? Morte incircumciſorum morieris in manu alienorum: Quia ego locutus ſum, ait Dominus Deus.*

Duplex Tyrus diſtinguitur.

II. Poſt *Ithobalum*, in Tyro inſulari regnavit *Baal* annis decem poſt hunc. Judices conſtituti ſunt; & judicarunt *Ecnibalus Baſlechi* menſes duos; *Chelbes Abdæi* menſes decem; *Abbarus* Pontifex Maximus menſes tres. Poſt hos *Mytgonus* & *Geraſtratus Abdalimi* Judices fuerunt annis ſex: Inter quos *Balatoros* regnavit anno uno. Poſt ejus mortem *Merbalus*, vocatus Babylone, regnavit annos quatuor, huic ſucceſſit ex eadem Gente petitus *Iromus*, qui regnavit annos viginti. Hujus temporibus *Cyrus* Perſarum Imperator erat. Hanc ſucceſſionem ex Annalibus Phœnicum refert *Joſephus* libro 1. contra *Apionem*. Regum cæterorum nomina ignota ſunt, præter quam *Azelmici*. ſub quo Tyrus, ab *Alexandro Magno* continenti adjecta eſt, ex *Arriano* Libro 2.

ARTICULUS III.

De Rebus Chaldæorum ſeu Babyloniorum.

I. CHaldæorum ſeu Babyloniorum Imperium ſub *Nabuchodonoſore* Rege florentiſſimum, potentiſſimumque fuit. Is enim Syriam, Judæam, Ægyptum, Libyam, & magnam Africæ Iberiæque partem ſubegit. In viſu Statuæ illius ingentis quæ *Nabuchodonoſori* quatuor Imperia repræſentavit, eorum mutationes, Babylonicum Regnum ſub capitis aurei ſymbolo ſignificatur, propter antiquitatis & ſapientiæ principatum, necnon ob immenſas opes & felicitatem. Unde *Daniel* ipſi viſum explicans ait: *Tu Rex Regum es: & Deus Cœli, Regnum & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri: Volucres quoque Cœli dedit in manu tua, & ſub ditione tua univerſa conſtituit: Tu es ergo caput aureum.* Hinc *Daniel* alterum ipſi de excelſa arbore præciſa ſomnium explicans Cap. 4. *Tu es Rex, qui magnificatus es, & invaluiſti, & magnitudo tua crevit, & pervenit uſque ad Cœlum, & poteſtas tua in terminos univerſæ terræ.* Et Cap. 5. *Baltaſſarem* ſic alloquitur; *O Rex, Deus altiſſimus Regnum & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonoſor Patri tuo. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, univerſi Populi, Tribus, & Linguæ tremebant, & metuebant eum: Quos volebat interficiebat; & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat*, De illo Deus per os *Jeremiæ*, Cap. 27. 6. 7. *Et nunc itaque ego dedi omnes Terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſervi mei: Inſuper & beſtias agri dedi ei ut ſerviant illi. Et ſervient ei omnes Gentes, & filio ejus, & filio filii ejus: Donec veniat tempus Terræ ejus, & ipſius; & ſervient ei gentes multæ, & Reges Magni. Gens autem & Regnum quod non ſervierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper Gentem illam, ait Dominus, donec conſumam eos in manu ejus.* De eodem *Habacuc* Cap. 1. 10. *Congregabit quaſi arenam captivitatem. Et ipſe de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi ejus erunt: Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.*

Nabuchodonoſoris Chaldæorum Regis poteſtas.

Daniel. 2. 37.

Idem Imperium *Danieli* altera viſione ſignificatum eſt ſub Leænæ & Aquilæ ſymbolo, Cap. 7. 3. 4. *Et quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de Mari diverſæ inter ſe Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: Aſpiciebam donec evulſæ ſunt alæ ejus, & ſublata eſt de Terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* Quam figuram *S. Hieronymus* in Commentario ſic explicat: *Regnum Babyloniorum propter ſævitiam & crudelitatem, ſive propter luxuriam & vitam libidini ſervientem, non leo, ſed leæna appellatur. Ajunt enim hi, qui de beſtiarum ſcripſere naturis, Leænas eſſe ferociores, maxime ſi catulos nutriant, & ſemper geſtire ad coitum. Quod autem habebat alas aquilæ, ſuperbiam ſignificat Regni potentiſ-*„ *ſimi, cujus Princeps loquitur per Iſaiam:* Super „ Sidera Cœli ponam thronum meum, & ero ſimilis „ Altiſſimo, *Unde dicitur ad eum:* Si alte ferari ſut aquila, inde te detraham. *Alioquin ut leo inter beſtias, ita aquila inter aves regnum tenet. Sed & hoc dicendum, Aquilam multo tempore vivere, & Regnum Aſſyriorum multis temporibus fuiſſe dominatum. Quod autem evulſæ ſunt alæ ejus, cætera Regna ſignificat, quibus prius imperabat, & volitabat in Mundo.* Et ſublata eſt, *inquit*, de Terra *Subverſo videlicet imperio Chaldæorum. Quodque ſequitur:* Et ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor ejus datum eſt ei: *Sed Nabuchodonoſor intelligimus, perſpicuum eſt quod poſtquam prodidit Regnum, & potentia ejus ablata eſt, rurſum in priſtinum ſtatum reſtitutus ſit, & non leænam, ſed hominem ſe eſſe didicerit, & cor receperit quod amiſerat. Sin autem generaliter de Regno Chaldæorum; hoc ſentiendum eſt, quod interfecto Baltaſſare, & Medis Perſiſque Imperio ſuccedentibus, Babylonii, homines & humilis*

Babylonica Monarchia Prophetica Deſcriptio.

Iſai. 14.

mollis fragiliſque naturæ ſe eſſe intellexerint. Leonis nomine *Nabuchodonoſorem* indigitat Deus Jeremiæ 4. 6. 7. *Confortamini, nolite ſtare, quia malum ego adduco ab Aquilone, & contritionem magnam. Aſcendit leo de cubili ſuo, & prædo Gentium ſe levavit: Egreſſus eſt de loco ſuo, ut ponat terram tuam in ſolitudinem: Civitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore.* Alæ aquilæ ſignificant incredibilem *Nabuchodonoſoris* in ſubigendis Populis, Imperioque dilatando celeritatem. De cujus Exercitu *Habacuc* 1. 6. 7. 8. dicitur: *Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos Gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, ut poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt: Ex ſemetipſa judicium & onus ejus egredietur. Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis veſpertinis; & diffundentur equites ejus: Equites namque ejus de longe venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.*

Nabuchodonoſoris opera. II. Confectis bellis, ad pacis opera *Nabuchodonoſor* ſe contulit. Ex manubiis *Beli* Templum Babylone, & alia magnifice exornavit. Urbem inſtauravit, extra Veterem Novam aliam conſtruens, triplicique muro lateritio & hanc & illam circumdans. Urbe egregie munita, portiſque magnifice ornatis, ad paternam Regiam novam adjecit, ſuperemineniem & altitudine, & omni ſplendore. Tantæ molis opus diebus quindecim perfectum eſt. *Armacalem & Acracanum* fluvios alio derivavit. Tum *Sipparenorum* Urbis in gratiam paludem fodit, cujus ambitus paraſangas quadraginta, altitudo vero ulnas viginti obtineret. Eidem clauſtra impoſuit, quibus patefactis, agrum illi ſuum irrigarent. Maris quoque Rubri eluvionem objectis repreſſit obicibus, ac Teredonem Urbem, adverſus Arabum irruptiones excitavit. In Regia ambulacra ex lapide ſublimia extolit, ſpeciemque dedit montibus perſimilem, & omnis generis arboribus conſevit. *Penſilem* illum *Hortum* celebratiſſimum extruxit in gratiam Medicæ ſuæ conjugis, *Amyitis* filiæ *Aſtyagis*. De his *Beroſus*, & *Abydenus*, quorum fragmenta extant apud *Joſephum Libro* 1. *contra Apionem*, & *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 41. *Megaſthenes*, (ut narrat idem *Abydenus* apud *Euſebium*, ibidem) *Auctor eſt Nabuchodonoſorem Herculi ipſi fortitudine atque animis præſtitiſſe, atque in Libyam & Iberiam impetu facto, utriuſque jam domitæ colonias in dextram Ponti plagam deportaſſe. Quibus peractis, Chaldæi ferunt, cum conſcenſo Palatio divinitus repente afflatum, quod ſequitur oraculum effudiſſe: Illo ego Nabuchodonoſor, o Babylonii, imminentem vobis calamitatem prænuntio, quam Perſæ uti avertuerent, nec Belus generis noſtri Auctor, nec Regina Beltis, perſuadere unquam potuerunt. Perſicus veniet Mulus, qui Dæmonum veſtrorum uſus auxilio, durum ſervicibus veſtris jugum imponet. Atque hujus ſtudii auctor etiam erit Medus, quo ante Aſſyrii magnopere gloriabantur. O utinam ipſe, priuſquam cives ita meos proderet, aut Charybdi quadam, aut profundo Pelago hauſtus atque abſorptus periret, aut alias abreptus, in vias per ſolitudines erro vagaretur, ubi nulli nec urbes, neque hominis veſtigium appareat, ſed feræ dumtaxat libere paſcantur, volucreſque circumvolent, adeoque ſolus medios inter ſcopulos ac voragines jactaretur. Mihi quoque priuſquam hæc ei tam nefaria mens injecta ſit, feliciorem exitum ſortiri liceat.* Herodotus longe ſenior *Megaſthene*, Libro 1. Cap. 55. refert Oraculum a *Pythia* editum *Crœſo* Lydorum Regi.

Quando Rex Mulus apud Medos genitus fuerit.

Pythia ipſa ſic reſponſum interpretata eſt, Cap. 91. *Mulus hic eſt Cyrus, duarum Gentium parentibus ortus: Mater Meda erat, Aſtyagis filia, Pater autem Perſa, Medis ſubjectus.* Ex phrenetico *Nabuchodonoſoris* morbo, quo ob ſuperbiam divinitus percuſſus, ab hominum conſortio ejectus eſt, & ad ferarum vitam redactus, ut dicitur *Danielis* 4. figmentum iſtud Regis vaticinantis & imprecantis, a *Megaſthene*, vel *Abydeno*, vel a Chaldæis, adornatum eſt. Regnavit *Nabuchodonoſor* annis quadraginta tribus. (Ex Canone Ptolemaico, *Beroſo*, & *Joſepho*.)

Evilmerodachus. III. *Nabuchodonoſori* ſucceſſit filius ejus *Evilmerodachus*, qui *Jechoniam* Regem Juda Babylonico ſolutum carcere, præ cæteris Principibus in Aula ſua degentibus extolit, illique annonam omnibus diebus vitæ ſuæ decrevit, ut habetur 4. *Reg.* 25. 30. & *Jerem.* 52. 34. Propter iniquitates & libidines inſidias paſſus, a Marito ſororis ſuæ *Neriglisſoro* peremptus eſt; cum paulo plus quam duobus regnaſſet annis, ut docent *Beroſus* in 3. Rerum Chaldaicarum Libro, a *Joſepho* laudatus *Libro* 1. *Contra Apionem*, & apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 40. & *Abydenus* apud eumdem *Euſebium*, Cap. 41. ejuſdem Libri.

IV. *Neriglisſorus* parricidio Regnum conſecutus, quadriennio imperavit. (Ex iiſdem Auctoribus, & Canone Ptolemaico.) *Neriglisſorus.*

V. *Neriglisſoro* in Imperio Babylonico ſucceſſit filius ejus *Laboroſoarchodus*, quem Euſebium *Labaſſoaraſcum* vocat. Is eſt quem *Daniel* Propheta *Baltaſſarem* appellat, *Nabuchodonoſoris* filium, quia illius ex filia nepos erat. Improbitate quam ætate longe maturior, novem menſibus regnavit. Ab amicis oppreſſum, & fuſtibus enectum, tradit *Beroſus* apud *Joſephum* loco ſupra laudato. *Danielis Cap.* 5. dicitur occiſus proxima nocte poſt convivium illud, quo mille Proceres ſuos excepit, & vaſa domus Dei profanavit: Quo tempore immiſſa manus deſcripſit Judicium divinum impio Regi impendens, in ſuperficie parietis ante oculos omnium convivarum. *Laboroſoarchodum* non eſſe *Baltaſſarem* contendit Pererius, quia puerum Beroſus vocat, & novem tantum menſibus regnaſſe ſcribit. *Baltaſſaris* vero annum tertium memorat *Daniel* Cap. 8. 1. ejuſque uxores & concubinas convivio interfuiſſe teſtatur Cap. 5. 1. Reſpondetur, annos quatuor cum patre *Neriglisſoro* regnaſſe *Baltaſſarem* adoleſcentem, & mortuo patre novem menſibus ſolum regnaſſe. Uxores autem & concubinas *Baltaſſaris* intelligi docet *Theodoretus*, quæ non legitime, ſed laſciviæ cauſa cum illo conſueverant. Quanquam & octodecim forte annorum adoleſcens conjugatus eſſe potuerit.

Laboroſoarchodus idem qui Baltaſſar.

Pererius refellitur.

VI. *Laboroſoarchodo* ſive *Baltaſſare* perempto, *Convenientes hi qui fecerant ei inſidias, communi ſuffragio Regnum tradidere Nabonnedo cuidam Babylonio, qui ejuſdem conjurationis particeps fuit.* Verba ſunt *Beroſi* apud *Joſephum* Libro 1. contra *Apionem*. Idem teſtatur *Abydenus* apud *Euſebium*, Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. penultimo. *Nabonnedus*, ſeu *Nabonidus* (ut vulgo vocatur) idem eſt ac *Darius Medus*, de quo *Daniel* Cap. 5. 30. 31. *Eadem nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus. Et Darius Medus ſucceſſit in Regnum annos natus ſexaginta duos.* Darium Medum ſic cognominatum *Theodoretus* cenſet, quod a patre Medo eſſet, quamvis Matre Chaldæa. *Daniel* initio Capitis noni hunc *Darium* vocat *filium Aſſueri de ſemine Medorum*. Aſſuerus hujus *Darii* pater is eſſe creditur, qui a Græcis *Cyaxares* vocatur. *Nabonidum* vero a patre *Cyaxare* cum copiis auxiliaribus ad *Nabuchodonoſorem* miſſum, cum in bello præclare ſe geſſiſſet, in Aula Babylonii Regis deinceps manſiſſe aſſerunt.

Nabonidus idem ac Darius Medus.

Pererius probandum ſibi ſumit Libro 7. Commentarii in Danielem, *Nabonidum* non eſſe *Darium Medum*. Etenim, inquit, *Nabonidum* fuiſſe Babylonium, teſtis eſt *Beroſus*: At *Darius* Natione Medus fuit, non Babylonius.

Reſpondetur objectionibus Pererii.

Reſpondetur, *Nabonidum* quidem a *Beroſo* dici *ex Babyloniis*, quia Babylone in Aula Regia diu verſatus fuerat, non quod *ex eadem gente* eſſet, ut male vertit Latinus *Joſephi* Interpres. Illa namque verba *Beroſi* ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως, ſignificant, *ex eadem conſpiratione*, non ex eadem gente.

At (inquit Pererius) nunquam Babylonii in Medum externumque ſceptra transferrent, præſertim cum *Nitocris* Regina *Labyniti* ſeu *Nabonidi* mater, jamdudum ſuſpectam habens Medorum potentiam, Babylonem communiiſſet, & ad reſiſtendum ſe comparaſſet, teſte *Herodoto*.

Reſpondetur, *Nitocridem* celebrem illam Reginam, videri *Neriglisſori* conjugem, & *Baltaſſaris* matrem: (Utrumque enim Regem a Græcis *Labinitum* vocatum:) Hæc itaque *Neriglisſoro* Imperium adminiſtrante, & *Baltaſſare* cum eo regnante, Babylonem munivit, & miranda illa conſtruxit opera, de quibus *Herodotus* Libro 1. Cap. 185. & ſequentibus. Non mi-

mirum autem quod Babyloni Dario *Medo*, viro magnæ dudum apud Babylonios auctoritatis Regnum detulerint, cum Regia ſtirps in *Baltaſſare* defeciſſet.

Inſtat *Pererius*, & hunc *Darium* Regem fuiſſe Medorum & Perſarum colligit ex Cap. 6. *Danielis*, v. 8. ubi Satrapæ & Senatores, qui *Danieli* ſtruebant inſidias, Regi dixiſſe perhibentur: *Nunc itaque Rex, confirma ſententiam: & ſcribe Decretum: ut non immutetur quod ſtatutum eſt a Medis & Perſis*. Sed & *S. Hieronymi* teſtimonium affert, ut probet *Darium Medum*, occupato Regno Babylonis, non ibi manſiſſe, ſed in Mediam rediiſſe, & illuc *Danielem* ſecum adduxiſſe.

Reſpondetur, Ex *Danielis* Cap. 6. non recte colligi quod *Darius Medus* Medis & Perſis imperaverit. Decernere enim potuit Rex ex Medis oriundus, ut Regum Babyloniorum Edicta more Medorum inviolabilia eſſent. *Scaliger* conjicit id quod Cap. 6. *Danielis* narratur, in Suſiana geſtum fuiſſe, cui Regioni *Daniel* erat Præfectus. In illa autem Præfectura Leges Medorum viguiſſe, ut quæ olim pars fuerit Medorum Imperii. *S. Hieronymus* teſtimonio *Joſephi* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 12. deceptus, ſenſit *Darium* fuiſſe Regem Medorum. Sed *Beroſi*, *Megaſthenis* & *Abydeni* antiquorum & fideliſſimorum Scriptorum, qui ex Babylonicis Archivis & Annalibus Hiſtoriam expreſſerunt, quorum fragmenta nobis ſervarunt, & auctoritatem ſecuti ſunt *Joſephus* ipſe *Libro 1. Contra Apionem*, & *Euſebius* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, teſtimoniis fidem derogare non poſſumus in Babylonicarum Rerum ac Principum Hiſtoria.

Urget *Pererius*, illudque Oraculum *Danielis* 8. 2. objicit: *Diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Medis ac Perſis*.

Reſpondetur, Id oraculum impleri cœpiſſe, cum Babyloniorum Imperium occiſo *Baltaſare* ad *Nabonidem*, ſeu *Darium Medum* virum alienigenam, a Medis ſcilicet oriundum, tranſlatum eſt: Tunc autem perfecte impletum fuiſſe, cum a *Cyro* Perſarum & Medorum Rege expugnata & ſubverſa Babylone, Chaldæi Perſarum Imperio ſubjecti ſunt. Certe *Darium Medum* non Medorum, ſed Chaldæorum Regem fuiſſe, teſtis eſt *Daniel* Cap. 9. 1. *Anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperavit ſuper Regnum Chaldæorum*.

Regum Babyloniorum ſucceſſio aliter a Joſepho tradita, Nomina interpolata.

VII. *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 12. Regum Babyloniorum ſucceſſionem aliter tradit. *Abilamaradach*, inquit, poſtquam annos octodecim regnaſſet, defuncto, ſucceſſit Niglſſar filius, cumque imperium obtinuiſſet annos quadraginta, vitam cum morte commutavit. Continuata deinde ſucceſſione ad Laboſordacum filium ejus Regnum pervenit, apud quem cum novem tantum Menſes heſiſſet, poſt mortem ejus tranſiit ad Baltaſarum, qui Babyloniis Naboandel nominatur. Huic Bellum intulerunt Cyrus Perſarum Rex, & Darius Rex Medorum: a quibus dum obſeſſus erat, mirabilis quædam & prodigioſa viſio ei contigit.... Non multo autem interjecto tempore, ipſe & Urbs in Cyri Perſarum Regis poteſtatem devenit. Sub Baltaſſare enim capta eſt Babylon, anno Regni ejus decimo-ſeptimo. Hic finis fertur poſterorum Nabuchodonoſoris. Darius autem, cum extingueret Babyloniorum imperium, adjutus a Cyro ſuo cognato, annum agebat ſexageſimum-ſecundum: qui fuit Aſtyagis filius, alio apud Græcos nomine. Hic etiam Danielem Prophetam aſſumptum duxit ſecum in Mediam &c.* Sed corrigendus eſt *Joſephus* hoc in loco ex fragmento *Beroſi* quod refert & ſequitur *Libro 1. Contra Apionem*. Hunc etiam refellit *Theodoretus* Libro 6. in Danielem. *Joſephus autem Hiſtoricus*, inquit, *Darium Aſtyagis filium aſſerit, & Cyri avunculum: Verum Græcos Scriptores aliter ipſum appellaſſe, Cyaxarem quippe illum vocaverunt. Narratque, cum eodem tempore Exercitum ad Babylonem adduxiſſent Darius & Cyrus, ejus ſororis filius, per obſidionem Urbis potitos eſſe, & Baltaſſar ab ipſis illa nocte interfectum, qua ſcriptas illas ſyllabas in pariete conſpexerat. Verum non ita credendum eſt. Quæ enim a Beato Daniele conſcripta ſunt, ea nos docent, in poſtrema parte rerum quæ de Dario commemorantur, Danielem proſpere egiſſe in Regno Darii, & in Regno Cyri Perſæ, oſtenditque aliud Darii Regnum eſſe, aliud Cyri. Quod ſi una eorum fuiſſet contra Babylonem cum Exercitu profectio, unum omnino Regnum fuiſſet: Nunc aliud hoc, aliud illud eſſe confirmat. Et in fine Prophetiæ ita Daniel ait:* Et Rex Aſtyages appoſitus eſt ad Patres ſuos, & accepit Cyrus Perſes Regnum ejus. *Non igitur eodem tempore Darius & Cyrus Regnum obtinentes Baltaſſar interfecerunt, verum Darius Aſſueri prior, Cyrus poſterior regnavit. Neque etiam quæ a Joſepho dicuntur, cum Græcis Hiſtoriis conſentanea ſunt. Nec enim in illis facile licet invenire, Cyaxarem Aſtyagis filium, eundem eſſe Darium, quem iſte narrat una cum Cyro contra Babylonem cum Exercitu profectum: Ita ut omnino Joſephi oratio a fide aberrat*. Nec tamen *Darium Medum Nabuchodonoſoris* ex filia nepotem aſſerenti *Theodoreto* ſubſcribimus. *Baltaſſarem* enim *Nabuchodonoſoris* filium natu minorem fuiſſe ſupponit, & conſequenter, Oraculum illud Jeremiæ 27. 4. *Dedi omnem terram Regi Babylonis, ut ſerviat ei, & ſervient ipſi omnes & filio ejus & filio filii ejus*, ad *Baltaſſarem* & *Darium Medum* refert. Verum *Baltaſſarem* ipſum, non *Darium Medum* nepotem *Nabuchodonoſoris* ex filia fuiſſe, filium vero *Neriglſſari*, conſtat ex *Beroſo*, ad cujus fragmentum a *Joſepho Libro 1. contra Apionem* deſcriptum non attendit *Theodoretus*. Conſtat etiam ex *Daniele* Darium Medum *filium fuiſſe Aſſueri de ſemine Medorum*, adeoque ex ſtirpe Regia Babyloniorum non fuiſſe.

VIII. Anno *Nabonidi* ſive *Darii Medi* decimo-ſeptimo, *Cyrus* Rex Perſarum, univerſa Aſia ſubacta impetum fecit in Babyloniam. *Nabonidus* ubi ſenſit *Cyri* invaſionem, occurrens ei cum Exercitu ſuo atque congreſſus, pugna victus, & cum paucis fugiens in Urbe Borſippenſium incluſus eſt. *Cyrus* Babyloniam aggreſſus, juſſit ut exteriores Urbis muros ſuffodiendo diruerent. Quia vero non ſine multo labore capi poſſe videbatur, *Borſippum* caſtra movit, *Nabonedum* expugnaturus. Cum vero *Nabonedus* obſidionem non ſuſtineret, ſed ſe ipſum Victori traderet, *Cyrus* in eum uſus clementia, Carmaniam ei pro habitaculo dedit, eumque ex Babylonia emiſit. Iſta conſtant ex fragmento *Beroſi* apud *Joſephum* Libro 1. *contra Apionem*, & ex *Abydeno* apud *Euſebium* Libro 9. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. penultimo. *Cyrus* cum jam longo tempore parum obſidionem promoveret, ab Euphrate ad ingentem illam paludem, quam Regina *Nitocris* olim defoderat, foſſam duxit: Deinde & hujus, & alterius circa Urbis murum ab eo ductæ foſſæ oſtia aperiens, aqua fluminis ab eo derivata, priſtinum ejus alveum, duorum ſtadiorum latitudine per Urbem tendentem, hominibus pervium reddidit. Per fluvium jam vadoſum *Cyrus* cum Exercitu tranſiens, obſeratis omnibus, quæ ad flumen aditum dabant portulis, ſeptiſque ſuperatis, Urbem invaſit, cum die feſto agitarentur convivia. Tanta erat Urbis magnitudo, ut capti jam eſſent qui extremas ejus partes incolebant, ii qui mediam habitabant Urbem id non animadverterent. Ita referunt *Herodotus* Libro 1. Capp. 190. & 191. & *Xenophon Inſtitutionum* Libro 7. Babylonis, excidium prædixerat *Jeremias* Cap. 51. *Fugite*, inquit, *de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam: Nolite tacere ſuper iniquitatem ejus, Quoniam tempus ultionis eſt a Domino, viciſſitudinem ipſe retribuet ei. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: De vino ejus biberunt Gentes, & ideo commota ſunt. Subito cecidit Babylon & contrita eſt: Ululate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem ejus, ſi forte ſanetur. Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, & eamus unuſquiſque in terram ſuam: Quoniam pervenit uſque ad cœlos judicium ejus, & elevatum eſt uſque ad nubes.... Acuite ſagittas, implete pharetras: Suſcitavit Dominus ſpiritum Regum Medorum: & contra Babylonem mens ejus eſt ut perdat eam, quoniam ultio Domini eſt, ultio Templi ſui.... Sanctificate contra eam Gentes, Reges Mediæ, Duces ejus, & univerſos Magiſtratus ejus, cunctamque terram poteſtatis ejus. Et commovebitur terra, & conturbabitur: Quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis deſertam & inhabitabilem. Ceſſaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præſidiis: Devoratum eſt*

ro-

Digitized by Google

robur eorum, & facti ſunt quaſi mulieres: incenſa ſunt tabernacula ejus, contriti ſunt vectes ejus. Currens obviam currenti veniet: & nuntius obvius nuntianti; ut annuntiet Regi Babylonis, quia capta eſt civitas ejus a ſummo uſque ad ſummum. Et vada præoccupata ſunt, & paludes incenſa ſunt igni, & viri bellatores conturbati ſunt. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Filia Babylonis quaſi area, tempus trituræ ejus: Adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis ejus.... Et inebriabo Principes ejus, & Sapientes ejus, & Duces ejus, Magiſtratus ejus, & fortes ejus: & dormient ſomnum ſempiternum, & non expergiſcentur, ait Rex, Dominus exercituum nomen ejus. Hæc dicit Dominus exercituum: Murus Babylonis ille latiſſimus ſuffodietur, & portæ ejus excelſæ igni comburentur, & labores Populorum ad nihilum, & Gentium in ignem erunt, & diſperibunt.

ARTICULUS IV.

De Rebus Perſarum.

Vaticinia de Regno Perſarum. I. PErſarum Imperium in Viſione illa celeberrima Statuæ, quatuor Monarchias repræſentantis, quam *Daniel Nabuchodonoſori* interpretatus eſt, ut Prophetiæ ipſius Cap. 2. legimus, pectore & brachiis argenteis ſignificabatur. *Et poſt te*, inquit, *conſurget Regnum aliud minus te argenteum*. Minus Babylonio dicitur Perſicum Imperium, non quale poſtea futurum erat. (Libro enim *Eſther* 1. & 10. Cap. *Aſſueri* illius Perſarum Regis Imperium porrectum fuiſſe dicitur ab India uſque ad Æthiopiam ſuper centum viginti-ſeptem Provincias, cunctaſque Maris Inſulas: Tanta autem nuſquam fuit Babylonici Imperii amplitudo.) Sed minus dicitur pro eo quo erat ſtatu *Nabuchodonoſoris* tempore; ut hic ſit Prophetiæ ſenſus: Poſt te conſurget aliud Regnum, quod nunc tuo minus eſt. Argenti autem ſymbolo ſignificatum illud Imperium eſt, ob immenſas opes *Cyri*, ſequentiumque Regum. *Cyrum* enim, Aſia ſubacta, pondo auri triginta-quatuor millia inveniſſe, præter vaſa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanum ac vitem: Ea demque victoria argenti quingenta millia talentorum reportaſſe; & inſuper craterem *Semiramidis*, cujus pondus quindecim talenta Ægyptiaca colligebat, auctor eſt *Plinius*, Libro 33. Cap 3. Sed & *Cyro* primo Perſarum Imperatori theſauros abſconditos ſe daturum Deus pollicetur *Iſaiæ* 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos Terræ humiliabo: Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum: Ut ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael.*

In altera Viſione quatuor beſtiarum grandium de Mari aſcendentium, *Danielis* 7. Perſicum Imperium Urſi ſymbolo ſignificatum eſt: *Et ecce beſtia alia ſimilis Urſo in parte ſtetit: Et tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & ſic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* Regnum autem Perſarum, inquit *S. Hieronymus* in Commentario, ob duritiam & ferocitatem Urſo comparatur. *Rigidum enim & parcioris victus, in morem Lacedæmoniorum, Regnum Perſarum fuit; ita ut in pulmento ſale uterentur & cardamo.* Vel comparatur Urſo, propter crudelitatem, & exquiſitorum ſuppliciorum uſum, ut exponit *Theodoretus*. In parte una ſtetiſſe dicitur, vel quia primum erexit ſe, atque invaſit unam partem viciniorem, ſcilicet Regnum Chaldæorum, quo obtento, Imperium latius propagare facile fuit. Vel
„ quia tametſi ab *Alexandro Magno* deſtructum diu
„ jacuit, poſtea tamen Imperatorum Romanorum tem-
„ pore rurſus exurrexit, & ſtetit, ſed in parte
„ tantum. Non enim omne Imperium, quod alium
„ habuerat, recuperavit, ſed aliquam dumtaxat ip-
„ ſius partem. Cum enim trium orbis partium eſ-
„ ſet dominationem complexum, Ægyptum & Æ-
„ thiopiam amiſit; Item Palæſtinorum, & Phœni-
„ cum, Syrorumque dominationem, adeptumque ei
„ eſt Aſiæ Imperium, Pontus etiam Euxinus ab il-
„ lius Sceptris deſcivit. Solam igitur Perſidem,
„ Mediam, & Aſſyriam, paucaſque aliquas alias fi-
„ nitimas Nationes Imperio ſuo continet. Quæ *Theodoreti* explicatio eſt. Tres ordines in ore & in dentibus, tria Regna ſignificant, Babyloniorum, Medorum, atque Perſarum, quæ in unum redacta ſunt Regnum, ut exponit *S. Hieronymus*: Vel tres Mundi partes, Orientem, Septentrionem, & Meridiem, ad quas Perſarum Imperium pertinebat, ut ait *Theodoretus*. Urſo denique hujus Imperii ſymbolo dictum eſt: *Surge, comede carnes plurimas*: Quod *S. Hieronymus* ad illud tempus referri cenſet, quo ſub *Aſſuero*, (quem 70. *Artaxerxem* vocant) ad ſuggeſtionem *Amani* Agagitæ, una die Judæi omnes juſſi ſunt trucidari. Unde non ait Propheta, *Devorabit eos*, ſed ipſi dictum, *Surge, comede carnes plurimas*: Ut conatus tantum fuerit & nequaquam rei exitus ſit conſecutus. Vel, ad *Cyrum* hujus Monarchiæ conditorem congrue etiam refertur, qui, teſte *Herodoto*, inſatiabili cupiditate dominandi, omneſque Gentes Imperio ſuo ſubjiciendi flagrabat.

In alia denique Viſione *Danielis* Cap. 8. Perſicum Imperium ſub *Arietis* figura deſcribitur: *Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce Aries unus ſtabat ante paludem, habens cornua excelſa, & unum excelſius altero atque ſuccreſcens. Poſtea vidi Arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu ejus: Fecitque ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt.* Quam Viſionem *Gabriel* Archangelus Prophetæ ſic explicat: *Aries, quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt atque Perſarum.* Arieti Perſicum Imperium comparatur, tanquam divitiis florens, multarumque facultatum obtinens abundantiam. Duo cornua duas familias ſignificant, penes quas hoc Imperium fuit a *Cyro* uſque ad *Alexandrum Magnum*. Prior fuit familia *Cyri*, quæ in *Cambyſe* ejus filio extincta eſt. Altera *Darii Hyſtaſpis*, cujus Succeſſores ad *Alexandrum Magnum* uſque imperarunt. Duæ itaque Regum Dynaſtiæ per *duo cornua* ſignificantur: Et ambo quidem excelſa, excelſius autem priore poſterius. Amplius enim *Dario* & *Xerxe* Sceptra tenentibus Regnum fuit, Nam *Cyrus* Pontum Euxinum & Aſiam ſibi ſubegit, *Darius* etiam Scytas Nomadas cum reliquis ſibi ſubjectis conjunxit. *Xerxes* Europæ quoque Imperii jugum imponere conatus eſt. Idcirco *Daniel* duo cornua in Ariete videt, ſed alterum prius, alterum poſterius & excelſius priore. Contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem cornibus ventilabat. Omnia enim & ad Aquilonem, & ad Auſtrum ſita ſibi ſubjecta habebat, & itidem ea quæ ad Occidentem, uſque ad ipſum Mare, & plurimas item Inſulas in ſervitutem redegit. Simul itaque cum *Xerxe* bellum Græciæ inferente, & Cyprii, & Rhodii, Samii, & Leſbii, & Chii, & Cyclades omnes inita ſocietate pugnabant. Omnes beſtiæ non poterant Arieti illi reſiſtere; Id eſt, nullum Regnum illi Imperio reſiſtere valebat, & nemo jugum ejus excutere poterat: Sed quodcumque aggrediebatur, illud ad exitum perducebat. Hæc *Theodoreti* explicatio eſt *Libro* 8. *Commentariorum in Danielem*.

Perſarum Reges Cyrus. II. *Cyrus* nepos *Aſtyagis* Medorum Regis ex *Mandane* illius filia, & *Cambyſe* Perſa, Regnum Avo eripuit, & ad Perſas tranſtulit. *Aſtyagem* captum clementer excepit, & Hyrcanorum Genti poſtea præpoſuit. *Aſtyage* victo, primum *Cyro* bellum fuit adverſus *Crœſum* Lydorum Regem. Debellato *Crœſo*, Lydia, ac reliqua omnis Aſia, cum maritimis Græciſque Civitatibus, victoriæ præmium extitit. *Crœſum* Sardis expugnatis *Cyrus* vivum cepit. In ea expugnatione mirabile id accidit, ut, cum Perſa quidam *Crœſum* ſibi ignotum ſtricto gladio peteret, & ille præſenti clade affectus, invadentem devitare negligeret, *Crœſi* filius a puero mutus exclamaverit. *O Homo ne Crœſum occidas*. Ita referunt *Herodotus* Libro 1. *Valerius Maximus* Libro 5. Cap. *De Pietate in Parentes*, & *Solinus* Cap. 7. *Solon* ante aliquot annos *Crœſum* monuerat, Nemimem mortalium, dum vivit,

Digitized by Google

vivit, beatum eſſe. Beatus ſibi videbatur *Crœſus*: Sed ubi a *Cyro* captus, & pyræ impoſitus eſt, *Solonis* verborum memor, ejus nomen ter inclamat. *Cyrus* clamoris & invocationis cauſam percontatus, ſe quoque hominem pari viciſſitudini & calamitati obnoxium cogitans, *Crœſum* ab incendio liberavit, ſummoque deinceps in honore habuit, ut narrat *Herodotus*. Lydis ſubactis, bellum in Chaldæos tranſtulit *Cyrus*, & Babylone poſt longam obſidionem potitus eſt, totumque Regnum Perſarum Imperio adjunxit. Bactriis etiam & Sacis ſub jugum miſſis, poſtremam in Maſſagetas ſuſcepit expeditionem, in qua ducenta millia Perſarum cum ipſo Rege trucidata ſunt. Caput *Cyri* amputatum in utrem humano ſanguine repletum conjici juſſit Maſſagetarum Regina *Tamyris*, cum hac exprobratione crudelitatis: *Satia te ſanguine quem ſitiſti, cujuſque inſatiabilis ſemper fuiſti.* Ita referunt *Herodotus* & *Juſtinus* Trogi Pompeii breviator Libro 1. & *Valerius Maximus* Libro 9. Cap. 10. Imperavit *Cyrus* annis viginti-novem completis (ex *Herodoto*) ſeu triginta inchoatis (ex *Cteſia* & *Dionyſio* Rerum Perſicarum Scriptoribus, ex Cicerone Libro 1. *De Divinatione*, *Trogo*, *Juſtino*, *Euſebio*, *Clemente Alexandrino*, *S. Hieronymo*, *Oroſio*, &c.) Quot annos regnaturus eſſet, Magi viſum, quod in ſomnis habuerat, interpretati, feruntur prædixiſſe. Ita ex *Dionyſio* refert *Cicero*, loco mox laudato. *Cum dormienti Cyro Sol ad pedes viſus eſſet, ter eum fruſtra appetiviſſet manibus, cum ſe convolvens Sol elaberetur & abiret: Ei Magi dixere (quod genus Sapientum habetur in Perſis) ex triplici appetitione Solis triginta annos Cyrum regnaturum eſſe portendi: Quod ita contigit, nam ad ſeptuageſimum pervenit, cum quadraginta annos natus regnare cœpiſſet.* Duplex vulgo a Chronologis Epocha *Cyri* ſtatuitur, prima Regni Perſici, altera Babylonici Imperii. Olympiadis 55. anno primo Perſis regnare cœpit, ut aſſerunt *Diodorus Siculus* in Bibliotheca, *Thallus*, *Caſtor*, & *Polybius*, in Hiſtoriis, *Phlegon*, & *Julius Africanus* apud *Euſebium* Libro 10. *Preparat. Evang.* Babylonici vero Imperii Epocha ſtatuitur Olympiadis ſexageſimæ anno tertio, Æræ *Nabonaſſari* anno decimo ſupra ducenteſimum, adeoque Regni Perſici vigeſimo-ſecundo ineunte, quam Epocham confirmat Canon Ptolemaicus Babyloniorum Regum, *Cyro* novem annos Babylonici Imperii tribuens... Ob ſolutam Judæorum Captivitatem in Scriptura *Cyrus* celebratur.

Cambyſes.

III. *Cambyſes* patri *Cyro* ſucceſſit. Hunc Scriptura Sacra 1. *Eſdræ* 4. *Aſſuerum* & *Artaxerxem* vocat. Uxore ſua *Nitetide*, filia Pharaonis *Apriæ* ſeu *Ephreæ* quondam Ægypti Regis inſtigante, bellum Ægyptiis intulit, Ægyptumque totam obtinuit, capto *Pſammenitho* Rege, quem taurino cruore propinato poſtea extinxit. Temeraria & infelice contra Æthiopes Expeditione partem ſui Exercitus maximam amiſit. Sororem, eamdemque uxorem calcibus in utero percuſſam occidit. Sororem non ſolum contra naturæ Legem, ſed etiam contra mores Perſarum, uxorem acceperat, Juriſperitis reſpondentibus, Nullam quidem ſe invenire Legem quæ ſinat fratri nubere ſororem: Quandam tamen invenire Legem qua liceat Regi Perſarum facere quicquid libeat. Fratrem etiam *Smerdim* ex invidia interfecit. Cognita *Smerdis* nece, *Patizithes* Magus, quem *Cambyſes* rei domeſticæ Curatorem reliquerat, fratrem ſuum *Cambyſis* fratri cognominem, formaque ſimilimum in ſolium extulit. *Cambyſes* adverſus perduelles Magos Exercitum ducturus dum in equum inſilit, gladius vagina excidit, femurque læſit. Quo ex vulnere, ubi femoris os vitiatum eſt, membrumque celerrime contabuit, poſt viginti dies e vita migravit, cum annos ſeptem & menſes quinque regnaſſet, nulla prole relicta. De illius Expeditionibus, inſania, crudelitate, plura docebit *Herodotus*, Libro 3. De ipſo etiam *Juſtinus* ex *Trogo Pompejo* Libro 1. Cap. 9. Annos *Cambyſis* a primo Imperii Perſici anno Auctores nonulli videntur numeraſſe, quod *Cyrus* Regium nomen filio tribuiſſet. Quamobrem annos novendecim *Cambyſi* tribuit *Clemens Alexandrinus*, octodecim vero *Cteſias*.

IV. Poſt *Cambyſis* obitum, *Prexaſpe* pernegante *Smerdim* fratrem *Cambyſis* a ſe fuiſſe interfectum, *Smerdis* Magus, ſe *Smerdim* Cyri filium mentitus, ſecurus regnavit menſes ſeptem, qui reliqui erant ad implendum octavum annum Regni *Cambyſis*, omni liberalitatis genere ſubditos demereri ſtudens. Quem *Smerdim* vocat Herodotus, *Mardum* Æſchilus, Trogus Pompejus & Juſtinus *Oropaſten*, Cteſias *Sphendadatem* appellavit. Comperta Magi intruſione, ſeptem Principes conſpiratione facta ipſum e medio ſuſtulerunt, quorum unus erat *Darius Hyſtaſpis* filius. Hos cum Magis confudit *Ammianus Marcellinus*, qui ſeptem Magos poſt mortem *Cambyſis* Perſidis Regnum iniiſſe ſcripſit Libro 23. In liberationis ab his Principibus partæ perpetuam memoriam, annum *Magaphonia* Feſtum a Perſis deinceps celebratum. Inter Principes convenit, ut ſub ortum Solis conſcenſis equis, cujus equus hinnitum primus edidiſſet, is Perſicum Imperium obtineret. Quod auſpicium cum *Dario Hyſtaſpis* filio Oebaris equiſonis ſui arte obtigiſſet, cæteris ex equis deſilientes *Darium* adoraverunt, & Regem ſalutaverunt, Regnum illi a Deo decretum arbitrati. Nam & Solem Perſæ unum Deum eſſe credebant, & equos eidem ſacros habebant.

Smerdis Magus.

Magophonia.

Darius Hyſtaſpis.

V. Principio Regni, *Darius Cyri* filiam *Atoſſam* in matrimonium recepit, regalibus nuptiis Regnum firmaturus, ut non tam in extraneum tranſlatum, quam in familiam *Cyri* reverſum videretur. Præter *Atoſſam*, quæ *Cambyſi* fratri, ac deinde Mago nupſerat, *Artyſtonam* duxit virginem, quam *Cyri* pariter filiam facit *Herodotus*, & *Parmyn* filiam *Smerdis* filii *Cyri* & filiam *Otanis* Principis, quæ Magum prodiderat. Imperium in viginti Provincias diviſit, ſingulisque ſingulos Satrapas præfecit, taxato quod penderetur tributo per Nationes, cum antea ſola munera Regibus ſuis afferrent, non tributa ſolvere cogerentur. Ob hanc tributi exactionem, Perſæ *Darium Inſtitorem*, *Cambyſem Dominum*, *Cyrum Patrem* appellabant. Talentorum quatuordecim millia quingenta & ſexaginta tributi nomine *Darius* percipiebat. Illato in Græciam bello Samum, Miletum, Cariam, Chium, Lesbyum, Tenedum, aliaſque Joniæ Civitates, Inſulaſque cepit. Deficientibus interim Chaldæis, Babylonem expugnavit, *Zopyri* dolis adjutus, ejuſque muros & portas evertit, & Babyloniorum Procerum tria millia patibulis affixit, data cæteria venia Urbem incolendi. Atque ut iidem uxores haberent, unde proles ſuccreſceret, providit. Nam fœminas Babylonii rei frumentariæ conſulentes ſtrangulaverant. Itaque *Darius* vicinis undique Populis juſſit, ut feminas Babylonem mitterent, pro injuncto cuique numero. (Ex *Herodoto*, Libro 3.) Expugnata Babylone, adverſus Scytas expeditionem fecit, conſcripto ſeptingentorum millium hominum Exercitu, præter Claſſem, quæ conſtabat ex Navibus ſexcentis. De qua Expeditione legendus *Herodotus*, Libro 4. *Darius* injuriæ olim ab Athenienſibus illatæ memor, cujus ne unquam oblivisceretur, juſſerat famulo, ut quotidie ſibi parata cœna ter diceret: *Here, memento Athenienſium*; bellum rurſus Græciæ intulit. Primum belli impetum ſuſtinuit Eretria. Perſæ ſeptimo obſidionis die Urbe potiti, inde in Atticam navigaverunt, ejuſque magnam partem vaſtaverunt: Ab Hippia Piſiſtrati filio demum ducti in campos Marathonios commiſſo prælio, ab Athenienſibus & Platæenſibus *Miltiadis* qui in Thracica Cherſoneſo dominatum obtinuerat, auſpiciis Perſæ profligati ſunt: Sex millia quadrigenti cecidere. Celebris illius prælii meminere *Herodotus* Libro 4. *Trogi* Breviator *Juſtinus* Libro 2. *Pauſanias* Libro 4. & 10. *Cornelius Nepos* in Vita Miltiadis *Valerius Maximus* Libro 5. Cap. 3. *Æmilius Probus* in Miltiade, *Plutarchus* initio Paralellorum, & in Vita *Ariſtidis*, &c. Cum majorem contra Græcos apparatum *Darius* in Aſia inſtrueret, Ægyptii a Perſis defecerunt. *Darius* Expeditionem in Ægyptios & Athenienſes ſuſcepturus, prius, ex inſtituto Perſarum Regni Succeſſorem declaravit *Xerxem* ex *Atoſſa* filia *Cyri* genitum. Dum vero profectionem in Græciam adornaret, ſupremum diem obiit, annis imperii triginta-ſex expletis. (Ex *Herodoto*, Libro 7.) *Darius Hyſtaſpis* eſt *Aſſuerus* maritus *Eſther*. Qua de re infra diſſerimus.

VI. *Xerxes* ſecundo poſt mortem *Darii* Patris anno,

Xerſes.

no, adverſus rebelles *Ægyptios* exercitum duxit: Quos debellatos, & in arctiorem; quam ſub *Dario* fuerant, ſervitutem redactos, *Achameni* fratri ſuo gubernandos tradidit. Expeditionem in Græciam ſuſcepit Olympiade ſeptuageſima quinta. Claſſem ejus fuiſſe Navium longarum mille & ducentarum, armatorum ſeptingenta millia de Regno, & trecenta millia de auxiliis fuiſſe, proditum eſt. Inter reliquas gentes Perſico Imperio ſubditas erant & Judæi; quos cum *Xerxe* contra Græcos militaviſſe, ex *Chœrilo* Poeta confirmat *Joſephus* Libro 1. *Contra Apionem*. De *Xerxe*, & ejus in Græciam Expeditione intelligitur Vaticinium illud *Danielis* Cap. 11. 2. *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes: & cum invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adverſum Regnum Græciæ.* Ingenti exercitui Dux defuit (inquit Juſtinus) *Ceterum, ſi Regem ſpectes; divitias, non Ducem laudes: Quarum tanta copia in Regno ejus fuit, ut cum flumina multitudine conſumerentur, opes tamen Regiæ ſupereſſent; ipſe autem primus in fuga, poſtremus in prælio ſemper viſus eſt, in periculis timidus; ſicubi metus abeſſet inflatus; denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipſius Dominus, & montes in planum ducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam Maria Pontibus ſternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat. Hujus introitus in Græciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit.* A Leonide Lacedæmoniorum Rege quatuor Græcorum millia dumtaxat ducente, trecentæ Perſici Exercitus Myriades, in anguſtiis Theſſaliæ faucibus, quæ ab aquis calidis Thermopylæ ſunt dictæ, profligatæ ſunt. (Ex *Herodoto*, Libro 7. *Diodoro Siculo* Libro 11. *Juſtino* Libro 2. Cap. 11.) *Xerxes* reliquo Exercitu in Atticam traducto, Athenas, Theſpias & Plateas vacuas hominibus incendit. Et quoniam ferro in homines non poterat, in ædificia igne graſſatus eſt. Quo magis penetrabat in Græciam *Xerxes*, eo plures eum Nationes ſequebantur: Melienſes, Dorienſes, Locri, Bœoti, Caryſtii, Andrii, Tenii &c. Quibus ſupplementis priores jacturæ ita ſarcitæ fuiſſe exiſtimantur, ut non minori numero vel pedeſtres copiæ, vel navales ad Athenas & Salaminem promotæ fuerint, quam ad Thermophylas. Sed ubique infelix *Xerxes* navali prælio ad *Salaminem* commiſſo, maximam cladem accepit. Perſicas Naves quingentas periiſſe, captaſve fuiſſe, *Cteſias* ſcribit. *Artemiſia* Regina Halicarnaſſi, quæ in auxilium *Xerxi* venerat, inter primos Duces bellum acerrime ciebat: *Quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres:* (inquit Juſtinus.) Adeo ut & ipſe *Xerxes* hac occaſione dixiſſe feratur: viros extitiſſe ſibi feminas, feminas autem viros. (Ex *Herodoto*, Libro 8.) Eurybiadis Lacedæmonii virtute, & *Themiſtoclis* Athenienſis conſilio ac prudentia parta Græcis eſt Salaminia Victoria, Olympiadis 75. anno primo. De qua & *Plutarchus* in Vita *Themiſtoclis*, & Libello *De Gloria Athenienſium*. Xerxes ex Græcia trepidus fugit, copiarum parte *Mardonio* Duci relicta. Græci audita Regis fuga conſilium ineunt Pontis interrumpendi, quem ille Abydo, veluti victor Maris fecerat; ut intercluſo reditu, aut cum Exercitu deleretur; aut deſperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. Sed *Themiſtocles*, timens ne intercluſi hoſtes deſperationem in virtutem verterent, conſilium iſtud diſturbavit: *Satis multos hoſtes in Græcia remanere*, dicens, *nec augeri numerum retinendo oportere*. Ita referunt *Herodotus*, Libro 8. & *Juſtinus*, Libro 2. Reverſus in Perſidem *Xerxes*, bellum cum Græcis gerere non deſtitit, *Mardonio* Duce. Sed fortuna Regis cum Duce mutata non eſt. Pugna enim ad Platæas Bœotiæ Urbem commiſſa, *Mardonius* victus occubuit, fugit *Artabazus* Dux Perſarum alter (quamquam *Juſtinus Cteſiam* ſecutus, *Mardonium* veluti ex naufragio cum paucis profugiſſe ſcribat.) Totus Perſarum Exercitus diſſipatus eſt. Pluſquam centena millia cecidere. Caſtra referta Regalis opulentiæ capta. Unde primum Græcos diviſo inter ſe auro Perſico, divitiarum luxuria cœpit. Eodem die navalem de Perſis victoriam Græci ad *Mycalen* reportarunt, Duce *Leotychida* Lacedæmonio. Mox Jonia tota, una cum Æolenſibus, & Inſulanis a Perſis deſcivit. De his legi poſſunt *Herodotus* Libro 9. *Diodorus Siculus* Libro 11. *Pauſanias* in Laconicis, & Bœoticis, *Plutarchus* in Ariſtide, *Juſtinus* Libro 2. *Cornelius Nepos* in Vita *Pauſaniæ*. Nec multo poſt Cimon Miltiadis filius, Athenienſium Dux, Eione Thraciæ Urbe Perſis erepta, in Pamphylium Mare delatus, inſignes duas de Perſis victorias conſecutus eſt, navalem unam juxta Cyprum; terreſtrem alteram ad Eurymedontem Pamphyliæ fluvium. Naves trecentas & quinquaginta; Perſarum viginti millia cepit. Lege *Diodorum Siculum* Lib. 11. *Thucydidem* Lib. 1. *Juſtinum* Lib. 2. *Plutarchum*, & *Cornelium Nepotem* in Vita *Cimonis*.

Xerxes Rex Perſarum, terror antea Gentium, bello in Græciam infeliciter geſto, etiam ſuis contemptui eſſe cœpit. Quippe Artabanus Præfectus ejus, deficiente quotidie Regis Majeſtate, in ſpem Regni adductus, cum ſeptem robuſtiſſimis filiis Regiam veſpere ingreditur: (Nam amicitiæ jure ſemper illi patebat:) Trucidatoque Rege, voto ſuo obſiſtentes filios ejus dolo aggreditur. Securior de Artaxerxe, puero admodum, fingit Regem a Dario, qui erat adoleſcens, quo maturius Regno potiretur, occiſum, impellit Artaxerxem parricidium parricidio vindicare. Cum ventum ad domum Darii eſſet dormiens inventus quaſi ſomnum fingeret, interficitur. Dein cum unum ex Regis filiis ſceleri ſuo ſupereſſe Artabanus videret, metueretque de Regno certamina Principum, aſſumit in ſocietatem conſilii Bacabaſum; qui præſenti ſtatu contentus, rem prodit Artaxerxi, ut Pater ejus occiſus; ut frater falſa parricidii ſuſpicione oppreſſus; ut denique ipſi pararentur inſidiæ. His cognitis, Artaxerxes veritus Artabani numerum filiorum, in poſterum diem paratum eſſe armatum Exercitum jubet, recogniturus & numerum Militum, & in armis induſtriam ſingulorum. Itaque cum inter ceteros & ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, Rex ſimulat ſe breviorem loricam habere: Jubet Artabanum ſecum commutare: Exuentem ſe ac nudatum gladio trajicit: Tum & filios ejus corripi jubet. Atque ita egregius adoleſcens, & cædem Patris, & ſe ab inſidiis Artabani vindicavit. Ita refert *Juſtinus*, Libro 3. Cap. 1. Regnavit *Xerxes* annis viginti. Mag iſ- ſum : erat Cteſias.

VII Succeſſit ipſi filius *Artaxerxes*, *Longimanus* appellatus, Princeps animi magnitudine ac lenitate præſtans, & in Judæorum Gentem benigniſſimus. Contra perduelles Ægyptios, auxiliaribus Græcorum copiis fretos, primum infauſto Marte pugnavit; ſed totam demum Ægyptum ſubegit, præter *Amyrteum* Regem eorum qui in paludibus degebant. Hunc enim & propter magnitudinem paludis, & quia Gens illa bellicoſiſſima eſt Ægyptiorum, expugnare Perſæ non potuerunt. Claſſi etiam Græcorum Ægyptiis in auxilium venienti magnam cladem intulere. Sed mutata poſtmodum belli fortuna, cum navali prælio ad Ciliciam commiſſo Græci Perſas viciſſent, *Artaxerxes* pacem cum Græcis componere compulſus eſt. Paulo poſt *Megabyzi* defectio Perſicum Imperium turbavit. Civili bello dedit occaſionem *Inari* Libyæ Regis, & Græcorum quinquaginta, qui ſe ſe in clientelam *Artaxerxis* contulerant, proditoria cædes, vindictæ *Ameſtris* Reginæ Matris permiſſa. De his legendi *Thucidides* Libro 1. *Diodorus Siculus* Libro 11. & *Cteſias* in *Perſicis*, Libro 17. cujus Excerpta *Photius* poſteritati ſervavit. Annos duos & quadraginta regnavit *Artaxerxes Longimanus*, ſecundum *Cteſiam*. Filium unicum legitimum ex uxore *Damaſpia* reliquit *Xerxem Secundum*: Spurios ſeptemdecim, in quibus erant *Sogdianus*, *Ochus*, & *Arſites*. *Artaxerxes Longimanus.*

VIII. *Xerxes Secundus* filius *Artaxerxis Longimani*, ejuſdemque Succeſſor, a *Sogdiano* interfectus eſt quadrageſimo-quinto die poſt Patris obitum. (Ex *Cteſia*) Annum unum Imperii ab aliquibus ipſi tributum *Diodorus Siculus* teſtatur ad annum quartum Olympiadis octogeſimæ octavæ, Libro 12. *Xerxes Secundus.*

IX. *Sogdianus*, quem Cteſias *Secundianum* vocat, breve Imperium patricidio obtinuit. Ab Ocho ſublatus eſt poſtquam ſex menſes & dies viginti regnaſſet. *Sogdianus.*

X. Poſt *Sogdianum* ſive *Secundianum*, Perſis impera- *Darius Nothus.*

peravit *Ochus*, qui mutato nomine *Darius* appellatus eſt, addito a Populis *Nothi* cognomine, quod ſpurius eſſet. Uxoris *Paryſatidis* conſilio ac voluntati plurimum tribuebat, ex qua, antequam Regno potiretur, *Ameſtrin* filiam, & *Arſacen* filium ſuſceperat: Regnum vero adeptus, ex eadem genuit *Cyrum*, *Artoſten*, *Oxendram*, & alios tredecim liberos. A *Dario* Rege deficiunt *Arſites* frater, & *Artyphius* Megabyſi filius. In *Artyphium* mittitur *Artaſyras*. Is ſemel iterumque victus, poſtremo victor *Artyphium* capit. *Paryſatis* Regina ſuadet *Artyphium* benigno vultu excipiendum eſſe, ut ejuſdem clementiæ ſpe *Arſites* quoque ad arma ſponte ponenda inducator; quod & fecit. Nam *Paryſatidis* lenociniis dementatus ad Regem venit. *Darius* Arſitem & Artyphium ſupplicio Cinerum ſuſtulit, quo *Sogdianum* prius affecerat. De quo quidem ſupplicio canebat *Ovidius* in *Ibin*:

Utque necatorum Darii fraude Secundi,
Sic tua ſuccenſus devoret oſſa cinis.

Quænam ejus ſupplicii fuerit ratio, diſcimus ex *Machabæorum* 2. Cap. 13. 5. 6. 7. 8. *Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggeſtum undique habens cineris: Hæc proſpectum habebat in præceps. Inde in cinerem dejici juſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et tali lege prævaricatorem Legis contigit mori Menelaum. Et quidem ſatis juſte: Nam quia multa erga Aram Dei delicta commiſit, cujus ignis & cinis erat ſanctus; ipſe in cineris morte damnatus eſt.* A *Dario Hyſtaſpi* id ſupplicii genus excogitatum ſcribit *Valerius Maximus* Libro 9. Cap. 2. quem Viri Eruditi falli putant, cum *Dario Hyſtaſpi* tribuit, quod *Dario Notho* tribuendum eſt. *Medos* perduelles domuit *Darius Nothus*. Filium ſuum *Cyrum Juniorem* Satrapiarum oræ maritimæ Principem conſtituit, dato mandato, ut in bello contra Athenienſes gerendo Lacedæmoniis ſe adjungeret. Lege *Cteſiæ* Perſicorum Excerpta, *Xenophontem* Lib. 2. Hellenicorum & Lib. 1. *de Expeditione Cyri* & *Diodorum Siculum* Lib. 13. Babylone mortuus eſt *Ochus*, ſive *Darius Nothus*, cum annos novemdecim regnaſſet.

Artaxerxes Mnemon. XI. Huic ſucceſſit filiorum natu maximus *Arſicas* ſive *Arſaces*, mutato nomine *Artaxerxes* appellatus, qui a memoriæ felicitate ſingulari *Mnemonis* cognomentum obtinuit. Initio Regni fratrem *Cyrum*, interficiendi conſilia comprehenſum, compedibus aureis vinxit. Sed moriturum jam Mater ulnis complexa, ac capillo ſuo circumjiciens colligansque illius collum cum ſuo, multis lamentis & obſecrationibus veniam ipſi obtinuit, effecitque ut ad ſuam in Lydia & maritimis Civitatibus Præfecturam incolumis remitteretur. *Cyrus* in Lydiam reverſus, vinculorum memor Græcis copiis clam coactis, & externo Milite variis prætextibus undique conquiſito, *Artaxerxi* fratri bellum intulit. Commiſſo prælio ad *Cunaxam*, locum a Babylone ſtadiis quingentis diſtantem, *Artaxerxes* a *Cyro* per ipſam loricam in pectore vulneratus eſt: Quod vulnus *Cteſias* ejus *Medicus* ſe curaſſe commemorat. *Cyrus* vero dum ſecunda pugna elatus incautius in hoſtes fertur, a quodam percuſſus occubuit. Victor *Artaxerxes* contumelioſis modis in fratris cadaver ſævit: Caput & dexteram qua percuſſus ab eo fuerat, abſcindens, & quaſi per triumphum circumferens. De his legendi *Cteſias* in *Photii Excerptis*, *Xenophon* Libro 1. *De Expeditione Cyri*, *Plutarchus* in *Artaxerxe*, & *Juſtinus* Libro. 5. Cap. 11. Huic *Cyri* adverſus fratrem *Artaxerxem* Expeditioni *Xenophon* aderat, cui Libros *De Expeditione Cyri* merito tribuunt Veteres, quamvis ipſe *Themiſtogeni Syracuſano* hanc Hiſtoriam tribuat *Hellenicorum* Libro 3. Qua de *Plutarchus* Libello *De Gloria Athenienſium* ita cenſet: *Ipſe Xenophon ſua ſibi Hiſtoria fuit argumentum, ſcribens quomodo Exercitum duxerit, & quid præclare geſſerit rei, ac de iis compoſitam Hiſtoriam eſſe a Themiſtogene Syracuſano; gloriam hanc alii deferens ſcriptionis, ut de ſe ipſo tanquam alio ſcribens, facilius fidem inveniret.* Poſt *Cyri* caſum, *Artaxerxi* nihilominus bellum adverſus Græcos, tum adverſus Lacedæmonios diuturnum fuit. Pax tandem arbitris Lacedæmoniis facta, quæ ab *Antalcida* Legato *Antalcidia* dicta eſt. Conditiones pacis fuere, ut Græcæ per Aſiam Civitates & Inſulæ ſub Regis Perſarum ditionem redirent, inter alias *Clazomenæ*, *Cyprus*, &c. reliquæ liberæ eſſent, ſuiſque Legibus a Græcis regerentur. Iſta conſtant ex *Xenophonte* Libro 5. Hellenicorum, *Diodoro Siculo* Libro 14. & *Plutarcho* in *Artaxerxe*. Mox Perſarum arma in *Evagoram* Regem Cypri converſa. Bellum ad decennii fere tempus prorogatum, pace Perſis commoda finitum eſt. Pacis conditiones fuere, ut *Evagoras* omnibus per Cyprum urbibus cedens, & unius Salaminis dominio contentus, annuum Perſarum Regi tributum penderet, illique ad imperata præſto eſſet. (Ex *Diodoro Siculo* Libro 15. *Iſocrate* in *Evagora*, & *Plutarcho* in *Artaxerxe*) Caduſiis poſt hæc, Ægyptiiſque bellum intulit *Artaxerxes*, Exercitus Duces Ægyptiaco bello fuere *Pharnabazus* & *Iphicrates*: Sed cum Ægyptios magna clade affeciſſent, mutuis diſſidiis victoriæ fructum amiſerunt. Lege *Diodorum Siculum* Libro 15. Extremis *Artaxerxis* temporibus, Perſicæ res in Aſia peſſum iverunt. A Perſis enim defecere ex Jonum Gente Lycii, Piſidæ, Pamphilii, & Cilices; & præter hos Syri ac Phœnices, cunctique fere Maris Aſiani incolæ. *Tachos* etiam Rex Ægyptiorum, tractis in partes Lacedæmoniis, aliiſque Græciæ Civitatibus, bellum Perſis intulit, infelici tamen exitu. Nam ab *Ageſilao* mercenariorum e Græcia Militum decem millium Duce, quem incivili ſcommate offenderat, & ab Ægyptiis ſuis deſertus, ſibi metuens, Sidonem Phœniciæ, indeque ad Regem Perſarum fuga ſe recepit: ut cum *Xenophonte*, & *Plutarcho* in *Ageſilao*, habent etiam *Theopompus* & *Lyſias Naucratites* in *Ægyptiacis*, ab *Athenæo* Libro 14. Cap 4. laudati. Obiit *Artaxerxes Mnemon* anno Imperii ſui quadrageſimo tertio. Severus fuit pravitatis Judiciorum vindex. *Cambyſem* enim imitatus, Judices quoſdam vivos excoriari, eorumque pelles circum tribunalia expandi juſſit, ut Judices alii ſuper his ſedentes ſemper ante oculos ſupplicii, quod Judiciorum corruptela mereretur, exemplum ſibi propoſitum haberent. Ita refert *Diodorus Siculus*. Artaxerxi Mnemoni ex pellicibus centum quindecim filii fuere, ſed tres tantum juſto Matrimonio ſuſcepti: *Darius*, *Ariarates*, (Plutarcho *Ariaſpes*,) & *Ochus*. Ex his *Darium* contra morem Perſarum, apud quos ea nonniſi morte mutabantur, per indulgentiam Pater Regem vivus fecit, nihil ſibi ablatum exiſtimans, quod in filium contuliſſet: Sinceriuſque gaudium ex procreatione capturus, ſi inſignia Majeſtatis ſuæ vivus in filio conſpexiſſet. Sed *Darius* poſt nova paternæ pietatis exempla, interficiendi patris conſilium cepit, Sceleſtus, ſi ſolus parricidium cogitaſſet; tanto ſceleſtior quod in ſocietatem facinoris aſſumptos quinquaginta fratres fecit parricidas. Cauſa parricidii ſceleſtior ipſo parricidio fuit. Occiſo quippe *Cyro* fraterno bello, *Aſpaſiam* pellicem ejus Rex *Artaxerxes* in matrimonium receperat. Hanc partem cedere ſibi, ſicuti Regnum, *Darius* poſtulaverat: Qui pro indulgentia ſua in liberos, primo facturum ſe dixerat: Mox pœnitentia ductus, ut honeſte negaret, quod temere promiſerat, Solis eam Sacerdotio præfecit, (*Dianæ* habet *Plutarchus*) quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur. Hinc exacerbatus Juvenis, in jurgia primo Patris erupit: Mox facta cum fratribus conjuratione: dum patris inſidias parat, deprehenſus cum ſociis pœnas parricidii Diis paternæ Majeſtatis ultoribus dedit. Conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod veſtigium tanti ſceleris exſtaret, interfectæ. Poſt hæc, *Artaxerxes* morbo ex dolore contracto decedit, Rex quam pater felicior. Ita *Juſtinus* Lib. 10. Cap. 3.

Artaxerxes Ochus. XII. *Artaxerxi Mnemoni* filius ſucceſſit *Artaxerxes Ochus*; qui timens parem conjurationem, Regiam cognatorum cæde, & ſtrage Principum replevit. nulla ſanguinis, ſexus, ætatis miſericordia permotus, ſcilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur, inquit *Juſtinus*. In his *Ocham* ſororem vivam capite defodit & Patruum cum centum amplius filiis ac nepotibus vacua area deſtitutum, jaculis confixit, ut refert *Valerius Maximus* Libro 9. Cap. 2. Adverſus Phœnices, Cyprioſque perduelles bellum feliciter confecit. Ægyptum etiam univerſam expugnavit, Imperiique Perſici jugum ſubire coegit, *Nectanebo* Rege in Æthiopiam pulſo, anno tertio centeſimæ ſeptimæ Olympiadis, ut conſtat ex *Euſebii* Chronico. Lege *Diodorum Siculum*

culum, Libro 16. *Pherendate* Ægypti Satrapa conſtituto, Babylonem cum Exercitu rediit, & Judæorum immenſam multitudinem captivam ſecum abduxit; pluribus in Hircaniam ad Mare Caſpium deportatis, ut ex *Julio Africano* refert *Georgius Syncellus*, & *Paulus Oroſius* commemorat Libro 3. Cap. 7. *Artaxerxem Ochum* anno Regni ſui vigeſimo-tertio ægrotantem *Bagoas* Eunuchus, Militum Tribunus, veneno ſuſtulit, Medici ad hoc opera uſus. Eunuchus ille Natione Ægyptius *Ochum*, ob cæſum Apium in Expeditione Ægyptiaca, odio tam immani proſecutus eſt, ut non ſolum contumeliam Gentis nece Regis ultus fuerit; ſed etiam ejus cadaver in minutas partes conciſum felibus projecerit, & ejus loco aliud ſepulcro Regio condiderit, atque ex ejus femoribus gladiorum manubria fecerit, ut ipſius animum ad cædes propenſum repræſentaret (Ex *Diodoro Siculo* Libro 17. *Æliano Varia Hiſtoria* Libro 6. Cap. 8. & *Severo Sulpicio Hiſtoria Sacra* Libro 2.)

XIII. *Artaxerxe Ocho* interfecto, *Bagoas* Eunuchus filium ejus *Arſen* natu minimum Regem conſtituit, ſimulque omnibus ejus fratribus necem intulit; ut deſertus hoc modo Rex tanto plus obſequii illi præſtaret. Cum autem certis deprehenderet argumentis *Arſen* ſcelerum pœnas ab eo repetiturum; ipſum cum liberis, tertio Imperii anno, interemit, ut refert *Diodorus Siculus* Lib. 17.

Darius Codomanus.

XIV. Regia Domo ſic ad ſolitudinem redacta, cum nemo ex ea Gente ſupereſſet, qui ſucceſſionem in Regno ſibi vendicaret, *Darium Arſamis* filium, *Codomanum* ante nuncupatum, ob memoriam priſtinæ virtutis ad Imperium provexit. *Arſames Artaxerxis Ochi* frater erat, *Artaxerxis Mnemonis* ex concubina filius: Hic *Siſygambin* ſororem in matrimonium habuit; quam *Darii* matrem fuiſſe *Diodorus*, *Arrianus*, & *Q. Curtius* teſtantur. Quamquam *Ælianus* Libro 12. Cap. 43. ex ſerva genitum *Darium* referat, & *Plutarchus* in Vita *Alexandri* & Oratione 1. & 2. *De Varia Alexandri Fortuna*, dicat *Darium Regis ſervum* & *Aſtandam* fuiſſe. Aſtanda vero lingua Perſica eſt Angarus ſeu Tabellarius Regius, ut *Suidas* & *Heſychius* interpretantur. *Bagoas* Eunuchus, ſanguinaria crudelitate, cui hactenus aſſuetus fuerat, inductus, medicata potione *Darium* necare ſtatuit. Sed inſidiis per indicium patefactis, Rex *Bagoa* comiter advocato poculum tradidit, & ad illud ebibendum vi hominem adegit, ut referunt *Diodorus Siculus* Libro 17. & *Q. Curtius* Lib. 4. Cap. 6. *Darius* continuo acerboque bello ab *Alexandro Magno* Macedonum Rege laceſſitus, magnis cladibus affectus eſt, tribuſque præliis celeberrimis ſuperatus, primo ad Granicum Phrygiæ amnem: Secundo ad *Iſſum* Ciliciæ Urbem, ubi caſtris ejus expugnatis, Matrem illius, uxorem eamdemque ſororem, ac filium adhuc puerum, duaſque filias cepit *Alexander*: Tertio in Gaugamelis ad flumen Bumadum, ſexcentia circiter ſtadiis ab Arbelis. Decretoria hæc pugna fuit, qua *Darius* amiſit Imperium, in Mediam fugere compulſus. Ibi *Nabarzanis* Chiliarchæ & *Beſſi* Satrapæ Bactrianorum conjuratione compedibus aureis in curru vinctus, ab iiſdem gladio confoſſus eſt, cum *Alexandrum* inſequentem fugeret, anno Imperii ſui ſeptimo, ætatis circiter quinquageſimo. Cum eum *Polyſtratus* Macedo aſſecutus eſſet, animam in curru agentem, perferri hæc ſuo nomine ad *Alexandrum* juſſit: *Se nullis in eum meritorum officiis, maximorum illi debitorem mori, quod in Matre liberiſque ſuis, Regium ejus non hoſtilem animum expertus, felicius hoſtem quam cognatos ſortitus ſit: Quippe Matri & liberis ſuis ab eodem hoſte vitam datam: Sibi a cognatis ereptam, quibus & vitam & Regna dederit: Quamobrem gratiam illis eam futuram, quam ipſe victor volet. Alexandro referre ſe, quam ſolam moriens poteſt, gratiam: precari Superum Inferumque Numina, & Regales Deos, uti illi terrarum omnium victori contingat imperium. Pro ſe juſtam magis, quam gravem ſepulturæ veniam orare. Quod ad ultionem pertineat, jam non ſuam, ſed exempli, communemque omnium Regum eſſe cauſam, quam negligere, illi & indecorum, & periculoſum eſſe: Quippe cum in altero juſtitiæ ejus, in altero etiam utilitatis cauſa verſetur. In quam rem unicum pignus fidei Regiam dexteram ſe ferendam Alexandro dare.* Poſt hæc porrecta manu expiravit. Quæ ubi *Alexandro* nuntiata ſunt, viſo corpore defuncti tam indignam illo faſtigio mortem proſecutus eſt: Corpuſque Regio more ſepeliri, & Majorum tumulis inferri juſſit. Hæc ex *Trogo Pompejo Juſtinus* Lib. 11. Cap. 15. De *Darii* & *Alexandri* Geſtis lege *Arrianum* Libro 1. 2. & 3. *Diodorum Siculum* Lib. 17. *Q. Curtium* prioribus quinque Libris, & *Plutarchum* in *Alexandro*. Cum *Dario* finem accepit Perſarum Imperium, cui ducentos & triginta annos tribuit *Q. Curtius*. Quæ quidem ratio conſtat, ſi ab initio Regni *Cyri* numerentur: Si vero ab initio Imperii & a devicta Babylone, ducentis dumtaxat & octo annis ſtetit.

ARTICULUS V.

De Rebus Græcorum uſque ad Alexandrum Magnum.

Piſiſtratus Athenienſium Princeps.

I. OLympiadis quinquageſimæ anno primo *Piſiſtratus* tyrannidem Athenis occupavit eloquentia & arte potius quam armis, ut teſtantur *Plutarchus* in *Solone*, *Polyænus* Libro 1. Stratagematum, *Iſocrates* in Panathenaica, *Valerius Maximus* Libro 8. Cap. 9. Ipſi pro viribus reſtitit *Solon* patriæ libertatis vindex acerrimus; ad cujus conſervationem cives adhortatus eſt lorica clypeoque armatus. Cum vero nil proficeret, poſitis ante Curiam armis: *Ego*, inquit, *quantum potui, Patria & Legibus opem tuli.* (Ex *Plutarcho* & *Laertio in Vita Solonis*, & *Æliano Varia Hiſtoria Libro* 8. *Cap.* 16.) Eodem tempore floruit *Onomacritus* Athenienſis, cujus dicuntur eſſe Poemata, quæ *Orpheo* adſcribuntur. (Ex *Clemente Alexandrino* Lib. 1. Stromatum.)

Onomacritus Poeta.

Æſopus fabulator.

II. Olympiade quinquageſima-quarta, *Æſopus* inſignis ille Fabularum Auctor, genere Thrax, (ſeu Phryx, ut aliis placet) ſacrilegii a Delphis inſimulatus, quaſi phialam *Apollinis* furatus eſſet, e rupe Phædria præcipitatus periit. Cujus cædis pœnas ab Oraculo Delphico ſæpius indictas *Jadmon* poſtea ſumpſit; ut referunt *Herodotus* Libro 2. Cap. 134. *Ariſtophanes* Comicus in Veſpis, & ejus Scholiaſtes, *Plutarchus* Libro *De ſera Numinis Vindicta*, & *Euſebius* in Chronico. Fabularum *Æſopi* primum Auctorem *Æſopum* non fuiſſe, ſed *Heſiodum*, cenſet *Quintilianus* Lib. 5. Cap. 11.

Ariſteas Proconneſius.

III. Olympiade quinquageſima quinta claruit *Ariſteas Proconneſius*, qui carmine Epico Hiſtoriam de Arimaſpis conſcripſit, monoculis hominibus, qui contra Gryphas auri cuſtodes continuum bellum gerant. Quod ad fabuloſam Hiſtoriam pertinere cenſet *Herodotus* Libro 4. Arimaſporum tamen meminere *Pauſanias* in *Atticis*, & *Plinius* Naturalis Hiſtoriæ Libro 7. Cap. 2. *Ariſteas* Arimaſporum Auctor *Præſtigiis nulli ſecundus* dicitur a *Strabone* Libro 13. quod Animam ſuam, quoties vellet, de corpore exire jactaret, longaſque peregrinationes conficere.

Crœſus Lydorum Rex Poſtremus.

Eadem Olympiade *Crœſus* ultimus Lydorum Rex Alyatthæ patri ſucceſſit, annisque quatuor-decim regnavit, cum Græcis primum Bellum gerens, quorum plurimas in Jonia & Æolide Civitates expugnavit, a *Cyro* demum Perſarum Rege victus, Regnoque privatus. Cum Epheſum obſideret, jamque *Turris* cecidiſſe *Proditrix* appellata, præcipuum Urbis propugnaculum, & periculum expugnationis ob oculos verſaretur, *Pindarus*, qui Imperium in Urbem tenebat, conſilium Epheſiis dedit, ut extenſis funibus Portas Mœniſque *Dianæ* Templi columnis connecterent, atque ipſam Urbem Deæ conſecrarent. Id cum feciſſent, *Crœſus* in honorem Numinis Urbi quaſi Anathemati pepercit, & cum Epheſiis fœdus pepigit, libertate eis ſervata. Ita refert *Polyænus* Libro 6. *Strategematum*.

Eadem Olympiade vivere deſiit *Steſichorus* Himeræus, Poeta Lyricus: Qui primus inſtituit, ut in choris cythara caneretur. Heroas contra Trojam profectos Carmine Lyrico celebravit. Ipſius cum laude meminere *Dionyſius Halicarnaſſenſis* in Judicio L. Auctoribus Græcis, *Quintilianus Inſtitutionum Oratoriæ*

Lib. 10. Cap. 1. *Horatius* Lib. 4. Ode 9. & *Sineſius* Libro *De Inſomniis*. Illum tanti fecit *Phalaris* Tytannus, ut dixerit, Se multa quidem hominum millia vidiſſe, ſed nunquam noviſſe *Animam illuſtriorem*. Crœſi quoque temporibus floruit *Ibycus* Rheginus, Poeta Lyricus, qui ex Italia Samium venerat. Cum in latrones incidiſſet, ab iiſque jugularetur, grues ſupervolantes aſpiciens, teſtes invocavit. Contigit poſtea ut graſſatores illi, cum eſſent in Theatro, conſpectis forte gruibus, cum riſu ſibi invicem inſuſurrarint: *Ibyci* vindices adſunt. Hæc vox ab iis, qui ptopius aſſidebant, excepta, & ad Magiſtratus delata, facinoſis reos prodidit, ut referunt *Plutarchus* Libro *De Garulitate* & *Zenobius* in explicatione Proverbii, Ἰβύκου γέρανοι, id eſt, *Ibyci grues*. Hinc illud *Auſonii* in Monoſyllabis:

Ibycus ut periit vindex fuit altivolans grus.

Philoſophi tempori- bus Crœſi celebres.

Crœſi temporibus floruere *Thales Mileſius* Olympiadis quinquageſimæ-octavæ anno primo defunctus, ut ex *Soſicrate* refert *Diogenes Laertius* in ejus Vita; *Anaximander Mileſius* ejuſdem *Thaletis* diſcipulus, qui *Primus Gnomonem invenit, eumque Lacedæmone in loco captanda umbra idoneo conſtituit. Horoſcopia quoque fabricatus eſt, quæ Solſtitia & Æquinoctia oſtenderent*; ut ex *Phavorini* Hiſtoria refert *Diogenes Laertius*. Quanquam gnomonis & horologii inventionem non illi, ſed *Anaximeni* ejus diſcipulo tribuit *Plinius* Libro 2. 76. *Anaximandro* coævum *Theognidem* Poetam, *Gnomarum* Auctorem, teſtatur *Euſebius* in Chronico. Ejus *Paræneſes* turpiſſimas eſſe, pudoriſque & caſtitati contrarias, obſervat *Suidas* in *Lexico*.

Theognis Poeta.

Pherecides Syrus.

IV. Circa Olympiadem quinquageſimam nonam floruit *Pherecides Syrus*, teſte *Diogene Laertio* in ejus Vita. Divinum potius quam Phyſicum vocat *Cicero* Libro *De Divinatione*; qui e puteo hauſtam aquam cum bibiſſet, poſt diem tertium Terræ motum prædixit futurum; quod & evenit. Primus Philoſophorum Animos hominum ſempiternos eſſe docuit, ut refert idem Orator *Tuſculanarum Quæſtionum* Lib. 1. Nullo uſum Præceptore ſuopte ingenio Philoſophum inſignem evaſiſſe, poſtquam arcana Phœnicum Commentaria nactus fuerat; & opinionem de Animarum transmigratione primum invexiſſe, teſtatur *Heſychius*. Diſcipulum habuit *Pythagoram*. Pediculari morbo obiiſſe, propterea quod jactitaſſet, ſe ſe etiamſi nulli Deo rem ſacram faceret, nihilo jucundius vitam egiſſe, quam qui Hecatombas ſacrificarent, refert *Ælianus* Lib. 4. *Variæ Hiſtoriæ*, Cap. 28. Lege *Diogenem Laertium* in ejus Vita.

Pythagoras.

Pythagoras Samius anno ætatis ſuæ duodevigeſimo ad *Thaletem*, *Anaximandrum* & *Pherecidem* diſcendi cauſa venerat. Deinde conſilio *Thaletis* migraverat in Ægyptum, a *Polycrate* Samiorum Tyranno per Epiſtolam *Amaſidi* Regi commendatus, quem *Semneſerteum* etiam appellatum fuiſſe veriſimile eſt. *Semneſerteo* enim regnante, *Pythagoram* in Ægypto fuiſſe *Plinius* Lib. 36. Cap. 9. Ibi vero annos viginti-duos cum Sacerdotibus verſatus, Aſtronomiæ & Geometriæ operam dedit, cunctiſque eorum Sacris initiatus eſt, & circumciſus, ut ad adyta admiſſus, Myſticam Ægyptiorum Philoſophiam diſceret: Quo in ſtudio *Senchidis* Ægyptii Archiprophetæ opera præcipue uſus eſt. Inde a *Cambyſis* Militibus captus, & Babylonem abductus, Magorum ibi diſciplinam hauſit. Brachmanas præterea Indorum Philoſophos audiiſſe fertur. *Is ergo* (inquit *Euſebius* Libr. 10. Præparationis Evangelicæ, Cap. 4.) *cum ab aliis Aſtrologiam, Geometriam ab aliis, ab aliis Arithmeticam & Muſicam, aliaque ab aliis didiciſſet, a ſolis Græcis auferre nihil potuit; tanta illis tum penuria ſapientiæ, ac rerum omnium ignorantia laborabant. Contra peregrinis ipſe artibus doctrinisque cumulatus, eruditionis omnis in Græcia fontem aperuit. Ab eo primum Philoſophiæ genus propagatum eſt, quod ab Italia, ubi plurimum viguerat, Italicum appellarunt.* Ipſum in Italia obiiſſe anno quarto Olympiadis ſeptuageſimæ ſcribit *Euſebius* in Chronico. Metaponti e vita migraſſe tradit *Juſtinus* Lib. 20. Cap. 4. ejuſque tantam admirationem fuiſſe, ut ex domo ejus Templum facerent, eumque pro Deo colerent. Ipſum Crotonienſes in luxuriam effuſos auctoritate ſua ad uſum frugalitatis revocaſſe idem Hiſtoricus tradit; conſecutumque eſſe diſputationum aſſiduitate, *Ut Matronæ auratas veſtes, cæteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Junonis Ædem ipſi Deæ conſecrarent, præferentes, vera ornamenta Matronarum pudicitiam, non veſtes eſſe.* Lege *Diogenem Laertium*, & *Jamblicum* in Vita *Pythagoræ*. Plura Hebræorum dogmata in ſuam Philoſophiam eum traduxiſſe, *Hermippus* a *Joſepho* Lib. 1. *Contra Apionem* laudatus, & ab *Origene* Lib. 1. *Contra Celſum*, indicat. Quod ipſum etiam *Ariſtobulus* Judæus, apud *Clementem Alexandrinum* Libro 1. *Stromatum* & *Euſebium* Lib. 13. *Præparationis Evangelicæ* confirmat.

Simonides, Phocylides, Anacreon Poetæ.

Iiſdem, quibus *Pythagoras*, temporibus claruere *Simonides Ceus* Poeta Lyricus, cujus meminit *Ariſtoteles* 3. Rhetoricorum Cap. 2. *Phocylides* Mileto in Jonia oriundus: *Anacreon*, cujus exquiſitum ingenium, ſed mores corruptiſſimos, Lyrici verſus ſuperſtites indicant. De quo *Athenæus* Deipnoſophiæ Lib. 10. p. 429. *Ineptus quidem Anacreon eſt, qui totam ſuam Poeſim ebrietatis laudibus & mentione contexuerit. Itaque reprehendunt multi ejus Poemata, quod totum ſe luxurioſæ mollique vitæ tradidit, non videntes ſobrium illum inter ſcribendum, & temperantem: ultro temulentiam ſimulare, quamvis id neceſſe minime foret.* Et *Horatius* Epod. 14. ad *Mæcenatem*:

Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo
Anacreonta Tejum,
Qui perſæpe cava teſtudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.

Xenophanes Philoſophus.

His coævus fuit *Xenophanes* Colophonius, Phyſicus & Poeta, de quo *Diogenes Laertius*: Hunc Eleaticæ Philoſophiæ parentem fuiſſe ſcribit *Euſebius* Lib. 10. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 4.

Oſtraciſmus Athenis inſtitutus.

V. Olympiade ſexageſima ſeptima, poſt ejectos Athenis Piſiſtratidas, Lex Oſtraciſmi a *Cliſthene* introducta eſt adverſus eos qui tyrannidem affectare viderentur. Fiebat autem Oſtraciſmus hoc modo: Civium unuſquiſque teſtæ ſive oſtraco inſcribebat nomen ejus, qui plurimum habere virium ad Democratiam evertendam videretur. Cui igitur plures teſtæ nomine ipſius inſcriptæ obveniſſent, is patria excedere ad annos quinque jubebatur, bonorum ſuorum uſu illi permiſſo. Hujus Legis meminere *Diodorus Siculus* Lib. 11. p. 41. *Plutarchus* in Vita *Ariſtidis*, qui tamen Oſtraciſmi Lege decennale exilium conſtitutum ait, cum quinquennale duntaxat *Diodorus Siculus* habeat. *Cliſthenem* ejectis Tyrannis Democratiam Legibus *Solonis* conſtitutam reſtituiſſe, teſtatur *Iſocrates* in *Areopagitico*.

Zeno Eleates Philoſophus.

VI. Olympiade ſeptuageſima floruit *Zeno* Eleatea Philoſophus, *Parmenidis* auditor, cui Dialecticæ inventio tribuitur. A *Nearcho* Eleæ Tyranno, quem *Plutarchus Demylum* appellat, cruciatus in tormentis obiit, perpeſſus omnia potius quam delendæ tyrannidis conſcios indicaret. Cujus patientiam prædicant *Cicero* Tuſculan. 2. & Lib. 3. De Natura Deorum, *Tertullianus*, Apologetici Capite ultimo: *Zeno*, inquit, *Eleates conſultus a Dionyſio, quidnam Philoſophia præſtaret? Cum reſpondiſſet, contemptum mortis, flagellis Tyranni ſubjectus, ſententiam ſuam ad mortem uſque ſignabat.* In Tyranni nomine apud *Tertullianum* error obrepſit. Pro *Dionyſio* ſubſtituendum *Demylo*. De eodem Philoſopho *Clemens Alexandrinus* Lib. 4. *Stromatum*, p. 496. *Zeno quoque Eleates dum cogeretur arcanum aliquod enunciare, reſtitit tormentis, nihil confitens, qui etiam poſtremo linguam rodens eam exſpuit in Tyrannum, quem alii quidem Nearchum, alii vero Demylum appellant.* Lege & *Diogenem Laertium*.

Themiſtocles Archon Athenienſium.

VII. Olympiadis ſeptuageſimæ primæ anno quarto *Archon* fuit Athenis *Themiſtocles*, qui conſiliis ſuis, induſtria, fortitudine, patriam a Perſis ſervavit: & poſtea ob nimiam potentiam ab ingratis civibus pulſus, ad *Artaxerxem Longimanum* confugit, a quo benigniſſime ſuſceptus, magniſque muneribus donatus eſt. Tres Urbes ei ſtipendiarias fecit *Artaxerxes*, unam ad frumentum, alteram ad vinum, tertiam ad obſonium ſuppeditandum. Tunc ad familiares dixiſſe fertur; *O pueri, periéramus, niſi periiſſemus.* Re-

fert

Digitized by Google

fert *Plutarchus Oratione 1. De Fortuna vel Virtute Alexandri*. De illius morte variant Auctores. Exceptum patera tauri ſanguinem hauſiſſe, & ſic mortem ſibi conſciviſſe, fama fuit, cum patriam prodere nollet, vel quæ Regi Perſarum contra illam promiſerat, implere ſe poſſe deſperaret. Ita *Valerius Maximus* Lib. 5. Cap. 6. Alii Magneſiæ morbo mortuum narrant, ut *Tucydides*, & *Cornelius Nepos*. Quin & *Cicero* Lib. *De Claris Oratoribus*, qui *Brutus* inſcribitur: *Ut tu*, inquit, *de Coriolano ſic Clitarchus, ſic Stratocles de Temiſtocle finxit. Nam quem Thucydides, qui & Athenienſis erat, & ſummo loco natus, ſummuſque vir, & paulo ætate poſterior, tantum mortuum ſcripſit, & in Attica clam humatum addidit, fuiſſe ſuſpicionem veneno ſibi conſciviſſe mortem: Hunc ajunt, cum taurum immolaviſſet, excepiſſe ſanguinem patera, & eo poto, mortuum concidiſſe. Hanc enim mortem rhetorice & tragice ornare potuerunt: Illa mors vulgaris nullam præbebat materiam ad ornatum*. Memoria fui incredibili *Themiſtocles*, adeo ut omnium civium nomina perciperet. Cum quidam doctus homo atque inprimis eruditus ad eum acceſſiſſet, eique artem memoriæ, quæ tum primum proferebatur, pollicitus eſſet ſe traditurum, ei reſpondiſſe fertur, *Gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe oblivisci quæ vellet, quam ſi meminiſſe docuiſſet*. Ita refert *Cicero* Lib. 2. *De Oratione*, ſubditque; Ipſum ita reſpondiſſe, ut intelligere poſſemus, nihil ex illius animo, quod ſemel eſſet infuſum, unquam effluere potuiſſe: Cum quidem ei fuerit optabilius oblivisci poſſe potius, quod meminiſſe nollet, quam quod ſemel audiſſet vidiſſetve, meminiſſe.

Æſchylus Poeta.

IX. *Themiſtocli* coævus fuit *Æſchylus* Poeta Tragicus, de quo legi poſſunt *Ariſtoteles* Lib. *De Arte Poetica*, Cap. 11. *Horatius De Arte Poetica*, Verſ. 279. & ſeq. *Plutarchus* Lib. *De modo legendorum Poetarum* & in Sympoſiaco, *Dionyſius Halicarnaſſenſis* in Opuſculo Critico & *Quintilianus* Lib. 10. *Inſtitutionum Oratoris*, Cap. 1.

Sophocles Poeta, Anaxagoras, aliique Viri docti.

Æſchylo ſuppar fuit *Sophocles* Tragicorum Princeps a *Cicerone* Lib. 2. De Divinatione, *Dionyſio Halicarnaſſenſi* in Opuſculo Critico, *Quintiliano* Cap. Inſtitutionum Oratoris Cap. 1. *Ariſtotile* Lib. De Arte Poetica, *Virgilio*, aliiſque judicatus. Ex ejus Tragediis plurima Chriſtianis conſona dogmatibus, quod ſpectat Dei cultum, virtutis amorem, horrorem vitiorum refert *Clemens Alexandrinus* paſſim in *Stromatibus*. Cum in certamine Tragediam dixiſſet, ancipiti ſententiarum eventu diu ſolicitus, aliquando tamen una ſententia victor, cauſam mortis gaudium habuit, ut refert *Valerius Maximus* Lib. 9 Cap. 12.

Ad eadem pene tempora pertinet *Pindarus Thebanus*, Poetarum Lyricorum Princeps, a *Dionyſio Halicarnaſſeo*, *Quintiliano*, *Horatio* Lib. 4. Ode 2. *Longino* Lib. *De Sublimi*, & aliis laudatus.

X. Iiſdem temporibus floruit *Anaxagoras* Clazomenius, Philoſophus, qui Olympiadis ſeptuageſimæ-octavæ anno ſecundo prædixiſſe dicitur Syderum ſcientia, grandem lapidem inſtar duarum molarum e cœlo delapſum iri, quod interdiu contigit in Thraciæ parte ad Ægos flumen, ut referunt *Diogenes Laertius* in ejus Vita, *Plinius* Lib. 2. Cap. 58. & *Plutarchus* in *Lyſandro*.

XI. Olympiade octogeſima, florebat Athenis *Pericles Xanthippi* filius, ab *Anaxagora* Philoſopho eruditus. *Primum ſe Orator extulit, primumque etiam monumentis & literis Oratio eſt cœpta mandari: Tamen ante Periclem, cujus Scripta quædam feruntur, & Thucydidem, (qui non naſcentibus Athenis, ſed jam adultis fuerunt) litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & Oratoris eſſe videatur*. Verba ſunt *Ciceronis* in *Bruto*.

Herodotus & Thucydides Hiſtorici.

XII. Iiſdem temporibus florebat *Herodotus Halicarnaſſenſis*, qui Olympiadis octogeſimæ-quartæ anno tertio Libros ſuos Athenis in Panathenæorum Panegyri recitavit, anno ætatis 42. ut notat *Voſſius* Lib. *De Hiſtoricis Græcis*. Hinc ad ſcribendum excitatus eſt *Thucydides* cum *Herodotum* Libros ſuos recitantem audiviſſet, ut referunt *Marcellinus* in Vita Thucydidis. *Photius* in Bibliotheca, Cod. 60. & *Suidas*.

His Hiſtoricis coævi fuere *Euripides* Poeta Tragicus, Athenienſis, & *Protagoras Abderites* Sophiſta. *Euripides* Anaxagoræ Auditor fuit, quem cum videret periclitari ob quædam ſua dogmata, ad Tragedias ſcribendas converſus eſt. Ejus cum laude meminere *Ariſtoteles* Lib. De Arte Poetica, *Ariſtophanes* in Ranis, *Cicero* Epiſt. Famil. 8. ad Tironem, *Dionyſius Halicarnaſſenſis* in *Opuſculo Critico*. Lege & *Euſebium* Lib. 5. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 33.

Euripides, & Protagoras Athenis damnatus.

Protagoram oneri bajulum cum vidiſſet *Democritus* ligni caudices plurimos portantem, & cum illo onere facile atque expedite incedentem, ubi juncturam poſituramque ligni conſideraſſet, acervum illum, & quaſi orbem caudicum, funiculo brevi comprehenſum; ratione quadam quaſi geometrica librari, contineri que animadvertit. Itaque ſolertiam hominis demiratus, eum abduxit, & Philoſophiam docuit. Refert *A. Gellius* Lib. 5. Cap. 3. Non ſolum Philoſophus, ſed & Orator ſummus evaſit. Rerum illuſtrium locos communes ſcripſit. Putavit id cuique eſſe, quod verum videatur. Atheiſmi ab Athenienſibus damnatus eſt, *Laertio* teſte. *Cum enim in principio Libri ſic poſuiſſet, De Diis neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo dicere*, Athenienſium juſſu *Urbe atque agro eſt exterminatus, Librique ejus in concione combuſti*. Verba ſunt *Ciceronis* Lib. 1. *De Natura Deorum*. De eodem *Joſephus* Lib. 2. contra *Apionem*, p. 1079. *Protagoras niſi cito fugiſſet, comprehenſus occiſus fuiſſet, eo quod dubium de Diis Athenienſium conſcripſiſſe putabatur*.

Bellum Peloponneſiacum.

XIII. Bellum Peloponneſiacum inter Lacedæmonios & Athenienſes, cœpit anno primo Olympiadis octogeſimæ-ſeptimæ, annis ſcilicet 48. poſt *Xerxis* in Græciam tranſitum, ut apud *Clementem Alexandrinum* docet *Eratoſthenes*. Hujus Belli Hiſtoriam octo Libris accurate ſcripſit *Thucydides*. Anni viginti-ſeptem duravit, Athenienſibuſque exitiale fuit, expugnatis a *Lyſandro* Lacædemonio Athenis. Eo bello flagrante vixit *Diagoras* patria Melius. Philoſophus & Poeta Democriti Diſcipulus, qui Deos eſſe negavit, & cum Athenas, capta Patria conceſſiſſet, Eleuſinia ſacra ſugillavit tanquam virtuti contraria: Et ne ligna rapis coquendis deeſſent, *Herculem* ſuum ligneum diſſecuit, & igni tradidit; ideoque impietatis ab Athenienſibus damnatus eſt, ut referunt *Joſephus* Lib. 2. contra Apionem, *Epiphanius* in Ancorato, *Clemens Alexandrinus* in Protreptico, & *Athenagoras* in Apologia pro Chriſtianis.

Diagoras impietatis damnatus ab Athenienſibus.

Chœrilus Samius Poeta.

XIV. Olympiade nonageſima-quarta florebat *Chœrilus* Samius Poeta non ignobilis, quem *Lyſander* in comitatu ſuo habere ſolebat, ut res a ſe geſtas celebraret, teſte *Plutarcho*, in *Lyſandro*. Hic victoriam a Græcis de *Xerxe* reportatam carmine deſcripſit atque ab *Archelao* Macedoniæ Rege pro ſingulis Verſibus totidem ſtateres aureos retulit, ut refert *Suidas*. Cavendum ne cum altero *Chœrilo* Athenienſi, Poeta Tragico confundatur. *Horatium* fefellit memoria, qui pro *Archelao* nominavit *Alexandrum*, cum *Alexandro* coævus *Chœrilus* non fuerit.

Gratus Alexandro Regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui verſibus, & male natis
Retulit acceptos regale Numiſma Philippos.

Lib. 2. Epiſt. 1.

Hippocrates Medicorum Princeps.

Ejuſdem Olympiadis anno primo *Hippocratem* Coum Medicorum Principem, obiiſſe, tradit *Soranus* in ejus Vita. Inter *Hippocratis* Epiſtolas, extant Literæ ab *Artaxerxe Longimano* Perſarum Rege ad *Patum* ſcriptæ, quibus eum rogat, ut Exercitui ſuo gravi peſte laboranti opem ferat. *Patus* ibidem reſpondet, Se quidem nihil poſſe, ſed eſſe in Græcia *Hippocratem* quemdam Coum, in Arte Medica longe præſtantiſſimum. *Artaxerxes* ad *Hyſtanem* Helleſponti Præfectum ſcripſit, ut quovis ſtipendio pellectum *Hippocratem* ad ſe mitteret. *Hippocrates* reſpondit: Sibi Perſarum opes attingere fas non eſſe, neque barbaros Græcorum hoſtes a morbis liberare.

Socrates Philoſophus.

XV. Iiſdem temporibus florebat *Socrates Archelai* Auditor, & *Platonis* Magiſter, Ethicæ Philoſophiæ parens. Ab *Anyto* & *Melito* impietatis accuſatus, cicuta hauſta extinctus eſt, ex Judicum Athenienſium ſententia, Olympiadis nonageſimæ-quintæ anno primo, *Artaxerxe Mnemone* Perſis imperante. De ejus vita, doctrina, & morte, lege *Diogenem Laertium*,

Diodorum Siculum Lib. 14. *Platonem* in Phœdone, & in *Apologia Socratis*, *Ciceronem* Tuſculanar. 5. *Ælianum* Variæ Hiſtoriæ Lib. 2. Cap. 26. *Tertullianum* Lib. *De Anima* Cap. 1. *Clementem Alexandrinum* Lib. 1. *Stromatum* p. 318. & 334. Lib. 2. p. 418. & 417. Lib. 5. p. 592. & 595. *Euſebium Cæſarienſem* Lib. 1. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 8. Lib. 5. Cap. 29. Lib. 6. Cap. 9. Lib. 13. Cap. 10. & Cap. 13. & Lib. 14. Cap. 5. & *S. Auguſtinum* Lib. 8. *De Civitate Dei*, Cap. 3. Concitatis inimicitiis, calumnioſa criminatione damnatus, morte mulctatus *Socrates*. Sed cum poſtea illa ipſa, quæ publice damnaverat, Atheinienſium Civitas publice luxit: In duos Accuſatores ejus uſque adeo Populi indignatione converſa, ut unus eorum oppreſſus vi multitudinis interiret; exilio autem voluntario atque perpetuo pœnam ſimilem alter evaderet. Familiare Dæmonium habuiſſe fertur, idque de ſe ipſo teſtatur in Theage: *Eſt enim mihi*, inquit, *quod ab ineunte ætate divina ſorte accidit, ſignum Dæmonis. Id autem eſt vox, quæ ubi fuerit reddita, retinet ne faciam quod ſum facturus, hortatur autem nunquam.* Refert *Clemens Alexandrinus* Lib. 2. *Stromatum*. Angelum Cuſtodem ſingulis hominibus datum *Socrates* & Diſcipulus illius *Plato* quodammodo intellexiſſe videntur, ut notat *Clemens Alexandrinus* Lib. 5. *Stromatum* pag. 592. ubi de *Platone* ait: *Parvorum autem, conveniente Scriptura, & minimorum Angelos Deum videntes; quinetiam noſtri curationem & viſitationem quæ ad nos venit per Angelos qui nobis præſunt, indicans, non veretur ſcribere. Poſtquam omnes Animæ vitam elegiſſent, ita ut ſortitæ erant, ordine aſcendere ad Lacheſim; illum autem unum, quem unuſquiſque elegit Dæmonem, cum eo mittere vitæ Cuſtodem, & ut adimpleat ea quæ elegerit. Forſaſſe autem Socrati quoque Dæmonium tale quid ſignificabat.* Cleanthes in ſecundo *De Voluptate*, dicit *Socratem* ubique docere, *Eundem eſſe virum juſtum & beatum: Eumque execrari, qui primus diviſit juſtum ab utili, ut qui rem fecerit impiam.* Refert *Clemens Alexandrinus* 2. *Stromatum* p. 417. Hinc internam pulchritudinem & motuum honeſtatem a Diis precabatur, ut idem *Clemens* obſervat p. 594. *Servator*, inquit, *cum Deum diligere juſſiſſet & proximum, dicit ab his duobus mandatis totam Legem pendere & Prophetas. Hæc dogmata vulgo jactant Stoici, & ante eos in Phædro precatus Socrates: O Pan, & Dei alii, date mihi ut intus ſim pulcher & honeſtus.* Auditores a fœdis voluptatibus abdocebat, ut idem *Clemens* obſervat p. 412. *Socrates itaque jubet ea cavere, quæ perſuadent ut non eſurientes comedant, & bibant non ſitientes: Et pulchros aſpectus, & oſcula, ut quæ ſcorpiis & araneis gravius venenum naturaliter remittant.* Nonnemini quærenti, *Uxorem ne duceret? Neutrum in partem reſpondit; ſed tantum: Utrumlibet feceris, te pœnitebit.* *Alteri liberorum cupido, recte ac prudenter facturum negavit, dum neglectis rationibus iis, quibus optime liberos, ſi quos aliquando ſuſciperet, educare poſſet, eaque prorſus cogitatione miſſa, unum id ageret, quemadmodum liberos ſuſciperet. Alteri, qui quod male domi haberetur, alio migrare ſtatuerat, ſanum id eſſe conſilium negavit, quod cum ſuo patrium loco relinqueret, tum ſuam ſecum efferret ſtultitiam, quæ non minorem ſibi apud alios, quam apud ſuos offenſionem ac moleſtiam crearet.* Neque vero tantum ubi conſuleretur, ſed etiam ultro ac ſponte hoc congreſſionum genus expetens, egregia Oracula effudit; ut notat *Euſebius* Lib. 5. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 29. Idem Lib. 13. Cap. 10. *Socratis* verba paulo ante mortem cum Chriſtianis Dogmatibus convenire obſervat. *Vos equidem Athenienſes*, inquiebat, *complector ac diligo, ſed tamen Deo potius quam hominibus obtemperabo, nec dum ſpirabo quidem, ſique rei vacare potero, philoſophari deſinam, voſque cohortari, & in quemcumque veſtrum incidero, more meo libere ac fidenter admonere.... Si mors aliqua velut migratio eſt in alias quaſdam oras, veraque ſunt ea quæ dicuntur, quod e vita exceſſerunt, illas univerſos incolere: Quid jam eo beatius eſt, judices, ut cum ab iis, qui ſe Judicum numero haberi volunt, evaſeris, ad eos devenire, qui vere Judices appellentur, Minoem, Rhadamantum, Æacum, Triptolemum, conveniretque Heroes illos, qui juſte & cum fide vixerint? Hæc peregrinatio vobiſne vobis & contemnenda videri poteſt? Ut vero colloqui cum Orpheo, Muſæo, Heſiodo, Homero liceat, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſæpe mori vellem, ut ea quæ dico mihi liceret invenire. Quanta porro delectatione afficerer, cum Palamedem, cum Ajacem, cum Veteres alios judicio iniquorum circumventos atque damnatos convenirem?* &c. Quibus, inquit *Euſebius*, noſtra hæc gemina: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus... Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere... Scire etiam, quod ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis. Et peregrinantes a corpore, verſamur cum Domino*; Qui etiam omnibus qui in eum ſperaverint, ſuavem in *Abraha*, *Iſaac*, & *Jacobi* ſinu quietem, atque in cæterorum Prophetarum, Juſtorumque conſortio, qui Hebræus inter Deo cari fuerint, ſempiternæ vitæ felicitatem pollicetur. Act. v.29. Matth.10.26. 2.Cor.5.1.

Cum de *Socrate Zopyrus* Phyſiognomus aliena quædam & plurimum a *Socratis* inſtituto vitæque genere diſcrepantia conjeciſſet, eaque de cauſa riſu ab iis, qui cum *Socrate* erant, exceptus eſſet; negavit Socrates *Zopyrum* falli; talem enim ſeſe naturæ vi futurum, niſi Philoſophiæ ſtudiis naturæ vitia ſuperaſſet. Refert *Alexander Aphrodiſæus* apud *Euſebium* Libro 6. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 9.

XVI. Olympiade nonageſima nona florebat Athenis *Iſocrates* Orator ſuaviſſimus, qui ejuſdem Olympiadis anno tertio Panegyricam Orationem habuit. *Iſocrates.*

Olympiadis centeſimæ anno tertio, Bœoticum bellum exarſit inter Lacedæmonios & Bœotos, de quo *Diodorus Siculus* Lib. 15. *Xenophon Hellenicorum* 5. *Plutarchus*, & *Cornelius Nepos*, in Vita *Pelopidæ*. *Bellum Bœoticum.*

XVII. *Plato* Philoſophus Athenienſis anno poſtremo Olympiadis octogeſimæ ſeptimæ natus, *Socratis* Diſcipulus, *Euclides* in Mathematicis Auditor, cum magnam ſibi nominis claritatem peperiſſet, obiit Olympiadis centeſimæ octavæ anno primo, *Ocho* Perſis imperante. Lege *Dionyſium Laertium* in ejus Vita. De Deo, & Animorum immortalitate quamvis multa *Plato* ſcripſerit cum Hebræorum, Chriſtianorumque dogmatibus convenientia, ſcopum tamen tantum abeſt ut ſemper attigerit, ut in pluribus a veritate immaniter aberraverit. De doctrinæ illius conſenſione cum Hebræorum dogmatibus, vel diſſenſu ab iiſdem, prolixe agit *Euſebius* Lib. 12. & 13. *Præparationis Evangelicæ*. Philoſophorum veritatem ita ſectatum eſſe, *ut Hebræos veritatis excitaret ſcintillam*, Clemens Alexandrinus ſcribit Lib. 1. *Pædagogi*, Cap. ultimo. Notum illud *Numenii* Philoſophi Pythagoræi; *Quid eſt Plato, niſi Moſes Attice loquens?* Plurimis *Platonis* Sententiis Stromata ſua paſſim idem *Clemens Alexandrinus* intexit. *Platonem ex Moſis* fontibus hauſiſſe obſervat etiam *S. Juſtinus* Platonicus & ipſe Philoſophus, & quædam ex illius Scriptis profert Chriſtianis Dogmatis conſentanea, in Cohortatione ad Græcos, & Apologia 2. pro Chriſtiana Religione. *Platonem* tamen *omnium Hæreticorum condimentarium* appellat *Tertullianus* Lib. de Anima. *De Platone* ſcribit *S. Auguſt.* Lib. 8. *De Civitate Dei*, Cap. 4. *Inter Diſcipulos Socratis, non quidem immerito, excellentiſſima gloria clarnit, qui omnino cæteros obſcuraret Plato. Qui cum eſſet Athenienſis, honeſto apud ſuos loco natus, & ingenio mirabili longe ſuos Condiſcipulos antiret; parum tamen putans perficiendæ Philoſophiæ ſufficere ſeipſum, ac Socraticam Diſciplinam, quam longe lateque potuit peregrinatus eſt, quaquaverſum eum alicujus nobilitatæ ſcientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque & in Ægypto didicit quæcunque illic magna habebantur atque docebantur; & inde in eas Italiæ partes veniens, ubi Pythagoræorum fama celebrabatur, quicquid Italicæ Philoſophiæ tunc florebat, auditis eminentioribus in ea Doctoribus facillime comprehendit. Et quia Magiſtrum Socratem ſingulariter diligebat, eum loquentem fere in omnibus ſermonibus ſuis faciens, etiam illa quæ vel ab aliis didicerat, vel ipſe quanta potuerat intelligentia viderat, cum illius lepore & Moralibus Diſputationibus temperavit. Itaque cum ſtudium ſapientiæ in actione & contemplatione*

tione

tione verſatur; unde una pars ejus activa, altera contemplativa dici poteſt; quarum activa ad agendam vitam, id eſt, ad mores inſtituendos pertinet, contemplativa autem ad conſpiciendas naturæ cauſſas & ſinceriſſimam veritatem: Socrates in activa excelluiſſe memoratur; Pythagoras vero magis contemplativæ, quibus potuit intelligentiæ viribus inſtitiſſe. Proinde Plato utrumque jungendo, Philoſophiam perfeciſſe laudatur, quam in tres partes diſtribuit: Unam Moralem, quæ maxime in actione verſatur; alteram Naturalem, quæ contemplationi deputata eſt; tertiam Rationalem, quâ verum diſterminatur a falſo ...... Quid autem in his, vel de ſingulis partibus Plato ſenſerit, id eſt, ubi finem omnium actionum, ubi cauſſam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum eſſe cognoverit, vel crediderit, diſſerendo explicare, & longum eſſe arbitror, & temere eſſe affirmandum non arbitror. Cum enim Magiſtri ſui Socratis, quem facit in ſuis Voluminibus diſputantem, notiſſimum morem diſſimulandæ ſcientiæ, vel opinionis ſuæ ſervare affectat, quia & illi ipſe mos placuit; factum eſt ut etiam ipſius Platonis de rebus magnis Sententia non facile perſpici poſſit. Capitibus ſequentibus oſtendit *S. Auguſtinus*, Platonicorum opinioni in Theologia, Phyſica, & Rationali Philoſophia, omnium Philoſophorum poſtponenda eſſe dogmata; & in Morali etiam illos obtinere principatum, & ad veritatem Fidei Chriſtianæ propius accedere: Siquidem de Deo ſummo & vero ſenſerunt, *Quod & rerum creatarum ſit effector, & lumen cognoſcendarum, & bonum agendarum; quod ab illo nobis ſit & principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ.*

Æſchines & Demoſthenes Oratores. XVIII. Olympiade centeſima-octava *Æſchines* & *Demoſthenes* Oratores præſtantiſſimi Athenis floruerunt, qui pacis cum *Philippo* Macedonum Rege ineundæ Auctores Athenienſibus fuerunt, dum ille Thraeicum & Phocicum bellum, magno Athenienſium damno urgeret. Qua de re legendi *Diodorus Siculus* Lib. 16. *Æſchines Oratione contra Cteſiphontem*, & *Demoſthenes Oratione de Corona*. Sed cum poſtea *Philippus* Byzantium obſideret, pacemque cum Athenienſibus initam violare palam videretur, *Demoſthenes* ad opem Byzantinis ferendam ſuos Athenienſes hortatus eſt Philippica Oratione 4. Moxque ſuſcepta Legatione Civitates Græcas convenit, ſollicitavit, & plerasque induxit, ut communibus viribus *Philippum* repellere niterentur. Vide *Plutarchum* in Vita *Demoſthenis*. Prælio ad Cheroneam commiſſo, Athenienſes, & Bœoti fœderati magnam a *Philippo* Rege Macedonum cladem acceperunt. *Demoſthenes* Orator ex eo Prælio turpiter fugit abjectis armis, nil inſcriptionem veritus clypei, cui aureis literis inſcriptum erat: *Bona Fortuna*. Ita refert *Plutarchus*. Poſt hanc cladem *Iſocrates* prope centenarius inedia quatriduana extinctus eſt, cum Athenas quartum ab hoſte occupatas aſpicere ſe poſſe negaret, ut teſtantur *Pauſanias* in Atticis, *Plutarchus* in Vita Rhetorum, *Dionyſius Halicarnaſſenſis* in Vita *Iſocratis*, & *Philoſtratus*. Poſt prælium ad Cheroneam commiſſum, cum Athenienſes *Philippi* metu Urbem diligenter muniendam curarent, *Demoſthenes* Orator murorum partem privatis ſumptibus refecit. Quare *Cteſiphon* aurea corona in publico Græcorum convento donandum cenſuit *Demoſthenem*. Id Legibus contrarium contendit *Æſchines Demoſthenis* æmulus. Vide *Plutarchum* in Vita *Demoſthenis*. Cum *Harpalus Alexandrum* Macedonem fugiens, Athenas confugiſſet, ipſumque repellendum & abigendum primo cenſeret *Demoſthenes*, ne bello minime neceſſario Civitas implicaretur, muneribus ab eodem corruptus, patrocinium ipſius ſuſcepit, ſeu potius ſilentio ſuo illi favit. Quamobrem ab Areopagitis in judicium vocatus, & quinquaginta mulctatus talentis, carcereque damnatus, fuga ſibi conſuluit, & exilium impatientiſſime toleravit, ut refert *Plutarchus*.

ARTICULUS VI.

De Rebus Græcorum, & Macedonum Alexandro Magno imperante.

Philippus Græcorum Imperator proclamatus. I. PHilippus Rex Macedonum, parta ad Cheroneam victoria, & injecto nobiliſſimis Græciæ Urbibus pavore, in publico totius Græciæ Conventu Corinthi habito, belloque adverſus Perſas decreto, Græciæ totius Imperator ſumma cum poteſtate creatus eſt. In ipſo belli apparatu, dum coeuntibus auxiliis ſolemne Sacrificium Diis offerret; ac filiæ ſuæ *Cleopatræ* Nuptias ſimul celebraret *Philippus*, a *Pauſania* Macedone nobili adoleſcente, cui illatam ab *Attalo* Duce nefarii ſtupri injuriam ulciſci neglexerat, gladio transfixus occubuit. Ab Olympiade Matre *Alexandri* immiſſum fuiſſe creditum eſt, nec ipſum *Alexandrum* paternæ cædis ignarum extitiſſe. (Ex *Diodoro Siculo* Lib. 16. *Trogo Pompejo* & ejus Breviatore *Juſtino* Lib 9. Cap. 5. 6. 7. & *Plutarcho* in Vita *Alexandri*.) Obiit *Philippus* anno ætatis quadrageſimo-ſexto, cum annos viginti-quatuor regnaſſet. Ne victoriis efferretur, uni ex pueris honorariis juſſiſſe dicitur, ut quotidie antequam ullus ad illum introduceretur, illi ter proclamaret: *Philippe, homo es*. Refert *Ælianus* Lib. 12. *Variæ Hiſtoriæ* Cap. 53.

Alexander Magnus. Ejus mores. II. *Philippo* filius ſucceſſit *Alexander*, annos circiter viginti natus, *& virtute, & vitiis Patre major. Vincendi ratio utrique diverſa. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hoſtibus, hic palam fuſis. Prudentior ille conſilio; hic animo magnificentior. Iram Pater diſſimulare, plerumque etiam vincere: Hic ubi exarſiſſet, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque avidus; Sed ebrietatis diverſa vitia. Patri mos erat etiam de convivio in hoſtem procurrere, manum conſerere, periculis ſe temere offerre: Alexander non in hoſtem, ſed in ſuos ſæviebat. Quamobrem Philippum ſæpe vulneratum prælia remiſere: Hic amicorum interfector convivia frequenter exceſſit. Regnare ille cum amicis nolebat: Hic in amicos Regna exercebat. Amari Pater malle, hic metui. Literarum cultus utrique ſimilis. Solertia pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior, & honeſtior. Frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis Imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius conſummavit.* Hæc *Juſtinus* in fine Libri 9.

Alexandri Expeditiones. Intra annos duodecim Europæ partem non exiguam, totamque Aſiam ſubegit. Triplici prælio *Darium* Perſarum Imperatorem vicit, ad *Granicum*, ad *Iſſum*, & in *Gaugamelis*. Matrem, & uxorem *Darii*, in pugna ad *Iſſum* captas, incredibili clementia proſecutus eſt. Cum eas inviſeret, *Hephæſtione* comite, *Darii* Mater *Hephæſtionem* pro *Alexandro* venerata eſt. Cui mox ob errorem pudefactæ ac veniam petenti ſubridens *Alexander*, ait *Bono animo eſto, Mater; Nam & hic Alexander eſt*. Victoris clementiam & benignitatem erga captivas *Darias* ſuſpexit, & laudibus extulit. Referunt *Diodorus Siculus* Lib. 17. & *Valerius Maximus* Lib. 14. Cap. 7. Regionibus, Regniſque ſubactis Reges aliquando tributarios fecit, alias exauctoravit, novoſque Reges creavit. Sic *Stratonem* Sidoniorum Regem, quod magis popularium impulſu, quam ſua ſponte deditionem feciſſet, Regno ſpoliavit, permiſitque *Hephæſtioni*, ut amicorum ſuorum cuipiam Regnum traderet. Elegit *Hephæſtion* hoſpitem Sidonium, quem hoc ornaret beneficio. Recuſavit Hoſpes negans cuiquam fas eſſe Regnum capeſſere, niſi Regiæ Stirpis Principi. Miratus *Hephæſtion* tantam animi magnitudinem cum pari conjunctam, juſſit eum his qui ſupereſſent ex Regia Stirpe eligeret, quem Regno dignum cenſeret. *Abdalonimum*, ſeu *Abdalonimum* quendam Hortulanum Hoſpes elegit, omnium quidem pauperrimum, ſed inculpatæ vitæ, & longa cognatione Stirpi Regiæ conjunctum. Admitti eum protinus juſſit *Alexander*, diuque contemplatus: *Corporis*, inquit, *habitus famæ generis non repugnat: Sed libet ſcire inopiam qua pati-*

entia

entia tuleris. Tum ille: *Utinam, inquit, eodem unimo Regnum pati poſſim. Ha manus ſufficere deſideria meo: Nihil habenti, nihil deſuit*. Reſerunt *Diodorus*, *Q. Curtius*, & *Juſtinus*.

Alexandri Hieroſolymitana Profectio.

III. Tyro, Gazaque expugnatis, Hieroſolymam infeſto Exercitu *Alexander* petiit. Jamque extrema *Judæi* metuebant, cum *Jaddua* Pontifici viſo in ſomnis offertur, bono animo eſſe jubens: Eat modo obviam Regi infulatus cum ſupplicum Levitarum ac Popularium turba. *Alexander*, ut vidit e longinquo candidatum Populum, & Sacerdotes ante agmen in amictu byſſino, Pontificemque in ſtola hyacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei Nomine *Solus ad eum acceſſit, adoravit Nomen illud, & ſalutavit Pontificem*. Judæis autem omnibus uno ore *Alexandrum* conſalutantibus, & in orbem cingentibus Syriæ Reges, & reliqui obſtupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem. Solus *Parmenio* propius accedens rogavit familiariter: Quid ita, cum ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Judæorum Pontificem? At ille, *Non hunc ſe adoraſſe reſpondit, ſed Deo, cujus Pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe. Hunc enim, inquit, vidi, & antea hoc ipſo habitu, cum adhuc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Aſiam poſſem ſubigere, hortatus eſt forti eſſe animo, & ſine mora Exercitum trajicere. Nam ſuo ductu potiturum me Perſarum Imperio. Quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, agnoſcens hunc & viſionis memor qua me ad hanc Expeditionem impulit; puto me non ſine Numine Exercitum in Darium ducere, & brevi fore victoria compotem: Et ſublato Perſarum Imperio, ceſſura mihi omnia ex ſententia*. Hæc locutus ad *Parmenionem*, & comiter complexus

Danielis 11. 13. Surget vero Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa: Et faciet quod placuerit ei.

Pontificem, deducentibus Sacerdotibus in Urbem pervenit, *Et aſcendens in Templum immolavit Deo ex Sacerdotis præſcripto, ac Pontifici quoque ſuum honorem exhibuit. Oſtenſoque ſibi Danielis Libro, in quo Græcum quemdam Perſas debellaturum ſignificat, hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus dimiſit multitudinem. Pontifice autem petente ut patriis Legibus vivere ſibi liceat, utque ſeptimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, conceſſit omnia. Rogantibus deinde, ut eos quoque Judæos, qui Babyloniam ac Mediam colerent, ſineret uti inſtitutis propriis, hic etiam poſtulatis eorum ſatisfacturum ſe eſt pollicitus. Et cum feciſſet eis poteſtatem, ſi qui vellent, ſalvis ſuis Ritibus, ſequi ejus Militiam, multi in eam Expeditionem dederunt nomina*. Ita refert *Joſephus* Libro 11. Cap 8. Ægypto deinde ſuo Imperio adjuncta, *Hammonis* Libyci Oraculum adiit. Cumque illum Antiſtes ut *Jovi Hammonis* filium ſalutaſſet, Dei adoptione lætus, hoc ſe Patre cenſeri juſſit: Quoniam vero *Hammon* arietis ſuperne, inferne hominis ſpecie adorabatur, *Alexander*, ut Numinis filius corniger eſſe voluit, pulchritudinem humanam belluino cornu deformans, ut ait *Clemens Alexandrinus*, in Protreptico. *Olympiadem Alexandro* filio feſtiviſſime reſcripſiſſe refert ex *Varrone A. Gellius* Lib. 13. Cap. 4. Nam cum is ad Matrem ita ſcripſiſſet: *Alexander Jovis Hammonis filius Olympiadi Matri ſalutem dicit*: Olympias ei reſcripſit in hanc ſententiam: *Amabo mi fili, quieſcas; neque deferas me, neque criminere adverſus Junonem. Malum mihi prorſus illa magnum dabit, cum tu me Litteris tuis pellicem illi eſſe confiteris*. In Ægypto Urbem condidit *Alexander*,

Alexandri Victoria.

quam de ſuo nomine *Alexandriam* vocavit, Olympiade 112. ut notat *Solinus* Cap. 35. Trajecto Euphrate per Meſopotamiam progreſſus, Tygrim tranſit, indeque Exercitum per Aſſyriam duxit; ubi cum *Dario* congreſſus in *Gangamelis*, ipſius Exercitum penitus profligavit. Mox Babylone, Suſiſque potitus, Uxios ſubegit, *Araxem* fluvium ponte junxit, Perſepolim Militibus diripiendam conceſſit, Regiam Perſepoleos incendit. Inde cum Ecbatanam veniſſet, ac theſauris *Harpalum* præfeciſſet, in Parthos Exercitum duxit. *Darii* Regis a *Beſſo* Bactrianorum Satrapa interfecti corpus ad Perſas miſit, ut in Regiis Mauſolæis conderetur. De cæteris *Alexandri* victoriis in Bactriana, Carmania, India, ubi *Poro* Regi victo Regnum reddidit, Hircania, Gedroſia, Brachmanum Gente, &c. legendi *Diodorus Siculus* Lib. 17. *Q. Curtius*, *Arrianus*, *Juſtinus* & *Plutarchus* in Vita *Alexandri*.

Mors Alexandri.

IV. Obiit Babylone, morbo ex nimia compotatione apud *Medium Theſſalum* contracto. Rumor vulgatus eſt, venenum ei ab Antipatro mixtum, quo interiit, & *Ariſtotelem* id *Antipatro* conſeciſſe, *Alexandrum* ob *Calliſthenis* Philoſophi necem metuentem: Quæ fide digna non cenſet *Arrianus*. *Plutarchus* vero affirmat veneni ſuſpicionem, tunc neminem habuiſſe. Sexto demum anno *Olympiadem Alexandri* Matrem indicio ejus rei ad ſe delato, multos occiſſe, & *Jolla* mortui, qui *Alexandro* a poculis fuerat, oſſa projeciſſe quaſi venenum miſcuiſſet. Eam vero fabulam prorſus commentitiam fuiſſe inde probat, quod diſſentientibus per multos dies Ducibus, corpus, cum locis fervidis & æſtuoſis jacuiſſet non curatum, veneni veſtigium nullum præ ſe tulerit. Cum in extremis eſſet, Milites omnes ad ſalutem ultimam ipſi dicendam admiſit, dextram omnibus, qui eam contingere vellent, porrexit. Cumque quærerent amici, Cui relinqueret Regnum? *Fortiſſimo*, reſpondit: ſive, *Ei qui optimus eſſet*. Exemptum tamen digito annulum *Perdiccæ* tradidit. Rurſus *Perdicca* interrogante, Quando cœleſtes honores haberi ſibi vellet? Dixit, Tum velle, *cum ipſi felices eſſent*. Suprema hæc vox fuit Regis. Obiit Olympiade centeſima decima quarta. Annos duodecim regnavit ut conſtat ex 1. *Machabæorum* 1. 8. ex *Eratoſthenis* Canonibus apud *Clementem Alexandrinum* Lib. 1. Stromatum, ex Hebræorum Chronico, *Porphyrio* in Græcis Euſebianis Scaligeri, pag. 124. *Juliano* in Cæſaribus, *Joſepho* Lib. 12. *Antiquitatum*, Cap. 2. *Tertulliano* Lib. Contra Judæos, Cap. 8 *S. Hieronymo* & *Theodoreto* in Cap. 11. *Danielis*. Quamquam *A. Gellius* Lib. 17. Cap. 21. annos tantum undecim; *Julius Africanus*, & *Euſebius* in Chronico annos duodecim & ſex Menſes; *Diodorus Siculus* Lib. 17. annos totidem & menſes ſeptem. *T. Livius* Lib. 9. & 45. & *Æmilius Probus* in *Eumene*, tredecim annos Regni ipſi tribuant. Annos vero ætatis triginta duos ipſum egiſſe teſtantur *Philoſtratus* Lib. 2. De Vitis Sophiſtarum, in Herode, *Euſebius* in Chronico & Lib. 1. De Vita Conſtantini, *S. Hieronymus* in Danielis Cap. 8. & 9. & alii complures *Euſebii* Chronicon ſecuti. At illi triginta tres annos & Menſem unum tribuit *Juſtinus* Lib. 12. Cap. ultimo, *Cicero* in v. Philippica annos triginta tres. *Arrianus* Lib. 7. diſcrepantes Auctorum ſententias de vitæ & Regni *Alexandri* duratione conciliare videtur: *Vixit*, inquit, *annos triginta duos, & tertii menſes octo aſſecutus eſt; Quemadmodum tradidit Ariſtobulus. Regnavit vero duodecim annos, ac menſes illos octo*. Cum nullo hoſtium unquam congreſſus eſt, quem non vicerit: Nullam Urbem obſedit, quam non expugnaverit. Nullam Gentem adiit, quam non calcaverit (inquit *Juſtinus*.) Ex amicis *Hephæſtionem* maxime dilexit, quem dum vixit, majore in honore quam quemquam aliorum habuit, & mortuo divinos honores decrevit, impenditque. Cum familiarium quiſpiam dixiſſet, *Craterum* in amore non inferiorem eſſe *Hephæſtione*, *reſpondit Alexander a Cratero Regem, ab Hephæſtione Alexandrum amari*. Refert *Diodorus Siculus* Lib.

Alexandri virtutes, & vitia.

17. *Hephæſtionem* aliquando cum *Cratero* rixatum *Alexander* objurgavit dicens: *Quæ tua res geſta eſt, ſi quis tibi auferat Alexandrum?* Cum aliquando Epiſtolam a Matre miſſam arcanam legeret, & *Hephæſtio*, ut tum forte aſſidebat ſimpliciter una eam percurreret, non prohibuit, ſed annulum ori ejus impoſuit, ſilentium amica fide obſignans. Gentes a ſe domitas a fera & belluina vitæ ratione ad humaniores mores traduxit. Hircanos docuit conjugiis uti, Arachoſios Agriculturam; Sogdianis perſuaſit ut alerent, non interficerent Patres: Perſas ut venerarentur, non uxorum loco haberent matres: Scythas, ut mortuos humarent, non ut more comederent: (inquit *Plutarchus* Oratione 1. *De fortuna, vel virtute Alexandri*.) Continentiæ fuit admirabilis, cujus tamen ac reliquarum virtutum gloriam vini intemperantia, *Cliti* cæde, *Calliſthenis* Philoſophi oppreſſione, divinorum honorum ambitione obſcuravit. *Roxanem ſibi ſoli duxit, amore ejus captus. Darii autem Statiram Regno & rebus. Reliquis Perſidibus tantum ſuperior fuit pudicitia quantum fortitudine Perſis. Nullam enim invitam vidit*,

Digitized by Google

dit, & quæ vidit, magis præteriit quam non viſa: Ut cum aliis fuerit humaniſſimus, adverſus pulcritudinem formæ duntaxat ſuperbe ſe geſſerit. De uxore *Darii longe formoſiſſima ne vocem quidem audire voluit formæ ejus commendatricem. Mortuam vero ita regie ornavit, itaque miſericorditer deflevit, ut pudicitia ejus in tanta humanitate fidem non invenerit, injuriaque crimen ei bonitas conflaverit.* Philoxenum oræ maritimæ Præfectum, cum is ſcripſiſſet *Alexandro*, eſſe in Jonia puerum ætate florentem, pulchritudine ſumma, quæreretque per Epiſtolam, An hunc emi, & ad ſe mitti vellet; acerbe increpavit, in hanc ſententiam reſcribens: *Peſſime hominum, cujus mihi talis flagitii conſcius es, ut hujuſmodi voluptatis mihi objiciendo blandiaris?* Refert *Plutarchus* in Orationibus ſupra laudatis.

Danielis Vaticinia de Alexandro M. & Monarchia Græcorum.

V. *Alexandri* Imperium, ſeu Græcorum Monarchia in ſtatua illa *Nabuchodonoſori* per ſomnium viſa repræſentabatur ventre ac femoribus æneis, interprete *Daniele*, Cap. 11. 39. *Et Regnum tertium aliud æreum, quod imperabit univerſæ terræ.* Quem locum *Sanctus Hieronymus* ita commentatur: *Alexandrum ſignificat, & Regnum Macedonum, Succeſſorumque Alexandri. Quod recte æneum dicitur. Inter omnia enim metalla æs vocalius eſt, & tinnit clarius, & ſonitus ejus longe lateque diffunditur: Ut non ſolum famam & potentiam Regni, ſed & eloquentiam Græci ſermonis oſtenderet.* Per ventrem, *Alexandri* ſolius ſignificabatur Principatus; per femora, ea quæ poſt ipſius obitum facta eſt Regni diviſio, ut *Theodoretus* interpretatur. In alia vero Viſione quatuor beſtiarum grandium aſcendentium de Mari, exhibita *Danieli*, anno primo *Baltaſſaris* Regis Babyloniæ, & deſcripta Cap. 7. Prophetiæ ipſius, Monarchia *Alexandri* & Græcorum repræſentata eſt & præſignata ſub figura Pardi alati, & quadricipitis. *Poſt hæc*, inquit, *aſpiciebam, & ecce alia quaſi Pardus, & alas habebat quaſi avis, quatuor ſuper ſe: Et quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei.* Quem locum *S. Hieronymus* ita commentatur: *Regnum Macedonum Pardo beſtiæ velociſſimæ comparatur, quæ præceps fertur ad ſanguinem, & ſaltu in mortem ruit. Et alas habebat quatuor. Nihil enim Alexandri victoria velocius fuit, qui ab Illyrico & Adriatico Mari uſque ad Indicum Oceanum, & Gangem fluvium, non tam præliis quam victoriis percurrit, & in ſex annis partem Europæ, & omnem ſibi Aſiam ſubjugavit. Quatuor autem capita, eoſdem dicit Duces ejus, qui poſtea ſucceſſores Regni extiterunt: Ptolemæum, Seleucum, Philippum, Antigonum. Quodque additur:* Et poteſtas data eſt ei: *oſtendit non Alexandri fortitudinis, ſed Domini voluntatis fuiſſe.* In alia viſione eidem Prophetæ exhibita anno tertio Regni *Baltaſſaris*, & deſcripta Cap. 9. ſub *Hirci* figura *Alexander Magnus* adumbratur. *Ecce autem Hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram: Porro Hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos. Et venit uſque ad arietem illum cornutum, quem videram ſtantem ante portam, & cucurrit ad eum impetu fortitudinis ſuæ. Cumque appropinquaſſet prope Arietem, efferatus eſt in eum, & percuſſit Arietem, & comminuit duo cornua ejus, & non poterat Aries reſiſtere ei: Cumque eum, miſiſſet in terram, conculcavit, & nemo quibat liberare Arietem de manu ejus. Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis: Cumque creviſſet, fractum eſt cornu magnum, & orta ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli.* Viſionem *Danieli* explicuit Archangelus *Gabriel*, ibidem: *Aries, quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt, atque Perſarum. Porro Hircus caprarum, Rex Græcorum eſt: & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipſe eſt Rex primus;* (ALEXANDER MAGNUS.) *Quod autem fracto illo ſurrexerunt quatuor pro eo: Quatuor Reges de Gente ejus conſurgent, ſed non in fortitudine ejus.* Quem locum *S. Hieronymus* hoc illuſtrat Commentario. *Aries Darius filius Arſami, in quo Medorum & Perſarum Regnum deſtructum eſt. Porro Hircus caprarum qui veniebat ab Occidente, & propter nimiam velocitatem terram tangere non videbatur, Alexander eſt Rex Græcorum: Qui ſubverſis Thebis in Perſas arma corripuit, & apud Granicum Fluvium inito certamine, Darii Duces ſuperavit, & ad extremum ipſum percuſſit Arietem, & duo ejus confregit cornua, Medos atque Perſas: Miſitque eum ſub pedibus ſuis, & utrumque cornu ſuo ſubjugavit Imperio. Cornu autem grande, ipſe eſt Rex primus Alexander, quo trigeſimo-ſecundo ætatis ſuæ anno mortuo in Babylone, ſurrexerunt pro eo quatuor Duces ejus, qui ſibi Imperium diviſerunt. Ægyptum enim Ptolemæus Lagi filius tenuit: Macedonas Philippus, qui & Aridæus Alexandri frater: Syriam, & Babylonem, & omnia Regna Orientis Seleucus Nicanor: Aſiæ regnavit Antigonus.* Lege & *Theodoretum* Lib. 8. in *Danielem*. Inter Duces quidem longe plures diviſum eſt *Alexandri* Imperium, ut conſtat ex *Diodoro* Lib. 18. *Q. Curtio* Lib. 10. *Juſtino* Lib. 13. Sed quatuor illi quaſi Principes fuere, quibus cæteri omnes adhærebant: & cum inter illos quator æmulatio & contentio de Imperio orta eſt, reliqui ad aliquem illorum ſe ſe adjunxerunt. De eodem *Alexandro* Lib. 1. *Machabæorum*, Cap. 1. legitur: *Et factum eſt, poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de Terra Cethim, Darium Regem Perſarum, & Medorum: Conſtituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ: & pertranſiit uſque ad fines terræ: & accepit ſpolia multitudinis Gentium: & ſiluit terra in conſpectu ejus. Et congregavit virtutem & exercitum fortem nimis: & exaltatum eſt, & elevatum cor ejus: & obtinuit regiones Gentium & Tyrannos: & facti ſunt illi in tributum. Et poſt hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti a juventute: & diviſit illis Regnum ſuum cum adhuc viveret. Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt. Et obtinuerunt pueri ejus Regnum unuſquiſque in loco ſuo.* Quod ait Auctor Libri 1. Machabæorum, *Alexandrum*, cum adhuc viveret, Regnum ſuum pueris ſuis, ſive Ducibus diviſiſſe, externis Scriptoribus repugnare quiſpiam judicaverit, qui diviſionem illam a *Perdicca* poſt *Alexandri mortem*, conſilio Ducum, factam aſſerunt. *Q. Curtius* Lib. 10. Cap. 13. *Credidere quidam*, inquit, *teſtamento Alexandri diſtributas eſſe Provincias. Sed famam ejus rei, quanquam ab Auctoribus tradita eſt, vanam fuiſſe comperimus.* Verum nullum profert laudatus *Curtius* monumentum quo id falſum eſſe probet. Aliique Auctores id aſſerunt quod ipſe negat. *Alexandrum* de toto Regno Teſtamentum a ſe confectum in Rhodiorum Civitate depoſuiſſe, confirmat *Diodorus Siculus* Libro 20. ad annum quartum Olympiadis 118. Et Chronographus Alexandrinus, ex quo Collectanea Barbaro-Latina a *Scaligero* edita, pag. 58. & 59. deſumpta ſunt. *Alexandri* Teſtamento eam Provinciarum inter Principes diſpoſitionem factam fuiſſe ſignificat; quam a *Perdicca*, cui Imperii poſt mortem ſuam conſtituendi poteſtatem Annulo tradito ille commiſerat, peractam, *Diodorus* Lib. 18. *Juſtinus* Lib. 13. Cap. 4. *Q. Curtius* Lib. 10. Cap. 13. *Arrianus* in *Photii Bibliotheca* Cod. 92. *Dexippus* ibidem Cod. 82. & alii ſcripto prodiderunt.

Diogenes Philoſophus Cynicus.

VI. *Alexandro Magno* imperante vixit *Diogenes* Philoſophus, patria Sinopenſis. Corinthi in Cranio, id eſt, ſuburbano cupreſſorum luco otium agenti cum occurriſſet *Alexander*, & ille forte apricaretur tunc ſtratus, eumque *Alexander* benigne ſalutaret, & rogaret qua re haberet opus, reſpondit: *Recede paululiſper ex Sole.* Cynici in terrenis rebus ſpernendis conſtantem animum Rex demiratus, in hanc vocem erupit: *Niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem.* Ita referunt *Diogenes Laertius*, in hujus Philoſophi Vita, *Plutarchus* in Alexandro. *Valerius Maximus* Lib. 4. Cap. 3. *Dio Chryſoſtomus Oratione de Regno.* Dolium pro domo habuiſſe fertur, unde illud *Juvenalis*:

Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa *Diogenem.*
Magnum Habitatorem quanto felicior hic qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.

Eodem anno & die mortuus eſt quo *Alexander* ut refert *Laertius* ex *Demetrio*, cui *Plutarchus* ſubſcribit *Sympoſ. Lib. 8. Problem.* 1.

Calliſthenes Philoſophus.

VII. Iiſdem temporibus floruit *Calliſthenes* Olynthius, *Ariſtotelis* diſcipulus & ex illius conſobrina

Hero-

Herone natus, Philoſophus, Hiſtoricus, & Orator egregius, qui cum Adulatoribus *Alexandri*, divinos illi honores tribuendos contendentibus, reſtitiſſet, illius odium incurrit, & quaſi conjurationis ab *Hermolao*, aliiſque Regiis pueris contra ipſum *Alexandrum* initæ particeps inique delatus, Philoſophiæ libertatis potius pœnas dedit, quam criminis. *Calliſthenem*, poſtquam comprehenſus fuit, ſeptem menſes in vinculis cuſtoditum, ut in Concilio præſente *Ariſtotele*, judicaretur; ac quo tempore apud Mallos & Oxydracas in India vulneratus *Alexander* fuit, ex corpore ſupra modum pingui, & morbo pediculari obiiſſe, *Chares Mitylenæus* auctor eſt. Regios Pueros, quæſtione adhibita ſe a *Calliſthene* ad facinus illud incitatos dixiſſe, *Ariſtobulus*, & *Ptolemæus Lagi* affirmant. Sed illum tortum ac deinde ſuſpenſum vitam finiviſſe, *Ptolemæus*; Compedibus vinctum in Exercitu ductum fuiſſe, ac poſtea morbo interiiſſe, *Ariſtobulus*. Adeo ne ipſi quidem Scriptores coævi, & qui tum *Alexandro* aderant, de rebus manifeſtis inter ſe conſentiunt.

Ariſtoteles. VIII. Eadem Ætate floruit *Ariſtoteles* Stagyrites, *Platonis* diſcipulus, *Alexandri Magni* Præceptor, Philoſophorum Peripateticorum Princeps, natus anno primo Olympiadis nonageſimæ-nonæ, Chalcide ex morbo mortuus anno ætatis ſexageſimo-tertio, anno tertio Olympiadis centeſimæ decimæ-quartæ, ut ſcribit *Diogenes Laertius* in ejus vita. Annos duodecim Athenis in Lyceo docuit. Scholam & Bibliothecam *Theophraſto* reliquit. *Primus omnium qui nobis noti ſunt, Ariſtoteles Bibliothecam congeſtis Libris compoſuit; idque Ægypti Reges facere docuit.* (Ex *Strabone* Libro 13.) Non doctrinæ ſolum impugnatores, ſed & vitæ calumniatores habuit, non obſcuros alioqui Philoſophos, quos refellit *Ariſtocles Peripateticus* Lib. 7. *De Philoſophia*, cujus fragmentum *Euſebius* deſcripſit Lib. 15. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 2. De *Ariſtotelis* vero dogmatis, quatenus a *Moſe* & *Platone* diſſidet in conſtituenda finis ultimi ratione, in Quæſtione de Providentia, de Mundi ortu, de Quinta Eſſentia, de Animorum immortalitate, de Ideis legi poteſt *Atticus Platonicus* adverſus *Ariſtotelem* diſputans, apud eumdem *Euſebium* Cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 12. 13. ejuſdem Libri.

Calanus Gymnoſophiſta. IX. Apud Indos celebris erat *Calanus* Gymnoſophiſta. Is cum ſuadente *Taxile* ad *Alexandrum* veniſſet, cum in Perſide corpore eſſet infirmo, nec ad ægrotantium regulam ac diætam curari ſe pateretur, quin potius vita ſe abdicare ſtatuiſſet, prius quam graviora experiretur incommoda, & fruſtra eum a propoſito deterrere conaretur *Alexander*, tandem illo annuente, conſcenſo rogo, vivus combuſtus, ut referunt *Arrianus*, Libro 7. *Q. Curtius*, *Diodorus Siculus*, *Plutarchus*. Lege & *Strabonem* Libro 15. *Sphines* vocabatur hic Gymnoſophiſta, ſed quod ſermone Indico *Cale* pro *Salve* ſalutans obvios compellaret, *Calanus* eſt a Græcis nominatus. Mallis expugnatis, Gymnoſophiſtas decem reſponſionum acumine & brevitate celebres cum cepiſſet *Alexander* his Quæſtiones obſcuras propoſuit, necem minitatus primo qui minus appoſite reſpondiſſet, inde ordine reliquis, ac natu maximum Judicem Reſponſionum eſſe voluit. Primus interrogatus, *Vivoſne plures eſſe, an mortuos cenſeret? Vivos*, ait, *Neque enim jam eſſe eos qui mortui ſunt.* Secundus *Terram, an Pelagus grandiores gigneret belluas? Terram: Quippe hujus*, inquit, *Pelagius portio eſt.* Tertius, *Quod animal calidiſſimum eſſet? Quod hactenus*, inquit, *homo non cognovit.* Quartus interrogatus: *Quamobrem Sabbam ad rebellionem concitaſſet?* Reſponſum dedit: *Quo honeſte viveret, aut male periret.* Quintus rogatus: *Diem an noctem putaret fuiſſe priorem? Diem*, ait, *uno die.* Sextus interrogatus, *Quemadmodum quis maxime ſe efficiat charum?* Reſpondit: *Se potentiſſimus, nec formidabilis eſſet.* Septimus rogatus: *Quemadmodum ex mortali quis Deus evadat?* Reſpondit: *Si quid fecerit, quod facere denegatum ſit homini.* Octavus: *De vita & morte, utra valentior?* Reſpondit *Vitam tam multa tolerantem mala.* Nonus: *Quatenus hominem vivere deceat? Eatenus*, inquit, *dum mori quam vivere non cenſeat præſtare.* Verſus tandem ad Judicem *Alexander*, pronuntiare eum juſſit ſententiam: Qui cum ullum alio dixiſſet ſegnius reſpondiſſe: *Ergo tu*, inquit, *Primus morieris, qui ita decernis.* Repoſuit ille: *Minime vero, Rex, niſi tu mentiaris, qui primum dixiſti interfecturum te illum qui peſſime reſpondiſſet.* Hos igitur muneribus honoratos *Alexander* dimiſit.

Quæſtiones Gymnoſophiſtis ab Alexandro propoſitæ.

SCHOLION.

De Gymnoſophiſtis Indorum & Calano hæc habet S. Ambroſius Epiſt. 37. Edit. poſtremæ Pariſ. ad Simplicianum data: *Non ego de contemtu mortis libros Philoſophorum depromo, aut Gymnoſophiſtas Indorum, quorum præ cæteris Calani laudatur Reſponſum Alexandro, cum eum juberet ſequi: Qua me, inquit, laude dignum Græcum petere poſcis, ſi poſſum cogi facere quod nolo? Et vere plenus auctoritatis ſermo, ſed magis meus plena libertatis. Denique & Epiſtolam ſcripſit CALANUS ALEXANDRO. Amici perſuadent tibi manus & neceſſitatem inferre Medorum Philoſophis, nec in ſomnis quidem videntes noſtra opera. Corpora enim transferes de loco ad locum; animas non coges facere quod nolunt, non magis quam ſaxa & ligna vocem emittere. Maximus ignis viventibus corporibus dolorem inurit, & gignit corruptionem: Super hunc nos ſumus; viventes enim exurimur. Non eſt Rex, neque Princeps, qui extorqueat nobis facere, quod non propoſuimus. Nec ſimiles ſumus Græcis Philoſophorum, qui verba pro rebus meditati ſunt ad opinionis celebritatem; Nobis res ſocia verbis, & verba rebus; Res celeres, & ſermones breves; in virtute nobis libertas beata eſt.* Subdit S. Ambroſius: Præclara verba, ſed verba; præclara conſtantia, ſed viri, præclara Epiſtola, ſed Philoſophi. Apud nos autem & puellæ de mortis appetentia ſublimes uſque ad cœlum erexere virtutum gradus. Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagia loquar, quæ tamquam nobilia vitulamina pullulantes, ad mortem quaſi ad immortalitatem feſtinaverunt? Inter leones virgo exſultavit, & rugientes beſtias ſpectavit intrepida. Et ut noſtra cum Indorum Gymnoſophiſtis conferamus, quod ille verbis glorîatus eſt, S. Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, & flammis ſuperſtes diceret: Verſa, manduca. Haud degener Abrahamidarum, Machabæorum concertatus puerorum, quorum alii ſuper flammas canebant: alii cum exurerentur, non rogabant, ut parceretur; ſed invehebantur, ut amplius perſecutor inflammaretur. Diſſimulare videtur S. Ambroſius, quod Cicero, Valerius Maximus, Plutarchus, & alii de morte Calani prodiderunt, quem vivum in ardentem pyram conſcendiſſe memorant. Sed cum ſuperbiæ & oſtentationi hæc mors tribuenda ſit, non mirum eſt S. Ambroſium nullam ipſis rationem habuiſſe.

ARTICULUS VII.

De Alexandri Magni Succeſſoribus.

POſt *Alexandri* obitum, orta inter Pedites & Equites illius de conſtituendo rerum præſentium ſtatu diſcordia tanta, ut ad pugnam utrique ſe compararent: Ita demum ex Ducum conſenſu res conſtitutæ ſunt. *Aridæo Alexandri* fratri, quem *Philippus* Rex ex *Philinna* Lariſſæa ſaltatrice & ſcorto ſuſceperat, ſumma vel potius umbra Imperii commiſſa eſt, Regique declarato *Philippi* nomen eſt impoſitum. Huic adjungendus erat, & ex *Roxane* naſciturus filius, quæ jam exacto menſe octavo ex *Alexandro* prægnans erat. Et quia *Aridæus* mentis ſatis compos non erat, *Perdiccas* Regni Procurator deſignatus eſt. Caſtrorum, Exercitus, & rerum cura *Meleagro* cum vel ſub *Perdicca* aſſignata eſt. Equitatus amicorum nobiliſſima Præfectura, quam poſt *Hephæſtionem Perdiccas* habuerat, *Seleuco* commiſſa eſt. Regiæ pecuniæ cuſtodia *Cratero* eſt concredita. Ortis deinde inter Satrapas diſſidiis, accenſoque bello *Antigonum* inter & *Eumenem*; deinde inter *Antigonum* ipſum & *Seleucum*, cui ſuppetias tulit *Ptolemæus Lagi*, idem *Seleucus* Babyloniam Suſianam, & Mediam ditioni ſuæ adjunxit, & Syriæ Regnum excitavit,

tavit,

tavit, expugnatis etiam Bactrianis, & reliquis Gentibus uſque ad Indum fluvium, quas *Alexander* debellaverat. *Antigonus*, *Demetrius*, *Ptolemaus*, *Lyſimachus*. *Caſſander*, *Seleucus*, aliique Satrapæ, Diadema aſſumpſerunt, & Regium nomen uſurparunt, Fratre, Matre, filiis *Alexandri Magni* jam extinctis. Sed celebriora fuere & diuturniora Regna *Seleucidarum* in Syria & *Ptolemæorum* in Ægypto, quorum ſucceſſionem breviter exponere ad Hiſtoriæ Sacræ intelligentiam operæ pretium eſt.

§. I.

De Seleucidarum ſive Regum Syriæ ſucceſſione.

Seleucus Nicanor Aſiæ Rex.

I. SEleucus Nicanor, ſive Nicator, id eſt, *Victorioſus* cognominatus, unus ex *Alexandri Magni* Ducibus, duodecim poſt ejus obitum annis elapſis, in Babylonia, Media, Suſiana, aliiſque regionibus Orientalibus Regnum conſtituit, anno primo Olympiadis centeſimæ decimæſeptimæ, ſecundum Chronicon *Euſebii*. Hinc initium ducit *Æra Seleucidarum*, a Menſe *Niſan* ejuſdem anni. Hanc ſequuntur Auctor Libri 1. *Machabæorum*, & *Joſephus*. Annos *Regni Græcorum* vocant. A menſe vero *Tiſri* anni ſequentis hanc Æram inchoat Auctor Libri 2. *Machabæorum*. *Ptolemaus* Mathematicus a ſequente *Thoth*; & hanc Æram Chaldæorum vocat. Arabes Æram *Dhilcarnaim*, ſeu *Cornigeri* appellant, id eſt, *Alexandri Magni* qui ſe Jovis *Hammonis* filium haberi voluit. Hebræi in ſuo Kalendario *Æram Contractuum* nuncupant, forte quod ea in contractibus conſignandis poſt hæc tempora uterentur. *Seleuco* adverſus *Antigonum* Aſiæ Regem immane bellum fuit. Prælio ad ipſum Phrygiæ oppidum commiſſo, *Antigoni* copiæ partim ad *Seleucum* defecerunt, partim profligatæ ſunt ac diſſipatæ. *Antigonus* jam octogenarius occubuit, ut conſtat ex *Appiano* in *Syriacis*, & *Plutarcho* in Vita *Demetrii*. Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apameam, Edeſſam, Beroeam, & Pellam Urbes condidit, in eaſque Judæos tranſtulit, jus eis civium, & municipalem ordinem æquali cum Græcis honore concedens, ut notarunt *Joſephus* Lib. 12. *Antiquitatum*, Cap. 3. & *Euſebius* in Chronico. Cum *Demetrio Poliorcete* bellum geſſit, junctis cum *Ptolemæo Lagi*, *Lyſimacho*, & *Pyrrho* Rege Epiri viribus, eumque Macedoniæ Regno exuit, quod *Pyrrhus* & *Lyſimachus* inter ſe diviſerunt. *Lyſimachus* deinde *Seleuco* bellum intulit, ad quem multos ex Ducibus Præfectiſque ſuis certatim deficere dolebat: Collatiſque ſignis cum eo congreſſus, circa Phrygiam Helleſponto vicinam, magna clade accepta occubuit. *Seleucus* victoria elatus, in Macedoniam tranſire decrevit, Aſia filio *Antiocho* commendata: Sed poſt menſes ſeptem a *Ptolemæo Cerauno*, cujus ſororem *Lyſimachus* in Matrimonio habuerat, per inſidias trucidatus eſt. Ita referunt *Pauſanias* in Atticis, *Appianus* in Syriacis, *Juſtinus* Lib. 17. *Strabo* Lib. 13. & *Mnemon* Hiſtoricus Cap. 23. apud *Photium* Cod. 224. Regnavit *Seleucus* annos triginta duos. Vixit annos ſeptuaginta tres, ſecundum *Appianum*. Septuaginta & octo annos illi tribuit *Juſtinus*. Corpus ejus cremavit *Philetærus* Pergami Dynaſta, magno auri pondere a *Ptolemæo Cerauno* redemptum, & cineres ad *Antiochum* ejus filium remiſit: Qui in maritima Seleucia conditum honoravit delubro addito, & fano ei ſacrato, quod *Nicatorium* appellatum eſt, ut refert *Appianus* in Syriacis. *Seleucum*, & filios ejus, nepoteſque anchoram in femore, veluti notam generis naturalem habuiſſe refert *Juſtinus* Lib. 15. Cap. 4. & *Auſonius* in claris Urbibus de Antiochia ita canens:

——— Illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit anchora ſignum;
Qualis inuſta ſolet generis nota certa, per omnem
Nam ſobolis ſeriem nativa cucurrit Imago.

Antiochus Soter.

II. *Seleuco Nicatori* ſucceſſit ejus filius *Antiochus Soter* cognominatus, qui *Stratonicen* Novercam deperiens, eam a patre uxorem obtinuerat, *Eraſiſtrato* Medico morbum ex amore ortum detegente, ut *Appianus* in *Syriacis*, & *Julianus* in *Miſopogone* teſtantur. Regnavit annos novemdecim, ſecundum *Porphyrium*, *Euſebium*, & *Severum Sulpitium*. Regnante *Antiocho Sotere*, Galli ſub *Brenno*, aliiſque Ducibus, in Aſiam irruperunt, bellicæque fortitudinis varia ediderunt ſpecimina, ut conſtat ex *Juſtino* Lib. 25. ex *Memnonis* Excerptis apud *Photium*, & ex *Tito Livio* Lib. 38. De horum ex Europa in Aſiam tranſitu tredecim Libros ſcripſit *Demetrius Byzantinus*, teſte *Laertio* in *Demetrio Phalereo*. De qua Expeditione & *Phaennis* una ætate antequam res gereretur, Oraculum dicitur edidiſſe.

Hoſtilis Gallorum Acies tunc Milite multo
Littora complebit: Tranſmiſſis fluctibus Helles,
Vaſtabit populans Aſiam. Sed Dii graviora
Intentant illis, Pelagi prope cærula ſedes
Qui poſuere ſuas.

Antigono Gonatæ Macedonum Regi ſuppetias tulerunt contra *Pyrrhum* Epiri Regem. *Antigonum*, auxiliareſque Gallorum copias *Pyrrhus* profligavit, ſpoliaque ſplendidiſſima Gallis detracta *Palladi* ſacravit in Itoniæ Palladis Templo, quod inter Pheras & Lariſſam erat, cum Epigrammate, quod refertur a *Pauſania* in *Atticis*, & *Plutarcho* in Vita *Pyrrhi*; & quod latine redditum ſic habet:

Hos tibi Gallorum Clypeos Rex donat, Itoni,
Pyrrhus, ab audaci rapta trophæa acie,
Viribus Antigoni fractis. Haud res ea mira:
Pugnaces & nunc, & prius Æacidæ.

Scuta etiam Macedonum *Pyrrhus* victor in Dodonæi Jovis Templo ſuſpendit, ut iidem Auctores teſtantur.

Zeno Citticus Philoſophus.

Antiochi Soteris tempore florebat *Zeno Citticus* Stoicorum Princeps, qui obiit anno primo Olympiadis centeſimæ vigeſimæ nonæ, cum octo & nonaginta annos integer & morbi expers vixiſſet, *Laertio* teſte. Fuit hic temperantiæ fructus. Hinc Proverbium: *Zenone temperantior*. Quinquaginta & octo annos Scholæ præfuit, & ſummo in honore fuit non ſolum apud Athenienſes, ſed etiam apud *Antigonum Gonatam* Macedoniæ Regem. Docuit Athenis in Portico, quam Ποικίλην Στοὰν, id eſt, *Variam Porticum* appellabant, a multiplici pictura *Polygnoti*, qui eam gratuito pinxerat, cum Athenienſes illum Civitate donaſſent. Lege *Diogenem Laertium* in *Zenonis* Vita. Divinam Providentiam ſtatuit *Zeno*. In una Virtute poſitam eſſe vitam beatam, ſummumque hominis bonum aſſeruit. Dolorem malum non eſſe docuit: Nihilque eſſe malum, niſi quod turpe atque vitioſum eſt. *Heſiodi Theogoniam* interpretatus & omnium fabularum rationem reddere conatus eſt, *Cicerone* teſte. Ullas paſſiones in Sapientem cadere negabant Stoici, ex *Zenonis* diſciplina. Lege *S. Auguſtinum* Lib. 9. *De Civitate Dei*, Cap. 4.

Cleantes Philoſophus.

Zenoni ſucceſſit *Cleanthes*, qui adoleſcens quæſtu hauriendæ ex puteis aquæ, pinſendæque farinæ inopiam ſuam ſuſtentabat, hiſque operibus noctu vacabat, ut interdiu Philoſophiæ ſtudiis incumberet, ut refert *Diogenes Laertius*: Vitam ad annos pene centum produxit, teſte *Luciano* in *Longævis*, & Scholam *Chryſippo* reliquit.

Epicurus.

Zenoni coævus fuit *Epicurus* Philoſophus, Sectæ Princeps, quæ ab ipſo *Epicureorum* appellata eſt. Obiit anno ſecundo centeſimæ vigeſimæ-ſeptimæ Olympiadis, Archonte Athenis *Pytharato*, cum ſeptuaginta duos annos vixiſſet, ut refert *Diogenes Laertius* in ejus Vita. Dialecticæ ignarus fuit & contemptor, ſummum bonum in voluptate ſtatuit; non animi, ſed corporis & ſenſuum, ut ex Libro ejus *De Summo Bono* probat *Cicero Tuſculanarum Quæſtionum* 2. Omne judicium veritatis in ſenſibus conſtituit. Otioſam vitam Diis tribuit, divinam providentiam negavit, ex Atomorum motu omnia fieri aſſeruit, Mundoſque innumerabiles ſtatuit variarum formarum. Naturam omnium quæ ſunt dividebat in corpora & inane, quæque hic accidunt. Ex *Democrito* hauſit plurima. Moriturus Epiſtolam ſcripſit ad *Hermachum*, cique *Metrodori* amici ſui liberos commendavit. Condito Teſtamento annum ſuum Natalem agi, & epulas Philoſophorum ſingulis menſibus vigeſimo-pri-

mo Lunæ die, in ſui, & *Metrodori* memoriam celebrari juſſit, ut refert *Cicero*. Legatur idem Orator Lib. *De Finibus bonorum & malorum*.

Antiochus Θεὸς.

III. *Antiocho Soteri* ſucceſſit ejus filius *Antiochus Secundus*, a Mileſiis primum impia adulatione Θεὸς cognominatus, poſtquam *Timarcham* eorum Tyrannum ſubſtulit, ut ſcribit *Appianus* in Syriacis. *Iſte Antiochus* adverſus *Ptolemæum Philadelphum*, *qui ſecundus imperabat Ægyptiis*, *geſſit bella quam plurima*, *& totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit*. *Volens itaque Ptolemæus Philadelphus poſt multos annos moleſtum finire certamen*, *filiam ſuam nomine Berenicem Antiocho uxorem dedit*: *qui de priore uxore*, *nomine Laodice*, *habebat duos filios*, *Seleucum*, *qui cognominatus eſt* Callinicus, *& alterum Antiochum*. *Deduxitque eam* (Philadelphus pater) *uſque Peluſium*, *& infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit*. *Unde* φερνόφορος, *id eſt*, *dotalis appellatus eſt*. *Antiochus autem Berenicem conſortem Regni habere ſe dicens*, *& Laodicen in concubinæ locum*, *poſt multum temporis amore ſuperatus*, *Laodicem cum liberis ſuis reduxit in Regiam*. *Quæ metuens ambigui viri animum ne Berenicem reduceret*, *virum per Miniſtros veneno interfecit*: *Berenicem autem cum filio*, *qui ex Antiocho natus erat*, *Icadioni & Gennæo Antiochiæ Principibus occidendam tradidit*: *Filiumque ſuum majorem Seleucum Callinicum in patris loco Regem conſtituit*. Ita *S. Hieronymus* Commentar. in Cap. 11. *Danielis*, poſt *Appianum* in Syriacis. *Appianus*, ambas, & *Laodicen* & *Berenicem* ejuſdem *Philadelphi* filias facit. Hæc autem a *Daniele* prædicta fuerant his verbis Cap. 11. *Et poſt finem annorum fœderabuntur*. *Filiaque Regis Auſtri veniet ad Regem Aquilonis facere amicitiam*, *& non obtinebit fortitudinem brachii*, *nec ſtabit ſemen ejus*; *& tradetur ipſa*, *& qui adduxerunt eam Juvenes ejus*; *& qui confortabant eam in temporibus*. Quibus verbis (ut *S. Hieronymus* ſcite interpretatur) *Daniel* ſignificat *Berenicen* filiam Regis Auſtri, id eſt, Ægypti, quæ maxime Auſtralis eſt, venturam ut Sponſam ad Regem Syriæ & Aſiæ Antiochum, quæ Provinciæ ſunt Ægypto ad Aquilonem; venturam, inquam, ad amicitiam inter duos Reges, Patrem & Maritum, nuptiali fœdere copulandam. Verum ea non obtinuit fortitudinem brachii, quia non perſeveravit Regina, Imperii Orientalis viribus ſubnixa. Nec ſtetit ſemen ejus: Filius quippe ejus ab Æmulis occiſus eſt, ſicut & ipſa ſublata eſt, & qui eam adduxerant, & Rex ipſe *Antiochus*, qui confortabat eam, interfecti ſunt. Annos quindecim regnavit *Antiochus* Θεὸς, ut tradunt *Porphyrius*, *Euſebius*, & *Severus Sulpicius*. Huic *Antiocho* tres Chaldaicæ ſuæ Hiſtoriæ Libros dicaviſſe *Beroſum*, Beli apud Babylonios Sacerdotem, ait *Tatianus* in Oratione adverſus Gentes. A quo *Beroſo* cœleſtium obſervationum annorum quadringentorum & octoginta apud Babylonios factarum memoriam fuiſſe traditam refert *Plinius* Lib. 8. Cap. 57. Quem annorum numerum ſi a capite Æræ *Nabonaſſari* deduxerimus, eorum terminus hujus *Antiochi* initium ſexcennio tantum anteverterit, ut obſervat *Uſſerius* in Annalibus Sacris.

Seleucus Callinicus.

IV. *Antiocho* Θεῷ ſucceſſit *Seleucus*, ejus filius ex *Laodice* natu major *Callinicus* a victoriis (quas nullas habuiſſe legitur) per antiphraſim, & a barba *Pogon* cognominatus. A *Ptolemæo Evergete* Ægypti Rege, mortis *Berenices* ſororis ſuæ ultore bello graviter laceſſitus, Syriam & Ciliciam, ſuperioreſque partes trans Euphratem, & Aſiam propemodum univerſam amiſit. Deinde cum adverſus Aſiæ Civitates, quæ defecerant, ingentem claſſem comparaſſet, repente orta tempeſtate claſſem naufragio amiſit. Infelix caſus, ſed optandus *Seleuco* fuit: Siquidem Civitates, quæ odio ejus ad *Ptolemæum* defecerant, repentina animorum mutatione in naufragii miſericordiam verſæ, ſub illius Imperium redierunt. Mox fortunæ melioris fiducia *Ptolemæo Evergeti* bellum intulit: A quo victus, Antiochiam trepidus confugit. Tum datis ad *Antiochum* fratrem literis, auxilium ejus imploravit, oblata illi Aſia intra fines Tauri Montis. *Antiochus* autem annorum quatuordecim adoleſcens, ſupra ætatem Regni avidus, non virilem dumtaxat, ſed ſceleratam ſumpſit audaciam, totum fratri eripere cupiens. Unde *Hierax* eſt cognominatus, quia non hominis, ſed accipitris indolem in alienis eripiendis præ ſe ferret. Interea *Ptolemæus*, cum *Antiochum* in auxilium *Seleuco* venire cognoviſſet, ne duobus reprimendis hoſtibus impar eſſet, in annos decem pacem cum *Seleuco* fecit. Sed pace ab hoſte data, laceſſitus a fratre eſt, Mercenario Gallorum Exercitu adjuto. Commiſſo prælio, *Seleucus* Ancyræ victus eſt: Sed Galli arbitrati *Seleucum* cecidiſſe, in ipſum *Antiochum* arma verterunt, quo, ſtirpe Regia penitus extincta, liberius Aſiam depopularentur. Quod ubi ſenſit *Antiochus*, pacem redimere, ſocietatemque cum illis inire compulſus eſt. Ita referunt *Juſtinus* Lib. 27. *Strabo* Libro 16. & *Plutarchus*, Lib. Περὶ Φιλαδελφίας. Cum *Antiochum Hieracem* aggreſſus *Eumenes* Rex Bythiniæ majorem Aſiæ partem occupaſſet, ne tunc quidem fratres, perdito præmio propter quod bellum gerebat concordare potuerunt: Sed omiſſo externo hoſte, in mutuum exitium bellum repararunt. In eo denuo victus *Antiochus*, primum ad *Ariamenem* Regem Cappadociæ Socerum ſuum, deinde ad *Ptolemæum Evergetem* confugit, a quo arctiſſima cuſtodia ſervatus, cum opera cujuſdam Meretricis, quam familiarius noverat, deceptis cuſtodibus evaſiſſet, fugiens a latronibus interfectus eſt. *Seleucus* quoque *Callinicus* ejus frater iiſdem ferme diebus equo præcipitatus interiit. (Ex *Juſtino* Lib. 27. Cap. 3.) Annos viginti regnavit *Seleucus Callinicus* ſecundum *Euſebium* in Chronico.

Seleucus Ceraunus.

V. Illi ſucceſſit filius natu major *Seleucus Ceraunus* cognominatus. Is adverſus *Attalum* Pergami Regem, qui omnem jam cis Taurum Aſiam Imperio ſuo ſubjecerat, Expeditione ſuſcepta, dolo ab amicia *Apaturio* Galata, & *Nicanore* appetitus, veneno in Phrygia periit, cum annis tribus non omnino completis regnaſſet. (Ex *Polybio* Libro 4. *Appiano* in Syriacis, & *Juſtino* Libro 29. Cap. 1.) Quos ſequitur *S. Hieronymus* Commentario in Cap. 11. *Danielis* Verſum illum 10. explicans *Filii autem ejus provocabuntur*, *& congregabunt multitudinem Exercituum plurimorum*.

Antiochus Magnus.

VI. Poſt *Seleucum Ceraunum* regnavit *Antiochus* ejus frater, *Magnus* poſtea cognominatus. Impuber erat, & quindecim dumtaxat annorum, cum Regnum adiit. *Molone* Mediæ Præfecto perduelli profligato, domitis Satrapis, qui Provinciis ſuis imminebant, traducto in Parthiam & Hircaniam adverſus *Arſacem* Exercitu, & bellicæ virtutis ſpecimine his in Expeditionibus edito; in Reges Ægypti *Ptolemæos*, *Philopatorem*, & *Epiphanem* bellum geſſit, eiſque Judæam & Syriam eripuit. Variam tamen belli fortunam expertus eſt; cum in Aſia adverſus Romanos, a quibus pacem rogare, & graviſſimis conditionibus recipere compulſus eſt, viginti obſidibus datis, & inter eos filio ſuo *Antiocho Epiphane*, magnaque vi pecuniæ ad ſumptus belli reſarciendos in Romanum Ærarium collata: Tum in Ægypto, ubi maximam cladem a *Philopatore* accepit juxta *Raphia* oppidum, & Syria cedere coactus, miſſis de pace Legatis, inducias in annum obtinuit. Verum bello paulo ante ejuſdem *Philopatoris* obitum redintegrato, & in filium ejus atque Succeſſorem *Ptolemæum Epiphanem* converſo, quem junctis cum *Philippo* Macedonum Rege viribus opprimere, & e medio tollere decreverat, ut Regnum ejus inter ſe dividerent; a Romanis pupilli Regis tutoribus prohibitus ac repulſus eſt. Poſtea tamen nova Expeditione facta cum *Scopa* Duce *Ptolemæi* juxta Jordanis fontes congreſſus, eo debellato, multas Cœleſyriæ Urbes, Judæamque recepit. Iſta conſtant ex *Appiano* in Syriacis: & *Polybio* Lib. 5. *Hiſtoriæ* & Lib. 15. & in *Excerptis Legationibus* Cap. 23. & 24. necnon ex *Juſtino*, Libro 29. & 30. Quæ longe ante *Daniel* prædixerat Cap. 11. Verſ. 11. 12. & ſeq. *Et provocatus Rex Auſtri egredietur*, *& pugnabit adverſus regem Aquilonis*, *& præparabit multitudinem nimiam*, *& dabitur multitudo in manu ejus*. *Et capiet multitudinem*, *& exaltabitur cor ejus*, *& deiiciet multa millia*, *ſed non prævalebit*. *Convertetur enim Rex Aquilonis*, *& præparabit multitudinem nimiam*, *& dabitur multitudo in manu ejus*. *Et capiet multitudinem*, *& exaltabitur cor ejus*, *& deiiciet multa millia*, *ſed non prævalebit*. Hæc primam *Antiochi Magni* in Ægyptum

Danielis Vaticinia de Antiocho Magno.

Ex-

Expeditionem ſignificant, interprete *S. Hieronymo* in Commentario illius Capitis : *Antiochus Magnus*, inquit, *venit de Babylone in Syriam, quæ eo tempore tenebatur a Ptolemæo Philopatore filio Evergetis, qui quartus regnavit in Ægypto. Cumque pugnaſſet adverſum Duces ejus, imo proditione Theodotii obtinuiſſet Syriam, quæ per ſucceſſionem jam a Regibus Ægypti tenebatur, in tantam venit audaciam, contempta luxuria Philopatoris, & magicis artibus quibus inſervire dicebatur, ut ultro Ægyptiis bellum conaretur inferre. Et provocatus Rex Auſtri*, &c. *Ptolemæus enim cognomento Philopator amiſſa Syria proditione Theodotii, congregavit plurimam multitudinem, & ingreſſus eſt adverſus Antiochum Magnum (quem nunc Regem Aquilonis vocat, juxta ſitum Ægypti & Judææ Provinciæ : Idem enim locus pro qualitate regionis, alteri ad Auſtrum, alteri ad Aquilonem ſitus eſt.) Inito ergo certamine, juxta Oppidum Raphiæ, quod in foribus Ægypti eſt, omnem Antiochus amiſit Exercitum, & per deſerta fugiens, pene captus eſt; Cumque ceſſiſſet Syria, ad extremum fœdere & quibuſdam conditionibus pugna finita eſt. Et hoc eſt quod Scriptura nunc dicit : Dejiciet multa millia Ptolemæus Philopator, ſed non prævalebit. Adverſarium enim ſuum capere non potuit.*

Subdit Daniel Propheta : *Convertetur enim Rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multo majorem quam prius : Et in fine temporum annorumque veniet properans cum Exercitu magno, & opibus nimiis. Et in temporibus illis multi conſurgent adverſus Regem Auſtri.* Quæ alteram *Antiochi Magni* Expeditionem in Ægyptum ſpectant, eodem *S. Hieronymo* interprete. *Antiochum Magnum*, inquit, *ſignificat : Qui contempta Ptolemæi Philopatoris ignavia, eo quod deperiret Agathocleam Pſaltriam : Fratremque ejus & ipſum Agathoclem haberet concubinum (a Quo poſtea Ægypti Ducem conſtituit) incredibilem de ſuperioribus locis Babylonis Exercitum congregavit. Et Ptolemæo Philopatore mortuo, adverſum filium ejus, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolemæus Epiphanes rupto fœdere movet Exercitum. Tanta enim diſſolutionis & ſuperbiæ Agathocles fuit, ut ſubditæ prius Ægypto Provinciæ rebellarent, ipſaque Ægyptus ſeditionibus vexaretur. Philippus quoque Rex Macedonum, & Magnus Antiochus, pace facta, adverſum Agathoclem, & Ptolemæum Epiphanem dimicarunt, ſub hac conditione, ut proximas Civitates Regno ſuo ſinguli de Regno Ptolemæi jungerent. Et hoc eſt quod nunc dicit, Multi conſurgent adverſus Regem Auſtri, Ptolemæum ſcilicet Epiphanem, qui erat ætate puerili.*

Pergit *Daniel*, ibidem : *Et veniet Rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet Urbes munitiſſimas; & brachia Auſtri non ſuſtinebunt, & conſurgent electi ejus ad reſiſtendum, & non erit fortitudo. Et faciet veniens ſuper eum juxta placitum ſuum, & non erit qui ſtet contra faciem ejus; & ſtabit in Terra inclyta, & conſumetur in manu ejus.* Quæ verba tertiam *Antiochi Magni* Expeditionem in Ægyptum ſpectant, ut *S. Hieronymus* interpretatur. *Antiochus enim*, inquit, *volens Judæam recuperare, & Syriæ Urbes plurimas, Scopam Ducem Ptolemæi juxta fontes Jordanis, ubi nunc Paneas condita eſt, inito certamine fugavit, & cum decem millibus armatorum obſedit clauſum in Sidone. Ob quem liberandum, miſit Ptolemæus Duces inclytos Eropum & Menecleam & Damoxenum. Sed obſidionem ſolvere non potuit; donec fame ſuperatus Scopas manus dedit, & nudus cum Sociis dimiſſus eſt. Quodque ait* : Comportabit aggerem : *Illud ſignificat, quod præſidium Scopæ in Arce Hieroſolymorum, adnitentibus Judæis, multo tempore oppugnaverit, & ceperit alias Urbes, quæ prius a Ptolemæi partibus tenebantur, Syriæ, Ciliciæ, & Lyciæ. Eo enim tempore capta ſunt Aphrodiſias, & Soloe, & Zephyrion, & Mallos, & Anemurum, & Selinus, & Coracœſium, & Coricus, & Andriace, & Limyra, & Patara, & Xanthus, & ad extremum Epheſus : De quibus univerſis & Græca, & Romana narrat Hiſtoria. Quodque intulit :* Et ſtabit in Terra inclyta & conſumetur, ſive perficietur in manu ejus : *Terram inclytam, ſive (ut Septuaginta interpretati ſunt) voluntatis, hoc eſt, quæ complacuit Deo, Judæam ſignificat, & proprie Jeruſalem, in qua honorifice ſuſceptus, eos, qui præſidium Scopæ erant, perſecutus eſt.*

Poſt hæc, *Antiochus* filiam ſuam *Cleopatram Ptolemæo Epiphani* uxorem dedit, conceſſa illi dotis nomine Cœleſyria, Phœnice, Judæa, atque Samaria, cum ut juvenem Regem demereretur, ac ad reſiſtendum Romanis auxiliatorem haberet : Tum ut ad Regnum Ægypti dolo invadendum & obtinendum viam ſibi ſterneret. (Ex *Appiano* in *Syriacis*, & *Joſepho* Libro 12. *Judaicarum Antiquitatum*.) At conſilium illud poſterius *Antiochi* inane fuit. Nam *Ptolemæus Epiphanes*, ejuſque Duces, ab illius artibus ſibi caverunt, & *Cleopatra* magis viri partibus & commodis, quam patris ſtuduit. Id etiam prædixerat *Daniel* Capite laudato : *Et ponet*, inquit, *faciem ſuam ad tenendum univerſum Regnum ejus, & recta faciet cum eo; & filiam feminarum dabit illi ut evertat illud; & non ſtabit, nec illius erit.* Quem locum *S. Hieronymus* ſic interpretatur : *Volens Antiochus non ſolum Syriam, & Ciliciam, & Lyciam, & alias Provincias, quæ Ptolemæi fuerunt partium, poſſidere, ſed in Ægyptum quoque regnum ſuum extendere; filiam ſuam Cleopatram per Euclem Rhodium ſeptimo anno Regni adoleſcenti deſpondit Ptolemæo, & tertio-decimo anno tradidit; data ei dotis nomine omni Cœleſyria & Judæa. Filiam autem feminarum per πλεονασμὸν vocat; ut eſt illud Poeticum : Sic ore locuta eſt : Vocemque his auribus hauſi.*

Subdit *Daniel*, ibidem : *Et convertet faciem ſuam ad Inſulas, & capiet multas : Et ceſſare faciet Principem opprobrii ſui, & opprobrium ejus convertetur in eum. Et convertet faciem ſuam ad imperium Terræ ſuæ, & impinget, & corruet, & non invenietur.* Converſis nimirum in Aſiam viribus ſuis, & navali certamine adverſum plurimas Inſulas dimicans, cepit Rhodum, & Samum, & Colophonem, & Phocæam, & alias plurimas Inſulas, ac Civitates Græciæ expugnavit, ut refert *Appianus* in *Syriacis*, & poſt ipſum *S. Hieronymus*. Sed *L. Scipio*, cognominatus *Aſiaticus*, ipſi cum Romano Exercitu occurrit, eoque debellato, & Aſia, quæ cis Taurum Montem eſt, ei adempta, ipſum intra Taurum ſe continere compulit. *Victus ergo Antiochus, intra Taurum regnare juſſus eſt, & inde fugit ad Apameam ac Suſam, & ultimas Regni ſui penetravit Urbes. Cumque adverſum Elimæos pugnaret, cum omni eſt deletus Exercitu. Et hoc eſt quod nunc Scriptura dicit : Quod multas Inſulas ceperit, & vincente Exercitu Romano Regnum Aſiæ perdiderit, & opprobrium ejus converſum ſit in caput ejus; & ad extremum de Aſia fugiens, converſus ſit ad Imperium Terræ ſuæ, & impegerit, atque corruerit, & locus ejus non ſit inventus.* — *Hunc cum Scipione Naſica S. Hieronymus confudit.*

Cum *Antiochus* gravi tributo pacis a Romanis premeretur, ſeu inopia pecuniæ compulſus, ſeu avaritia ſollicitatus, adhibito Exercitu *Jovis Beli* Templum in Elymaide noctu aggreſſus eſt, magnamque pecuniæ vim inde abſtulit. Qua re prodita, finitimi Barbari abſque aliorum ope eum adorti, ipſum cum omni Militia interemerunt. Id conſtat ex *Diodoro Siculo in Excerptis Valeſii*, pag. 292. & 298. *Strabone* Lib. 16. & *Juſtino* Libro 32. Qui tamen in Templi nomine ab aliis diſcrepat, *Didymæi Jovis* Templum vocans. A Sodalibus, quos temulentus in convivio pulſaverat, occiſum fuiſſe ſcribit *Aurelius Victor* Libro *De Viris Illuſtribus*, Cap. 54. Annos regnavit triginta ſex.

VII. *Antiocho Magno* ſucceſſit ejus filius *Seleucus Philopator*, (*Soter* a Joſepho dictus Lib. 12. *Antiquitatum*, Cap. 3.) Otioſus Princeps, nec admodum potens, propter cladem quam Pater acceperat. Is fratrem *Antiochum* obſidem a Romanis recepit dato in ejus vicem filio ſuo *Demetrio*. Pervenerat jam *Athenas Antiochus*, cum *Seleucus* inſidiis *Heliodori* cujuſdam Purpurati oppreſſus eſt, cum annos duodecim regnaſſet, ut teſtantur *Appianus* in Syriacis, *Euſebius*, & *Severus Sulpitius*. De ipſo intelligitur Vaticinium illud *Danielis* Cap. 11. 20. *Et ſtabit in loco ejus* (nempe Antiochi Magni) *viliſſimus, & indignus decore Regio; & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio*. Hæc enim ver- — *Seleucus Philopator.* — *Danielis Vaticinium.*

ba S. *Hieronymus* ſic interpretatur: *Seleucum dicit cognomento Philopatorem, filium Magni Antiochi, qui nihil dignum Syria & Patris geſſit imperio, & abſque ullis prœliis inglorius periit.*

Antiochus Epiphanes.

VIII. Illi ſucceſſit *Antiochus Epiphanes*, id eſt, *Illuſtris* ſive *Nobilis*, ejus frater, aliis Ἐπιμανὴς Id eſt, *Inſanus* a fanaticis moribus appellatus (Ex *Polybio*,) qui *Attali* & *Eumenis* opera Regnum obtinuit, legitimum heredem fruſtratus *Demetrium* Seleuci filium. De perſecutione ab ipſo in Judæos excitata, in Libris Machabæorum deſcripta, & a *Daniele* prædicta, relege quæ diximus Capite 2. Articuli 3. Adverſus *Ptolemæum Philometorem* Ægypti Regem bella geſſit, & prima in Ægyptum incurſione magnam ejus partem occupavit. *Ptolemæus* enim *Epiphanes* moriens duos e *Cleopatra Antiochi Magni* filia liberos reliquerat, *Ptolemæum Philometorem*, qui Patri ſucceſſit, & *Ptolemæum Evergetem*. Mortua *Cleopatra*, Tutores *Philometoris* ab *Antiocho Epiphane* Syriam aliaſque Provincias repetunt, quæ Ægyptiis a Syriæ Regibus ademptæ fuerant. *Antiochus* cum Exercitu in Ægyptum irrupit. Cui *Ptolemæus* cum copiis occurrit: Sed Ducum ſuorum perfidia ſuperatus eſt. Hac clade Alexandrini ad ſeditionem excitati, excluſo *Philometore*, ad ejus fratrem *Ptolemæum Evergetem* Regnum deferunt. *Philometor* ad *Antiochum* confugit, qui hanc occaſionem cupide amplexus, Ægyptum occupavit: Et Alexandriam aggreſſus irrito conatu, relicto Memphi Majore *Ptolemæo*, in Syriam rediit. Interim *Philometor* cum *Antiochi* conatus & conſilia ſubodoratus eſſet, *Cleopatra* ſororis ſimul & uxoris interventu cum fratre paciſcitur, uti ambo communiter regnarent. Qua fratrum concordia offenſus *Antiochus* rurſus in Ægyptum cum Exercitu profectus eſt, bellum ambobus illaturus. Ubi Romanorum Legati *C. Popilius & C. Decimius*, illum a cœptis abſterruerunt. *C. Popilius* procul ſalutanti Regi, & dexteram porrigenti, Tabellas Senatuſconſultum continentes tradidit, quibus bellum adverſus *Ptolemæum* exemplo finire jubebatur. Perlectis Tabellis, cum velle ſe adhibitis amicis de præſenti negotio deliberare *Antiochus* reſpondiſſet, *Popilius* virga quam in manu gerebat vitigenea Regem circumſcripſit & priuſquam circulo decederet, Tabellis eum reſpondere juſſit. Obſtupefactus *Antiochus* mandato tam inſolito, ubi parumper hæſitaſſet: *Faciam*, inquit, *quod Romani jubent*. Tum demum *Popilius* dexteram Regi tanquam ſocio & amico porrexit. Paucorum deinde dierum ac certo numero definitorum ſpatio conceſſo, *Antiochus* copias ſuas in Syriam reduxit, tempori cedendum ratus. Iſta conſtant ex *Polybio* Legatione 92. *Tito Livio* Lib. 45. *Appiano* in Syriacis, *Velleio Paterculo* Lib. 1 Cap. 10. *Valerio Maximo* Lib. 6. Cap. 4. *Juſtino* Lib. 34. Cap. 3. *Plutarcho* in Apophtegmatibus Cap. 32. & *Cicerone* Philippica 8. Hæc a *Daniele* prædicta ſunt Cap. 11. 21. & ſeq. *Et ſtabit in loco ejus* (nimirum Seleuci Philopatoris) *deſpectus*, *& non tribuetur ei honor Regius: & veniet clam, & obtinebit Regnum in fraudulentia. Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, & conterentur: Inſuper & Dux fœderis. Et poſt amicitias cum eo faciet dolum: & aſcendet, & ſuperabit in modico Populo. Et abundantes & uberes Urbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt Patres ejus, & Patres Patrum ejus: Rapinas, & prædam, & divitias eorum diſſipabit: & contra firmiſſimas cogitationes inibit: & hoc uſque ad tempus. Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus adverſum Regem Auſtri in Exercitu magno: Et Rex Auſtri provocabitur ad bellum multis auxiliis, & fortibus nimis: & non ſtabunt, quia inibunt adverſus eum conſilia. Et comedentes panem cum eo, conterent illum, Exercituſque ejus opprimetur: & cadent interfecti plurimi. Duorum quoque Regum cor erit ut male faciant, & ad menſam unam mendacium loquentur, & non proficient: Quia adhuc finis in aliud tempus. Et revertetur in Terram ſuam cum opibus multis: & cor ejus adverſum Teſtamentum Sanctum, & faciet, & revertetur in Terram ſuam. Statuto tempore revertetur, & veniet ad Auſtrum: & non erit priori ſimile noviſſimum. Et venient ſuper eum Trieres, & Romani: & percutietur, & revertetur*, &c. *Antiochus Epiphanes* deſpectus dicitur ob

Danielis Vaticinium de Antiocho Epiphane.

mores ab omni non tantum Principis dignitate, ſed & viri honeſti gravitate alienos, quos ex *Polybio* nobis late deſcriptos dedit *Athenæus* Lib. 5. & 10. Nec ipſi Regius honor debebatur, aut jure tribuebatur, quia Lege ſucceſſio Regni pertinebat ad fratrem ejus *Seleucum Philopatorem*, & ad ejuſdem *Seleuci* filium *Demetrium*. Sed venit clam & obtinuit Regnum fraudulenter, ſimulatione clementiæ Populum Syriæ illiciens. Et brachia, id eſt, vires *Heliodori*, qui *Seleucum Philopatorem* occiderat, & Syriæ Regnum affectabat, expugnavit, contrivitque, *Attalo* & *Eumene* faventibus. Quin & Ducem fœderis, ſive (ut in Hebræo habetur) Principem fœderis, id eſt, Principem cum ipſo fœderatum, *Demetrium* ſcilicet filium *Seleuci Philopatoris* dolo circumvenit, efficiendo per amicos, quos Romæ habebat, ut *Demetrius* Romæ retineretur, ipſe interim eo abſente res ſuas promovens. Initia quidem *Antiochi* exigua in Syria fuerunt, ſed paulatim crevit & roboratus eſt, totamque Syriam ſubditam habuit. Majores autem ſuos Syriæ Reges tum exactionibus, tum largitionibus ſuperavit, gazas quas ſibi bella pepererant, aut ex tributis contraxerant, in Milites ſuos, & in *Attalum* & *Eumenem* profundendo. Fuit enim *magni animi & largitor* (inquit *Joſephus* Lib. 12. *Antiquitatum* Cap. 2.) Et ad occupandam Ægyptum cogitationes conſiliaque ſua convertens, idque per annos aliquot volvens animo, adverſus *Ptolemæum Philopatorem*, quod is ſibi jus in Syriam vindicaret, magnum exercitum duxit. Cui Rex Auſtri, *Ptolemæus* ſcilicet *Philometor* Ægypti Rex, multis fretus auxiliis obſtitit; ita ut ſpes eſſet vincendi *Antiochum*, ſi res ejus ab *Euleo* & *Leneo* Tutoribus Regnique Adminiſtris bene geſtæ fuiſſent. Sed a familiaribus ſuis proditus eſt *Philometor*, & exercitus ejus oppreſſus eſt inter *Caſium Montem*, & *Peluſium*. Deinde Memphitide inter ſe convenere duo Reges, ſpecie amici, animo infidi, ſuſpectique mutuo, *Antiochus Epiphanes*, & *Ptolemæus Philometor*. Nec tamen doli ſucceſſerunt; quia illorum eventus in aliud tempus a Deo dilatus eſt. Opimis itaque ſpoliis onuſtus *Antiochus* in Syriam reverſus eſt, cogitationes interim contra Legem Dei & Judaicam Religionem volvens animo. Verum reverſus eſt, & iterum venit ad Auſtrum, id eſt, in Ægyptum, tempore a Deo ſtatuto, ſpecie adjuvandi *Ptolemæum Philometorem* contra ſeditioſos Alexandrinos, qui *Ptolemæo Evergeti* minori ejus fratri Regnum detulerant; cæterum eo animo ut utrumque everteret. Sed non fuit ei ſecunda hæc expeditio tam felix quam prima. Nam *C. Popilius* Romanorum Legatus, qui ad Delum præſidio Navibus Macedoniam petentibus erat, poſtquam debellatum in Macedonia, & ſtatione ſummotos hoſtium lembos audivit, dimiſſis & ipſe Atticis Navibus ad ſuſceptam Legationem peragendam in Ægyptum navigavit, ut prius occurrere poſſet *Antiocho*, quam ad Alexandriæ Mœnia accederet. Cui cum Senatus, Populique Romani Mandata ſignificaſſet, maximo dolore affectus *Antiochus* Ægypto exire præſidiaque & claſſem abducere, & in Syriam protinus reverti coactus eſt. Hæc genuina ſupradicti *Danielis* Oraculi & plana explicatio ſecundum literalem ſenſum, ex *Suctorio* antiquo Scriptore, quem ſecutus eſt *Porphyrius* a *S. Hieronymo* citatus, deprompta. Quam tamen ſequimur abſque præjudicio interpretationis alterius, quam *S. Hieronymus* & alii Auctores Eccleſiaſtici amplectuntur, qui hæc omnia de Antichriſto intelligenda contendunt. Annis undecim regnavit *Antiochus Epiphanes*. De cujus morte legenda quæ diximus Cap 2. Articulo 3.

IX. *Antiocho Epiphani* ſucceſſit *Antiochus Eupator* ejus filius, quem *Lyſias* ab *Epiphane* in Syria relictus Regem conſtituit. Suſcepto Regno, *Lyſiam*, a quo fuerat educatus puer, univerſi Regni negotiis præfecit, ſpeciatim vero Cœleſyriæ & Phœniciæ Primarium Ducem creavit. Cum *Philometore Ptolemæo* bellum geſſit, necnon cum Judæis. A *Demetrio Sotere* Seleuci *Philopatoris* filio, qui Roma clam aufugerat, & in Syria magno favore hominum exceptus fuerat, peremptus eſt, cum annos duos regnaſſet. *Demetrio* fugæ auctor fuit *Polybius Hiſtoricus*, tum

Antiochus Eupator.

Romæ

Digitized by Google

Polybius Hiſtoricus. Romæ degens, brevi pittacio ad eum miſſo, in quo gnomæ iſtæ erant deſcriptæ:

Cunctaris? illuc nempe tendis, o miſer,
Ubi atra nox. Fortuna fortes adjuvat.
Aude, periclitare, age quid. Non feceris,
Aut feceris. Petus omnia quam te deſerat.

Addito *Epicharmi* dicto illo: *Sobrius eſto: Nemini fidem adhibendam memento: Hi ſunt nervi prudentiæ.*

Demetrius Soter. X. Itaque *Antiocho Eupatori* ſucceſſit *Demetrius Soter* cognominatus. Confirmatus in Regno, coronam auream decem mille nummum Romam miſit, gratias agens, quod obſes habitus eſſet liberaliter, ſimulque *Leptinem* dedidit homicidam *Octavii*. Senatus coronam accepit: *Leptinem* vero non, quaſi id crimen commune eſſet Syris omnibus. *Demetrius* acceptis mille talentis, pulſo *Ariarathe* Cappadocum Rege, *Holophernem* ejus, ut ferebatur, fratrem, in Regnum induxit, quamvis Romanis placeret utrumque fratrem regnare pariter. Sed cum & hi pulſi eſſent, non multo poſt *Ariobarzanes*, armis *Mithridatis* Regis Pontici, Mithridaticum bellum ob hanc cauſam, & quaſdam alias exortum eſt. Quo durante Syrorum Regia ſæpe mutavit Dominos, continuata nihilominus ſtirpis ſerie; ut ſcribit *Appianus* in *Syriacis*. Antiocheni a *Demetrio Sotere* deficientes, adjuvantibus *Ptolemæo* Rege Ægypti, *Attalo* Rege Aſiæ, & *Ariarathe* Cappadociæ, bello a *Demetrio* laceſſitis, quemdam ſortis infimæ Juvenem ſubornant, qui Syriæ Regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deeſſet, nomen ei *Alexandri* inditur, genituſque ab *Antiocho* Rege dicitur. Tantum odium *Demetrii* apud omnes erat, ut Æ-
Alexander Balas. mulo ejus non vires Regiæ tantum, verum etiam generis nobilitas conſenſu omnium tribueretur (inquit *Juſtinus* Lib. 35. Cap. 1.) Iſte *Alexander homo ignotus & incertæ ſtirpis* in Epitome Libri 52. *Titi Livii* fuiſſe dicitur. *Antiochi Epiphanis* filius ſuppoſititius ab *Athenæo* Lib. 5. Cap. 10. *Falſo in Seleucidarum Gentem ſe ingerens*, ab *Appiano* in Syriacis. *Adoleſcens Rhodi educatus, Antiochi ſe eſſe filium falſo ſimulans*, a *Severo Sulpitio* Lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ. *Balas* a *Strabone* Lib. 16. *Balles* a *Joſepho* Lib. 13. Cap. 8. cognominatus. Hunc una cum *Laodice* filia *Antiochi Epiphanis* Romam ſecum duxit *Heraclides*, quem Ærario Babylonico *Antiochus* quondam præfecerat, ut Senatus Populique Romani favorem & opem ad repetendum Syriæ Regnum, velut hereditario jure ſibi debitum rogaret (Ex *Polybio*, Legatione 138.) *Alexander* admirabili rerum varietate priſtinarum ſordium oblitus, totius ferme Orientis viribus ſuccinctus, bellum *Demetrio* infert, victumque vita pariter ac Regno ſpoliat. Quamquam nec *Demetrio* animus in propulſando bello defuit. Nam & primo prælio hoſtem fugavit, & Regibus bellum reſtituentibus, multa millia in acie cæcidit. Ad poſtremum tamen invicto animo inter conſertiſſimos fortiſſime dimicans, cecidit; (inquit *Juſtinus*, Lib. 35. Cap. 1.) Annos duodecim regnavit *Demetrius Soter*, ut teſtantur *Polybius* Lib. 3. *Porphyrius*, *Euſebius*, & *Severus Sulpitius*, quamvis undecim tantum *Joſephus* ipſi tribuat.

XI. Cum *Ptolemæi Philometoris* præcipue opera, (teſte *Appiano*, in Syriacis) *Alexander Demetrium* vita pariter & Regno exuiſſet; miſſis ad *Ptolemæum* Legatis, filiam ejus matrimonio ſibi jungendam expetiit. Quo libenter annuente, *Ptolemæus* cum filia ſua *Cleopatra*, Seleucidarum generi, & Syriæ fatali femina, ex Ægypto egreſſus venit *Ptolemaidem*, ubi Nuptiæ Regio apparatu celebratæ ſunt. *Demetrius* major natu *Demetrii Soteris* filius, annos pubertatis egreſſus, audita *Alexandri* luxuria, quem inſperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum inter ſcortorum greges deſidem in Regia tenebant, cum multis mercenariis Militibus, quos a *Lasthene* Cretenſi acceperat, ſolvens, ab ea Inſula trajecit in Ciliciam. Cujus rei nuntio territus *Alexander*, mox e Phœnicia properavit Antiochiam, ut res ejus ante *Demetrii* adventum in tuto conſtitueret. Antiochiæ vero Præfecturam *Hierarchi* ac *Diodoto* (qui & *Tryphon* 1. Machab. 11. 39.) tradidit. Interim *Ptolemæus Philometor* inſidias in *Alexandrum Balam* generum ſuum comparans, ſolvendæ rationes affinitatis prætexuit. Ptolemaide enim ab *Ammonio* Miniſtro *Alexandri* ſtructas ſibi fuiſſe inſidias conquerebatur; cumque ad ſupplicium depoſceretur, *Alexandrum* dedere illum noluiſſe. Quamobrem ablatam ab *Alexandro* filiam ſuam *Cleopatram Demetrio* in Matrimonium dedit, ejus in paternum Regnum reſtitutionem pactus. *Ptolemæus* Antiochiam ingreſſus, & a Civibus Rex ſalutatus, duo capiti diademata circumpoſuit, Aſiæ, ſive Syriæ, & Ægypti. Sed Ægypti Imperio ſe contentum fore dictitans, Antiochenis perſuaſit, ut *Demetrium* reciperent: pollicitus eum majorem rationem habiturum recentis eorum beneficii, quam odiorum quæ illis cum patre ejus interceſſerant. Antiocheni itaque veterem patris offenſam novis meritis correcturi, ſe ei tradunt. Sed & Milites paterni, favore Juvenis accenſi, prioris ſacramenti Religionem novi Regis ſuperbiæ præferentes, ſigna ad *Demetrium* transferunt: Atque ita *Alexander* non minori impetu fortunæ deſtructus, quam elatus, primo prælio victus interficitur; deditque pœnas & *Demetrio*, quem occiderat, & *Antiocho*, cujus mentitus originem fuerat. (Ex *Joſepho* Lib. 13. Cap. 8. *T. Livio* Lib. 50. *Juſtino* Lib. 35. Cap. 2.) Ad Oenoparam fluvium prælio victus, ad Arabiæ Dynaſtam fugerat, quem Auctor Libri 1. Machabæorum *Zabdielem*, Joſephus *Zebelum*, Diodorus Siculus in Excerptis Valeſii *Dioclem* nominat; ubi a ſuis, ad *Demetrium* proprii commodi cauſa deficientibus, dolo necatus eſt. *Alexandri Balæ* Regno poſt cædem *Demetrii Soteris* quinquennium *Joſephus* tribuit: *Euſebius* in Chronico poſteriore decem. *Joſephi* calculus cum Scripturæ Sacræ Chronologia magis convenit.

XII. Poſt *Alexandri Balæ* mortem, ſolus Syriæ *Demetrius Nicator.*
Regnum obtinuit *Demetrius*, qui quod alienum a familia ſua viciſſet, idem cum *Seleuco* I. Regiæ Stirpis auctore *Nicanoris* ſive *Nicatoris* cognomentum accepit. Contra hunc *Diodotus* ſive *Tryphon* unus ex Alexandri Balæ Ducibus, in Arabiam profectus, *Antiochum* ejuſdem *Alexandri* filium, qui apud *Malchum* Regem educabatur, ægre impetratum Regem conſtituit. Dum interim *Demetrius* Laodiceæ moratus conviviis celebrandis, atque hujuſmodi luxu ſegne otium tereret, multoſque injuriis a ſe abalienaret. Cum autem ab ejus Imperio Civitates paſſim deficerent, ad abolendam inertiæ maculam bellum Parthis inferre ſtatuit: Cujus adventum non inviti Orientis Populi videre, & propter *Arſacidæ* Regis Parthorum crudelitatem, & quod veteri Macedonum Imperio aſſueti, novi Populi ſuperbiam indigne ferebant. Itaque cum & Perſarum, & Elymæorum, Bactrianorumque auxiliis juvaretur, multis præliis Parthos fudit. Ad poſtremum tamen pacis ſimulatione deceptus, capitur; traductuſque per ora Civitatum, Populis qui deſciverant, in ludibrium favoris oſtenditur. Miſſus deinde in Hyrcaniam, honorifice habitus eſt a *Phraate*, qui *Arſacidæ* ſucceſſit, Regiſque ſororem *Rhodogunam* in matrimonium duxit. (Ex *Appiano* in Syriacis, *Juſtino* Libro 36 Cap. 1.) Interim *Diodotus*, qui ſibi *Tryphonis* nomen indiderat, Syriæ Regnum affectans, *Antiochum* Alexandri Balæ filium per fraudem e medio ſuſtulit: Corruptis quidem Medicis, qui illum calculi dolore conſumi ad Populum mentiti, dum ſecant illum, occiderunt. *Tryphon* vero Syriæ Regnum invaſit, tenuitque annis tribus, teſte *Joſepho* Lib. 13. *Antiquitatum*, Cap. 9.

XIII. Dum Regno Syriæ *Tryphon* incubaret, *Antiochus Demetrii Soteris* filius *Demetrii Nicatoris* frater, cognomento *Sidetes*, audita *Demetrii* fratris calamitate, ad paternum Regnum obtinendum e Rhodo in Syriam profectus eſt. Accepta in Matrimonium *Cleopatra Demetrii Nicatoris* fratris ſui conjuge, Seleuciæ cum liberis incluſa, fraternum Imperium brevi recuperavit. Poſt hæc adverſus Parthos Expeditionem ſuſcepit, ut *Demetrium* fratrem liberaret. *Phraates* Rex Parthorum rebus ſuis metuens, dimiſit *Demetrium*; ut ſcribit *Appianus* in Syriacis. *Juſtinus* tamen Libro 38. Cap. 10. retentum a Parthis *Demetrium* affirmat, ut adverſus *Antiochum* illo uterentur
Antiochus Sidetes.

tur

Digitized by Google

tur, ac Syriam invaderent. Quibus auditis, *Antiochum* bellum intuliſſe, & cum tribus prælia victor Babyloniam occupaſſet, magnum haberi cœpiſſe. Ita ut omnibus Populis ad eum deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuerit. *Demetrium* vero, quo abſente fratre Regnum ſuum recuperaret, eumque ad ſua tuenda a Parthia revocaret, fuiſſe dimiſſum. Interim *Antiochus Sidetes* in prælio cecidit, cum regnaſſet annos novem, ſecundum *Euſebium*. A Parthis occiſum ſcribunt *Julius Obſequens* Libro de Prodigiis, *Juſtinus* Libro 38. Cap. 10. & Libro 39. Cap. 1. *Joſephus* Lib. 13. Cap. 16. *Euſebius* in Chronico, & *Oroſius* Libro 5. Cap. 10. Victum ſibi ipſi manus intuliſſe, refert *Appianus* in Syriacis. Rebus male geſtis, e loco quodam ſe præcipitem dejeciſſe, ſcribit *Ælianus* Lib. 10. *De Animalibus*, Cap. 34.

Demetrius Nicator iterum regnat.

XIV. Poſt *Antiochi Sidetis* mortem, *Demetrius Nicator* ejus frater in Regnum poſtliminio reſtitutus eſt. Ab uxore *Cleopatra* necatum ſcribit *Appianus* in Syriacis, æmulatione percita, quod *Rhodogunem* Parthorum Regis filiam uxorem duxiſſet. *Juſtinus* Libro 39. Cap. 1. narrat eundem, cum Ægypto bellum intuliſſet, Syriæ Regno excidiſſe. Antiocheni enim, duce *Tryphone*, ſuperbiam Regis exſecrati, quæ converſatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenii, cæteræque Civitates exemplum ſecutæ, per abſentiam Regis à *Demetrio* defecere. *Ptolemæus* quoque Rex Ægypti, bello ab eodem petitus, cum cognoviſſet *Cleopatram* ſororem ſuam, opibus Ægypti navibus impoſitis, ad filiam & *Demetrium* generum in Syriam profugiſſe, immiſit Juvenem quemdam Ægyptium, *Protarchi* negotiatoris filium, qui Regnum Syriæ armis peteret. Et compoſita fabula, quaſi per adoptionem *Antiochi* Regis receptus in familiam Regiam eſſet, nec Syris quemlibet Regem aſpernantibus, ne *Demetrii* paterentur ſuperbiam: Nomen Juveni *Alexandri* imponitur, auxiliaque ab Ægypto ingentia mittuntur. *Demetrius* autem victus ab *Alexandro*, cum undique circumſtantibus malis premeretur, ab uxore etiam & filiis deſertus, cum Tyrum religione Templi ſe defenſurus petiiſſet, navi egreſſus, Præfecti juſſu interfectus eſt. Ita refert *Juſtinus* Libro 39. Cap. 1. Regnavit *Demetrius* annis quinque antequam a Perſis caperetur, & rurſus annis quatuor poſt *Antiochi Sidetis* mortem.

Antiochus Grypus.

XV. Duos ex *Demetrio Nicatore* filios habuit *Cleopatra*, *Seleucum*, & *Antiochum*, *Grypum* propter naſi magnitudinem cognominatum: Ex *Antiocho* vero *Sidete Antiochum* cognomine *Cyzicenum*. *Grypum* Athenas, *Cyzicenum* Cyzicum educandum miſerat. *Seleucum* qui mox poſt patris obitum, ſine ejus auctoritate diadema ſumpſerat, ſagitta ſua manu emiſſa confixit, ſive metuens ne ille patris necem ulciſceretur, ſive eodem furore gerens omnia. *Antiochus Grypus*, Rex a Matre conſtitutus eſt, ea lege ut nomen Regis penes filium, jus autem omnis Imperii penes Matrem eſſet. Interim *Alexander* ille cognomento *Zebina* occupato Syriæ Regno tumens ſucceſſu rerum, ſpernere jam etiam ipſum *Ptolemæum*, a quo fuerat ſubornatus in Regnum ſuperba inſolentia cœpit. Itaque *Ptolemæus* reconciliata Sororis gratia, deſtruere *Alexandri* Regnum decrevit. Mittit igitur ingentia *Grypo* auxilia & filiam *Tryphenam* eidem Regi nupturam, ut Populos in auxilium Nepotis, non ſocietate tantum belli, verum & affinitate ſua ſollicitaret. Nec res fruſtra fuit. Nam cum omnes *Grypum* inſtructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab *Alexandro* deficere cœpere. Commiſſo prælio, victus *Alexander*, Antiochiam profugit: Ibi inops pecuniæ cum ſtipendia Militibus deeſſent, Templo *Jovis* ſolidum ex auro Victoriæ ſignum detraxit, facetis jocis ſacrilegium circumſcribens: Nam *Victoriam commodatam ſibi ab Jove eſſe* dicebat. Paulo poſt cum ipſius *Jovis* aureum ſimulacrum tacite auferri juſſiſſet, deprehenſuſque in ſacrilegio, concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus, magna vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus a ſuis, a latronibus captus, perductuſque ad *Grypum*, ab eo cæſus eſt. Cum vero *Cleopatra* filii ſui *Antiochi Grypi* reportata de *Alexandro Zebina* victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed *Grypus* præſcitis jam ante inſidiis, veluti pietate cum Matre certaret, bibere ipſam jubet, abnuenti inſtat. Poſtremum prolato indice eam arguit, ſolam defenſionem ſceleris ſupereſſe affirmans, ſi bibat quod filio obtulit. Sic victa Regina, veneno quod filio paraverat, extinguitur. Parta igitur Regni ſecuritate, *Grypus*, octo anni quietem & ipſe habuit, & Regno præfuit (Ex *Appiano* in Syriacis, *Juſtino* Libro 39. Cap. 2.) Deinde æmulum Regni habuit *Antiochum Cyzicenum* Fratrem ſuum: Quem cum veneno tollere voluiſſet, ut maturius arma, cum eo de Regno contenderet, excitavit. *Cleopatram Ptolemæi Lathuri* conjugem a viro dimiſſam uxorem duxit; quæ Antiochiæ, ubi tum erat, a *Grypo* capta, *Gryphinæ* ſororis juſſu necata eſt. *Cleopatræ* Manibus ejuſdem *Gryphinæ* ſanguine *Antiochus Cyzicenus* poſtea parentavit; expulſoque fratre, regnavit in Syria. *Grypus* Imperio exutus, Aſpendum ſeceſſit, indeque *Aſpendii* cognomen eſt adeptus. Regnum vero ſuſcepit *Cyzicenus* anno primo Olympiade 168. Anno ſequenti, Aſpendo rediens *Antiochus Grypus* Syriam obtinuit. *Cyzicenus* vero, diviſo Imperio, Cœleſyria potitus eſt. Demum *Antiochus Grypus* ab *Heracleone* occiſus eſt, cum vixiſſet annos quadraginta-quinque; regnaſſet vero viginti ſex. Iſta conſtant ex *Appiano* in Syriacis, *Juſtino* Libro 39. Cap. 2. *Joſepho* Libro 13. Cap. 21. & *Porphyrio* in *Græcis Euſebianis Scaligeri*. Quinque poſt ſe reliquit filios *Seleucum*, *Antiochum*, *Philippum*, *Demetrium*, *Eucærum*, *Antiochum* alterum *Dionyſium* cognominatum.

XVI. *Antiochus Cyzicenus* x *Seleuco* filio *Antiochi Grypi* natu majore bello appetitus, & cum eo congreſſus prælio victus eſt; & cum ab equo in hoſtium caſtra abriperetur, jam-jam capiendus, ſe ipſum interemit, poſtquam annos octodecim regnaſſet. (Ex *Porphyrio* in Græc. *Euſebii*) Illum in prælio a *Seleuco* raptum, & orci traditum, ſcribit *Euſebius*. Cum filiis *Antiochi Grypi* bello congreſſum interiiſſe refert *Trogus*, *Lib.* 40.

Seleucus Antiochi Grypi filius.

XVII. *Antiocho Cyziceno* ſucceſſit *Seleucus Sextus*, filiorum *Antiochi Grypi* natu maximus: Qui quoniam violentus & ſupra modum tyrannicus fuit, Mopſueſtiæ, quod eſt oppidum Ciliciæ, populari ſeditione in Gymnaſio crematus eſt, teſte *Appiano* in Syriacis. Ab *Antiocho Cyziceni* filio vivum exuſtum fuiſſe, *Euſebius* in Chronico refert. Cum fugiſſet in Urbem, & percepiſſet Mopſueſtianos vivum ipſum comburere voluiſſe, ſibi ipſi manus intuliſſe ſcribit *Porphyrius in Græc. Euſebii Scalig.* Regnavit anno Græcorum centeſimo decimoquinto.

Antiochus Pius.

XVIII. *Antiochus* & *Philippus* gemelli fratres *Seleuci* fratris ſui mortem ulti, *Mopſueſtiam* expugnarunt ac diruerunt. Superveniens vero *Cyziceni* filius *Antiochus Euſebes*, id eſt, Pius cognominatus, prælio eos ſuperavit: Et *Antiochus* quidem equo in Orontem e pugna fugiens in flumine ſubmerſus eſt. Frater vero illius *Philippus*, & *Antiochus Pius* ab anno ſecundo Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ primæ ſimul regnare incipientes, de univerſo Syriæ Regno obtinendo inter ſe decertarunt. *Ptolemæus Lathurus* Ægypti Rex quartum *Antiochi Grypi* filium *Demetrium Eucærum* Cnido accitum Regem Damaſci conſtituit. Cui cum fratre *Philippo* copias conjungenti *Antiochus Pius* ſtrenue reſtitit, ut refert *Joſephus* Libro 13. Cap. 21. Victus tandem *Antiochus* ad Parthos fugere coactus eſt, ut teſtantur *Porphyrius*, & *Euſebius* in Chronico. Galadenorum Regina cum Parthis interim bellum gerente, in ejus auxilium vocatum *Antiochum Pium* fortiter in prælio dimicantem occubuiſſe; atque ita Syriæ Regnum penes duos fratres *Grypi* filios *Philippum* atque *Demetrium Eucærum*, remanſiſſe ſcribit *Joſephus* ibidem. Cum biennio, quod *Philippo Grypi* filio tribuit, Seleucidarum Imperium terminat *Euſebius* in Chronico. Sed cum poſt hoc tempus & *Antiochum Pium* a *Tygrane* Rege Armeniæ pulſum fuiſſe teſtetur *Appianus* in fine Syriacorum; & *Philippum* cum duobus fratribus ſuis *Demetrio Eucæro* & *Antiocho Dionyſio* Damaſci Regibus bellum geſſiſſe, & Syriæ Regno potitum fuiſſe, doceat *Joſephus*, Libro 13. Cap. 22. & 23. veriſimilius eſt, *Antiochum Pium* a Parthia redeuntem, ſuam Syriæ partem, quam per biennium *Philippus* occupaverat, recuperaſſe; & *Philippum*

Philippus & Demetrius Eucærus Antiochi Grypi filii.

pum

Digitized by Google

pem ut damnum illud reſarciret, de Regno Damaſceno ditioni ſuæ adiiciendo cum fratribus ſuis *Demetrio* & *Antiocho* contendiſſe, reliquamque nomen Syriam e *Cyziceni* filio non poſſeſſam ſibi vendicaſſe. Quorum certaminum a *Philippo* partim cum *Antiocho*

Syri Tygrani Armeniæ Regis Imperio ſe ſubiiciunt.

Pio, partim cum fratribus ſuis per octo ſequentes annos habitorum tandem pertæſi Syri, *Tygranis* Armeniæ Regis Imperio ſe ſubiecerunt, ut refert *Juſtinus* initio Libri 40. *Antiochi* vero *Pii* cognomentum per jocum e Syris datum cenſet *Appianus* quod *Seleucum* duxiſſet, quæ prius & patri ejus *Cyziceno*, & patruo *Grypo* nupſerat; indeque merito divina ultione a *Tygrane* pulſum fuiſſe. *Tygranem* quatuordecim annis Syriæ Regnum tenuiſſe *Appianus* aſſerit, *Juſtinus* vero octodecim annis. Poſt *Tygranem* Re-

Antiochus Aſiaticus.

gnum occupavit *Antiochus Pii* filius ex *Seleuca* genitus, educatus in Aſia, & inde cognominatus *Aſiaticus*. Hunc *Pompejus* Regno Syriæ privavit. *Appianus* in fine Syriacorum, regnatum eſſe ait in familia Seleucidarum per annos ducentos ſeptuaginta. Falſum *Appiani* calculum eſſe contendit *Petavius* Libro *De Doctrina Temporum*, Cap. 45. ducentos viginti ſex annos Regni Seleucidarum ab initio *Seleuci* numerans, & duodecim amplius, ſi a morte *Alexandri* numerus inchoetur.

---

§. II.

De Ptolemæorum, ſive Regum Ægypti poſt Alexandri Magni mortem ſucceſſione.

Ptolemæus Lagi.

I. PRimus ex *Alexandri Magni* Succeſſoribus in Ægypto, Libya, Cyrenaica, & omni illa Arabiæ parte quæ Ægypto adiacet, imperare cœpit *Ptolemæus Lagi* filius. A Macedonibus *Philippi* patris *Alexandri* filius fuiſſe credebatur. Mater enim *Arſinoe* ex *Philippo* gravida, in uxorem ab eo tradita eſt *Lago* obſcuro cuidam Macedoni. Unde cum aliquando *Ptolemæus* Grammaticum quemdam ob inſcitiam ſubſannans, interrogaſſet, *Quis Pelei fuiſſet pater?* *Lagi patrem* a Rege ſibi nominari petiit, obſcuritatem generis illius eo dicterio perſtringens, ut refert *Plutarchus Lib. De ira cohibenda*. Legendus & *Pauſanias in Atticis*, & *Q. Curtius* Lib. 9. Cap. 15. Quamvis autem initio non Rex, ſed Satrapa ſive Præfectus appellaretur, neque Diadema nomenque Regium niſi poſt annos ſexdecim vel ſeptemdecim uſurpaverit, nihilominus ab eo anno quo *Alexander* obiit, annos quadraginta Principatus *Ptolemæi Lagidæ* numerant *Lucianus in Macrobiis*, *Dexippus in Græcis Euſebianis Scaligeri*, *Porphyrius* ibidem, *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, *Euſebius in Chronico*, *S. Epiphanius* Lib. *De Ponderibus & Menſuris*, & alii. Syriam totam & Phœniciam *Ptolemæus Lagi* ſubegit Duce *Nicanore*: Ac Hieroſolymis dolo occupatis, ad centum hominum millia ex Judæa in Ægyptum traduxit; ex quibus circiter trigeſies mille lectos in Exercitum ſtipendiis amplioribus recepit, iiſque utpote fidis Ægypti præſidia munita commiſit. Reliquam vero turbam ſeniorum, juniorum, ac mulierum conceſſit Militibus in ſervitutem ut conſtat ex *Joſepho* Lib. 12. *Antiquitatum*, Cap. 1. & 2. & *Euſebio* in Chronico. Captæ ab eo Hieroſolymæ commemorat *Agatharcides Cnidius* apud *Joſephum Lib. contra Appionem*, & Lib. 12. *Antiquit.* Cap. 1. *Qui vocantur Judæi*, inquit, *habitant omnium munitiſſimam Civitatem, quam Hieroſolyma vocare ſolent indigenæ. Hi ſeptima die vacare conſueverunt, & neque arma illo die geſtare, neque agriculturam attingere, neque alterius cujuſpiam miniſterii curam habere: Sed in locis ſacris manus extendentes, orare uſque ad veſperam. Ingrediente vero in Civitatem Ptolemæo Lagi cum Exercitu, & hominibus iſtorum qui Civitatem cuſtodire debebant, obſervantibus inſipientiam, Patria quidem acerbum ſuſcepit Dominum, Lex vero convicta eſt malam habere conſuetudinem.* Hieroſolymorum mœnia a *Ptolemæo* diruta, addit *Appianus in Syriacis*. Grave illi bellum fuit cum *Antigono* Aſiæ Rege, ejuſque filio *Demetrio*, varia belli fortuna, ſed poſt *Antigoni* mortem, qui in prælio cecidit, felice. Princeps fuit literarum amans. Res ab *Alexandro Magno* geſtas ſcripſit prodidit, teſte *Arriano*. Quam *Ptolemæi* Hiſtoriam laudat *Plinius* Lib. 12. ejuſdemque meminit *Plutarchus* in Vita *Alexandri*. Bibliothecam inſtructiſſimam Alexandriæ inſtituit, cui *Demetrium Phalereum* præfecit, Athenienſem Philoſophum, & ſuæ olim Urbis Moderatorem, de quo legendus *Diogenes Laertius*. Ejus cum laude meminit. *Cicero* Lib. 5. *De Finibus Bonorum & Malorum*,

Demetrius Phalereus Ptolemæi Lagi tempore celebris.

Cap. 20. *Princeps*, inquit, *hujus Civitatis Phalereus Demetrius cum patria pulſus eſſet injuria, ad Ptolemæum ſe Regem Alexandriam contulit. Qui cum in hac ipſa Philoſophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophraſtique eſſet Auditor: Multa præclara in illo calamitoſo otio ſcripſit, non ad uſum aliquem ſuum, quo erat orbatus: Sed animi cultus ille erat ei quaſi quidam humanitatis cibus.* Æneis ſtatuis trecentis & ſexaginta, quot dies annus habere credebatur, honoratus eſt, ut refert Varro. *Ptolemæo Lagi* e Conſiliis ac Studiis erat, atque inter amicos præcipuos: Verum a *Ptolemæo Philadelpho* omni honore privatus eſt, quod *Ptolemæo Lagi* conſilium dediſſet, ut ſuſceptos ex *Eurydice* liberos Regni ſucceſſores deſignaret, non *Philadelphum* ex *Berenice* genitum. Propterea mœrore confectus, aſpidis morſu e vita migravit. Ita referunt *Laertius* in ejus Vita, & *Cicero Oratione pro Rabirio Poſthumo*.

Polemo Philoſophus.

Regnante *Ptolemæo Lagi* floruit Athenis *Polemo* diſcipulus *Xenocratis*, & in Schola Succeſſor, qui ex perdito ganeone maximus Philoſophus evaſit, cum *Xenocratem* de temperantia & continentia diſſerentem audiviſſet. Cujus mutationis, præter *Diogenem Laertium* in ejus Vita, meminere *Valerius Maximus* Lib. 6. Cap. 9. & *Horatius Lib. 2. Sermon. Satyra 3.*

Crantor Philoſophus.

Polemonis ſub *Xenocrate* condiſcipulus fuit *Crantor Solenſis*, Philoſophus & Poeta, cujus Librum *De Luctu* laudat *Cicero* Lib. 4. Academ. Quæſt. *Legimus omnes*, inquit, *Crantoris veteris Academici*, De Luctu; *Eſt enim non magnus, verum aureolus, & ut Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediſcendus Libellus.* Ejuſdem meminit & *Plutarchus*, *Conſolatione ad Apollonium*.

Cardianus Hiſtoricus.

His coævus fuit *Hieronymus Cardianus*, Hiſtoricus, qui de Rebus geſtis *Alexandri M.* & Succeſſorum ejus ſcripſit; cujus meminit *Diodorus Siculus* Lib. 19.

Megaſthenes Hiſtoricus.

Eodem tempore vixit *Megaſthenes* nobilis Hiſtoricus qui e *Seleuco Nicatore* in Indiam ad *Sandrocottum* Regem Legatus miſſus, *Indica* bona fide ſcripſit. Ejus meminerunt *Plinius*, lib. 6. Cap. 17. *Arrianus* Lib. 5. *Strabo*, *Cicero*, *Solinus*, *Athenæus*, *Joſephus*, *Euſebius*, &c.

Euhemerus Hiſtoriæ Fabuloſæ Scriptor.

Ad eamdem Epocham pertinent *Euhemerus Meſſenius*, Hiſtoricus, qui de *Jove* & *Diis* ſcripſit Hiſtoriam, quam latine vertit *Ennius*. Hujus Auctoris meminerunt *Varro Lib. 2. Rei Ruſticæ*, Cap. 48. *Cicero* Lib. 1. *De Natura Deorum*, *Plutarchus* Lib. *De Iſide & Oſiride*, *Minutius Felix in Octavio*, *Lactantius* Lib. 1. Capite 2. *Euſebius* Libro 2. *Præparationis Evangelicæ*.

Arceſilaus Philoſophus.

Arceſilas ſive *Arceſilaus* Philoſophus, quem Olympiade centeſima vigeſima floruiſſe, ex *Apollodori* Chronicis notat *Laertius*. *Theophraſti* primum, deinde *Crantoris* auditor fuit. Negabat eſſe quicquam quod ſciri poſſet; ne illud ipſum quidem quod *Socrates* ſibi reliquiſſet. De illius dogmate legatur *Cicero* Lib. 2. *De Finibus*, Lib. 1. *De Natura Deorum*, & Lib. 2. *Academicarum Quæſtionum*.

Menedemus Philoſophus.

Menedemus Philoſophus Eretrienſis, qui Legationibus crebris ad *Ptolemæum*, *Lyſimachum* & *Demetrium* functus eſt. Hunc *Providentiæ vindicem* appellat *Tertullianus*.

Menander Poeta.

Menander Athenienſis novæ Comediæ Poeta, de quo *Quintilianus* Lib. 10. *Inſtitutionum Oratoriarum* Cap. 1. *Plutarchus in Comparatione Ariſtophanis & Menandri*, *A. Gellius* Lib. 17. Cap. 35. &c.

Ptolemæus Philadelphus.

II. *Ptolemæus Lagi* ante obitum ſuum *Ptolemæum* filium ex *Berenice* ſuſceptum, qui *Philadelphus* cognominatus eſt, Regni Succeſſorem declaravit. *Philadelphum* cum Patre adhuc ſuperſtite biennium regnaſſe tradidit *Lucianus*. Tempus non notat *Juſtinus*, ſed *Philadelphum* ante mortem patris regnaſſe fidem facit Lib. 16. Cap. 3. *Finito bello*, inquit, *Ptolemæus cum magna rerum geſtarum gloria moriturus contra jus Gentium, minimo natu ex filiis ante infirmita-*

tem

tam Regnum tradiderat, ejuſque vel Populo rationem reddiderat: cujus non minor favor in accipiendo, quam patris in tradendo Regno fuerat. inter cætera patris & filii mutuæ pietatis exempla, etiam eo rei amorem Populi Juveni conciliaverat, quod Pater Regno ei publice tradito, privatus officium Regi inter ſatellites fecerat, omnique Regno pulchrius Regis eſſe Patrem duxerat. Honeſtarum artium amore ſtudioque flagrans *Ptolemæus Philadelphus* egregiam Alexandriæ Bibliothecam inſtituit in *Serapidis* Templo, in ea Urbis Regione quæ *Bruchium* vocabatur; & cum Librorum ex omnibus terrarum partibus conquirendorum curam *Demetrio Phalereo* commiſiſſet, eo ſuggerente Libros Sacros ex Hebraica Lingua in Græcam a 70. Interpretibus vertendos curavit, teſtibus *Philone* Lib. 2. *De Vita Moſis*, *Joſepho* Lib. 12. *Antiquitatum*, & *Ariſtea* ab ipſis laudato, *Tertulliano Apologetici* Cap. 8. *Euſebio* Lib. 8. *Præparationis Evangelicæ*, Capp. 1. 2. 3. 4. & 5. *S. Epiphanio* Lib. *De Ponderibus & Menſuris*, *S. Joanne Chryſoſtomo Oratione* 1. *Adverſus Judæos*, *S. Auguſtino* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 42. Hanc tamen Verſionem *Ptolemæi Lagi* auctoritati cuique nonnulli ex Veteribus tribuunt, inter alios *S. Irenæus* Lib. 3. Cap. 25. Cujus teſtimonium exſcripſit *Euſebius* Lib. 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 8. *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, utramque opinionem refert *Anatolius in Computo Paſchali* ſub utroque Rege hanc Verſionem adornatam aſſerit. *Theodoretus Præfatione Commentarii in Pſalmos*, refert ad illos *Ptolemæi* tempora, *qui poſt Alexandrum in Ægypto regnavit*. Quibus verbis *Ptolemæum Lagi* indigitat. Quænam harum opinionum ſit verior, aut qua ratione conciliari poſſint, in Diſſertationibus exponemus. *Ptolemæum Philadelphum* optimarum literarum ſtudioſiſſimum fuiſſe, Lib. 22. Hiſtoriarum confirmat *Philarcus* apud *Athenæum* Lib. 12. Cap. 17. Quod pluribus demonſtrat *Vitruvius* in Præfatione Libri 7. *De Architectura*, ubi narrat, Illum, cum Alexandrinam Bibliothecam ſumma diligentia perfeciſſet, *Muſis & Apollini* ludis dedicatis, quemadmodum Athletarum, ſic communium Scriptorum victoribus præmia & honores conſtituiſſe. De ipſo *Strabo* Lib. 17. *Ptolemæus Philadelphus inter omnes Ægypti Reges erat cognitionis rerum ſtudioſus; atque propter corporis imbecillitatem ſemper nova alicujus oblectationis materiam expeteret*. Hic *Ptolemæorum eruditiſſimus, & omnis literaturæ ſagaciſſimus* a *Tertulliano* prædicatus. Poſt *Arſinoem Lyſimachi* Regis Thraciæ & Macedoniæ filiam, ex qua *Ptolemæum Evergetem* & *Berenicem* ſuſceperat, alteram etiam *Arſinoem* ſororem ſuam duxit. Diem vero illa obiit antequam *Philadelpho* pareret. Qui eam ita dilexit, ut *Arſinoitidi* in Ægypto Præfecturæ cognomentum ab ea dederit, teſte *Pauſania in Atticis*; & facta ei ex topazio Statuam quatuor cubitorum in Delubro, quod Aureum cognominabatur, ſacraverit; ut refert *Plinius* Lib. 37. Cap. 8. Eique Templum ex Magnete *Dinocrates* Architectus concamerare inchoaverit, ut in eo Simulacrum ejus ex ferro conflatum pendere in aere videretur, ut cecinit *Auſonius idyllio* 9.

Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris,
Arſinoem Phari ſuſpendit in aere Templi.

Ptolemæus duos fratres ex *Eurydice* natos occidit, quamobrem *Philadelphus* per antiphraſim cognominatus eſt. Regnavit annos triginta & octo ab obitu patris, in ſolidum quadraginta, in luxum effuſus Princeps, teſte *Philarcho* Lib. 22. Hiſtoriæ apud *Athenæum* Lib. 12. *Deipnoſophiſtarum*, cujus hæc ſunt verba: *Idem Scriptor Libro 22. tradit, Ptolemæum ſecundum Ægypti Regem, omnium ſuo ſæculo Principum graviſſimum, & ſi quis alius, humanioribus diſciplinis tinctum, ac eruditum, ſic dementatum ac perditum importuno luxu, ut ſempiternam vitam ſibi futuram ſomniaret, ſtulte jactitans. A ſe ſolo repertam fuiſſe immortalitatem. Cum igitur per multos dies articularis pedum morbo afflictatus eſſet, ubi convaluit, per feneſtras deorſum apertas Ægyptios intuitus ad fluvium prandentes, & iis veſcentes quæ forte aderant, in ſabulo temere diſtentos ut jacentes: Me miſerum*, inquit, *quod non ex illis unus ſim.*

Ptolemæi Philadelphi temporibus literaturæ laude floruere....

Lycophron Poeta.

Lycophron Poeta Chalcidenſis, ex cujus Tragœdiis unica hodie ſupereſt, quæ *Alexandra* inſcribitur, de quo *Statius Papinius* Epicedio patris:

——— *Tu pandere doctus*
Carmina Battiadæ, latebraſque Lycophronis atri.

Ptolemæo Philadelpho, & *Arſinoæ* Anagrammatiſmis ingenioſe excogitatis adulatus eſt. Πτολεμαῖος enim, ut obſervavit, per Anagrammatiſmum eſt Ἀπὸ Μέλιτος id eſt, *Mellitus*, & Ἀρσινόη eſt Ἴον Ἥρας id eſt, *Viola Junonis*.

Theocritus.

Theocritus, Poeta Syracuſanus, cujus *Idyllia* decem *Virgilius* in *Bucolicis* imitatus eſt. Ejus cum laude meminere non ſolum ipſe *Virgilius*, ſed *Quintilianus Inſtitutionum Oratoriarum* Lib. 10. *Longinus* Tractatu *De Sublimi*, & *Suidas in Lexico*.

Callimachus.

Callimachus Poeta Cyrenæus, Poetarum Elegiacorum Princeps, judice *Quintiliano*; cujus etiam cum laude meminerunt *Strabo* Lib. 17. *A. Gellius* Lib. 17. Cap. 21. *Ovidius*, & *Suidas* in Lexico. Hiſtoricus etiam fuit *Callimachus*, multaque Opera Hiſtorica ſcripſit de quibus *Voſſius* Lib. 1. *De Hiſtoricis Græcis*, Cap. 15. Bibliothecæ *Ptolemæi Philadelphi* Præfectus fuit, & Volumina pluſquam octingenta compoſuit, ſi quæ *Suidæ* fides.

Aratus.

Aratus Poeta, Solis in Cilicia natus, cujus cum laude meminerunt *Cicero* Lib. 1. *De Oratore*, & *Quintilianus* Lib. 10. *Inſtitutionum Oratoriarum*, Cap. 1. Ex ejus *Phænomenis* depromptum eſt illud Apoſtoli *Actuum* 17. de Deo loquentis: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν *Ipſius enim & genus ſumus*; ut *Clemens Alexandrinus* obſervat Lib. 1 *Stromatum*. pag. 315.

Perſeus.

Perſeus Philoſophus, *Zenonis Citiei* familiaris, & Diſcipulus, ut tradit *Laertius* in ejuſdem *Zenonis* Vita.

Dionyſius Heracleota.

Dionyſius Heracleota. *Zenonis* etiam diſcipulus, qui cum vehementi oculorum dolore laboraret, illumque impatienter ferret, a Stoicis qui dolorem inter ἀδιάφορα reponebant, ad Epicureos defecit, & finem dixit voluptatem. *Metathemenus* ἀπὸ τοῦ μεταθέσθαι cognominatus eſt, quod ſententiam mutaſſet vel tractaſſet. Legatur *Laertius*, *in Vita Zenonis*.

Zoilus.

Zoilus Amphipolitanus Sophiſta, *Canis Rhetoricus* appellatus, teſte *Æliano* Lib. 11. *Variæ Hiſtoriæ*, Cap. 10. ſtylo mordaci ſummos viros adlatrare cœpit. Adverſus *Iſocratem*, *Platonem*, & *Homerum* calamum ſtrinxit ſuperbus & maledicus Criticus. Grammatica quædam in *Homerum* novem Libris ſcripſiſſe, refert *Suidas* in Lexico. Illum *Homerum*, ut fabularum Scriptorem vituperaſſe, teſtatur *Strabo* Lib. 6. Ideo *Homeromaſtix* appellatus eſt. Cum Alexandriam veniſſet, ſcripta ſua contra Iliadem, & Odyſſeam *Ptolemæo Philadelpho* porrexit. *Ptolemæus* vero cum animadvertiſſet Poetarum Parentem, Philologiæque omnia Ducem, & cujus a cunctis Gentibus Scripta ſuſpicerentur, ab eo vituperari indignatus, nullum ei dedit reſponſum. *Zoilus* cum diutius in Ægypto fuiſſet; inopia preſſus, aliquid ſubſidii a Rege poſtulavit. Rex reſpondiſſe dicitur; *Homerum* qui ante annos mille deceſſiſſet, ævo perpetuo multa millia hominum paſcere: Similiter debere, qui meliori ingenio ſe profiteretur, non modo ſe unum, ſed etiam plures alere poſſe. Refert *Vitruvius* in Præfatione Libri 7.

Manethos Hiſtoricus.

Manethos Sebennyta, Heliopolites, Hiſtoriam Ægyptiacam in Græcam Linguam tranſtulit, ac *Ptolemæo Philadelpho* dicavit. De quo plura *Voſſius* Lib. 1. *De Hiſtoricis Græcis*, Capite 13.

Ptolemæus Evergetes.

III. *Ptolemæo Philadelpho* ſucceſſit ejus filius *Ptolemæus Evergetes* cognominatus, qui, ſororis ſuæ *Berenices* necem ulturus, *Seleuco Callinico* Syriæ Regi bellum intulit, Syriam, Ciliciam, ac ſuperiores regiones trans Euphratem, & propemodum univerſam Aſiam ſubegit. Qua de re legendi *Appianus* in Syriacis, Lib. 27. Cap. 1. *Polybius* Lib. 5. *Polyænus* Lib. 8. *Strategematum*. Idque confirmat *Evergetis* Monumentum Adulitanum Romæ anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo-primo a *Leone Allatio* editum. Hanc *Ptolemæi Evergetis* Expeditionem in Syriam prædixerat *Daniel* Cap. 11. 7. *Et ſtabit de germine radicum ejus Plantatio: Et veniet cum Exercitu, & ingredietur Provinciam Regis Aquilonis; & abutetur eis, & obtinebit. Inſuper & Deos eorum, & Sculpti-*

Danielis Vaticinium explicatur.

ptilia, vaſa quoque pretioſa argenti & auri captiva ducet in Ægyptum. Quod Vaticinium S. *Hieronymus* hoc illuſtrat Commentario: *Occiſa Berenice, & mortuo Ptolemæo Philadelpho patre ejus in Ægypto, frater illius & ipſe Ptolemæus cognomento Evergetes, tertius ſucceſſit in Regnum, de plantatione & de germine radicis ejus, eo quod eſſet germanus: Et venit cum Exercitu magno, & ingreſſus eſt Provinciam Regis Aquilonis, id eſt, Seleuci cognomento Callinici, qui cum Matre Laodice regnabat in Syria: & abuſus eſt eis (hoc eſt, male accepit, ἀπεχρήσατο) & obtinuit, in tantum ut Syriam caperet, & Ciliciam, ſuperioreſque partes trans Euphratem, & propemodum univerſam Aſiam. Cumque audiſſet in Ægypto ſeditionem moveri, diripiens Regnum Seleuci quadraginta millia talentorum argenti tulit; & vaſa pretioſa, Simulacraque Deorum, ad duo millia quingenta: In quibus erant & illa, quæ Cambyſes capta Ægypto in Perſas portaverat. Denique Gens Ægyptiorum, quia poſt multos annos Deos eorum retulerat, Evergetem eum appellavit*. Cum Syriam univerſam obtinuiſſet *Ptolemæus Evergetes*; non Diis Ægyptiorum immolavit, ſed venit Hieroſolymam, ibique multa Sacrificia eucharistica Deo obtulit, & donaria dicavit victoria digna, teſte *Joſepho* Lib. 2. *Contra Appionem*.

Cleomenes Rex Lacedæmonum.

Ad *Ptolemæum Evergetem* confugit *Cleomenes* Lacedæmoniæ Rex, prælio ad Sellaſiam ab *Antigono Doſone* Macedoniæ Rege victus & Regno exutus, quem *Ptolemæus* honorifice ſuſcepit, ſpemque fecit eum claſſe & pecunia remiſſurum ſe eum in Græciam, & in Regno repoſiturum. Sic teſtantur *Polybius Lib.* 2. *Juſtinus* Lib. 28. Cap. 4. *Pauſanias in Corinthiacis*, *Plutarchus in Cleomene*. Patrem *Philadelphum* & literarum & Bibliothecæ amplificandæ ſtudio æmulatus eſt *Evergetes*. Cui Bibliothecæ præfecit *Eratoſthenem Cyrenæum*, Athenis accerſitum. Hunc Regem *Ariſtarchi Grammatici* diſcipulum fuiſſe, & Hiſtoricos Commentarios ſcripſiſſe, diſcimus ex *Athenæo* Lib. 2. *Deipnoſophiſtarum*, pag. 71. Regnavit annos 26. ſecundum *Euſebium* & Chronicon Alexandrinum. Obiiſſe ex morbo ſcribit *Polybius* Lib. 2. Occiſum a filio *Ptolemæo*, per antiphraſim *Philopatore* nuncupato, *Juſtinus* refert Lib. 29. Cap. 1. *Ægyptum*, inquit, *Patre ac Matre interfectis occupaverat Ptolemæus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit*.

Apollonius Rhodius.

Regnante *Ptolemæo Evergete*, in Republica literaria claruerunt..... *Apollonius Rhodius*, Alexandriæ natus, *Callimachi* Diſcipulus, Alexandrinæ Bibliothecæ poſt *Eratoſthenem* Præfectus, Rhetor & Poeta, Auctor *Argonauticon*; cujus meminere *Quintilianus* Lib. 10. *Inſtitutionum Oratoriarum* Cap. 1. & *Longinus* Tractatu *De Sublimi*. Scripſit præterea *Origines Urbium*, & alia quædam, ut docet *Voſſius* Libro 1. *De Hiſtoricis Græcis*, Cap. 16.

Euphorion.

Euphorion Chalcidenſis Poeta & Hiſtoricus, cujus meminere *Virgilius* Ecloga 6. *Servius* Grammaticus, *Virgilii* Scholiaſtes, & *Quintilianus* Lib. 10. Cap. 1.

Lycades.

Lycades Cyrenæus, Novæ Academiæ Princeps, *Arceſilai* Succeſſor, de quo *Diogenes Laertius*, & *Numenius* apud *Euſebium* Libro 4. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 7. Hujus Auditores fuere permulti, quos inter *Ariſtippus Cyrenæus* excelluit. Omnibus tamen ex Diſcipulis *Evander* poſt eum Scholæ præfuit, ac cæteri eumdem poſtea conſecuti. Quibus ſuccedens hoc in munere *Carneades* tertiam conflavit Academiam, (inquit *Euſebius*.)

Ptolemæus Philopator.

IV. *Ptolemæo Evergeti* ſucceſſit filius & parricida *Ptolemæus Philopator*. Qui ſicut Sceleſtus in occupando Regno, ita & ſegnis in adminiſtrando fuit, ut ſcribit *Juſtinus* Lib. 29. Cap. 1. *Regno parricidio parto, & ad necem utriuſque parentis cæde etiam fratris adjuncta, velut rebus feliciter geſtis, luxuriæ ſe tradiderat, Regiſque mores omnis ſecuta Regia erat; Itaque non Amici tantum Præfectique, verum etiam omnis Exercitus, depoſitis Militiæ ſtudiis, otio ac deſidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis, Antiochus Rex Syriæ, veteri inter ſe Regnorum odio ſtimulante, repentino bello multas Urbes ejus oppreſſit, ipſamque Ægyptum aggreditur. Trepidare igitur Ptolemæus; Legationibus miſſis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Græcia Exercitu conducto, ſecundum prælium facit, ſpoliaſſetque Regno Antiochum, ſi fortunam virtute juviſſet. Sed contentus recuperatione Urbium quas amiſerat, facta pace, avide materiam quietis arripuit, revolutuſque in luxuriam, occiſa Eurydice uxore eademque ſorore ſua, Agathocliæ Meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem Nominis ac Majeſtatis oblitus noctes in ſtupris, dies in conviviis conſumit. Adduntur inſtrumenta luxuriæ, tympana & crepundia: Nec jam ſpectator Rex, ſed magiſter nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatur. Hæc primo laborantis Regiæ tacita peſtes & occulta fuere. Deinde creſcente licentia, jam nec parietibus Regiæ Domus contineri Meretricis audacia poteſt: Quam proterviorem, ſociata cum Agathocle fratre, ambitioſæ pulcritudinis ſcorto, quotidiana Regis ſtupra faciebant. Accedebat & Mater Oenanthe, quæ geminæ ſobolis illecebris devinctum Regem tenebat. Itaque non contentæ Rege, jam etiam Regnum poſſident, jam in publico viſuntur, jam ſalutantur, jam comitantur. Agathocles Regis lateri junctus, Civitatem regebat: Tribunatus, Præfecturas, & Ducatus, Mulieres ordinabant; nec quiſquam in Regno ſuo minus quam ipſe Rex poterat; cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice ſorore filio, moritur: Sed mors ejus, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & Imperium inita cum perditiſſimis ſocietate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concurſu multitudinis & Agathocles occiditur, & Mulieres in ultionem Eurydices patibulis ſuffiguntur* Id confirmant *Polybius* Lib. 15. *Plutarchus in Erotico* & *Cleomene*, *Athenæus* Lib. 6. Cap. 6. & Lib. 13. Cap. 13. & *S. Hieronymus in Danielis Cap.* 11. Annis ſeptemdecim *Ptolemæus Philopator* regnavit.

V. Illi ſucceſſit *Ptolemæus Epiphanes* ejus filius, quatuor aut quinque annorum puer. Ipſum bello petiit *Antiochus Magnus*, eique Phœnicem, ac Syriæ Urbes reliquas eripuit, Sed Romani, quibus *Alexandrini*, ex *Philopatoris* Teſtamento Regis ſui tutelam permiſerant; non ſolum Ægypto abſtinere, verum etiam erepta reſtituere juſſerunt. Abnuenti bellum indictum. Miſſus Roma *M. Lepidus*, qui tutorio nomine Regnum adminiſtraret. *Ptolemæus* deinde per *Scopam* Ducem Judæam & alia Syriæ oppida recuperavit. Sed ab *Antiocho* poſtea victus eſt. Tandem ambos inter Reges pax affinitate ſancita. *Antiochus* ſcilicet *Cleopatram* filiam ſuam *Ptolemæo* Regi collocavit. Ita referunt *Polybius* Libro 15. *Juſtinus* Libro 30. Cap. 2. & 3. & Libro 31. Cap. 1. *Valerius Maximus* Libro 6. Cap. 6. *Joſephus* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 3. & *S. Hieronymus* in Cap. 11. *Danielis*. Cum *Ptolemæus Epiphanes* Syriæ Regi *Seleuco Philopatori* moliretur inſidias, & adverſus eum Exercitum præpararet, unuſque e Ducibus ab illo quæreret, ubi haberet pecuniam tantis molitionibus ſufficientem? Reſpondit, *Sibi amicos eſſe divitias*. Quod cum vulgatum eſſet: Timentes Duces ne eorum opes ille auferret, veneno eum ſuſtulerunt; ut refert *S. Hieronymus* in *Danielis* Cap. 11. Apud *Priſcianum* Grammaticum *Cato* Regem optimum ac beneficentiſſimum eum vocat. Et aliquamdiu quidem præclare ſe geſſit. Poſtquam vero ab adulatoribus corruptus *Ariſtomenem*, quem inſtar patris habuerat, epoto cicutæ poculo mori coegiſſet, magis ac magis efferatus, & Tyrannum potius quam Regem ſe exhibens, in tantum Ægyptiorum odium venit, ut parum abfuerit quin Regno excideret; teſte *Diodoro Siculo in Excerptis Valeſii*. Regnavit annos vigintiquatuor. Duos reliquit filios impuberes *Ptolemæum Philometorem*, & *Evergetem* ſeu *Phyſconem*, ac filiam *Cleopatram*.

Ptolemæus Epiphanes.

VI. Poſt patrem regnavit annos triginta-quinque *Ptolemæus Philometor*, ſecundum Canonem Ptolemæi, *Clementem Alexandrinum*, *Euſebium*, & alios. Undecim ex his ſolus primum regnavit, ut notat *Euſebius*. Inde cum fratre *Evergete* ſex. Excluſo fratre octodecim alios adjecit. *Cleopatram* ſororem conjugem habuit, quæ deinde alteri fratri *Evergeti* nupſit. Cum *Antiocho Epiphane* bellum geſſit; & cum eo poſtea reconciliatus, contra ſuos arma convertit, quod a fratre & ſorore eademque conjuge, nec non Alexandrinis eſſet ejectus. Domeſticis, civilibuſque diſſidiis compoſitis, rurſus *Antiocho* bellum indixit. Fraterna demum concordia ſoluta *Ptolemæum Evergetem*

Ptolemæus Philometor.

getem vicit, Ægypto expulit, eique Regnum Cyrenes attribuit. Variæ a fratribus Legationes Romam miſſæ, ut Senatus Populique Romani favorem & auxilium alter contra alterum ſibi conciliaret. Iſta conſtant ex *Appiano* in Syriacis, *Polybio* Legationibus 72. 90. 92. 115. 116. 117. *Juſtino* Lib. 34. Cap. 2. & 3. *Porphyrio in Græcis Scaligerianis Euſebii*, *Diodoro Siculo in Excerptis Valeſii*, *T. Livio* Lib. 47. in prælio adverſus *Alexandrum Balam*, victor licet vulneratus *Ptolemæus Philometor* poſt quatriduum obiit, Olympiadis 158. anno 4.

Ariſtobulus Philoſophus, genere Judæus.

Regnante *Ptolemæo Philometore* in Ægypto claruit *Ariſtobulus Judæus*, Peripateticus Philoſophus: Qui ad eumdem Regem Explanationum in *Moſen* Commentarios ſcripſit. Ex quorum Præfatione inſignis locus legitur apud *Clementem Alexandrinum* Libro 1. *Stromatum*, & *Euſebium* Libro 13. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 7. qui & ibi, & ejuſdem Operis Lib. 8. Cap. 3. prolixiora alia ex iiſdem Commentariis fragmenta excripſit.

Carneades.

Eodem *Ptolemæo*, & fratre ejus regnantibus, floruit *Carneades* Philoſophus Academicus, Athenienſium ad Romanos Legatione functus: De quo legi poſſunt *Diogenes Laertius* in ejus Vita, *Cicero* Libro 4. *Academicarum Quæſtionum*, *Valerius Maximus* Lib. 8. Cap. 7. & *Numenius* apud *Euſebium* Libro 14. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 8. *Eadem quidem Arceſilai orationis forma utebatur ipſe quidem, cum & illum in utramque partem diſputandi morem teneret, & quæ ab aliis dicerentur omnia refelleret; Cæterum una erat aſſenſionis retentio, in qua ab illo diſſideret. Quippe fieri non poſſe dicebat, ut qui homo eſſet, is rebus in omnibus aſſenſum inhiberet: Aliud porro incertum eſſe, aliud comprehendi non poſſe; & comprehenſionem quidem omnia fugere, non omnia tamen incerta eſſe. Fuit is etiam Stoicæ Doctrinæ non ignarus, qua vehementius acriuſque petenda, famæ ſibi plurimum nominiſque confecit, dum in id potius quod vulgo veriſimile videbatur, quam in verum ipſum collimaret. Quare Stoicis etiam moleſtiæ plurimum faceſſivit.* Verba ſunt *Euſebii* Cap. 7. ejuſdem Libri *Clitomachum* artis doctrinæque ſucceſſorem *Carneades* habuit, *Philonem Clitomachus*.

Ptolemæus Phiſcon.

VII. *Ptolemæo Philometori* ſucceſſit ejus frater *Ptolemæus Evergetes*, poſtea propter maleficia *Cacergetes* ab Alexandrinis appellatus; a corporis autem ſagina & diſtento aqualiculo, *Phyſcon* ſeu *Ventroſus*. De quo *Juſtinus* Libro 38. Cap. 8. ex *Trogo Pompeio* ita ſcribit: *In Ægypto mortuo Rege Ptolemæo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemæo, per Legatos Regnum, & uxor Cleopatra Regina ſoror ipſius deferunt. Lætus igitur hoc ſolo Ptolemæus, quod ſine certamine fraternum Regnum recepiſſet, in quod ſubornari & a Matre Cleopatra, & favore Principum, fratris filium cognoverat; Cæterum infeſtus omnibus, ſtatim ubi Alexandriam ingreſſus eſt, fautores pueri trucidari juſſit. Ipſum quoque die Nuptiarum, quibus Matrem ejus in Matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum & ſolemnia religionum in complexu Matris interficit; atque ita torum ſororis, cæde filii ejus cruentus aſcendit. Poſt quod non mitior in Populares, qui eum in Regnum vocaverant, fuit. Se quidem peregrinis Militibus licentia cædis data, omnia ſanguine quotidie manabant. Ipſam quoque ſororem, filia ejus virgine per vim ſtuprata, & in Matrimonium aſcita repudiat. Quibus rebus territus Populus in diverſa labitur, patriamque metu mortis, exſul relinquit. Solus igitur in tanta Urbe cum ſuis relictus Ptolemæus, cum Regem ſe non hominum, ſed vacuarum ædium videret, Edicto peregrinos ſollicitat. Quibus confluentibus, obviam Legatis Romanorum, Scipioni Africano, & Spurio Mummio, & L. Metello, qui ad inſpiciendum Sociorum Regna veniebant, procedit. Sed quam crudelis civibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & ſtatura brevis, & ſagina ventris non homini, ſed belluæ ſimilis. Quam fœditatem nimia ſubtilitas pellucidæ veſtis augebat, prorſus quaſi aſtu inſpicienda præberentur, quæ omni ſtudio occultanda pudibundo viro erant. Poſt diſceſſum deinde Legatorum, jam etiam Populo peregrino inviſus, cum filio, quem ex ſorore ſuſceperat, & cum uxore, matris pellice, metu inſidiarum tacitus in exilium proficiſcitur; contractoque mercenario Exercitu bellum Sorori pariter ac Patriæ infert. Arceſſitum maximum deinde a Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra ſe Regem crearent interficit. Tunc Populus ſtatuas & imagines ejus detrahit. Quod factum ſtudio Sororis exiſtimans, filium, quem ex ea ſuſceperat, interficit, corpuſque in membra diviſum & in ciſta compoſitum, Matri die Natalis ejus inter epulas offerri curat. Quæ res non Reginæ tantum, verum etiam univerſæ Civitati acerba & luctuoſa fuit: Tantumque mœrorem feſtiviſſimo convivio intulit, ut Regia omnis repentino luctu incenderetur. Verſa igitur ſtudia Principum ab epulis in exſequias, membra lacera Populo oſtendunt, & quid ſperare de Rege ſuo deberent, filii cæde demonſtrant. Finito luctu orbitatis, Cleopatra cum urgeri ſe fraterno bello videret, auxilium a Demetrio Rege Syriæ per Legatos petit.* Regnavit poſt fratris *Philometoris* obitum annis viginti-novem, ut teſtantur *Ptolemæus* in Regum Canone, *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, *Euſebius in Chronico*, *S. Epiphanius* Lib. *De Ponderibus & Menſuris*, & *S. Hieronymus* in Cap 9. *Danielis*. Tres poſt ſe reliquit filios, unum ex pellice ſuſceptum *Ptolemæum Apionem*, cui Cyrenarum Regnum teſtamento reliquit; duos ex *Cleopatra* prioris *Cleopatræ* ſororis & conjugis ſuæ filia genitos, quorum junior *Alexander* ſenior a Ptolemæo in Regum Canone, Porphyrio, Euſebio, SS. Hieronymo & Epiphanio, *Soter*: A Strabone, Trogo Pompejo, Plinio, Joſepho, & Clemente Alexandrino, *Lathurus* vel *Lathyrus*: Ab Athenæo, & Pauſania *Philometor* dictus eſt. Quod poſtremum cognomen illi per irriſionem datum *Pauſanias* notavit, quod nemo Regum Matrem odio majori proſecutus ſit. Regnum Ægypti *Cleopatra* conjugi reliquit, & alteri ex filiis quem ipſa mallet, ut ſcribit *Juſtinus* Libro 39. Cap. 3.

Ptolemæus Lathurus.

VIII. *Cleopatra* in minorem filium *Alexandrum* propenſior, a Populo compulſa eſt majorem eligere *Ptolemæum Lathurum*, cui prius quam Regnum daret, uxorem ademit; compulſumque repudiare cariſſimam ſibi ſororem *Cleopatram*, minorem ſororem *Selenem* ducere juſſit, non materno inter filias judicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret; (inquit *Juſtinus*.) Poſtea cum gravaretur ſocio Regni *Ptolemæo*, Populum in eum incitat, abductaque ei *Selene* uxore, eo indignius quod ex ea jam duos filios habebat, exulare cogit, arceſſito minore filio *Alexandro*, & Rege in locum fratris conſtituto: Nec filium Regno expuliſſe contenta, bello Cypri exulantem perſequitur. Indeque pulſo, interficit ducem exercitus ſui quod vivum eum e manibus dimiſiſſet: Quanquam *Ptolemæus* verecundia materni belli, non viribus minor ab Inſula receſſiſſet. *Alexander* territus hac Matris crudelitate, & ipſe eam reliquit, periculoſo Regno ſecuram & tutam vitam anteponens. Ita refert *Juſtinus* Lib. 39. Cap. 3. Annos decem cum Matre regnavit *Ptolemæus Lathurus*.

Alexander junior Lathuri frater.

IX. A Matre *Cleopatra* revocatus *Alexander*, annis decem Ægypti Regnum tenuit, *Ptolemæo Lathuro* fratre ſuperſtite, ſed exule. Cum vero Mater illi exitium moliretur, illam interfecit. Dignam hac mortis infamia ſcribit *Juſtinus*, quæ etiam Matrem toro expulit; & duas filias viduas alterno fratrum Matrimonio fecit; & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto Regno exitium per inſidias machinata eſt. Sed nec *Alexandro* cædes tam neſanda inulta fuit. Nam ubi primo compertum eſt ſcelere filii Matrem interfectam, concurſu Populi in exilium agitur, revocatoque *Ptolemæo Lathuro* Regnum redditur: Qui neque cum Matre bellum gerere voluiſſet; nec a fratre armis repetere quod poſſediſſet. (Ex *Juſtino*.) A Navarcho *Chæreo* poſtea occiſus eſt *Alexander*, ut refert *Euſebius* in Chronico.

Lathurus in Regnum reſtituitur.

Ptolemæus vero *Lathurus* annos ſeptem & menſes ſex Regno deinceps potitus eſt. Ex *Porphyrio in Græcis Euſebii Scaligeranis*.

Alexander Ptolemæi Lathuri Nepos.

X. *Ptolemæo Lathuro* ſecundo regnanti ſucceſſit *Alexander* ejus nepos ex *Alexandro* fratre. De quo *Appianus* Libro 1. *De Bellis Civilibus*, hæc habet: *Sylla vero Alexandrum, ejus Alexandri qui in Ægypto regnaverat filium, educatum in Coo Inſula, & a Cois Mithridati deditum, indeque ad ſe profugum, & in familiaritatem receptum, Alexandrinis Regem*

dedit

dedit, deficiente ibi virili ſtirpe Regia, & Mulieribus Regiis viro cognato opus habentibus: Sperans multum auri ſe collecturum ex Regno opulentiſſimo. Sed Alexandrini Regem hanc inſolentiae imperantem, Sylla fiducia, decimo-nono Regni die protractum in Gymnaſium ex Regia peremerant. Idem conſtat ex *Trogo Pompejo* Prologo Lib. 39. ſcribente: *Poſt Lathyrum, filium Alexandri regnaſſe.*

Alexander alter hujus frater. XI. *Alexandro* ſucceſſit frater cognominis, qui ab Alexandrinis pulſus eſt, de quo reſtituendo *C. Cæſar*, cum Ædilis eſſet, cogitavit, teſte *Suetonio in Julio Cap.* 11. & qui deſperata Regni ſui recuperatione in Tyrum ſeceſſit, ibique moriens Populum Romanum Regni ſui heredem inſtituit, ut colligitur ex utraque *Ciceronis Oratione contra Rullum de Lege Agraria*. Regnavit hic *Alexander* annis ſexdecim. Duos illos poſt *Ptolemæum Lathurum Alexandros* ignorarunt *Strabo*, *Euſebius*, *S. Epiphanius*, & alii, qui *Lathuro* ſecundo regnanti ſubſtituunt Ptolemæum *Auletem*, non abſque mediocri labe temporum, ut demonſtrarunt Viri Eruditi *Paulus Manutius in Commentario ad primam Agrariam*, *Aldus in Quæſtionibus per Epiſtolas*. Diſtriba *De Ptolemais*, & *Petavius* Lib. 10. *De Doctrina Temporum*, Cap. 46.

Ptolemæus Auletes. XII. *Alexandro* prioris *Alexandri* fratri ſucceſſit *Ptolemæus Auletes*, Nothus, qui generis ſui conſcius, ac Teſtamenti quod *Alexander* apud Tyrios condiderat, uſurpatam Regni poſſeſſionem Romanorum amicitia & ſocietate tueri conatus eſt. Quam cum ingentibus pecuniis comparare ſibi vellet, ac tributa a ſuis immania ob id exigeret, anno Regni ſui octavo Romam profugus venit, ac biennio poſt a *Gabinio* juſſu *Pompeii* reſtitutus eſt. Eo abſente filiam ejus natu majorem Alexandrini ad Regnum provexerunt, eique virum dederunt *Cybioſactem* hominem fœdum & obſcurum; qui ſe in Syriacorum Regum genus inſerebat, quem Regina paucis poſt diebus interfecit. *Archelao* deinde Comanorum in Ponto Sacerdoti nupſit. *Ptolemæus Auletes* in Regnum reſtitutus, filiam cum ejus viro e medio ſuſtulit, & ipſe paulo poſt mortuus eſt. (Ex *Strabone* Libro 17.) Hunc *Novum Dionyſium* ſive *Bacchum*, Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum, Euſebius, & Chronicon Alexandrinum cognominant. At *Strabo* dumtaxat *Auletem* ab arte choraulica quam exercebat, & qua adeo gloriabatur, ut non pigeret eum certamina in Regia celebrare, ad quæ & ipſe cum aliis concertaturus prodiit.

Ptolemæus Dionyſius. XIII. *Ptolemæo Auleto* ſucceſſit ejus filius *Ptolemæus Dionyſius*, cum ſorore *Cleopatra*, qua poſtea pulſa, ſolus imperavit. Cum ea quinque fere annis, ſolus biennium; univerſe annos ſeptem regnavit. Quo tempore *Pompejus* a *Cæſare* victus in Ægyptum appulit, *Cleopatra* nuper a fratre expulſa exercitum parabat circa Syriam; *Ptolemæus* vero ejus frater circa Montem Caſſium intra Ægypti fines ſobſederat, obſervans adventum illius. Et forte fortuna accidit ut ventus eo deferret *Pompejum*, qui conſpecto in littore tanto exercitu, navigare deſiit; conjectanſque id quod erat, Regem adeſſe, miſit qui eum de rebus ſuis certiorem redderet, deque patris amicitia. Agebat is tum annum tertium-decimum, Curatores habens *Achillam* Militiæ, pecuniarum *Photinum* Eunuchum, qui conſultare cœperunt de *Pompejo* adhibito & *Theodoto* Samio Rhetore, qui tum Præceptor erat Pueri. Is auctor fuit nefarii conſilii, ut ille per inſidias tolleretur, in gratiam *Cæſaris*. Poſt hæc *Cæſar* Alexandriam devectus, ibi receptus eſt a Tutoribus Regis adhuc hærentis circa Montem Caſſium. Ac primum propter infrequentiam ſuorum dabat ſe otio, comiter excipiens obvios, & viſendi cauſa Urbem obambulando mirabatur ejus pulchritudinem, & Sapientiæ Profeſſores pleroſque ſtans audiebat... Sed ubi exercitus ejus appulit, de *Photino* & *Achilla* ſumpſit ſupplicium ob ſcelus patratum in *Pompejum*: *Theodotum* vero tunc elapſum, *Caſſius* egit in crucem inventum in Aſia. Alexandrinis autem ob hanc rem tumultuantibus, & exercitu Regio *Cæſarem* invadente, varia eventu certatum eſt aliquoties circa Regiam & in proximis litoribus, ubi etiam urgente hoſte in Mare deſiliit, enatavitque per longum ſpatium: Et Alexandrini paludamento potiti, affixerunt id trophæo. Extrema pugna adverſus ipſum Regem in Nilo fuit, quæ maxime victoriam attulit. Inter has contentiones menſes novem abſumpſit, donec *Cleopatram* loco fratris Reginam fecit Ægypti, fratre undecim annorum puero ipſi in Maritum Regnique conſortem dato: In Nilumque una cum ipſa quadringentis navibus ſubvectus perluſtravit regionem, & alioqui devinctus feminæ conſuetudine. Hæc *Appianus* Libro 2. *De Bellis Civilibus*. Lege & *A. Hirtium De Bello Alexandrino*, & *Dionem* Libro 42. cum *Lucano* Libro 10. *Suetonio in Julio*, *Plutarcho in Cæſare*, ipſo *Cæſare* Libro 3. *Belli Civilis*, *Oroſio* Libro 6. Cap. 15.

Cleopatra Ægypti Regina. XIV. Poſtrema itaque in Ægypto regnavit *Cleopatra*, *Julii* Cæſaris, cui *Cæſarionem* filium peperit; & poſt ejus mortem *M. Antonii* amica & fautrix contra *Octavium Cæſarem*. Poſt Actiacam ejuſdem *Cæſaris* victoriam, & Alexandriæ expugnationem, cum a *Cæſare* ſe ad triumphum ſervari intellexit, Regio cultu exornata in aureo lectulo recubuit, ibique exanimis inventa eſt. Morſu aſpidis ſiniſtro brachio admotæ periit, ut tradunt *Florus* Lib. 4. Cap. 2. *Vellejus Paterculus* Libro 2. Cap. 87. *Plutarchus in Antonio*, *Galenus* Libro *De Theriaca ad Piſonem*, *Strabo* Lib. 17. *Dio* Libro 51. *Eutropius* Libro 7. *Oroſius* Libro 6. Cap. 19. De fœdis illius amoribus, ſuſceptis ex *Antonio* liberis, impotenti ambitione qua Imperium in Romanos ſperare eſt auſa, & ſi quid maxime jurejurando affirmaret, jus quod eſſet ipſa datura in Capitolio juramentum fecit; iidem Auctores legi poſſunt, præſertim *Dio* Lib. 1. Mortuæ imaginem cum aſpide brachio affixa *Cæſar* in triumpho traduxit, ut *Plutarchus* & *Dio* teſtantur. De ea *Horatius* Lib. 1. *Oda* 37.

Auſa & jacentem viſere Regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes ut atrum
Corpore combiberet venenum,

Deliberata morte ferocior:
Sævis Liburnis ſcilicet invidens,
Privata deduci ſuperbo
Non humilis Mulier Triumpho.

Annos triginta novem vixiſſe *Cleopatram*, viginti duos regnaſſe, ſcribit *Plutarchus*. Totidem annos Regni ipſi tribuunt *Ptolemæus in Regum Canone*, *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, *Porphyrius in Græcis Euſebianis Scaligeri*, *Euſebius in Chronico*, & alii. At ſi ab obitu *Ptolemæi Auletæ* patris ejus anni illius putentur, vigintiquinque numerandos notat *Petavius*. Cæſaris victoria Ægyptus in poteſtatem Populi Romani redacta eſt, & Imperii Provincia deinceps fuit. Ab exordio *Ptolemæi Lagi* ad mortem *Cleopatræ* anni ducenti octoginta-quinque numerantur.

ARTICULUS VIII.

De Rebus Romanorum.

Servius Tullius Rex Romanorum. I. OCciſo ab *Anci* liberis *Tarquinio Priſco*, Reginæ *Tanaquil* induſtria Romanum Regnum obtinuit *Servius Tullius* ejus gener anno Urbis conditæ centeſimo ſeptuageſimo-ſexto, regnante apud Babylonios *Nabuchodonoſore*, Judæis annum vigeſimumquartum in Captivitate agentibus. Vejentes & Hetruſcos debellavit. Aggreſſus eſt inde pacis longe maximum opus: Ut quemadmodum *Numa* divini auctor juris fuiſſet, ita *Servium* conditorem omnis in civitate diſcriminis ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet, poſteri fama ferrent. *Cenſus inſtitutus.* *Cenſum enim inſtituit, rem ſaluberrimam tanto Imperio: Ex quo belli pacisque munia non viritim ut ante, ſed pro habitu pecuniarum* (id eſt facultatum æſtimatione) *fierent. Tum Claſſes, Centuriasque, & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit, vel paci decorum, vel bello.* (Ex *T. Livio* Lib. 1.) Populum in ſex Claſſes diſtribuit. *Tuberio* apud *A. Gellium* Libro 10. Cap. 28. quinque tantum recenſet, nulla ratione habita ultimæ Claſſis, quæ cives pauperrimos complecteba-

bator, quos Proletarios, & capite cenſos vocabant ex quorum numero Milites olim non ſcribebantur. Unde *Livius* enumeratis quinque Claſſibus a *Servio* inſtitutis, ait: *Hoc minor cenſus reliquam multitudinem habuit. Inde una Centuria facta eſt immunis Militia.* Claſſibus diſtributis, ne quis exers eas dolo malo remaneret, *Servius* Legem tulit *De Incenſis*: ut quicumque Civis Romanus nomen opeſque ſuas ex fide non retuliſſet, ipſe & bona ejus proſcriberentur. (Ex *Dionyſio Halicarnaſſenſi*.) Cenſu Civium habito, *Luſtrum* ex *Servii* inſtitutione conditum eſt ut Cenſus Religione ſanciretur. Decrevit ſcilicet ut poſt Cenſionem certo die cives omnes in ſuis quiſque Claſſibus Centuriiſque ornati, inſtructique in Campo Martio adeſſent, ibi cæſis victimis Civitas expiabatur ſive luſtrabatur. Hoc ſolemne Sacrificium *Solitaurilia* vocabant, vel potius *Suovetaurilia*, quod ex ſue, ove, & tauro conſtaret, ut notant *Quintilianus* Lib. 1. *Inſtitutionum*, Cap. 5. & *Varro* Lib. 2. *De Re Ruſtica*. Luſtrum quinto quoque anno conditum ex inſtitutione *Servii* Regis teſtatur *Cenſorinus* Libro *De Die Natali*, Cap. 18. Regnavit *Servius Tullius* annis quadraginta quatuor, *ita ut bono etiam moderatoque ſuccedenti Regi difficilis æmulatio eſſet. Cæterum id quoque gloriam acceſſit, quod cum illo ſimul juſta ac legitima Regna occiderunt*; (inquit *T. Livius*) A *L. Tarquinio* genero ſuo trucidatus eſt, *Tullia* filia inſtigante. Quæ cum in Regiæ poſſeſſionem carpento vecta properaret, ab auriga monita de patris cadavere in via jacente equos curruumque deflectere noluit, ſed per corpus paternum agitavit impia, crudeliſque femina. Loco a ſcelere nomen inditum, *Vicus Sceleratus*. (Ex *Livio*, *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, *Aurelio Victore*, *Floro*, *Valerio Maximo* Lib. 9. Cap. 11. *Ovidio* Lib. 6. *Faſtorum*, &c.)

Luſtri origo.

Tullia crudelis impietas.

II. Parricidio Regnum adeptus eſt *L. Tarquinius*, cui *Superbo* cognomen facta indiderunt, quia Socerum gener ſepultura prohibuit; *Romulum* quoque inſepultum periiſſe dictitans. Primores Patrum, quos *Servii* Rebus faviſſe credebat, interfecit. Conſcius deinde male quærendi Regni ab ſe ipſo adverſus ſe exemplum capi poſſe, armatis corpus circumſepſit. Neque enim ad jus Regni quicquam præter vim habebat: ut neque Populi juſſu, neque auctoribus Patribus regnaret. Eo accedebat, ut in charitate Civium nihil ſpei reponenti metu Regnum tutandum eſſet: Quem ut pluribus incuteret, cognitiones Capitalium rerum ſine conſiliis per ſe ſolus exercebat: Perque eam cauſſam occidere, in exilium agere, bonis multare poterat, non ſuſpectos modo aut inviſos, ſed unde nihil aliud quam prædam ſperare poſſet. Ita Patrum præcipue numero, imminuto, ſtatuit nullos in Patres legere; quo contemptior paucitate ipſa ordo eſſet: minuſque per ſe nihil agi indignarentur. Hic Regum primus traditum a Prioribus morem de omnibus Senatum conſulendi ſolvit; domeſticis conſiliis Rempublicam adminiſtravit; bellum, pacem, fœdera, ſocietates, per ſe ipſe cum quibus voluit, injuſſu Populi ac Senatus fecit. (Ex *Livio* Libro 1.) Pulſus eſt cum annos viginti quinque regnaſſet, anno Urbis conditæ ducenteſimo quadrageſimo quarto. Nulli deinceps Romæ Reges fuere: Sed Regum loco Magiſtratus annuus inſtitutus. Huic mutationi occaſionem dedit *Sexti Tarquinii*, Superbi Regis filii libido, qui *Lucretiæ* caſtiſſimæ feminæ, *Collatini Tarquinii* conjugi ſtuprum per vim intulit: Quæ dedecoris impatiens, viro, patre, amiciſque ſpectantibus ſe ipſa interemit. Injuriæ vindex, auctorque publicæ libertatis fuit *L. Junius Brutus*, *Tarquinia* Superbi Regis ſorore natus. Pulſo *Tarquinio* duo Conſules Comitiis Centuriatis creati ſunt *L. Junius Brutus*, & *L. Tarquinius Collatinus*. Conſulis alterius, cum nihil aliud offenderet, nomen inviſum Civitati fuit. *Neſcire Tarquinios privatos vivere. Non placere nomen. Periculoſum libertati eſſe*, per totam Civitatem vulgabatur. *Bruto* itaque urgente, Conſulatu ſe abdicavit *Collatinus*, rebuſque ſuis omnibus Lavinium tranſlatis, Civitate ceſſit. Senatuſconſulto decretum eſt ut omnes Tarquiniæ Gentis exules eſſent. *Brutus* Collegam ſibi Comitiis Centuriatis creavit *Valerium Publicolam*, Delphos cum *Tarquinii* filiis profectus olim *Brutus*, cum ab Oraculo audiviſſet, Qui primus illotum Matri oſculum daret, ſummum Romæ Imperium habiturum; velut ſi prolapſus cecidiſſet terram oſculo contigit, quod illa communis mater omnium mortalium eſſet. Cum adverſus *Tarquinios* qui contractis copiis bellum intulerant, Exercitum *Brutus* duxiſſet, in acie cecidit cum *Aruntæ Tarquinio* Superbi Regis filio. *Porſena* Rex Cluſinorum, bello pro *Tarquiniis* ſuſcepto, cum ad Janiculum veniſſet, *Coclitis Horatii* virtute prohibitus eſt, qui dum alii Pontem Sublicium reſcindunt, ſolus Etruſcos ſuſtinuit, & Ponte rupto, armatus ſe in flumen immiſit, & ad ſuos incolumis tranavit. *Id munimentum illo die fortuna Urbis Romana habuit.* Grata erga tantam virtutem Civitas fuit: Statua in Comitio poſita: Agri quantum uno die circum aravit, datum. Privata quoque inter publicos honores ſtudia eminebant. Nam in magna inopia pro domeſticis copiis, unuſquiſque ei aliquid, fraudans ſe ipſe victu ſuo, contulit. Aliud emicuit Romanæ virtutis exemplum in *Mucio Scævola*, qui cum ad *Porſenam* occidendum caſtra hoſtium adiiſſet, occiſo *Scriba*, quem Regem eſſe putabat, comprehenſus, coram Regio tribunali ſtetit, metuendus magis quam metuens: *Hoſtis*, inquit, *Hoſtem occidere volui: Nec ad mortem minus animi eſt, quam fuit ad cædem. Et facere, & pati fortia, Romanum eſt. Nec unus in te ego hos animos geſſi: Longus poſt me ordo eſt idem petentium decus........ Hoc tibi Juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris. Uni tibi & cum ſingulis res erit.* Rege ignis minas intentante, dexteram accenſo ad ſacrificium igni admovit, his verbis *Porſenam* compellans: *En tibi, ut ſentias quam vile corpus ſit iis qui magnam gloriam vident.* Incredibili Juvenis magnanimitate Rex attonitus, cum ipſum ab Altaribus amoveri juſſiſſet, ipſumque liberum dimitteret, *Mucius* quaſi remunerans meritum trecentos Romanæ Juventutis Principes ſimul in ipſum conjuraſſe dixit. Territus *Porſena* æquas pacis conditiones Romanis obtulit, dimiſſa *Tarquiniorum* defenſione, acceptiſque obſidibus, præſidium Janiculo deduxit. Una ex iis *Clœlia* Virgo, cum caſtra Etruſcorum forte haud procul ripa Tiberis locata eſſent, fruſtrata Cuſtodes, Dux agminis Virginum inter tela hoſtium Tiberim tranavit; ſoſpiteſque omnes Romam ad propinquos reduxit. Quod ubi Regi nuntiatum eſt, primo incenſus ira, Oratores Romam miſit ad *Clœliam* obſidem depoſcendam: Deinde in admirationem verſus, *Supra Coclites Muciosque dixit id facinus eſſe*: Et præ ſe ferre, *Quemadmodum ſi non dedatur obſes, pro rupto ſe fœdus habiturum, ſic deditam, inviolatam ad ſuos remiſſurum.* Utrinque conſtitit fides. Et Romani pignus pacis ex fœdere reſtituerunt: Et apud Regem Etruſcum non ſolum tuta, ſed honorata etiam virtus fuit; laudatamque virginem parte obſidum ſe donare dixit; Ipſa quos vellet legeret. Pace redintegrata, Romani novam in femina virtutem novo genere honoris, ſtatua equeſtri, donavere. Ex *T. Livio*, *Dionyſio Halicarnaſſenſi*, *Plutarcho in Vita Publicolæ*, *Floro* Libro 1. Cap. 10. *Aurelio Victore de Viris Illuſtribus*, *Valerio Maximo* Lib. 3. Cap. 2. & 3. &c.

Tarquinius Superbus Rex Romanorum.

Lucretia ſtuprum.

Regifugium. Conſulum creatio.

Horatii Coclitis præclarum facinus.

M. Scævola generoſitas.

Clœlia Virginis Romanæ magnanimitas.

III. Anno Urbis conditæ ducenteſimo ſexageſimo, orta ſeditione populari, pacis inter Senatum & Plebem Romanam faciendæ auctor fuit *Menenius Agrippa* cognomento *Lanatus*. Plebi conceſſum eſt ut ſuos haberet Magiſtratus ſacroſanctos, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet. Ita Tribuni Plebis creati duo *C. Licinius* & *L. Albinus*. (Ex *Livio Lib.* 2. *Floro Lib.* 1. *Aurelio Victore*, *De Viris Illuſtribus*.) Creati initio duo Tribuni, mox tres illis adjecti: Anno tandem Urbis conditæ ducenteſimo nonageſimo ſeptimo iterum quinque additi; ac deinceps decem Tribuni Plebis in Romana Republica fuere.

Tribuni Plebis creati.

IV. Anno Urbis conditæ ducenteſimo ſexageſimo ſexto *C. Marcius Coriolanus* maximi vir animi, optimeque de Romana Republica meritus, Populi ingrati pulſus injuria, ad Volſcos tunc Romanis infeſtos confugit, & ibi ſummum adeptus imperium, eſt in bellum adverſus Patriam. Quapropter faſtidioſus ille in æſtimandis bonis ſuis Populus, qui reo non pepercerat, exuli ſupplicare compulſus eſt. Miſſi

Coriolani ad Volſcos defectio.

Digitized by Google

Legatio Muliebris.

deinde Sacerdotes cum inſulis, æque ſine effectu redierunt. Tum Matronæ ad Veturiam Matrem *Coriolani*, & *Volumniam* uxorem coeuntes, pervicere ut & *Veturia*, & *Volumnia* duos parvos ex *Marcio* filios ferens ſecum, in caſtra hoſtium irent; & quam armis viri defendere Urbem non poſſent, Mulieres precibus lacrymiſque defenderent. Obviæ Matris in complexum ruens *Coriolanus* repulſam patitur. Rogat mater priuſquam complexum accipiat, An ad hoſtem, an ad filium venerit? Captiva, Materne ſit in caſtris? Exprobrat, rogat, lamentatur: *Ergo ego niſi pepriſſem (inquit) Roma non oppugnaretur.* Uxor deinde ac liberi amplexi. Fletuſque ab omni turba Mulierum ortus, & comploratio ſui, patriæque, fregere tandem Virum. *Expugnaſti (inquit) & vieiſti iram meam, Patria: Hujus precibus, cujus utero genitus ſum, te, quamvis merito mihi inviſam, dono.* Continuoque Romanum agrum armis hoſtilibus liberavit. Non inviderunt laudes ſuas Mulieribus Viri Romani. Templum *Fortunæ Muliebri* in perenne Monimentum ædificatum ac dedicatum eſt. Referunt T. *Livius Lib. 2. Dionyſius Halicarnaſſ. Lib. 8. Plutarchus in Coriolano, Valerius Maximus Lib. 5. Cap. 4.*

Decem viri ad ſcribendas Leges deſignati.

V. Anno trecenteſimo ſecundo ab Urbe condita, cum Legati ad Leges Atticas exſcribendas in Græciam miſſi Athenis reverſi eſſent, mutata eſt forma Reipublicæ a Conſulibus ad Decemviros, quibus ſumma poteſtas, & auctoritas ſcribendarum Legum demandata eſt. Ab iis Tabulæ primo decem conſcriptæ, mox aliæ duæ additæ: Unde dictæ ſunt Leges duodecim Tabularum. (*Ex T. Livio Lib. 3. Eutropio Lib. 1. A. Gellio Lib. 17. Cap. 21. & Pomponio Juriſconſulto*) Decemvirum Imperium in ſequentem annum prorogatum. His tandem ſummotis, & morte aut exilio ob inſolentiam & tyrannidem punitis, Conſules reſtituti ſunt. Huic mutationi occaſionem dedit *Appii Claudii* Decemvirum Principis libido, qui *Virginiam Virginii* Centurionis filiam adamavit: Cujus pudicitiam cum expugnare non poſſet, Clientem ſubornavit, qui Virginem in ſervitutem aſſereret, ſerva ſua natam, ſuamque ſervam eſſe affirmans. *Virginius* filiam Decemviri Decreto addictam, ſibique & ſponſo ereptam videns, arrepto cultro; *Hoc te uno quo poſſum*, inquit, *modo filia in libertatem vindico:* Pectus deinde puellæ transfigit, converſiſque ad Tribunal oculis: *Te*, inquit, *Appi, tuumque caput hoc ſanguine conſecro.* Sic *Virginius* pudicæ interemptor, quam corruptæ pater eſſe maluit, Filiæque corpus humeris gerens ad Exercitum profugit, Commilitones ad facinoris ultionem accendens. (Ex *Livio Lib. 3. Dionyſio Halicarnaſſ. Lib. 11. Floro Lib. 1. Eutropio, Aurelio Victore*, Cicerone *Lib. 2. De Finibus*, & *Valerio Maximo Libro 6. Cap. 1.*)

Leges 12. Tabularum. Conſulum reſtitutio.

Cenſorum creatio.

VI. Anno Urbis conditæ undecimo ſupra trecenteſimum, Cenſores Romæ ſunt creati. Pulſis Regibus, Conſules cenſum egerant. Sed quia per annos ſeptemdecim intermiſſa cenſio fuerat, nec Conſulibus, cum tot bella imminerent, operæ pretium erat id negotium agere, proprius huic rei inſtitutus eſt Magiſtratus. Quamquam vero a cenſendis æſtimandiſque facultatibus primo dicti ſint; tamen paulatim adjuncta eſt morum ac diſciplinæ cura: Imperium eorum primum quinquennale fuit, ſed paulo poſt annos ac ſemeſtris factus eſt Magiſtratus. (Ex *Dionyſio Halicarnaſſ.*)

Tribuni Militares. Urbs a Gallis capta.

VII. Anno ab Urbe condita trecenteſimo vigeſimo-octavo Romæ Tribuni Militares Conſulum loco creati Rempublicam adminiſtrarunt, eaque Imperii forma aliquot annis duravit. Anno Urbis conditæ trecenteſimo ſexageſimo-quarto, cum Senones Galli Cluſium obſiderent; & Legati a Senatu miſſi ad componendam inter eos & Cluſinos pacem, pugnantes contra Gallos in Cluſinorum acie ſtetiſſent; hoc facto concitati Senones Urbem infeſto Exercitu petierunt, fuſiſque ad Alliam flumen Romanis, Urbem cepere, præter Capitolium, in quod ſe Juventus contulerat. Majores natu cum inſignibus honorum in veſtibulis ſedentes ceciderunt, ædibuſque direptis ignes injecere. Et cum per averſam partem Capitolii in ſummum evaſiſſent, clangore anſerum, quibus ſacris *Junoni*, in ſumma inopia cibi, tamen abſtinebatur, clarumque crepitu proditi. *M. Manlii* præcipue opera dejecti ac repulſi ſunt. Qua de re S. *Auguſtinus Lib. 2. de Civitate Dei*, Cap. 22. *Hac Numinum turba ubi erat, cum longe ante quam mores corrumperentur antiqui, a Gallis Roma capta & incenſa eſt? An præſentes forte dormiebant? Tunc enim tota Urbe in hoſtium poteſtatem redacta, ſolus Collis Capitolinus remanſerat; qui etiam ipſe caperetur, niſi ſaltem Anſeres Diis dormientibus vigilarent.* Coactis deinde Romanis propter famem, quam unam natura vinci non ſinebat, de redimenda obſidione magno auri pondo cum *Brenno* Gallici exercitus Imperatore paciſci, dum aurum non ſine altercatione appenderetur, quod Gallus inique ponderi gladium addidiſſet, ac intolerandam effudiſſet Romanis vocem, *Væ victis eſſe*: Furius Camillus Dictator cum exercitu intervenit, Galloſque poſt ſextum menſem, non ſine magna illorum ſtrage Urbe expulit. (Ex *T. Livio Lib. 5. & Plutarcho in Camillo.*) Ea tempeſtate Syracuſis tyrannidem exercebat *Dionyſius* ille *Tyranni* nomine in Hiſtoria celebris.

Bellum Latinum. Decii Devotio.

VIII. Anno Urbis conditæ quadringenteſimo decimoquinto, bellum cum Latinis confectum eſt. *P. Decius* Conſulum alter caput ſuum pro ſalute Reipublicæ devovit, cum Romanam aciem inclinatam & pene jam proſtratam videret: Ac protinus concitato equo in medium hoſtium agmen, Patriæ ſalutem, ſibi mortem petens, irrupit; factaque ingenti ſtrage, pluſimis telis obrutus, ſuper corruit. *Ex cujus vulneribus & ſanguine inſperata victoria emerſit.* (Ex T. *Livio Lib. 8. Floro Lib. 1. Valerio Maximo Lib. 5. Cap. 6.*)

Bellum cum Pyrrho.

IX. Anno Urbis conditæ quadringenteſimo ſeptuageſimo-quarto, bellum Romanorum cum *Pyrrho* Epirotarum Rege cœptum eſt, cum ille Tarentinis Populi Romani hoſtibus in auxilium veniſſet, ac ſexennio ferme duravit. Primo congreſſu victor fuit *Pyrrhus*: & victoria honeſte uſus, captivos ſummo honore tractavit, occiſos ſepelivit. Quos cum adverſo vulnere & truci vultu etiam mortuos jacere vidiſſet, tuliſſe ad cœlum manus, & hanc emiſiſſe vocem dicitur; *Se totius orbis Dominum eſſe potuiſſe, ſi tales ſibi Milites contigiſſent.* Poſtea junctis ſibi Samnitibus, Lucanis, Brutiiſque, Romam convolans, omnia ferro igneque vaſtavit. Campaniam depopulatus eſt, atque ad Præneſte venit, milliario ab Urbe decimo-octavo. Non tamen incruenta *Pyrrho* victoria fuit. Ipſe enim vulneratus eſt, & magna pars Militum ejus cæſa; majoremque gloriam ejus victoriæ, quam lætitiam habuit. Quamobrem parta victoria, titulum huic in Templo *Tarentini Jovis* affixit: *Qui antehac invicti fuere Viri, Pater Optime, hos ego in pugna vici, victuſque ſum ab iiſdem.* Et cum a ſociis increparetur, Cur ſe victum diceret, qui viciſſet? Reſpondiſſe fertur, *Na ego, ſi iterum eodem modo vicero, ſine ullo Milite Epirum revertar.* (Ex *Eutropio*, & *Floro*, *Plutarcho in Pyrrho; Juſtino Lib. 18.* & *Oroſio Lib. 4.*) De pace interim actum. *Pyrrhus* Legatum *Cineam* ad Senatum miſit, petiitque ut componendæ pacis cauſa in Urbem admitteretur. Munera a Rege Primoribus & eorum conjugibus miſſa nemo recipere voluit. Huic Romanorum continentiæ ſimile exemplum iiſdem ferme temporibus fuit. Nam miſſi a Senatu in Ægyptum Legati, cum ingentia ſibi a *Ptolemæo* Rege miſſa munera ſprevuiſſent, interjectis diebus ad cœnam invitatis, aureæ coronæ miſſæ ſunt, quas illi honoris cauſa receptas, poſtera die ſtatuis Regis impoſuerunt. *Appius Claudius* interceſſit ne *Pyrrho* poſtulata Patres concederent. Pacem ab *Appio* turbatam cum *Cyneas* renuntiaſſet, & *Pyrrhus* illum interrogaret, Qualis Roma eſſet? Reſpondit: *Senatum ſibi viſum multorum Regum Concilium.* Ita referunt *Juſtinus*, *Florus*, & *Plutarchus in Pyrrho.* Dum hoc bellum geritur, *Pyrrhi* Medicus ad *Fabricium* Conſulem Romani Ducem Exercitus noctu venit, ſpondens ſe *Pyrrhum* veneno occiſurum, ſi mercedem ſceleris acciperet: Quem *Fabricius* vinctum ad Regem remiſit... Tunc Rex *Fabricii virtutem admiratus, dixiſſe fertur: Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam Sol a curſu ſuo averti poteſt.* (Ex *Eutropio Lib. 2. Epitome Liviana Hiſtoria Lib. 13.* & *Cicerone Lib. 3. De Officiis.*)

Fabricii virtus.

Paulo

Digitized by Google

Paulo aliter hanc Hiſtoriam referunt *Valerius Maximus Lib. 6. Cap. 5.* & *A. Gellius Lib. 3. Cap. 8* Suprema Romanos inter & *Pyrrhum* pugna Lucaniæ in Campis Auſinis commiſſa, *Pyrrhus* victus in Epirum redit. (Ex *Pauſania in Atticis*, *Plutarcho in Pyrrho*, *Eutropio Lib. 2. Floro Lib. 1. Oroſio Lib. 4.*) Triumphi gloriam bello confecto conſecutus eſt *M. Curius Dentatus* Anno Urbis conditæ quadringenteſimo ſeptuageſimo-nono. Eodem anno Cenſores *P. Cornelium Rufinum*, qui bis Conſul & Dictator fuerat, Senatu moverunt, quod ſupra decem argenti cælati libras contra Legem poſſidere convictus eſſet. (*Ex Livii Epitome Lib. 14. Plutarcho in Sylla*, *Valerio Maximo Lib. 2. Cap. 9. A. Gellio Lib. 17. Cap. 21. & Salviano Lib. 1. De Gubernatione Dei.*)

Cornelius Rufinus ob luxum Senatu motus.

Primum Bellum Punicum.

X. Anno Urbis conditæ quadringenteſimo nonageſimo, *Appio Claudio Caudice*, & *M. Fulvio Flacco Conſulibus*, *Primum bellum Punicum* cœptum eſt, ut obſervat *A. Gellius* Lib. 17. Cap. 21. Quod quidem Græci *Bellum Siculum* nominant, quia cauſa & materia illius Sicilia fuit. Duravit annos quatuor & viginti. Pax facta anno Urbis conditæ quingenteſimo decimo-tertio. Legantur *Polybius Lib. 1. Hiſtor.* & *Diodori Siculi Excerpta Libri 24.* & *Cornelius Nepos in Vita Amilcaris*. Cum Carthaginenſibus pace facta, *C. Claudio Centone*, & *M. Sempronio Tuditano Coſſ. L. Livius Andronicus* Poeta, primus Romæ fabulas dedit, ut notant *A. Gellius* Lib. 17. Cap. 21. *Cicero Tuſculanarum Quæſtionum Lib. 1.* & *in Bruto*; *Valerius Maximus* Lib. 2. Cap. 4. & *Caſſiodorus* in Chronico. Peracto Punico bello, ſecuta eſt brevis ſane, & quaſi ad recipiendum ſpiritum requies. Tunc primum poſt *Numa* Regnum Templum *Jani* clauſum fuit, quod deinceps non contigit uſque ad *Auguſti* tempora. (Ex *Floro Lib. 2. Cap. 3. Plutarcho in Vita Numæ*, *T. Livio Lib. 1. Velleio Paterculo Lib. 2.*) De Bello Punico primo carmine ſcripſit *Nævius* Poeta *Ennio* antiquior, cujus meminere, præter ipſum *Ennium* qui Vatibus Fauniſque ipſum annumerat. *Cicero Lib. De claris Oratoribus*, *A. Gellius Lib. 3. Cap. 3.* & *Feſtus Pompejus*.

Primum apud Romanos divortium.

XI. Anno Urbis conditæ vigeſimo tertio ſupra quingenteſimum, *Spurius Carbilius Ruga* Vir Nobilis primus Romæ de amicorum ſententia divortium cum uxore fecit, quod ſterilis eſſet. (Ex *Dionyſio Halicarnaſſ.*) Anno ab Urbe condita quingenteſimo undevigeſimo id factum notat *A. Gellius Lib. 17. Cap. 21.* Anno quingenteſimo vigeſimo ſeptimo *Servius Sulpitius Lib. De Dotibus*: Quo ſpectat illud *Tertulliani* in Apologetico: *Per annos ferme ſexcentos ab Urbe condita, nulla repudium domus ſcripſit.*

Bellum Gallicum.

XII. Anno ab Urbe condita quingenteſimo vigeſimo-nono Bellum Gallicum magno apparatu geſtum eſt. Romani victores fuere Duce *L. Æmylio* Conſule. Lege *Polybium* Lib. 2. & *Eutropium*, qui octoginta millia hominum ad hoc bellum parata fuiſſe confirmat teſtimonio *Fabii Pictoris* Hiſtorici, qui Romana caſtra ſequebatur. Gallis haud ſatis æquus *Polybius* hoc bellum deſcribens: *Hunc*, inquit, *exitum id bellum habuit, quod cum Gallis geſtum eſt: Bellum, ſi perditam hoſtium audaciam ſpectes, pugnas in illo pugnatas, numerum dimicantium & occiſorum, nulli eorum ſecundum, quæ hactenus a Scriptoribus ſunt commemorata: Sin ipſa incepta & ſtolidam rerum ſingularum adminiſtrationem, prorſus aſpernabile: Quoniam Galli, non dicam in pleriſque, ſed prorſus in omnibus actionibus ſuis ira atque impetu, non conſilio reguntur.* Poſt triennium, Galli debellati ſunt ad Claſtidium oppidum inter Padum & Alpes ſitum. *Virdomarus* Dux Gallorum a *M. Claudio Marcello* Conſule cæſus. Mediolanum a Romanis captum. Reliqua Oppida ultro Galli Ciſalpini, ſuaque omnia Romanis dediderunt. (Ex *Floro Lib. 2. Eutropio Lib. 3. Livii Epitome Lib. 20. Plutarcho in Vita Marcelli*, *Polybio Lib. 2. Oroſio Lib. 4. Cap. 13.*) Quod ſpectant illa *Virgilii Lib. 6. Æneidos*.

Aſpice ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes.
Hic Rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumque rebellem:
Tertiaque arma Patri ſuſpendet capta Quirino.

Bellum Punicum 2. Annibal. Punici Dux Exercitus, Marcellus Romani.

XIII. Anno ab Urbe condita quingenteſimo trigeſimo-ſexto, cœptum eſt *Bellum Punicum ſecundum*, ſive *Hannibalicum*, quo Romanorum & Carthaginenſium nomen toto orbe inclaruit. Octodecim annos pugnatum eſt vario exitu. Romanos ad Lacum Thraſimenum in Etruria, & ad Cannas in Apulia *Annibal* profligavit. Illos iterum vicit ad Canuſium. Sed *Marcellus* Romani Exercitus Imperator concionem adeo ſævam & acerbam ad milites habuit, poſtquam in caſtra rediiſſent, ut prælio per diem totam infeliciter tolerato, triſtior iis irati Ducis oratio eſſet. Clamor inde ortus, ut veniam ejus diei daret; ubi vellet deinde experiretur Militum ſuorum animos. *Ego vero*, inquit, *experiar, Milites: & vos craſtina die in aciem educam, ut victores potius quam victi, veniam impetretis, quam petitis.* Poſtera die in aciem Romani proceſſere. Quod ubi *Annibali* nuntiatum eſt: *Cum eo nimirum*, inquit, *hoſte res eſt, qui nec bonam nec malam fortunam ferre poteſt. Seu vincit, ferociter inſtat victis: Seu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen.* Victoria penes *Marcellum*, Romanoſque fuit, non tamen incruenta. Tarentum deinde Pœnorum Præſidium a *Q. Fabio* Conſule expugnatum eſt. *Annibal* dies nocteſque feſtinans ad opem obſeſſis ferendam, cum captam Urbem adiviſſet: *Et Romani*, inquit, *ſuum Annibalem habent; Eadem, ut poſſumus, arte Tarentum amiſimus.* In Hiſpaniis proſpera fuere Romanorum arma adverſus *Aſdrubalem* fratrem *Annibalis*, *Publio* & *Cneio Scipionibus* bellum gerentibus, in quo tamen ingenti parta gloria ceciderunt. Reliquum bellum confecit *P. Cornelius Scipio*, cum in Hiſpania, tum in Africa, ob quam debellatam ac domitam *Africani* nomen obtinuit. Primus hic Imperator nomine victæ ab ſe Gentis eſt nobilitatus. *Scipio Annibalem* in Africa ſuprema Carthaginenſibus pugna vicit anno ab Urbe condita quingenteſimo quinquageſimo tertio. Pacem rogaverant Carthaginenſes per Legatos; petierat ipſe *Annibal* cum *Scipione* collocutus: *Veſtri (ut audio) patres*, inquit, *nonnihil etiam ob hoc quia parum dignitatis erat in Legatione, negaverunt pacem. Annibal pacem peto.* Sed armis rem decernere Romanis placuit. De hoc bello legendi *Polybius* Lib. 3. *Appianus Lib. de bellis Punicis*, *T. Livius* Lib. 21. & ſequentibus ad trigeſimum incluſive, *Cornelius Nepos in Vita Annibalis*, *Plutarchus in Vita Fabii*, *Silius Italicus*, *Eutropius*, *Oroſius*.

T. Livius Lib. 26.

Scipio Africanus.

T. Livius Lib. 30.

Bellum Macedonicum.

XIV. Pacem Punicam Bellum Macedonicum excepit contra *Philippum* Regem, Athenienſibus, Attalo, aliiſque Romanorum ſociis infeſtum. Indictum eſt anno ab Urbe condita quingenteſimo quinquageſimo-quarto, *P. Sulpicio Galba 2.* & *C. Aurelio Cotta Coſſ.* Belli gerendi Provincia *Sulpicio* Conſuli a Senatu demandata eſt. Qui ducto in Macedoniam exercitu, equeſtribus præliis cum *Philippo* proſpere pugnavit. Anno belli tertio, *T. Quinctius Flaminius* Conſul adverſus *Philippum* in faucibus Epiri feliciter dimicavit, fugatumque coegit in Regnum reverti. Anno belli quarto, *Quinctius* ad Cynoſcephalas in Theſſalia cum *Philippo* debellavit. *L. Quinctius* ejus frater Acarnaniam in deditionem accepit, expugnata Leucade. Anno belli quinto confecta pax: Leges pacis ex Senatus Decreto, de Legatorum decem ſententia, *Philippo* datæ a *Quinctio*. Libertas Græciæ reſtituta. Hujus belli Hiſtoriam ſcripſere *Polybius* Lib. 17. & *Legationibus 6. 7. 9. T. Livius* Lib. 31. 32 & 33. *Plutarchus in Quinctio*.

Lex Oppia abrogata.

XV. Anno ab Urbe condita quingenteſimo quinquageſimo nono, *Lex Oppia* de cultu Matronarum reſtringendo, nequicquam obſiſtente *Catone* abrogata eſt. Hanc tulerat C. *Oppius* Tribunus Plebis, *Q. Fabio* & *T. Sempronio* Conſulibus, in medio ardore Punici belli: *Ne qua Mulier plus ſemiunciæ auri haberet. Neu veſtimento verſicolori uteretur: Neu juncto vehiculo in Urbe, Oppidove, aut propius inde mille paſſus, niſi Sacrorum publicorum cauſa veheretur.* Matronarum importunæ preces, & metus muliebris ſeditionis abrogationem Legis extorſerunt. Poſt annos viginti abrogata eſt, quam lata. (Ex *T. Livio* Lib. 34.)

Megaleſia.

XVI. Anno ab Urbe condita quingenteſimo ſexageſi-

Digitized by Google

geſimo, Megaleſia, Ludos Scenicos, *C. Atilius Serranus*, & *L. Scribonius Libo* Ædiles Curules primi fecerunt. Horum Ædilium Ludos Romanus primum Senatus a Populo ſecretus ſpectavit. Gravi inde apud Plebem murmur. Ipſum *Scipionem* Africanum, quod conſul auctor hujus rei fuiſſet, pœnituiſſe ferunt. *Adeo nihil motum ex antiquo, probabile eſt Veteribus, niſi quæ uſus evidenter arguit, ſtari malunt.* (*Ex T. Livio* Lib. 34.)

Bellum cum Antiocho Magno Aſiæ Rege.

XVII. Anno Urbis conditæ quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, bellum cum *Antiocho Magno* Aſiæ Rege ſuſceptum eſt. Faces belli fuere *Thoas* Ætholiæ Princeps, qui a Romanis nequaquam meritum præmium conſecutos ſuos cauſabatur; & *Annibal*. *Antiochus* Græciam & Inſulas occupavit. Belli gerendi provincia *Manio Acilio Glabrioni* demandata eſt, qui victum ad Thermopylas *Antiochum* in Aſiam ſecedere compulit, & de Ætolis triumphavit. Victo deinde *Antiocho* a *L. Cornelio Scipione*, adjuvante *Eumene* Rege, *Attali* Pergameni filio; pax data ea conditione ut Regionibus omnibus cis Taurum Montem cederet. *Eumeni* Regnum ampliatum Rhodiis, qui & ipſi ad victoriam referendam Romanos plurimum juverant, quædam Civitates conceſſæ. Hujus belli hiſtoriam habes apud *T. Livium* Libris 35. 36. & 37. Initio belli *P. Scipio Africanus* Legatus ad *Antiochum*, Epheſi cum *Annibale* collocutus eſt; ut animum ejus tentaret, ſi qua poſſet, & metum demeret periculi ei quicquam a Romanis eſſe. Quærenti Africano, *Quem fuiſſe maximum Imperatorem Annibal crederet?* Reſpondit, *Alexandrum Macedonum Regem, quod parva manu innumerabiles Exercitus fudiſſet; quodque ultimas oras, quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet.* Quærenti deinde, *Quem ſecundum poneret*, *Pyrrhum* dixit, *caſtrametari primum docuiſſe, Ad hoc neminem elegantius loca cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe, artem etiam conciliandi ſibi homines eam habuiſſe, ut Italicæ Gentes Regis externi, quam Populi Romani, tandiu Principis in ea terra, Imperium eſſe mallent.* Roganti, *Quem tertium diceret? Haud dubie ſemetipſum* dixit. Tum ſubridens *Scipio* ſubjecit: *Quidnam tu diceres, ſi tu me viciſſes?* Reſpondit Annibal: *Tum me vero & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum & ante omnes alios Imperatores eſſe.* Et perplexum Punico aſtu reſponſum, & improviſum aſſentationis genus *Scipionem* movit: Quod e grege ſe Imperatorum velut inæſtimabilem ſecreviſſet. Ita refert *T. Livius* Libro 35. ex *Claudio* qui Libros Acilianos ſecutus eſt.

Scipioni Africano a Tribunis Plebis dicta dies.

Ejus magnanimitas.

XVIII. Anno Urbis conditæ quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, *P. Scipioni* a *Petillio* Tribunis Plebis dicta dies eſt, quod præda ex *Antiocho* capta Ærarium fraudaſſet. Juſſus dicere cauſam, ſine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab ſe geſtis eſt exorſus, ut ſatis conſtaret, neminem unquam neque melius, neque verius laudatum eſſe. Dicebantur enim ab eodem animo ingenioque a quo geſta erant; & aurium faſtidium aberat; quia pro periculo, non in gloriam ferebantur. Tribuni infamia intactum, invidia qua poſſunt urgent. Orationibus in noctem perductis, producta dies eſt, Ubi ea venit, Tribuni in Roſtris primo luce conſederunt. Citatus reus magno agmine amicorum clientiumque per mediam concionem ad Roſtra ſubiit; ſilentioque facto: *Hoc*, inquit, *die*, *Tribuni Plebis*, *vosque Quirites*, *cum Annibale & Carthaginenſibus ſignis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque cum hodie litibus & jurgiis ſuperſederi æquum ſit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem Optimum Maximum, Junonemque, & Minervam, cæteroſque Deos, qui Capitolio atque Arci præſident, ſalutanda ibo; Hiſque gratias agam, quod mihi, & hoc ipſo die, & ſæpe alias egregie Reipublicæ gerendæ mentem facultatemque dederunt. Veſtrum quoque quibus commodum eſt, ite mecum Quirites; & orate Deos ut mei ſimiles Principes habeatis. Ita ſi ab annis ſeptemdecim ad ſenectutem ſemper vos ætatem meam honoribus veſtris anteiſtis; ego veſtros honores rebus gerendis præceſſi.* Ab Roſtris in Capitolium aſcendit: Simul ſe univerſa concio avertit, & ſecuta *Scipionem* eſt; Adeo ut poſtremo Scribæ viatoreſque Tribunos relinquerent, nec cum iis præter ſervilem comitatum, & Præconem, qui reum ex Roſtris citabat, quiſquam eſſet. *Scipio* non in Capitolio modo, ſed per totam Urbem omnia Templa Deum cum Populo Romano circumiit. Hic ſpecioſus ultimus dies *P. Scipioni* illuxit, poſt quem cum invidiam & certamina cum Tribunis proſpiceret, in Liternum ad voluntarium exilium ceſſit. *L. Scipio* ejus frater peculatus damnatus eſt. (Ex *T. Livio* Lib. 38. *Valerio Maximo* Lib. 3. Cap. 7. *A. Gellio* Lib. 4. Cap. 18.)

Bacchanalia ſublata,

XIX. Anno Urbis conditæ quingenteſimo ſexageſimo-octavo Bacchanalia, ſacrum Græcum & nocturnum, ſcelerum omnium ſeminarium, cujus mali labes ex Hetruria velut contagione morbi penetraverat, cum ad ingentis turbæ conjurationem perveniſſet, a Conſule *P. Albumio Albino* inveſtigatum, & multorum pœna compreſſum eſt, In Luco enim *Simila*, Bacchanalibus, ſpecie Religionis infandæ libidines, ac cædes perpetrabantur, jamque ſupra ſeptem millia virorum ac feminarum conjuraverant, cum tota impuriſſimæ ac maleficæ ſuperſtitionis ſcena detecta eſt. Senatuſconſulto cautum eſt, *Ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia eſſent.* (*Ex T. Livio* Lib. 39. & *Valerio Maximo* Lib. 6. Cap. 3.) Quo ſpectat illud *Tertulliani*, in Apologetico: *Liberum Patrem cum Myſteriis ſuis Conſules Senatus auctoritate non modo Urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt.* Et illud *S. Auguſtini* Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 13. *Liberi Patris velut Dei Nomine per immundos Dæmones Bacchanalia Sacra, vel potius Sacrilegia ſunt inſtituta. De quorum rabioſa turpitudine ſic Senatus erubuit, ut in Urbe Roma eſſe prohiberet.*

Legationes contra Philippum Macedonum Regem Romam miſſa.

Filius Patri veniam obtinuit.

XX. Anno Urbis conditæ quingenteſimoſeptuageſimo-primo, Legationes undique contra *Philippum* Macedoniæ Regem e Græcia Romam advenerunt. *Philippus Demetrium* filium excuſandi ſui gratia miſit, qui Patris abſolutionem a Senatu obtinuit. Quo de re *Juſtinus* Lib. 32. *Cum diſceptatio in Senatu inter Demetrium Philippi filium & Legatos Civitatum eſſet, turba querelarum confuſus Adoleſcens repente obticuit. Tunc Senatus verecundia ejus motus, cauſam illi donavit. Atque ita modeſtia ſua, Demetrius veniam Patre, non jure defenſionis, ſed patrocinio pudoris obtinuit. Quod ipſum Decreto Senatus ſignificatum eſt: ut appareret, non tam abſolutum Regem, quam donatum filio Patrem.* Legi poteſt & *Polybius* Legatione 46. & *T. Livius* Lib. 39. *Demetrius* ad Patrem reverſus, in *Perſei* fratris odium incurrit; Cujus calumniis circumvento, & ob Romanorum gratiam ſuſpecto primo venenum dari; tum ſemivivo mori præfocari juſſit. (*Ex T. Livio* Lib 40.)

Bellum adverſus Perſeum Macedoniæ Regem.

XXI. Anno Urbis conditæ quingenteſimo octogeſimo tertio, bellum adverſus *Perſeum* Macedoniæ Regem ſuſceptum eſt. *Perſeum* debellavit *Æmilius Paulus*, & Macedoniam in formam Provinciæ redegit. Oppidorum quæ *Perſeum* juverant, in Epiro 70. muros diruit: Ac demum triumphavit *Perſeo* ante currum ducto cum tribus filiis: cujus triumphi lætitia ne ſolida ei contingeret, duorum filiorum funeribus inſignita eſt: Quorum alterius mors Patris triumphum præceſſit, alterius eſt ſecuta. (Ex *T. Livio* Lib. 45.) Anno belli hujus tertio, *Ennius* Poeta plurimarum Tragœdiarum, & Romanorum Annalium rudi & inculto carmine conſcriptorum Auctor, obiit annos natus ſeptuaginta: Ipſius honorifice meminerunt *Cicero in Bruto* Lib. 1. *Academicarum Quæſtionum*, Lib. 7. *De Finibus*; *Ovidius* 2. *Triſtium*; *Horatius* Lib. 1. *Epiſtolarum*, *Epiſt.* 19. Lib. 2. *Epiſt.* 1. & *de Arte Poetica*: *Lucretius* Lib. 1. *Quintilianus* Lib. 10. *Inſtitutionum Oratoriarum*, Cap. 1. *Macrobius* Lib. 6. *Saturnalium*, Cap. 3. *Suetonius Tranquillus* Lib. *De Illuſtribus Grammaticis*. *Ennio* coævi fuere, vel ſuppares *Cæcilius Statius* Poeta Comicus; *Marcus Pacuvius* Poeta Tragicus, *Ennii* Nepos, *Marcus Accius*, *Plautus*, & *Terentius*, Poetæ Comici, elegantiſſimi. *Terentii* Vitam ſcripſit *Suetonius*.

Ennii Poeta ablatus.

Bellum Punicum 3us. Scipio Conſul factus hoc bellum confecit.

XXII. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo quinto bellum Punicum tertium cœptum eſt ad *Maſiniſſam* Numidarum Regem vindicandum a Carthaginenſium injuriis, qui ipſum infeſtabant, & contra fœdus Naves habebant. Duo Conſules belli gerendi provinciam ſuſceperunt *Manilius* pedeſtribus copiis, *Cenſorinus* Claſſi præfectus eſt. Antequam ullæ Naves in Afri-

cam

Digitized by Google

cam apuliſſent, Uticenſes ſe ſuaque omnia dediderunt. Carthaginenſes idem fecerunt. Sed nihilominus vincente *Catonis* ſententia eo miſſi Conſules, qui Carthaginenſibus juſſere ut alio migrarent. Quo mandato ad bellum ſunt inflammati. Res ſegniter ac infeliciter geſta eſt a *Cenſorino* & *Manilio*, necnon a *Calpurnio Piſone* & *Mancino*. *Scipionis* virtus fideſque ab ipſo belli exordio maxime emicuit, & magnopere Romæ prædicata eſt. Hinc omnes optabant illum in Africam mitti Conſulem. Inſtabant Comitiorum dies: Sed obſtabat ætas viri nondum ad tantum honorem legitima. Ædilitatem enim ambiebat, cum Populus Conſulatum obtulit. Contradicentibus autem Conſulibus, & Legem objicientibus, Populus perſeverabat in precibus, clamitans ſe Legibus a *Tullio Romuloque* latis factum Comitiorum arbitrum, & poſſe Leges ad ea pertinentes vel ratas habere, vel irritas. Tandem nova Tribunorum Plebis minatus eſt adempturum ſe poteſtatem Comitiorum Conſulibus, ni aſſentirent Populo. Ita Conſules permiſerunt Tribunis Plebis ut Legem hanc in annum unum abrogarent, qui exacto ferrent eam denuo. Quod exemplum videtur ſumptum a Lacedæmoniis, qui cum, neceſſitate coacti Leges poſthabere, captos ad Pylum abſolverent ab ignominia, feruntur dixiſſe: *Dormiant Leges hodie*. Novus Conſul bello Punico Præfectus, Carthaginem expugnavit, ac funditus delevit. In clade Urbis captæ dum ferro & igne in hoſtes ſæviretur, die ſeptima, ſupplices quidam ad *Scipionem* confugerunt, præferentes verbenas *Æſculapii*, cujus Templum prædives erat in Arce, nobilius cæteris. Has illi prætendentes, de ſalute tantum paciſci cum *Scipione* petebant, concedenda his qui vellent, Arce excedere: Quod impetrarunt, exceptis tranſfugis. Exiveruntque mox quinquaginta millia virorum promiſcue ac mulierum, tranſmiſſis per anguſtam portam antemuralem: Quibus ſtatim addita eſt Cuſtodia. Tranſfugæ autem ad ſummum nongenti deſperata ſalute, in *Æſculapii* Templum ſe receperunt, cum *Aſdrubale* Carthaginis Duce, & uxore, duobuſque filiis. Unde facile Romanis reſiſtebant, ut e loco edito & impoſito rupibus; quo etiam pacis tempore ſexaginta gradibus, aſcendebatur. Tandem famis, vigiliarum, pavoris, exitio jam propinquante, impatientia, fano deſerto in ſummam ædem ſeſe proripuerunt: Et interim *Aſdrubal* clam fugit ad

Aſdrubalis deditio.

Scipionem cum ramis oleæ. Eum *Scipio* juſſum aſſidere ibi ad pedes, oſtendit tranſfugis: Quo viſo poſtularunt ſilentium, & impetrato, poſt effuſa in *Aſdrubalem* multa variaque convitia, Templum incenderunt, & ſe concremaverunt. Fertur, dum accenderetur ignis, uxorem *Aſdrubalis* ornatam pro tempore conſtitiſſe ex adverſo *Scipionis*, cum duobus filiis, & clara voce dixiſſe: *Tibi quidem, Romane, Dii ſint propitii, qui jure belli ageris: At hoc autem Aſdrubale, Patriæ Sacrorum, mei filiorumque proditore, Genii Carthaginis, Tuque cum iis, pœnas exigant.* Deinde ad *Aſdrubalem* verſa: *Sceleſte*, inquit, *perfide, effœminatiſſime virorum omnium, me quidem & hos, meos filios hic ignis ſepeliet: Tu vero ad quem triumpham ſervaris, Dux Magnæ Carthaginis? Quas non pœnas dabis huic, cui nunc ſupplex aſſides?* His exprobratis, jugulavit filios, conjecitque in ignem, & ſeipſam inſuper. Hunc aiunt

Uxoris ejus deſperatus furor.

fuiſſe uxoris exitum, qui magis decuiſſet ipſum *Aſdrubalem*, (inquit *Appianus*.) At *Scipio* Urbem, quæ per annos, ex quo fuerat condita, ſeptingentos floruerat Maris & Inſularum imperio, armis, claſſibus, elephantis, pecuniis, conferenda cum quovis Regno maximo: Audacia vero & alacritate præferenda etiam, quando ademptis navibus armiſque, tamen per triennium famem & bellum ſuſtinuit: Tunc funditus deletam videns, flevisse dicitur, & hoc Carmen cecinisse:

Carthago funditus deleta.

Jamque dies aderit quo concidat Ilion ingens,
Et Priamus, Priamique tenat Plebs armipotentis.

Familiariter a *Polybio* Præceptore rogatus, Quid ſibi vellent ea verba, faſſus eſt ingenue cogitationem ſibi incidiſſe de Patria cui timeret, vices rerum humanarum conſiderans, ut ipſe *Polybius* in Hiſtoriis ſuis memorat. Accepto victoriæ nuntio, Senatus decem Legatos lectos e Patrum numero, miſit in Africam, ut una cum *Scipione* ordinarent eam Provinciam. Hi ſi quid Carthaginis ſupererat, decreverunt ad Scipionem diruere: Interdixeruntque ne quis ibi habitet, additis etiam diris devotionibus, ſi quis contra faciat: Præſertim ſi quis Byrſam, Megarave condat denuo. Placuit & Civitates hoſtium eo bello ſocias omnes ad unam delere, & agros eorum attribuere Sociis Romani Populi, præſertim Uticenſibus, quicquid ab utroque latere Carthaginem & Hipponem uſque protenditur. Cæteros tributarios fecerunt & ſtipendiarios. Decreveruntque ut Prætor ad eos ex Urbe mitteretur annis ſingulis. *Scipio* Claſſe revectus in Urbem triumphum egit omnium nobiliſſimum, ornatum ſtatuis ac donariis, quæ Carthaginenſes per tot ætates, ex tot victoriis toto orbe partis, comportaverant in Africam. Hujus belli Hiſtoriam accurate ſcripſit *Appianus* Lib. *De Bellis Punicis*, præter quem legi poſſunt *Livianæ Epitome* Librorum 49. 50. & 51. *Florus* Libro 2. Cap. 15. *Eutropius* Libro 4. & *Oroſius* Libro 4. Cap. 22. Initio Belli Punici obiit Romæ *M. Porcius Cato* Cenſorius, annos quinque & octoginta natus, eum eo ipſo anno, Urbis nempe conditæ ſexcenteſimo quinto contra *Servium Galbam* ad Populum ſumma libertate dixiſſet, ut ſcribit *Cicero in Bruto*.

M. Porcius Cato.

Ejus Vitam apud *Plutarchum* legere eſt. Tribunus, Quæſtor, Conſul, & Cenſor fuit. Magnam potentiam collegit facundia, multique eum *Demoſthenem Togatum* appellabant. Hiſpaniam citeriorem Conſul fortiter, bellum glorioſe confecit. Ipſe plures Urbes ait ſe cepiſſe, quam egiſſet in Hiſpania dies.

Ejus in Cenſura ſeveritas.

Neque hæc jactantia fuit: Cœpit enim quadringentas (inquit *Plutarchus*.) Militibus, præter compendium ex bello magnum, libram argenti viritim diviſit: Ad ſe præter eſculenta & poculenta negavit ex præda quicquam rediiſſe. *Malo*, inquiebat, *de virtute cum optimis, quam cum divitibus de pecunia, aut cum avariſſimis certare de quæſtu.* In cenſura multorum in ſe concitavit invidiam ob ſeveritatem. *L. Quintium*, qui Conſul fuerat, & quod majoris momenti ei erat ad gloriam, *T. Quintii*, qui *Philippum* debellaverat, fratrem, Senatu movit, quod in gratiam Pueri, quo velut ſcorto abutebatur, Gallum tranſfugam in convivio interfeciſſet. Senatu pariter movit *Manlium*, quem omnium opinio Conſulem deſignabat, quod uxorem interdiu luiſſet oſculatus inſpiciente filia. Uxorem ſuam ajebat, niſi magno tonitru numquam complexum ſibi tuliſſe, utque per jocum ſe dicere ſolitum: *Jove tonante ſe beatum eſſe*. Plurimos offendit præciſo luxu, quem aperte extorquere laborante & infectæ multitudini non poterat. Quamvis *T. Quintii* factio, Tribunique illum ad Populum accuſaverint, Cenſuram ejus Populum approbaſſe conſtat. Cum enim poneret ei Statuam in Æde Salutis, non imperia adſcripſit, nec triumphum *Catonis*, ſed *Quod Rempublicam Romanam ad pravos mores declinantem ac vergentem, bona Diſciplina ſanctiſque Inſtitutis Cenſor correxiſſet.* Ad eos qui mirabantur; cum Statuas multi homines obſcuri haberent, ipſum non habere: *Malo*, inquit, *quæri quare nulla mea Statua extet, quam quare extet.* Atque omnino volebat, ut ne laudari quidem ſe permitteret bonus civis, niſi hoc e Republica fieret. Plurimus tamen fuit in ſeipſo prædicando. Quippe eos, qui ob vitia arguebantur, dicere ſolitos refert: *Immerito ſe culpari, qui Catones non eſſent.* Illos autem qui facta quædam ſua imitari inepte ſtuderent, *Siniſtros Catones* appellari. *Malle ſe*, ajebat, *mille benefactis ſuis non haberi honorem, quam peccantem ſe non puniri. Veniam dare ſe omnium noxis, præterquam ſuis.* Profeſſus convitio ab homine obſcenæ & improbæ vitæ: *Iniqua*, inquit, *tecum mihi pugna eſt. Nam & mala audis facile, & dicis prompte: Mihi tum dicere moleſtum eſt, tum audiendi ſum inſolens.* *Trium ſe per totam vitam pœnituiſſe* ajebat: *Unum quod Mulieri arcanum credidiſſet: Alterum, quod navigaſſet quo ire poterat pedibus: Tertium, quod unum diem manſiſſet inteſtatus.* Varia monumenta Hiſtoriaſque commentatus eſt. Bellum Punicum tertium & ſupremum accendit. Quacumque de re diceret ſententiam, ſemper ſuffragio ſuo addebat: *Hoc cenſeo, & Carthaginem delendam.*

Con-

Digitized by Google

A. Poſthumius Albinus Hiſtoricus.

Contra P. *Scipio Naſica* perpetuo pro ſententia dicebat, *Cenſeo Carthaginem relinquendam*. Lege *Plutarchum in Catone Majore*. Extrema Catonis ætate floruit *Aulus Poſthumius Albinus*, qui & Prætor & Conſul fuit. Hic Hiſtoriam Rerum Romanarum græce ſcripſit. Cum vero initio Hiſtoriæ ſuæ ſibi veniam imperitiæ petiiſſet, quod homo Romanus Græca oratione uteretur, *M. Cato* eum feſtive riſit, *Quod maluerit culpam deprecari quam culpa vacare..... Ei veniam dandam dixit, ſi illud Opus Amphictionum decreto ſubactus aſſumpſiſſet*. Referunt *Plutarchus in Catone Majore*, *A. Gellius* Lib. 11. Cap. 8. *Macrobius in Proœmio Saturnalium*, & *Cornelius Nepos*.

Corinthus diruta.

XXIII. Eodem quo Carthago concidit anno, *Lucius Mummius Nepos* Conſul Corinthum funditus evertit; ut ſcribit *Vellejus Paterculus* Libro 1. Diruta Corintho, *Mummius* aliarum Græciæ Urbium, quæ contra Romanos bellum ſuſceperant, muros dejecit, armaque Civibus ademit. Deinde poſtquam Legati Roma miſſi ſunt, quorum conſilio in Græciæ rebus ordinandis uteretur, Concilia ſingularum Nationum, Achaicum, Phocicum, Bœoticum, &c. abolavit, *Pauſania* teſte in *Achaicis*.

Bellum Hiſpanicum.

XXIV. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo decimo, bellum Hiſpanicum adverſus *Viriatum* Luſitaniæ Ducem decretum eſt. *Sulpicio Galba*, & *L. Aurelio Cotta* Conſulibus. Qui cum in Senatu de Imperio contenderent, *Scipio Æmilianus* cenſuit neutrum in Hiſpaniam mittendum, quod alter nihil haberet, alteri nihil ſatis eſſet. Sic *Cotta* paupertatem, *Galba* avaritiam notabat; Obtinuitque ut neuter eam in Provinciam mitteretur (ut refert *Valerius Maximus*, Libro 6. Cap. 4.) Itaque *Scipionis* fratri *Q. Fabio Æmiliano* Imperium Proconſulare in Hiſpania prorogatum eſt. *Viriatum* vicit *Fabius*; Sed cum victoriam incautius perſequeretur, ad eas anguſtias redactus eſt, ut pacem illi concedere operæ pretium duceret. Poſtea *Q. Servilius Cæpio* Conſul in Hiſpaniam miſſus, pace neglecta, quam cum *Viriato* fecerat *Fabius*, Senatu permittente, bellum contra *Viriatum* renovavit, illum fudit, fugavit; ejuſque Legatis corruptis, dolo interemit. Romanis diſplicuit *Cæpionis* perfidia. *Viriati* interfectoribus præmium a *Cæpione* promiſſum petentibus reſponſum eſt: *Nunquam Romanis placuiſſe Imperatores a ſuis Militibus interfici*. In locum *Viriati* novo Imperatore creato *Tantalo*, adverſus Saguntum expeditio ſuſcepta eſt. Hanc Urbem *Annibal* everſam inſtauraverat, & Patriæ nomine Carthaginem appellaverat. Repulſos inde Hiſpanos, cum Bætim amnem tranſirent, ſubſecutus *Cæpio* ita preſſit urſitque, ut *Tantalus* rebus ſuis diffidens & ſe & Exercitum traderet ea conditione ut non iniquius quam ſubditos tractaret. Omnibus armis ſpoliati, & ne deinceps latrociniis viverent, terra ſatis ampla donati ſunt. (Ex *Appiano* Libro *De Bellicis Hiſpanicis*.)

Bellum Numantinum.

XXV. Iiſdem temporibus Numantinum bellum in Celtiberia ortum eſt: Quod Segidenſes ſocios ſuos manibus Romanorum elapſos Numantini recepiſſent. Qui juſſi a *Metello* arma deponere, minime paruerunt. Cum Numantinis a *Q. Pompejo* primum, deinde *M. Popilio Procoſ.* tum ab *Hoſtilio Mancino*, infeliciter pugnatum eſt. Tandem *Scipio Æmilianus* iterum Conſul Numantinis debellatis & fame expugnatis, quinquaginta tantum triumpho ſervavit, cæteros ſub corona vendidit: *Numantiam* vero ſolo æquavit, ut antea Carthaginem. (Ex *Appiano* Lib. *De Bellis Hiſpanicis*.)

L. Accius Poeta.

XXVI. Dum Numantinum Bellum gerebatur, *Junius Brutus* Conſul Hiſpaniam ulteriorem ſortitus, Luſitanos multis cladibus affecit; & Gallæcos, ſive Galliacos, montanæ regionis incolas, qui Luſitanis ſuppetias tulerant, devicit, unde & *Gallæci* cognomen conſecutus eſt. (Ex *Liviana Epitome* Libro 55. *Floro* Libro 2. Cap. 17. *Eutropio* Libro 4. *Oroſio* Libro 5. Cap. 5.) Floruit Romæ eo tempore *Lucius Accius* Poeta Tragicus, de quo *Cicero Oratione pro Archia Poeta* ait: *Decimus quidem Brutus ſummus ille Vir & Imperator, Accii amiciſſimi ſui carminibus Templorum ac Monumentorum aditus exornavit ſuorum*.

XXVII. Eodem anno quo Numantinum bellum confectum eſt, bellum Servile in Sicilia excitavit *Eunus* Syrus ex urbe Apamea ſervus *Antigenis* Eunenſis. *Calpurnius Piſo*, & *Rupilius* Conſules bellum iſtud confecerunt, ac ſervos perdomuerunt. De quo legenda Excerpta ex *Diodori Siculi* Lib. 34. *Liviana Epitome* Libri 56. *Florus* Lib. 3. Cap. 19. *Valerius Maximus* Lib. 2. Cap. 7. *Oroſius* Lib. 5. Cap. 6.

Bellum Servile.

Lex Agraria. Tiberii Gracchi cædes.

Eodem anno quo everſa Numantia eſt, Urbis conditæ ſexcenteſimo vigeſimo-primo, *Tiberius Gracchus* Vir Conſularis & Tribunus Plebis civilis ſeditionis auctor fuit, in qua ipſe miſere periit. Legem Agrariam tulit, *Ne quis ex agro publico plus quam quingenta jugera poſſideret: Quod ſupereſſet, id pauperibus divideretur*. Quin etiam *Attali* Pergami Regis pecuniam, (qui nuper mortuus, Populum Romanum hæredem ſcripſerat,) egentibus diſtribuendam cenſuit. Cumque palam diceret, ſublato Senatu omnia per Plebem agi debere, Patres Conſcripti in Ædem Fidei publice convocati a *Mucio Scævola* Conſule, quid in tale tempeſtate faciendum eſſet, deliberabant: Cunctiſque cenſentibus, ut Conſul armis Rempublicam tueretur, *Scævola* negavit ſe quidquam acturum. Tum *Scipio Naſica* circumdata lævo brachio togæ lacinia, ſublataque dextera proclamavit: *Qui Rempublicam ſalvam eſſe volunt, me ſequantur*. Tum ad Capitolium contendit, ubi Plebs cum Graccho congregata erat, *Scævolum* ſecuti ſunt Optimates, Senatus, & Ordinis Equeſtris pars melior & major. *Gracchus* fugiens fragmine ſubſellii occiſus eſt. Corpus ejus in Tiberim projectum. Ex Plebe trecenti & amplius fuſtibus contuſi & lapidibus obruti ceciderunt. (Ex *Appiano* Lib. 1. *De Bellis Civilibus*, *Vellejo Paterculo* Lib. 2 Capp. 2. & 3. *Floro* Lib. 3. Cap. 14. *Valerio Maximo* Lib. 3. Cap. 2. *Plutarcho in Gracchis*, *Aurelio Victore De Viris Illuſtribus*; *Oroſio* Lib. 5. Cap. 8. *Cicerone Oratione De Aruſpicum Reſponſis*.) Scipio Africanus *Æmilianus* ad Numantiam nuntiato *Tiberii Gracchi* exitu, exclamaſſe fertur:

Sic pereat quiſquis deſignet talia facta.

Poſtea cum a Numantiæ excidio reducem C. *Carbo* Tribunus Plebis ad Roſtra perductum interrogaret, Quid ſentiret de cæde *Gracchi*? Jure eum cæſum videri reſpondit. Obſtrepente Populo, *Taceant*, inquit, *quibus Italia noverca eſt*: (Ex *Plutarcho*, *Valerio Maximo* Lib. 6. Cap. 2. & *Vellejo Paterculo* Lib. 2. Cap. 4.) Scipio paulo poſt in lectulo mortuus eſt repertus, non ſine veneni ſuſpicione ab uxore *Sempronia* ſorore *Gracchorum* dati ſuſpicione.

Polybius Hiſtoricus.

Scipioni diu ſuperſtes non fuit Polybius Megalopolitanus, Philoſophus & Hiſtoricus nobilis, pacis & belli artibus clariſſimus, quo *Scipio* ipſe Præceptore gloriabatur, ejuſque conſiliis & opera plurimum uſus eſt. Hujus celebratur vox egregia conſilium dantis *Scipioni* ſuo: *Quoties forum prodiiſſet, ne domum prius rediret, quam aliquem ſibi benefaciendo amicum adjunxiſſet*. De *Polybio* pluribus agunt *Caſaubonus* ipſius Interpres, & *Voſſius* Lib. 1. *De Hiſtoricis Græcis*, Cap. 19.

Romanorum bellum cum Gallis Tranſalpinis.

XXVIII. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo trigeſimo bellum cum Tranſalpinis Gallis cœptum eſt. C. *Sextius Calvinus* Conſul Salios funditus delevit, coloniam Aquas Sextias condidit. (Ex *Liviana Epitome* Libri 61. & *Vellejo Paterculo* Lib. 1.) Poſt biennium *Cn. Domitius Ahenobarbus* contra Arvernos & Allobroges bellum geſſit, eoſque devicit. (Ex *Liviana Epitome* Lib. 61. *Floro* Lib. 3. Cap. 2. *Suetonio in Nerone*, *Oroſio* Lib. 5. Cap 13.) Anno Urbis conditæ trigeſimo-tertio ſupra ſexcenteſimo *Q. Fabius Maximus Conſul* Arvernos & Allobroges debellavit. Cæſa ex *Bituiti* ſive *Betulti* Arvernorum Regis Exercitu centum viginti millia: & cum ipſe ad ſatiſfaciendum Senatui Romam profectus eſſet, Albæ in cuſtodiam datus eſt, quia contra pacem videbatur ut in Galliam remitteretur. (Ex *Liviana Epitome* Lib. 61. & *Oroſio*.) *Domitii* perfidia captum vinctumque *Bituitum* Regem ſcribit *Valerius Maximus* Lib. 9. Cap. 6. Gallia Narbonenſis a *Q. Fabio* in Provinciam redacta eſt. Poſt triennium colonia Narbonam deducta.

Bellum contra Jugurtham Numidarum Regem.

XXIX. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio bellum contra *Jugurtham* Numidarum Regem ſuſceptum eſt, Duce *Calpurnio*, quem Rex donis corrupit. *Jugurtham* in deditionem acceptum, in-

interpoſita fide publica, Romam deduxit *Caſſius Longinus* Prætor. Dimiſſus a Senatu, cum pecuniam Romæ tantum poſſe vidiſſet, dixiſſe fertur: *Urbem venalem, ſi emptorem invenerit!* Poſtea *Metellus* Conſul ad bellum gerendum in Numidiam miſſus, *Jugurtham* duobus præliis vicit ac fugavit. Poſt hunc belli ſumma *C. Mario* Conſuli commiſſa eſt, qui adjuncto ſibi *L. Cornelio Sulla* Quæſtore, bello finem impoſuit. *Bocchus* Mauritaniæ Rex *Jugurtha* ſocer Generum ſuum *Sullæ* vinctum tradidit, a quo ad *Marium* deductus eſt, & *Marii* ſecundo Conſulis triumpho ſervatus. (Ex *Salluſtio.*) Eo erupit ambitionis *Sulla*, ut facti hujus ſculptam in annulo imaginem geſtaret, qua exprimebatur *Bocchus* tradens, & *Sulla* accipiens *Jugurtham*. Ita referunt *Plutarchus in Mario & in Sulla*, & *Valerius Maximus* Lib. 8. Cap. 14. Hinc illud *Plinii* Lib. 37. Cap. 1. *Sulla Dictator traditione Jugurthæ ſemper ſignavit.*

Marius Jugurthino bello perſunctus, Teutones & Ambronas circa Aquas Sextias duobus præliis debellavit, ducenta millia hoſtium cecidit, octoginta millia cepit, cum Duce eorum *Teutoboco* ſive *Teutobodo*. (Ex *Plutarcho in Mario*, *Eutropio* Lib. 5. *Floro* Lib. 3. Cap. 3. *Vellejo Paterculo* Lib. 2. Cap. 12. *Oroſio* Lib. 5. Cap. 16.) Ea victoria *Mario* 4. Conſuli contigit anno Urbis conditæ ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo. Anno ſequenti idem *Marius* 5. Conſul, juncta cum *Lutatio Catulo* Proconſule copiis Cimbros, qui in Italiam penetraverant, fudit circa Atheſim fluvium in Campo quem Raudium vocant. Cæſa Barbarorum centum quadraginta millia, capta millia ſexaginta. Rex eorum *Bojorix* in acie cecidit. (*Ex iiſdem Auctoribus.*)

Q. Mutius Scævola Aſiæ Proconſul.

XXX. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo quinquageſimo nono, *Q. Mutius Scævola* Proconſul in Aſiam miſſus, lecto ſibi Legato viro optimo *P. Rutilio Ruſo*, hujus conſilio in adminiſtranda Provincia ac jure dicendo ſemper uſus eſt, ejuſque præcipue opera Publicanorum injurias, qui Provinciales opprimebant, coercuit. Aſiam autem novem menſium ſpatio tam ſancte rexit, ut Senatus deinceps cæteris Magiſtratibus illum in exemplum proponeret; & dies feſtus a Græcis beneficiorum memoribus in honorem inſtitutus ſit, quem *Mutio* Aſiani nominabant. (*Ex Valeſianis Excerptis Diodori*, *& Cicerone* Libro 2. *De Oratore*, Epiſtola 17. Lib. 5. *ad Atticum*, & 2. *in Verrem*.) Equites Romani judiciorum poteſtatem Gracchania Legibus nacti *Rutilium* repetundarum injuſte damnaverunt. Damnatus, cum lis pecunia eſſet æſtimata, bonis protinus ceſſit, quo maxime ejus innocentia comprobata eſt; cum multo minus ea iis redactum eſſet, quam ex Aſia illum rapuiſſe accuſatores ejus conclamabant; eoque omnia juſtis ac legitimis titulis ad ſe perveniſſe demonſtraret. Invidiæ porro cedens nemine cogente in exilium abiit, & profectus in Aſiam Mitylenis vixit. Cumque illum conſolaretur nonnemo, & diceret inſtare arma civilia, ac brevi futurum ut omnes exules reverterentur: *Quid tibi*, inquit, *mali feci, ut mihi pejorem reditum quam exitum optares? Malo ut patria exilio meo erubeſcat, quam reditu mæreat.* Reſponſum illud *Rutilii* laudat *Seneca* Lib. 6. *De Beneficiis*, Cap. 37.

P. Rutilius Rufus injuſte accuſatus. Ejus in Patriam ingratam eurſitas.

XXXI. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, *M. Livius Druſus* Tribunus Plebis cum Senatui priſcum decus reſtituere vellet, eique Judicia vindicare, quæ ad Equeſtrem ordinem *Gracchus* tranſtulerat, varias Leges tulit: Inter quas erat una de Sociis Civitatis jure donandis, quam cum iis promiſiſſet, nec præſtare poſſet, in omnium odium incurrit, atque incerto auctore poſt interfectus eſt.

Bellum Italicum.

Poſt *Druſi* necem Itali indignati, conſpiratione facta a Populo Romano defecerunt, armiſque jus Civitatis ſibi vindicare decreverunt. Bellum itaque Romanos inter & Italos, qui in cæteris Expeditionibus Romanorum ſocii erant & commilitones, geſtum eſt, quod propterea *Sociale* & *Italicum* dictum fuit, aliis *Civile*, nonnullis *Marſicum*, quia primi Marſi commoverunt. Totis utrinque viribus per quadriennium pugnatum eſt, cladibuſque mutuis. Proſpera demum fuere magis Romanorum arma, *Cn. Pompejo Strabone*, *C. Mario*, *L. Sulla*, *C. Coſconio*, & *Cæcilio Metello* rem præclare gerentibus. Bellum itaque Sociale maxima contentione geſtum eſt, donec univerſa Italia Civitatem Romanam adepta eſt, præter Lucanos & Samnites, qui tamen poſtea voti compotes facti ſunt. Eo bello flagrante tum primum liberti in Militiam admiſſi: Sociis vero in officio manentibus jus Civium a Senatu decretum eſt; quo beneficio & amici amplius devincti, & dubii in fide retenti. Hos novellos Cives Populus R. non in 35. Tribus, quot tunc erant, diſtribuit, ne veteres in ſuffragiis numero vincerentur: Sed redactis eis in Decurias, novas alias Tribus conſcripſit, in quibus illi poſtremi ferrent ſuffragia, & ſæpe ſupervacui fierent: Quod veteres illæ 35. plus quam dimidium Tribuum conficerent. Quod conſilium, ſive tunc non animadverſum eſt; ſive Socii contenti modico tum non requirebant amplius, poſtea tamen deprehenſum, novarum ſeditionum materia fuit. (Ex *Appiano* Libro 1. *De Bellis Civilibus*, *Liviana Epitome Librorum* 72. 73. 74. 75. 76. *Floro* Libro 3. *Vellejo Paterculo* Libro 2. *Oroſio* Libro 5.)

Bellum Mithridaticum.

XXXII. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Bellum Mithridaticum cœptum eſt adverſus *Mithridatem Eupatorem* Ponti Regem, quod *Ariobarzanem* Cappadociæ, *Nicomedem* Bithyniæ Regno exuiſſet. Belli ſumma *L. Cornelio Sullæ* Conſuli mandata eſt. *Marius* ejus belli cupiditate flagrans *C. Sulpitium* Tribunum Plebis impulit, ut Lege lata *Sullæ*, qui in Campania reliquias belli *Italici* perſequebatur, Imperium abrogaret. *Sulla* reverſus Rempublicam in ſua poteſtate habuit, *Sulpitium* occidit, *Marium* fugavit. Interim *Mithridates* Phrygiam vaſtat, Myſiam, Aſiamque percurrit, miſſis circumquaque ſuis Ducibus, Lyciam, Pamphiliam, aliaque uſque ad Joniam ſubigit. *Q. Oppium* & *Manium Aquilium* Duces Romanos vinctos circumducit. *Manium* poſt opprobria Pergami necat, auro liquato in os ejus infuſo, corruptelas largitionum Romano Nomini ſic exprobrans. Romanos & Italos hoſpites, cum uxoribus liberis, cæteriſque ingenuis domeſticis Italici generis, eadem die Aſia tota interfici jubet ac inſepultos abjici. Rhodum fruſtra oppugnat, in fide Romanorum conſtantem. Interim *Sulla* in Græciam trajicit, Athenas expugnat, Piræum incendit, *Archelaum* Mitridatici Exercitus Ducem, ad Chæroneam, ad Orchomenum, alibi, magnis cladibus afficit, compellitque *Mithridatem* ad pacem petendam, cujus conditiones *Sulla* dedit, ſcilicet: Ut Claſſem, quam habebat *Archelaus* Romanis traderet; Tum Duces, Legatos, captivos, tranſfugas, & Chios, cæteroſque e Civitatibus ſuis in Pontum abſtractos dimitteret, præſidia locis omnibus deduceret, niſi in quibus ante violatam pacem habuerat; ſumptus belli Romanis reſtitueret; paterno Ponti Regno contentus eſſet. *Fimbria* Dux Romanus, cum *Flacco* in Aſiam miſſus a *Cinna*, qui *Sullam* Reipublicæ hoſtem declaraverat, ab eodem *Sulla* domitus eſt: Exercitus cui *Fimbria* præerat, ad *Sullam* defecit, *Fimbria* in deſperationem actus gladio ſe confodit. Brevis fuit de pace lætitia: Bellum ſæpe redintegratum eſt, *Muræna*, *Lucullo*, *Pompejo*, Ducibus; adeo ut anni quadraginta Mithridatico bello ab Hiſtoricis tribuantur. Id tandem a *Pompejo Magno* confectum eſt. Debellatus *Mithridates*, ad Gallos fœderatos iter deſtinabat, ut cum eis per Alpes Italiam invaderet: Sed Exercitus ipſa immani audacia & Expeditionis longitudine deterritus a *Mithridate* defecit, ac *Pharnacem* ejus filium Regem ſalutavit.

Mors Mithridatis.

Mithridates rerum ſuarum deſperatione, venenum miſcuit. Duæ vero filiæ virgines, Ægypti & Cypri deſponſæ Regibus, enixe rogabant ut ante illum venenatam potionem ſumerent; vetabantque bibere, donec ipſæ hauſiſſent. Et has quidem veneni vis penetravit continuo, extinxitque; In *Mithridatem*, quamvis data opera concitatius ambulantem, nihil agebat, propter quotidianam pharmacorum conſuetudinem, quibus ſe contra veneficos munire ſolebat, quæ ab ipſo Mithridatica vocari uſus obtinuit. Unde Ducem quemdam Gallorum *Bituitum* rogavit ut ipſum interimeret. Vixit octo aut novem annos ſupra ſexaginta, regnavit 57. De quo, totoque Mithridatico bello legendus *Appianus* Libro ſingulari *De Bellis Mithri-*

dati-

datiris, ex quo hæc excerpſimus; cum *Livianæ Epitome* Librorum 78. 81. 82. 83. 97. 98. 100. 102. 102. *Vellejo Paterculo*, *Floro*, *Eutropio*, & *Plutarcho in Vita Sullæ*.

Bellum civile Sullam inter & Marium.

XXXIII. Belli Mithridatici occaſione bellum Civile atrociſſimum incenſum eſt inter *L. Sullam* & *C. Marium*, qui rei contra *Mitridatem* gerendæ, ac Romanorum Exercituum in illa Expeditione Imperium, *Sulla* ex Senatu decretum, illi abrogari, ſibique deferri curavit *Sulpitii* Tribuni Plebis factione. A *Marii* partibus ſteterunt *L. Cornelius Cinna*, *Cn. Carbo*, *Cn. Norbanus*, & *Q. Sertorius*. *Sullæ* faverunt *Cn. Octavius Nepos*, & *Cn. Pompejus*. Ferali bello Urbs miſere dilacerata ac devaſtata eſt. *Sulpitius* Tribunus occiſus. *Marius* poſt varia diſcrimina, Præneſtæ obſeſſus, mortem ſibi conſcivit, ne in manus hoſtium veniret. *Octavius* Conſul a *Cenſorino* in Janiculo interfectus. Caput ejus ad *Cinnam* relatum: quod tunc primum Conſulis caput pro Roſtris fuit poſitum. *Cinna* Conſul in ſeditione gladiis confoſſus eſt. *Carbo* profugus *Pompeii* manu cecidit. *Norbanus* Rhodi in medio foro ſe transfixit, ne *Sullæ* dederetur. *Sulla* finito in Italia bello, Populum Romanum in concionem vocavit, multa de ſe magnifice, multa ad illos terrendos vehementer locutus.

Sullæ tyrannica dominatio.

Poſt concionem Senatores quadraginta, Equites Romanos mille ſexcentos proſcripſit. Hic enim primus capitalis proſcriptionis auctor eſt habitus, qui & præmia percuſſoribus proſcriptorum, latentiumque indicibus propoſuit, & pœnam abditos celantibus interminatus eſt. Nec multo poſt alios etiam Senatores in proſcriptorum album retulit. Ex his quidam inopinato oppreſſi paſſim per domos, per Templa, per Porticus, alii ſublimes correpti, & ad pedes *Sullæ* projecti: Alii raptati conculcatique, nemine ad tam dira ſpectacula muſſitare auſo: Alii pellebantur ex Urbe, bonis ſuis alii ſpoliabantur; Profugi quærebantur, comprehenſi trucidabantur: Nec minor fuit Sociorum cædes, direptio, expulſio, qui *Carboni*, aut *Norbano*, aut *Mario*, eorumve Legatis paruerant; & per totam Italiam exercebantur ſevera de his rebus Judicia, variis criminibus, Militiæ, Militaris Præfecturæ, collatæ pecuniæ, cujuſvis operæ contra *Sullam* præſtitæ, vel communicati contra eum conſilii, rei peragebantur & hoſpites, & amici, creditores, debitoreſque. Ut vero ſingulorum criminationes defecerunt, tum totos Populos adortus *Sulla* punit: Aliorum arces ac mœnia diruit, alios pecuniis mulctavit, alios vexavit exactionibus graviſſimis: Aliò colonos deduxit, quorum opera in eo bello uſus fuerat, qui opportunis locis diſpoſiti, in ipſius poteſtate continerent Italiam, tranſlatis ad eos veterum poſſeſſorum prædiis: Quo beneficio per totam vitam habuit obnoxios. Poſtquam res inimicorum ſuo tractavit arbitratu, ita ut nihil hoſtile ſupereſſet præter *Sertorium*, & eum quidem longe remotum, *Metello* contra eum in Hiſpaniam miſſo, pro libito res urbanas ordinavit. Cum enim Legum, ſuffragiorum, ſortium nulla haberetur ratio, univerſis metu latitantibus, aut ſilentibus, omnia *Sullæ* Acta tam Conſulis quam Proconſulis rata Senatus Populuſque Romanus habuit, & ſtatuam auratam equeſtrem pro Roſtris ei poſuit cum hac inſcriptione: CORNELIO. SULLÆ. IMPERATORI. FELICI. Mox rogante *Valerio Flacco* Interrege, *Sulla* Dictator creatur, donec Res Urbanæ ac Italicæ ordinatæ ſint; quo nomine tyrannidem exercuit, ſolo nomine Regis abſtinens. Poſt triennium ſponte Dictatura ſe abdicat, & ad privatam vitam redit. Fertur cum Magiſtratum in medio foro deponeret, dixiſſe, paratum ſe rationem Actorum ſuorum reddere, ſi quis expeteret, ſimulque abegiſſe Lictores, cum ſuis ſecuribus, atque Satellites, & cum ſolis amicis obambulaſſe, tota Urbe ſpectante & novitate rei attonita.

Sulla primus ex Patritiis Corneliis corpus ſuum cremari voluit.

Anno ſequenti in agro Cumano ex morbo pediculari mortuus, & Romam funebri pompa perlatus, in Campo Martio ſepultus eſt, cum annos ſexaginta vixiſſet. Primus e Patriciis Corneliis corpus ſuum cremari voluit, talionem forte veritus. Nam *C. Marii* cadaver conditum apud Avienem erui, ac mortales exuvias diſſipari juſſerat. Unus ſupererat ex *Mariana* factione *Sertorius* Hiſpaniæ Prætor, qui octo annos continuavit bellum difficile Romanis, donec a *Pompejo* bene debellatus, a *Perpenna* Romano partium ſuarum Duce occiſus eſt. Conſtant iſta ex *Appiano* Libro 1. *De Bellis Civilibus*, *Livianæ Epitome* Librorum 77. 79. 84. 85. 112. *Plutarcho in Vitis Sullæ*, *Marii*, *Sertorii*, *Floro* Lib. 3. *Vellejo Paterculo* Lib. 2. *Eutropio* Lib. 5. *Oroſio* Lib. 5. &c.

Capitolii conflagratio.

Sullanis temporibus Capitolium conflagravit, anno Urbis conditæ ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, *L. Cornelio Scipione*, & *C. Norbano Piſone* Conſulibus anno poſtquam ab *Horatio Pulvillo* iterum Conſule dedicatum fuerat, quadringenteſimo vigeſimo-quinto.

Sybillina carmina.

Hoc incendio Sybillina Carmina, quæ aſſervabantur in Capitolio, perierunt. Ita referunt Hiſtorici mox laudati, *Plutarchus in Sulla*, *Saluſtius De Bello Catilinario*, Cap. 47. *Solinus*, Cap. 8. *Cornelius Tacitus* Lib. 3. *Hiſtoriæ*, Cap. 14. & *S. Auguſtinus* Lib. 2. *De Civitate Dei*, Cap. 24. Reſtaurato Capitolio, Legati in Aſiam miſſi ſunt Erythras ad Carmina Sybillina conquirenda, ut in Capitolio reponerentur, ut ex *Feneſtella* refert *Lactantius* Lib. *De Ira Dei*, Cap. 22. & Lib. 1. *Inſtitutionum*, Cap. 7. *L. Dionyſium Halicarnaſſenſem* Lib. 4.

XXXIV. Eodem anno quo bellum Sertorianum confectum eſt, Urbis conditæ ſexcenteſimo octogeſimo primo; Conſulatum geſſit *M. Terentius Varro*, vir linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis peritiſſimus; cujus elogium quatuor verbis *Terentianus* complexus eſt, dicens.

Vir doctiſſimus undecumque Varro.

Varronis ætas & elogium.

Quadringentos & nonaginta Libros a ſe ſcriptos eſſe, atque ad annum ætatis octogeſimum quartum ſe vitam jam produxiſſe, teſtatur ipſe Lib. 1. *Hebdomadum*, ubi ait: *Se jam duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe, & ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas Librorum conſcripſiſſe.* Locum *Varronis* profert *A. Gellius* Lib. 3. Cap. 10. Ipſi Librum primum Academicarum Quæſtionum *Cicero* inſcripſit, eumque plurimum commendavit. Ipſius teſtimonio non ſemel uſus eſt *S. Auguſtinus* in Libris *De Civitate Dei*, præſertim Lib. 6. ubi de Diis gentium & eorum Sacris acturus, hæc de *Varrone* præmittit, Cap. 2. *Quis Marco Varrone curioſius iſta quæſivit? Quis invenit doctius? Quis conſideravit attentius? Quis diſtinxit acutius? Quis diligentius pleniuſque conſcripſit? Qui tametſi minus eſt ſuavis eloquio, doctrina tamen atque ſententiis ita refertus eſt, ut in omni eruditione quam nos ſecularem, illi autem liberalem vocant, ſtudioſum rerum tantum iſte doceat, quantum ſtudioſum verborum Cicero delectat. Denique & ipſe Tullius huic tale teſtimonium perhibet, ut in Libris Academicis dicat eam, quæ ibi verſatur, diſputationem ſe habuiſſe cum Marco Varrone, homine, inquit, facile omnium acutiſſimo, & ſine ulla dubitatione doctiſſimo ..... In primo autem Libro cum ejuſdem Varronis litteraria opera prædicaret: Nos inquit, in noſtra Urbe, tanquam hoſpites, tui Libri quaſi domum reduxerunt, ut poſſemus aliquando qui & ubi eſſemus, agnoſcere. Tu ætatem Patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu publicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti. Iſte igitur vir tam inſignis excellentiſque peritiæ, & quod de illo etiam Terentianus elegantiſſimo verſiculo breviter ait, Vir doctiſſimus undecumque Varro: Qui tam multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur; tam multa ſcripſit, quam multa vix quemquam, legere potuiſſe credamus: Iſte, inquam, vir tantus ingenio, tantuſque doctrina, ſi rerum velut divinarum, de quibus ſcribit, oppugnator eſſet atque deſtructor, eaſque non ad Religionem, ſed ad Superſtitionem diceret pertinere, neſcio utrum tam multa in eis ridenda, contemnenda, deteſtanda conſcriberet .... Quid exiſtimare debemus, niſi hominem acerrimum ac peritiſſimum, non tamen Sancto Spiritu liberum, oppreſſum fuiſſe ſuæ Civitatis conſuetudine ac legibus; & tamen ea quibus movebatur ſub ſpecie commendandæ Religionis tacere noluiſſe? Quadraginta & unum Libros ſcripſit, Antiquitatum. Hos in res humanas divinaſque diviſit* &c. Et Lib. 19. Cap. 22. ubi verum Deum eſſe probat cui Chriſtiani ſerviunt: *Ipſe eſt Deus*, inquit, quam

quem Varro Doctiſſimus Romanorum Jovem putat, quamvis neſciens quid loquatur: Quod tamen ideo commemorandum putavi, quoniam vir tanta ſcientia nec nullum iſtum Deum potuit exiſtimare, nec vilem. Hunc enim eum eſſe credidit, quem Summum putavit Deum.

Syria in Provinciæ formam redacta.

XXXV. Annus Urbis conditæ ſexcenteſimus nonageſimus-primus *M. Tullii Ciceronis* Conſulatu, *Catilinæ* conjuratione, quam ille vigilantia ſua & eloquentia diſſipavit; *C. Octavii Cæſaris*, qui poſtea cognominatus eſt *Auguſtus*, nativitate; *Mitridatis* morte, Syriæ in Provinciæ formam reductione inſignis fuit. *Cujus Pompejus* Sertoriano, Pyratico, Mithridatico Bellis confectis, in Syriam deſcendit, & *Antiochum Pii* filium Regno ſpolians, Syriam Romanæ Reipublicæ Provinciam fecit. Ducto deinde in Arabiam Exercitu, Petra expugnata, domitis Arabibus *Pompejus* in Judæam tranſiit, cui *Ariſtobolus* expulſo fratre *Hyrcano* Rex præerat. Cum Hieroſolymis immineret, *Ariſtobolus* ei obviam venit, pecuniamque pollicitus, & quod ſemetipſum ei cum Civitate permitteret, rogabat ut omiſſo Bello, quicquid vellet pacate ageret. *Pompejus* data roganti venia miſit *Gabinium* cum Militibus in Urbem ad accipiendam pecuniam: Qui tamen re infecta rediit, excluſus, & vacuis manibus. Ea re commotus *Pompejus*, *Ariſtobulo* cuſtodiæ tradito, Hieroſolyma properavit. Qui *Ariſtobuli* partes ſequebantur, Templum occuparunt, & præciſo Ponte qui in Urbem ferebat, ad bellum ſe compararant. At qui ſtabant ab *Hyrcani* partibus, introducto Exercitu, Urbem & Domum Regiam tradiderunt. *Pompejus* in Templi obſidionem incumbens, & diebus maxime Sabbati aggerem & turres erigi, machinas admoveri, mœnia ſaxis miſſilibus concuti jubens, menſe obſidionis tertio Templum expugnavit, ſolemni Menſis tertii Jejunio, quo Urbs poſtea a *Soſio* occupata eſt. Introgreſſus in Templum *Pompejus*, & una cum eo non pauci alii, inſpexerant quæ nefas erat videre niſi ſoli Pontifici: A ſacris tamen vaſis, pecuniiſque ibi ſervatis abſtinuit. Sequenti die purgare Templum Æditues juſſit, & Deo legitima offerre ſacrificia. *Hyrcano* Pontificatum reddidit, uſu diadematis illi interdicto. Judæos Populo Romano fecit tributarios. Urbes vero quas in Cœleſyria quondam occupaverant, illis ademptas juſſit proprio parere Præſidi. Lege *Joſephum Lib. 14. Antiquitatum, Cap. 8. & Lib. 1. De Bello Judaico, Cap. 5. Ciceronem Oratione pro Flacco, Livianam Epitomen Libri* 105. *Eutropium Lib. 6. Strabonem Lib. 16. Appianum in Mitridaticis & in Syriacis, Plutarchum in Pompeio, C. Tacitum Lib. 5. Hiſtoria, Cap. 9.* ubi inter alia hæc habet: *Romanorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit, Templumque jure victoriæ ingreſſus eſt. Inde vulgatum, Nulla intus Deum effigie, vacuam Sedem, & inania arcana. Muri Hieroſolymorum diruti, delubrum manſit.* De hac *Pompeii* Expeditione *Florus* Lib. 3. Hiſtoriæ, cap. 5. *Libanum Syriæ Damaſcumque tranſgreſſus, per Nemora illa odorata, per thuris & balſami ſylvas, Romana ſigna circumtulit. Arabes, ſi quid imperaret, praſto fuere. Hieroſolymam defendere tentavere Judæi: Verum hanc quoque & intravit, & vidit illud grande impiæ Gentis arcanum patens, ſub aureo vitem cœlo.* De eadem *Dio* Lib. 37. *In Syriam Palæſtinam*, inquit, *quod hujus incolæ Phœnicen infeſtaſſent, Pompejus profectus eſt. Eam regebant Hyrcanus & Ariſtobulus fratres: Ac tum forte propter Pontificatum (Regi enim nomen Summi Pontificis apud eos eſt) ſui Dei, quiſcumque is tandem eſt, diſſidentes, Urbes ſeditionibus agitabant. Hyrcanum igitur Pompejus ſine prælio, (neque enim copias, quibus reſiſteret, habebat) ſtatim in poteſtatem ſuam redegit. Ariſtobulum autem in Arce quadam circumſeſſum, ad conditiones pacis accipiendas compulit. Cumque is neque pecunias, neque Arcem traderet, in vincula conjecit: Indeque reliquos etiam haud difficulter ſubegit. Hieroſolymorum autem oppugnatio haud parvo ei labore ſtetit. Urbem quidem ipſam, a fautoribus Hyrcani receptus, facile obtinuit: Templum autem quod ulterius partis homines præoccupaverant, haud abſque labore cepit. Situm erat loco edito, ſuis mœnibus munitum: Nec ſi ex æquo omnibus diebus id defendiſſent, expugnatum eſſet. Verum, quod Saturni quos vocant diebus propugnationem intermittentes, reſ-*

Templum Hieroſolymitanum Pompejus expugnat.

que ab omni opere vacantes, Romanis eo libero ſpatio occaſionem muri ſubruendi dederant. Quippe ubi hunc hoſtium morem animadverterunt, nihil ſerio egerunt reliquis diebus: Cum vero circumacta ſeptimana, Saturni dies rediiſſet, denuo aggreſſi, ſumma vi Templum oppugnarunt. Atque ita tandem Judæi nihil quicquam propugnantes, in poteſtatem hoſtium venerunt. Ibi tum pecuniis direptis, Regnum Hyrcano datum, Ariſtobulus abductus eſt. Hæc eo tempore in Palæſtina geſta ſunt. Inter Gentes Orientis a ſe debellatas Judæam connumerat *Pompejus* apud *Lucanum* Lib. 3.

Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
Cappadoces mea ſigna timent, & dedita Sacris
Incerti Judæa Dei, molliſque Sophene:
Armenios, Ciliceſque feros, Tauroſque ſubegi.

Triplex Pompeii triumphus.

Legatur & *Oroſius* Lib. 6. Cap. 6. Romam reverſus *Pompejus* triumphavit anno Urbis conditæ ſexcenteſimo nonageſimo-tertio. Primum ex Africa, alterum ex Europa, tertium hunc ex Aſia triumphum duxit, & quot partes terrarum orbis erant, totidem fecit monumenta victoriæ ſuæ. Unde & magnus ille qui tunc agebatur triumphus, *De Orbe terrarum*, inſcriptionem prætulit. De cujus pompa legendi *Appianus in Syriacis, Plutarchus in Pompejo, Dio Lib. 37. Plinius Lib. 7. Cap. 26.*

Poſſidonius Philoſophus. Pompeii cum ipſo congreſſus.

XXXVI. His temporibus Rhodi florebat *Poſſidonius* Philoſophus inſignis, *Panætii* Diſcipulus *Ciceronis* in Philoſophia Præceptor, qui Libros 5. *De Divinatione*, & plures etiam *De Natura Deorum* ſcripſit, ab eodem *Cicerone* laudatos. Ipſum honorifice inviſit, & audire voluit *Pompejus*, ſed cum eum graviter eſſe ægrum cognoviſſet, quod artus ejus graviter laborarent, moleſteque ſe dixiſſet ferre, quod eum non poſſet audire; Tu vero, inquit, potes: Nec committam ut dolor corporis efficiat, ut fruſtra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, Eum graviter & copioſe de hoc ipſo, *Nihil eſſe bonum niſi quod honeſtum eſſet*, diſputaſſe: Eumque quaſi faces ei doloris admoverentur, ſæpe dixiſſe: *Nihil agis, dolor: Quamvis ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malum.* Secundum hunc *Pompeii* cum *Poſſidonio* congreſſum fuiſſe ajunt: Illum nempe Rhodum veniſſe quo tempore ad bellum Mithridaticum proficiſcebatur, ibique *Poſſidonium* diſſerentem compellaſſe, atque in *ſuo* diſceſſu interrogaſſe, Quid mandaret? Eum autem Homericum illud protuliſſe:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.
Rem gere præclare, atque aliis præſtare memento.

Ita refert *Strabo* Lib. 11. Geographiæ ſuæ.

Julii Cæſaris, Pompeii, & Marci Craſſi Triumviratus. Cæſar Galliarum Proconſul.

XXXVII. Anno Urbis conditæ ſexcenteſimo nonageſimo quarto, *C. Julius Cæſar* Conſulatum petiit: Cui operam ſuam jurejurando pollicitus eſt *Pompejus*, hoc tandem modo effecturum ſe ſperans, ut Acta ſua in tranſmarinis Provinciis, quibus obtrectabant plurimi, per *Cæſarem* Conſulem confirmarentur. Cumque *Pompejus & M. Craſſus* inter ſe inimicitias exercerent ex Conſulatu, quem ſumma diſcordia ſimul geſſerant, non ſolum eos reconciliavit, ſed etiam cum utroque potentiæ ſocietatem iniit, ne quid in Republica ageretur, quod ulli e tribus diſpliceuiſſet. Quæ conſpiratio Urbi, Orbique terrarum, ac ipſis tandem Triumviris exitialis fuit. *Cæſaris* ac *Pompeii* fœdus affinitate firmatum eſt, *Cæſare* filiam ſuam *Juliam Cn. Pompejo* collocante. Proconſulare Galliarum Imperium obtinuit *Cæſar*, eamque profectus in Provinciam, cum pacatiſſimam inveniſſet, multis bellis quavis occaſione data vexavit, graviſſimiſque præliis novem pene annorum ſpatio, quibus prorogata ejus Præfectura eſt, domuit atque tributariam effecit. *Unus omnium Imperatorum* (inquit *Appianus* Lib. 2. De Bellis Civilibus) *decertavit cum Gallis triginta præliis, donec quadringentos eorum ſubegit Populos, antehac Romanis tam formidabiles, ut in Lege qua immunitas Militiæ conceditur Sacerdotibus & natu grandibus, excepta ſint bella gallica.* Quin & Germanos, ac Britannos debellavit. De his *Julii Cæſaris* Bellis legendi ejus Commentarii, cum *Plutarcho*, & *Suetonio* in ejus vita, *Dione* Libro 38. 39. & 40. *M. Craſſus* Triumvirum alter Conſul creatus, anno Urbis conditæ ſexcenteſimo nonageſimo-nono,

Sy-

Syriæ adminiſtrationem iu quinquennium obtinuit. Bellum Parthis intulit abſque Seuatus Populique Romani auctoritate. Qua in Expeditione & Romanus Exercitus deletus eſt, & *Craſſus* ipſe *Surena* Parthorum Ducis fraude circumventus, a *Maxarthe* Partho interfectus eſt. Cujus caput & dextram idem *Surena* miſit ad *Orodem* Parthorum Regem. Quod Barbaris ludibrio fuit, ueque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum eſt; ut cujus animus arſerat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exangue corpus auro uteretur. (Ex *Appiano in Parthicis*, *Dione* Lib. 40. *Plutarcho in Vita Craſſi*, *Velleja Paterculo* Lib. 2. Cap. 45. *Floro* Lib. 3. Cap. 11. *Oroſio* Libro 6. Capite 13.) *Pompejus* Hiſpaniam & Africam obtinebat, regebatque per Legatos. Mortua interim *Julia Pompeii* uxore, *Julii Cæſaris* filia, infauſto filiolæ puerperio, quæ paucis diebus Matri ſuperſtes fuit, diſſoluta eſt *Cæſaris & Pompeii* conjunctio jam ex invidia male cohærens, jactaque fuut civilis Belli ſemina:

M. Craſſi infelix exitus.

Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem, Pompejusve parem.
(*Lucan*. Lib. 1.)

Bellum Civile Pompejum inter & Cæſarem.

XXXVIII. Anno Urbis conditæ quinto ſupra ſeptingeſimum, C. *Claudio Marcello*, & *L. Cornelio Lentulo Coſſ.* Senatuſconſultum factum eſt, ut aute certam diem *Cæſar* Exercitum dimitteret; ſi non faceret, eum adverſus Rempublicam facturum videri. Cui Decreto cum fruſtra intercesſiſſent Tribuni Plebis *M. Antonius & Q. Caſſius*; inter *Cæſarem & Pompejum* civilis Belli initium factum eſt. *Pompejus* in Epirum cum Exercitu trajecit, ut ibi ſedem belli conſtitueret. *Cæſar* raptim agmine ducto Romam iter convertit. Italiaque tota diebus ſexaginta ſine ſanguine in poteſtatem redacta, Urbem ingreſſus, Ærarium effregit, & theſauros qui poſt Urbem a Gallis captam ibi depoſiti erant, abſtulit. Deinde cum Urbi *Æmilium Lepidum*, Italiæ *M. Antonium* præfeciſſet, iu Hiſpaniam ipſe profectus, validiſſimas *Pompeii* copias, quæ ſub tribus Legatis *M. Petrejo*, *L. Afranio*, & *M. Varrone* eraut, invaſit. Et quanquam obſidione Maſſiliæ, quæ portas ei clauſerat, iu reditu retardatus, brevi tamen omnia ſubegit. Mox Romam reverſus, Dictator creatur, Comitiis habitis, poſt dies undecim Dictatura ſe abdicavit, & Conſulatum obtinuit cum *P. Servilio*. Paulo poſt in Epirum navigavit adverſus *Pompejum* Caſtra Imperatoris utriuſque ad Dyrrachium poſita. *Cæſar* copias Brundiſii relictas expectabat, moræque impatiens, clam ad eas traiicere decrevit, ut eas urgeret. Privati itaque habitu naviculam conſcendit. Verum ubi ad oſtia ventum eſt, fluctu marino fluenta repercutiente, & urgeute hoſtili terrore, Nauclerum, totis licet viribus iu adverſum conitentem, nihil promoventem animus vireſque deficiebant. Tum *Cæſar* capite detecto exclamavit: *Perge contra tempeſtatem forti animo, Cæſarem fers, & fortunam Cæſaris*. Hac voce attonitis una cum Nauclero remigibus, navis magno omnium conatu ſuperavit oſtia fluminis, ſed procellis & tumente fluctu jactata retrudebatur ad litus, donec inſtante die, nautiſque paventibus ne ab hoſte viderentur, *Cæſar* iratus fortunæ ut invidiæ permiſit navi reditum, quæ ſecundo vento Portum ſubiit. Poſt multas velitationes, prælium ad Dyrrachium commiſſum eſt, magna *Cæſaris* clade, quem tunc debellaſſet, *Pompejus*, ſi victoria uti ſciviſſet, ut ipſemet *Cæſar* faſſus eſt. Altero prælio non multo poſt in Campis Pharſalicis commiſſo, *Cæſar Pompejum* vicit & profligavit. *Pompejus* in Ægyptum fugiens, *Ptolemæi* Regis perfidia occiſus eſt quinquageſimo-octavo ætatis anno completo, pridie Kal. Octobris, ea ipſa die qua quondam de *Mithridate* & Piratis triumphaverat. *Pompeii* caput a *Septimio* interfectore reſectum, in adventum *Cæſaris* ſervatum, corpus mari jactatum, & a *Servio Codro* quæſitum, rogo conſumptum eſt, cinereſque humo conditi, hac Inſcriptione Sepulcro appoſita: *Hic ſitus eſt Magnus Pompejus* Cujus tumulum alius quiſpiam hac Inſcriptione ornavit:

Pugna Pharſalica.
Mors Pompeii.

Vix rapereſt Templum, qua parva recondit arena.

XXXIX. Cum *Cæſar* iu Ægyptum perveniſſet, caput *Pompeii* oblatum averſatus, ſepeliri juſſit in Suburbio, Sacellumque ibi dedicavit Nemeſeos. Inde ad componendas *Ptolemæi* & *Cleopatræ* ſororis ejus controverſias converſus, a *Pothino* Regni Ægyptiaci Adminiſtro, & *Achilla* exercituum *Ptolemæi* Imperatore prælio laceſſitus eſt. *Cæſar* Claſſem incendit, quam hoſtes occupare conabantur. Flamma partem Urbis invaſit, eoque incendio magna Alexandriæ Bibliotheca deflagravit, ut teſtantur *Plutarchus* in *Cæſare*, *Dio* Lib. 42. *Aulus Gellius* Lib. 6. Capit. 17. *Ammianus Marcellinus* Libro 22. *Seneca* Libro *De Tranquillitate animi*, Cap. 9. & *Oroſius* Lib. 6. Cap. 15. Novam poſtea Bibliothecam in eodem loco conſtruxit *Cleopatra* poſtrema Ægypti Regina: Quæ quidem Bibliotheca prioris filia appellata eſt, ut *S. Epiphanius* confirmat Lib. *De Menſuris & Ponderibus*. Huc ſpectat quod a *Plutarcho* iu *Antonio* memoriæ proditum eſt; objectum Antonio a *Calviſio* fuiſſe, quod *Cleopatræ Bibliothecas donaviſſet, quæ Pergami erant, in quibus eſſent ducenta millia ſimplicium Librorum, ſeu ſingularium Voluminum*. Poſt multa difficillimaque prælia victor *Cæſar* Alexandriam recepit, Ægyptoque potitus eſt, quam tamen in Provinciæ formam non redegit, neque Romanis ſubjecit, ſed conceſſit *Cleopatræ*, cujus gratia totum bellum geſſerat, & fratri ejus minori, cujus eam conjugem eſſe juſſit. Alexandrino bello confecto, in Pontum adverſus *Pharnacem Mithridatis* filium Exercitum duxit, eumque commiſſa pugna circa Scotium Montem debellavit. Tanta celeritate confecta res eſt, ut vana non eſſet de ſe prædicatio *Cæſaris*, eadem die ſe perveniſſe ad hoſtem, & vidiſſe eum, & viciſſe. Quod in Literis ad Amicum quemdam Romam miſſis ab eo tribus illis verbis expreſſum eſt: *Veni, vidi, vici*. Ita referunt *Appianus* Lib. 2. *De Bellis Civilibus*, *Dio* Lib. 42. *Plutarchus & Suetonius in Cæſare*, *Cæſar* ipſe *in Commentariis De Bello Civili*, *Hirtius De Bello Alexandrino*, *Florus* Lib. 4. Pontico Bello expeditor *Cæſar*, Bellum Africanum ſuſcepit contra *L. Scipionem* Pompeii Magni Socerum, *M. Catonem*, & *Jubam Mauritaniæ* Regem. *Scipio* in fugam compulſus; *Juba* domeſtico periculo in Regnum revocatus, *Cato* Uticæ mortem ſibi conſcivit. Cujus morte audita *Cæſar* ait: *Invideo tibi, Cato, mortem, quando ſalutem mihi tuam invidiſti*. Ejus funus magnifice procurarunt Uticenſes. Cæterum cum *Cicero* Librum in defuncti laudem edidiſſet inſcriptum, CATO: Contra *Cæſar* accuſationem ejus inſcripſit hoc titulo, ANTICATO. *Juba & Petrejus* nullam videntes reliquam aut fugam, aut ſalutem, in cœnaculo mutuis conciderunt vulneribus. Regnum Mauritaniæ *Cæſar* tributarium Populo Romano reddidit, eique *Saluſtium Criſpum* præfecit: Ignovit Uticenſibus, & *Catonis* filio. *L. Scipio* fluctibus jactatus, in hoſtiles naves incidit, quas cum evadere non poſſet, gladio ſe prius manu ſua tranſfixum; in Mare præcipitem dedit. *Cæſar* Romam reverſus, quatuor triumphos egit eodem menſe, ſed interjectis diebus, diverſo quemque apparatu: Gallicum, Ponticum, Alexandrinum, Africanum. (*Ex Appiano* Lib. 2. *De Bellis Civilibus*, *Hirtio De Bello Africano*, *Dione* Lib. 43. *Suetonio in Vita Julii Cæſaris*, *Plutarcho in Cæſare*, & *Catone Minore*, *Velleio Paterculo* Lib. 2. Cap. 56.) In triumpho Africano *Jubæ* Regis Mauritaniæ filius ductus eſt admodum puer. Fortunata illi fuit captivitas, qui inde ex barbaris Numidis inter eruditiſſimos Hiſtoricos recenſetur (inquit *Plutarchus*.)

Bellum Alexandrinum a Cæſare confectum.

Alexandrina Bibliotheca.

Bellum Ponticum & Africanum.

Plutarchus in Catone Minore.

Quadruplex Cæſaris triumphus.

XL. Eodem Urbis conditæ octavo ſupra ſeptingenteſimum, *Cæſar* tertium Conſul, Dictator, & Pontifex Maximus, Romani Anni Emendationem inſtituit; *Soſigenis* in Aſtronomicis, *Flavii* Scribæ in Faſtis ordinandis uſus opera. Cumque jam Menſe Februario dies viginti-tres fuiſſent intercalati: Ipſe præterea inter Novembrem & Decembrem duos alios Menſes intercalares dierum ſexaginta-ſeptem interpoſuit, ita ut præſens annus Menſes quindecim, dies vero quadringentos quadraginta-quinque habuerit, *Annus confuſionis* idcirco appellatus. Annum autem deinceps trecentorum ſexaginta-quinque dierum, & fere unius quadrantis fore conſtituit, accommodatis

Anni Romani Emendatio.

ad

ad Solis curſum rationibus. Et hanc Emendationem toto Imperio Romano promulgandam, obſervandamque decrevit. (*Ex Cenſorino De die Natali*, Cap. 8. *Suetonio & Plutarcho in Julio Cæſare*, *Plinio* Lib. 18. Cap. 25 *Dione* Lib. 43. *Macrobio* Lib. 1. *Saturnalium*, Cap. 4. *Solino* Cap. 3. *Appiano in fine* Lib. *De Bellis Civilibus*,) Kalendis Januariis ſequentibus, quibus 4. Conſulatum *Cæſar* iniit, numerari cœpit Primus Annus Julianus, Urbis conditæ nonus ſupra ſeptingenteſimum. Quo anno *Cæſar* in Hiſpaniam profectus eſt contra *Pompeii* filios. Commiſſo ad Mundam prælio, victoriam reportavit, occiſis triginta circiter hoſtium millibus, inter quos *Scapula*, *Atius Varus* & *Labienus* Pompejani Duces, & ipſe Imperator *Junior Pompejus*, ceciderunt. Hoc *Cæſar* bellum geſſit noviſſimum, in quo ſe de vita dimicaſſe, dixit, cum antea ſæpe de victoria certaſſet. De hoc bello legendi *Hirtius Commentario de Bello Hiſpanienſi*, *Appianus* Lib. 2. *De Bellis Civilibus*, *Dio* Lib. 43. *Plutarchus in Cæſare*, *Vellejus Paterculus* Lib. 2. *Florus* Lib. 4.

Cæſaris bellum Hiſpanienſe.

Julii Cæſaris Honores.

Acto Hiſpanienſi triumpho, Imperatoris titulum, Conſulatum in decem annos, Dictaturam perpetuam, & ſummos quoſvis honores ex decreto Senatus obtinuit: Sacrificia, Certamina, Donaria in omnibus Templis & locis publicis, per ſingulas Tribus, & per omnes Nationes, perque Regna Sociorum & Amicorum Populi Romani. Effigies quoque ejus vario habitu proponebantur, nonnullæ Corona Civica ornatæ, quaſi Servatoris Patriæ, *Pater Patriæ & Sacroſanctus* etiam appellatus eſt. Decretumque ut jus redderet in ſella eburneis aureiſve, & ut inter ſacrificandum triumphali veſte uteretur: Utque publice ſolemnibus Sacris celebrarentur dies, quibus inſigniores victorias adeptus fuerat: & ut ſingulis luſtris Sacerdotes ac Veſtales publica vota pro ejus ſalute facerent: Ut qui Magiſtratus inirent, jurarent ſe nullis ejus Decretis repugnaturos. Et in honorem Natalis ejus Quintilem Menſem mutato nomine vocari placuit *Julium*. Templa etiam multa tanquam Deo ex Senatuſconſulto decreta ſunt, & in his unum ipſi, Clementiæque commune, in quo Simulacra eorum jungerent dexteras. Nec deerant qui Regem appellandum cenſerent, donec ipſe conantibus id interminatus eſt, infauſtum Nomen averſatus. poſt execrationem ejus jam inde a Majoribus. Cohortes etiam *Prætorias*, quibus bellorum tempore pro Satellitio uſus fuerat, amovit a ſui Cuſtodia, contentus ſolis Apparitoribus publicis. Exulibus quoque reditum conceſſit, exceptis cauſis nefariis: & adverſæ factioni veniam; multiſque qui arma contra ipſum tulerant. Eodem tempore aliis annuos Magiſtratus, aliis Provinciarum & exercituum Præfecturas credidit: Quod maxime ſpem Populo fecit, fore ut eis Rempublicam reſtitueret. Statuas dejectas *Pompeii* non permiſit jacere, ſed repoſuit. Quamobrem *Cicero*, ait; *Cæſar dum Pompeii Statuas erigit, ſuas ſtabilit*. Ita refert *Plutarchus*. In tanta felicitate affectatæ tyrannidis ſuſpicionem incurrit, quam invidiam ut declinaret, de Expeditione in Getas & Parthos cogitabat. Interim Lupercalibus (quæ 14. die Februarii celebrata fuiſſe, Vetus Kalendarium indicat) ad *Cæſarem* ſedentem in Roſtris, amictum toga purpurea, in ſella aurea, coronatum, ipſius in Conſulatu Collega *M. Antonius*, nudus inter Lupercos currens, ſupplex acceſſit, & Diadema illi Populi Romani nomine obtulit: Quod bis ab eo capiti ſuo impoſitum *Cæſar* detraxit, & in ſella repoſuit. Reſponſoque dato, ſolum Jovem Romanorum Regem eſſe, miſſuque in Capitolium ad Jovem Diademate, alicubi juſſit in Faſtis: *Ad Lupercalia C. Cæſari Dictatori perpetuo M. Antonium Conſulem, Populi juſſu, Regnum detuliſſe: Cæſarem uti noluiſſe*. Unde in ſuſpicionem venit, quaſi ex condicto id feciſſet, Regiſque nomen appeteret, ſed ita ut cogi ad recipiendum id quodammodo vellet. (*Ex Cicerone Philippica* 2. 3. & 13. *Appiano* Lib. 2. *De Bellis Civilibus*, *Plutarcho in Cæſare* Lib. 2. Cap. 56. Dum profectionem pararet, rumor quidam percrebuit, Pontifices Quindecimviros dictos in Libris Sybillinis repeeriſſe, Vinci Parthos a Romanis poſſe, ſi Rege duce bellum adverſus ipſos gererent: Indeque proximo Senatu *L. Cottam* Quindecim virum ſententiam dicturum ut *Cæſar* Rex appellaretur. Quidam vero palam jactabant, Oportere eum Romanorum quidem Dictatorem Imperatoremque appellari, aut ſi quod nomen ſit Regio plauſibilius; Cæterarum vero Gentium Romano ſubditarum Imperio diſerte Regem nominari. (*Ex Appiano*, *Plutarcho*, *Dione*, & *Suetonio*.) Quo referendum & illud *Ciceronis* Lib. 2. De Divinatione: *Sybillæ verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur. Quorum Interpres* (L. Cotta) *nuper falſa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur: Eum, quem revera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus*.

Julii Cæſaris cædes.

Quatriduo ante diem profectioni deſtinatam *Cæſar* in Curia Pompejana viginti tribus vulneribus confoſſus eſt a Conjuratis, quorum capita fuerunt *M. Brutus*, *C. Trebonius*, *C. Caſſius*, & *Decimus Brutus*, ipſi *Cæſari* cum primis charus, cujus & filius putabatur, quod *Cæſar* adamatus fuiſſet a *Servilia* ſorore *Catonis*, quo tempore *Brutus* ex ea natus eſt. Cecidit ad *Pompeii Statuam*, anno ætatis quinquageſimo ſexto; Idibus Martiis. (Ex *Appiano* Libro 3. *De Bellis Civilibus*, *Dione* Lib. 44. *Plutarcho & Suetonio in Vita Julii Cæſaris*, *Eutropio* Lib. 6. *Vellejo Paterculo* Lib. 2. *Floro* Lib. 6. *Oroſio* Lib. 6.)

Cæſar Octavius.

XLI. Anno Urbis conditæ decimo ſupra ſeptingenteſimum, quo occiſus eſt *Julius Cæſar*, ex Epiro in Italiam properavit *Octavius*, illius ex ſororis filia *Attia* Nepos, ab eoque ſupremis Teſtamenti tabulis in filium adoptatus, & hæres relictus: Statimque C. *Julius Cæſar Octavianus* voluit appellari, & hæreditatem adiit. In duas factiones Reſpublica ſciſſa erat. Senatus Pompejanarum partium reliquias, & Conjuratos fovebat. *Antonius* Conſul & *Lepidus* Magiſter Equitum *Julii Cæſaris*, & ipſe Conſulatu & Urbis Præfectura olim inſignis, Conjuratos perſequebantur. Inter utramque factionem ita ſe geſſit *Cæſar Octavianus*, adhuc adoleſcens, ut viros omnes audacia, ſenes omnes prudentia ſuperaſſe videatur. Ab *Antonio* ſuperbe exceptus, Exercitum privato conſilio & privatis impenſis conſcripſit, anno ætatis decimo-nono, ut ipſe in Breviario rerum ſuarum Ancyrano Marmori inſculpto teſtatur.

Anno ſequenti, quo *A. Hirtius* & *C. Panſa* Conſulatum geſſerunt, *M. Antonius* cum *Decimum Brutum* obſeſſum *Mutinæ* Galliæ Ciſalpinæ, quæ Provincia ei credita fuerat, adminiſtratione expellere armis niteretur, *Bruto* licet e Patris interfectoribus uni, auxilium tulit *Cæſar Octavianus* tempori ſerviens. *Cicero* in *Antonium* declamans *Philippicis* in ſenatu habitis, bello perſequendum *Antonium*, & iis qui Rempublicam adverſus eum defendebant, honores decernendos eſſe ſuaſit. C. *Cæſari Octaviano* Imperium extraordinarium a Senatu datum eſt, cum Conſularibus ornamentis, & Lictoribus atque Inſignibus Prætoriis, ut conſcripto a ſe exercitui Proprætor præeſſet, & una cum Conſulibus *Decimo Bruto* contra *Antonium* opem ferret. Adjectumque ut Senator eſſet, atque inter Quæſtores & Conſulares ſententiam diceret. utque Conſulatum decem annis prius quam Legibus permiſſum eſſet, petendi jus haberet. Equeſtri quoque Statua aurata Senatus eum honoravit, quæ in Roſtris poſita, ætatem ejus Inſcriptione indicabat. (Ex *Cicerone Philippica* 5. *Liviana Epitome* Lib. 117. & 118. *Dione* Lib. 45. & 46. *Appiano* Libro 3. *De Bellis Civilibus*, *Suetonio in Octavio*, *Plutarcho in Antonio*, *Vellejo Paterculo* Libro 2. Capit. 61.)

Bellum adverſus Antonium.

Cæſar Octavianus bellum adverſus *Antonium* ſibi demandatum tertio menſe confecit, annum duntaxat vigeſimum agens, & *Decimo Bruto* Mutinenſi obſidione liberato, *Antonium* in fugam compulit. Conſul uterque in prælio cecidit. Eorum exercitus *Cæſari* paruerunt. A Mutinenſi illa victoria *Cæſaris* Principatum auſpicati illi fuiſſe videntur, qui annos illi quinquaginta-ſex, menſes quatuor, & diem unum tribuerunt, ut apud *Theophilum Antiochenum* Lib. 3. *ad Autolycum*, & *Clementem Alexandrinum* Lib. 1. *Stromatum*, videre eſt. Republica Conſulibus orbata, *Octavius Cæſar* Conſulatum extorſit admotis ad Urbem Legionibus, miſſique qui ipſi nomine exercitus eam Dignitatem depoſcerent. Cunctante Senatu, *Cornelius* Centurio Princeps Legationis rejecto ſagula,

Cæſaris Conſulatus. la, oſtendens gladii capulum, non dubitavit in Curia dicere: *Hic faciet, ſi vos non feceritis.* (Ex *Suetonio & Dione.*) Magna in Senatu Populoque trepidatio fuit. Prætores Cuſtodias certis locis Urbis collocaverunt: Et Janiculum Militum præſidio, quos ad Urbem habebant, duabuſque Legionibus quæ ex Africa advenerant, occupaverunt. Sed *Cæſare* in Urbem ingreſſo; Prætores e Janiculo deſcenderunt, ſeque & Milites illi dediderunt; Legionibus ſponte ſigna ad eum transferentibus. Creatus eſt ipſe Conſul cum quo volebat Collega *Quinto Pedio*, qui portionem ſuam ex *Julii Cæſaris* hereditate illi donaverat. Mox adoptionem ſuam in *Julii Cæſaris* familiam & nomen Patris Teſtamento factam, Curiatis Comitiis, & Plebiſcito confirmari curavit: *Dolabellam*, qui hoſtis judicatus fuerat, Lege lata abſolvit, & de *Julii Cæſaris* nece judicia conſtituit. Interim *C. Trebonius* Aſiæ Præfectus, noctu Smyrnæ circumventus, a *L. Dolabella* interfectus eſt, cædiſque *Julii Cæſaris* pœnas dedit. *Dolabella* in Syriam Proconſul miſſus ab *Antonio*, Reipublicæ hoſtis a Senatu judicatus eſt, *Caſſius* Syriam paulo poſt obtinuit, & *Dolabellam* oppreſſit. *Decimus Brutus* a ſuis deſertus, & a *Camillo* proditus, a *Capeno Sequano* *Antonii* juſſu jugulatus eſt. *Lepidus*, qui *Antonium* receperat, hoſtis a Senatu judicatus. (Ex *Appiano* Lib. 3. & 4. *De Bellis Civilibus*, *Livianu Epitome* Librorum 119. & 120. *Dione* Lib. 46. *Velleio Paterculo* Lib. 2. *Oroſio* Lib. 6.)

Pax inter Cæſarem, Antonium, & Lepidum, eorumque Triumviratus. XLII. Pax deinde inter *Antonium*, *Octavianum Cæſarem*, & *Lepidum* ſacta. Hi tres apud Confluentes, circa Bononiam & Mutinam, in parva quadam Inſula Lavinio fluvio circumfuſa, per tridui ſpatium collocuti, communi conſenſu ſtatuerunt, ut novus Magiſtratus Triumvirorum ad tollendas civiles diſſenſiones crearetur, cumque *Lepidus* cum *Antonio*, & *Octaviano Cæſare* in quinquennium Conſulari poteſtate gereret. Ut Triumviri confeſtim in quinquennium urbanos Magiſtratus annuos deſignarent: Provincias vero ita partirentur, ut *Antonius* Galliam Ciſalpinam & Tranſalpinam, excepta Narbonenſi Provincia; hanc *Lepidus* una cum Hiſpania; *Cæſar* Africam cum Sardinia & Sicilia adminiſtraret. Atque ita Imperium Romanum in Triumviros diviſum eſt: Dilatis in aliud tempus tranſmarinis aliis Provinciis, quibus *Brutus* & *Caſſius* tum præerant. Præterea inter ipſos convenit ut inimicos ſuos cæderent; atque *Lepidus* in ſequentem annum Conſul deſignaretur, Romamque & totam Italiam in cuſtodia haberet, *Antonius* vero & *Cæſar* contra *Brutum* & *Caſſium* bellum moverent. Romam deinde Triumviri triduo ingreſſi ſunt, ſeorſim quiſque cum ſua Prætoria cohorte & Legione una: Advocataque concione *Publius Titius* Tribunus Plebis Legem tulit de novo Magiſtratu creando, ut Triumviri conſtituendæ Reipublicæ præeſſent in quinquennium cum poteſtate Conſulari. Tabula Proſcriptionis a Triumviris propoſita,

Proſcriptiones. Senatores, & Equites Romani quamplurimi trucidati ſunt, ſive quod Triumvirum inimici eſſent, ſive quod iiſdem ſuſpecti eſſent ob potentiam, ſive quod ipſorum inimicis amici, aut amicis inviſi eſſent; ſive ob divitias, villas, vel domos amœniores. Proſcripti fuerunt bonis publicatis Senatores trecenti, Equites Romani mille. In his erant fratres Triumvirum, & avunculi, tum eorum qui ſub illis ducebant Ordines, & ſi quis hos vel illos offenderat. Duodecim, vel, ut alii produnt, ſeptemdecim reliquis potentiores ante alios proſcripti ac cæſi ſunt: Inter alios *Paulus Lepidi* frater, *Lucius Antonii* Avunculus, *Thoranius Cæſaris* Tutor, *Salvius* Tribunus plebis,

Cædes Marci Tullii Ciceronis. Ejus Elogium. *Minucius* & *Annalis* Prætores, *M. Tullius Cicero* cum *Quinto* fratre & Nepote. *Herennius* Centurio obtruncati *Ciceronis* caput, & manus quibus ſcripſerat Philippicas, *Antonii* juſſu præcidit, quæ pro Roſtris in Tribunali poſita ſunt, ſpectaculum horrendum Populo Romano, qui non *Ciceronis* aſpicere ſe faciem exiſtimavit, ſed animi imaginem *Antonii*. Cæſus eſt *Cicero* annos quatuor & ſexaginta natus, olim Conſul, de Patria optime meritus, ac Pater Patriæ appellatus, cum *Catilinæ* conjurationem diſſipaſſet; Latinæ Eloquentiæ Princeps, omnibus triumphis lauream adeptus tanto majorem, quanto plus eſt ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quam Imperii; ut de eo quondam Dictator *Cæſar* ſcripſerat, referente *Plinio*. Duo vitio dantur *Ciceroni*, puſillanimitas cujus ſpecimen dedit, cum in exilium abeundum fuit, agente *Clodio*, & intemperantior laudum ſuarum prædicatio. *Ubique enim ſive in Senatu, ſive in Concione, ſive in Judiciis, habuit in ore Catilinam, & Lentulum. Libros denique & Scripta laudibus complevit ſuis, jucundiſſimumque ſuum & venuſtiſſimum dictionem odioſum reddidit & ingratum Auditoribus, hac eum quaſi morbo aliqua ſemper comitante importunitate.* Non bello ſolum timidus fuit, ſed accedebat etiam ad dicendum trepidus, ac multis in cauſis vix tandem horrere & tremere medio deſinebat ardore & ſtatu orationis. Pro *Milone* peroraturus, cum forum undique armis circumfulgens animadvertiſſet, metu correptus, Orationem ægre cum tremore corporis & linguæ hæſitatione exorſus eſt. Apud *Pompejum*, *Catonem*, *Julium Cæſarem*, imo & *Cæſarem Octavianum* magno in pretio fuit. Ipſum ægre & poſt ſolidæ diei contentionem, *Antonio* mactandum dimiſit *Cæſar*. Cumque diu poſt necem *Ciceronis*, illius Librum præ manibus Nepotis ſui conſpexiſſet, cumque adoleſcens veſte obtexiſſet metu & reverentia Avunculi, *Cæſar* Volumen ſumpſit, & ſtans magna ex parte evolvit, reddiditque, dicens: *Doctus hic vir, fili, doctus fuit, & patriæ amans.* Iſta conſtant ex *Appiano* Lib. 4. *De Bellis Civilibus*, *Dione* Libro 46. *Plutarcho in Antonio & Cicerone*, *Velleio Paterculo* Lib. 2. *Suetonio in Octaviano*, *Eutropio* Lib. 7. *Floro* Lib. 4. Ab initio Triumviratus initium Principatus *Octaviani Cæſaris* petunt *Suetonius* & *Eutropius*.

XLIII. Anno Urbis conditæ duodecimo ſupra ſeptingenteſimum, *M. Æmilio Lepido* 2. & *L. Munatio Planco Coſſ.* Cæſar & *Antonius* relicto Romæ *Lepido*, contra *Brutum* & *Caſſium* profecti in Macedoniam, caſtra ad Urbem *Philippos* poſuerunt. Commiſſo prælio in Campis Philippicis, *Caſſius* & *Brutus* debellati ſibi ipſis mortem intulerunt, iiſdem gladiis quibus *Julium Cæſarem* confoderant. (Ex *Appiano* Lib. 4. *De Bellis Civilibus*, *Dione* Lib. 47. *Livianu Epitome* Libri 124. *Velleio Paterculo* Libro 2. *Plutarcho in M. Bruto*, *Suetonio in Octavio*, *Floro* Libro 4.) Philippico bello confecto, *Cæſar* in Italiam rediit ut agros Militibus divideret. *Antonius* vero tranſmarinas Provincias petiit, collecturus pecunias quas eis promiſerant. Græciam primum luſtravit *Antonius*, Græciſque grave novem annorum tributum intra biennium pendendum imperavit. *Lucium Caſſii* fratrem, aliosque Caſſianarum partium ſupplices venia donavit, præter conjurationis in *Julium Cæſarem* conſcios. In Ægyptum deinde profectus, *Cleopatræ* amoribus ita dementatus eſt, ut Rempublicam negligeret. Interim *Fulvia Antonii* conjux muliebri æmulatione bellum incendit, ut *Antonium* a *Cleopatra* in Italiam revocaret. *Lucio Antonio* ad id uſa eſt *Marci* fratre, viro erga Rempublicam bene affecto, & Triumvirum potentiæ infenſo. Poſt aliquot prælia, *Lucius* Peruſiæ a *Cæſare* obſeſſus, Urbem, ſeque dedere compulſus eſt. Peruſiam diripiendam dare Militi Cæſar decreverat, ſed quidam oppidanorum non ſanæ mentis nomine *Caſtius*, incendit ædes proprias, & ſe in ignem injecit; tum ventis flammam circumquaque ferentibus, Urbs tota incendio conſumpta eſt, fano *Vulcani* dumtaxat excepto. Mortua paulo poſt *Fulvia* inquieti ingenii femina, pax inter *Cæſarem* & *Antonium* redintegrata eſt, *Coccei* opera utriuſque amici. *Octavia Cæſaris* Soror, *Marcelli* vidua, *Antonio* collocata eſt. Tum *Cæſar* & *Antonius* totum inter ſe Romanum Imperium denuo partiti ſunt. Bellum contra *Sextum Pompejum* minorem *Magni* filium obvenit *Cæſari*, Parthicum *Antonio*. Hic *Ventidium* præmiſit in Aſiam, ut Parthos reprimeret, Junioremque *Labienum* auxilio Parthorum per occaſionem civilis motus Syriam infeſtantem. Interim Populi tumultu ob ſummam annonæ difficultatem exorto, & ad ſeditionem vergente, *Cæſar* & *Antonius* pacem cum *Sexto Pompejo* facere ſunt compulſi. At brevis fuit Populi Romani de illa pace lætitia. *Sextus Pompejus* pactorum fide violata Mare iterum infeſtare, & impedito frumenti commeatu Urbem

Bellum Philippicum.

Pax inter Antonium & Cæſarem.

Digitized by Google

Sextus Pompejus a Caſare debellatus.

bem ſame premere auſus eſt. *Caſar* claſſam adverſus illum in Siciliam duxit, ipſumque poſt navalia certamina vario eventu commiſſa ultimo tandem prælio ad Meſſanam debellavit. Tum *Lepidum* vigintiduarum Legionum fiducia ſuperbientem, & de Sicilia ſibi vindicanda cogitantem, *Caſar* in ordinem redegit, ejus Exercitu in deditionem accepto; eumque privato cultu Circejos in exilium relegavit.

Lepidus a Caſare in ordinem redactus.

Sextus Pompejus ad *Antonium Parthico* bello implicitum fugiens, cum illum rem infeliciter geſſiſſe intellexiſſet, ſpe concepta aut ſucceſſurum ſe in univerſum *Antonii* defuncti Imperium, aut ſaltem in partem ejus recipiendum, cum & ex Sicilia, & aliunde multi ad eum quotidie venirent, ad occupandam Aſiæ continentem oppoſitam ſe accinxit. *Furnius* Aſiæ Præfectus, & *M. Titius* Duces *Antonii* ipſius conatus fregerunt, ipſumque tandem ab amicis omnibus deſtitutum, & per Mediterranea Bithyniæ in Armeniam fugientem perſecuti, captum, jubente per literas *Antonio*, Mileti interfecerunt. (Ex *Appiano* Lib. 5. *De Bellis Civilibus*, *Dione* Lib. 49. *Plutarcho in Antonio*, *Vellejo Paterculo* Lib. 2. *Suetonio in Octavio*, Lib. 6.)

Mors Sexti Pompeii.

Caſar rebus Siculis conſtitutis, ovans ex Sicilia Romam ingreſſus eſt, aurataque Statua illi in roſtris poſita cum hac Inſcriptione: *Ob pacem poſt diuturna bella Terra Marique redditam*. Tribunitiam quoque Poteſtatem Decreto Senatus in perpetuum accepit.

Antonius Armeniam ſubigit.

XLIV. Anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo, *Antonius* Expeditione in Armeniam ſuſcepta, Regem *Artavaſdem* ſive *Artabazem* multis pollicitationibus deceptum, ut fide data in caſtra ipſius veniret, comprehendit, expugnataque Urbe in qua ejus theſauri conditi erant, magnaque vi, auri & argenti ablata, univerſam Armeniam partim deditione in ſuam redegit poteſtatem. Regem vero cum conjuge & liberis, ingentique præda in Ægyptum ad triumphi pompam abduxit. Alexandriæ epulum præbuit *Antonius*, plebeque in Concionem contracta, *Cleopatram* Reginam Regum ejus filium & Regni Collegam *Ptolemæum Caſarionem* Regem Regum appellari juſſit: iiſque Ægyptum & Cyprum addixit. Dicebat autem illam vere *Julii Caſaris* conjugem fuiſſe, hunc ejuſdem legitimum filium. Suis vero ex *Cleopatra* ſuſceptis liberis, filiæ quidem *Cleopatra* Libyam dedit Cyrenaicam, fratri ejus *Alexandro* Armeniam attribuit; Mediam quoque & Parthiam, & reliquas trans Euphratem uſque ad Indiam regiones, cum eæ ſubigerentur, promittens: *Ptolemæo* vero *Philadelpho* cognominato. Phœniciam, Syriam, Ciliciam, & omnes cis Euphratem uſque ad Helleſpontum regiones largitus eſt. *Cleopatra* in publicum prodiens Stolam *Iſidis* ſacram ſumebat, & Novæ *Iſidis* nomine reſponſa Populis dabat. Atque ut illa *Iſidem* ſe & *Lunam*, ita *Antonius Oſiridem*, & novum *Liberum Patrem* appellari ſe juſſit, cum redimitus hederis coturniſque ſuccinctus curru velut *Liber Pater* Alexandriæ veheretur. (Ex *Dione* Libro 49 & *Plutarcho in Antonio*) Qui *Cleopatra* ita adhærebat, & cum ipſa luxuriabatur *Antonius*, uxorem *Octaviam* Sororem *Caſaris* contemnebat. Hinc frequentes, ac publicæ Cæſaris in *Antonium* criminationes; hinc inimicitiæ, quæ apertum in bellum eruperunt. *Antonius* repudium dixit *Octaviæ*, & ad bellum ſe comparavit. *Caſar* accepto ac reſerato *Antonii* Teſtamento, quod apud Virgines Veſtales depoſitum erat, illud in Senatu, deinde etiam in Concione recitavit. Quod maximam invidiam conflavit *Antonio*.

Antonii in Cleopatram inſanus amor.

Eo enim Teſtamento *Caſarioni* teſtimonium ferebat, quod eſſet *Julii Caſaris* filius: ſuos ex *Cleopatra* liberos inter heredes nuncupabat, immenſiſque eos muneribus donabat: & de ſuo ece ſtatuebat, ut corpus ſuum, etiamſi Romæ obiiſſet, per forum elatum Alexandriam ad *Cleopatram* mitteretur. Hæc tantam indignationem apud omnes excitarunt, ut reliqua etiam, quæ vulgo jactabantur, vera eſſe crederent: Nempe *Antonium*, ſi rerum potitus fuiſſet, Romam *Cleopatra* dono daturum, ac Imperium in Ægyptum tranſlaturum. In *Cleopatram* itaque bellum decretum eſt, *Antonio* poteſtas omnis adempta. Non tamen hoſtis eſt appellatus, *Antonius*, ne in hoſtium numero habendi neceſſario eſſent omnes ejus amici & clientes, atque ita Bellum Civile geri videretur.

Bellum Caſarem inter & Antonium.

Sed major ipſi conflabatur invidia, quod contra Patriam, nihil a ſuis læſus, ipſe ultro bellum pro Ægyptia Muliere ſuſcepiſſet. Navali prælio ad Actium Epiri promontorium commiſſo debellatum eſt anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, *Octaviano Caſare*, & *Meſſala Corvino* Conſulibus, die ſecunda Septembris. Ancipiti adhuc Marte, *Cleopatra* cum ſexaginta navibus Ægyptiis velociſſimis fugit, eamque fugientem ſecutus eſt *Antonius*, exercitus ſui deſertor factus. Prælium tamen pertinax & cruentum fuit, Antoniana claſſi, quamvis abſente Imperatore, fortiter pugnante. Succubuit tandem, ceſſitque victoriam *Caſari*, cum ille victis vitam veniamque promiſiſſet.

Pugna Actiaca.

Meſſalam Corvinum Collegam ſuum laudavit *Caſar*, quod quamvis ad Philippos ipſi infenſiſſimus *Bruti* cauſa hoſtis, egregiam tamen operam ipſi præbuiſſet ad Actium. Qui reſpondit: *Tu me, Caſar, ſemper partium invenies meliorum & juſtiorum*. Ita refert *Plutarchus in Bruto*. De Actiaca Victoria legendi *Dio* Lib. 5. *Suetonius in Octavio*, *Plutarchus in Antonio*, *Vellejus Paterculus* Lib 2. *Florus* Lib. 4. *Virgilius* Lib. 8. *Æneidos*: *Ovidius* 15. *Metamorphoſeon*, *Propertius* Lib. 4. *Elegia* 6. *Oroſius* Lib. 6. Ab illa victoria anni Imperii *Caſaris* plerumque numerantur 44. (Ex *Dione* Lib. 51. & 56. *Suetonio*, *Aurelio Victore*, *Eutropio*.)

Vincit Caſar.

XLV. *Caſar Antonium* & *Cleopatram* perſecutus per Syriam in Ægyptum venit. *Caſari* terreſtri navalique prælio fortiter obluctatus eſt *Antonius*; ſed a ſuis deſtitutus agente *Cleopatra*, quæ *Caſarem* promereri ſatagebat, ſuique amore captum credebat, decepta *Tyrei* ſive *Thyrſi* liberti illius ad ſe miſſi blandis ſermonibus, ſibi manus intulit.

Mors Antonii.

Caſar Alexandria victor potitus, eam ingreſſus eſt cum *Ario* Alexandrino Philoſopho colloquens, dextraque eum tenens; quo tam eximio honore ab ipſo cultus conſpicuus civibus ſuis & ſuſcipiendus eſſet. Hunc enim Philoſophiæ Præceptorem olim habuerat *Caſar*, cumque una cum filiis *Dionyſio* & *Nicanore* in contubernium aſciverat. Habita vero ad Cives oratione, eis ignoſcere ſe dixit propter Deum *Serapbin*, propter ipſoſmet, ob Civitatis amplitudinem, & ob amicum ſuum *Arium*. Ejuſdem Philoſophi precibus *Philoſtrato* Sophiſtæ gratiam fecit, qui barba cana promiſſa aſſectabatur a tergo *Arium*, hunc verſum ſemper repetens:

Arius Philoſophus Caſaris Praceptor.

Sapiens ſalus ſapienti erit, modo is ſapit.

Alexandri Magni conditorium, & corpus, cum prolatum e penetrali ſubjeciſſet oculis, corona aurea impoſita, ac floribus aſperſis *Caſar* veneratus eſt. *Ptolemæorum* autem corpora, quanquam ea oſtendere Alexandrini enixe vellent, inſpicere noluit: Regem ſe voluiſſe videre dicens, non mortuos. Apim etiam adire noluit, Deos ſe, non boves adorare ſolitum profeſſus Interim *Cleopatra* deluſo *Epaphrodito*, cui cuſtodiam ejus *Caſar* mandaverat, & ad *Caſarem* cum literis allegato, aſpidem, quam ficubus, uvis & floribus contectam, ut cuſtodes falleret, inferri curaverat, ſiniſtro brachio admovit, ejuſque morſu periit. *Caſar* Ægypto in Provinciam redacta, Romam reverſus, triumphos egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum. (Ex *Dione* Lib. 51. *Plutarcho in Antonio*, *Suetonio in Octavio*, *Vellejo Paterculo* Lib. 2. *Floro* Lib. 4. *Macrobio* Lib. 1. *Saturnalium*, Cap. 12. *Eutropio* Lib. 7. *Strabone*, Lib. 17. *Oroſio* Lib. 6.)

Mors Cleopatræ. Ægyptus in Provinciam redacta. Triplex Caſaris Triumphus.

Quintum Conſulatum gerebat *Octavianus Caſar*, cum triplicem illum triumphum egit. Annus Urbis conditæ numerabatur ſeptingenteſimus vigeſimus quintus, quo & nomen Imperatoris accepit, ut refert *Dio* Lib. 52. Poſt biennium, *Caſar* ſeptimum Conſul, Oratione de ſcripto in Senatu recitata, ſe ipſum Imperio abdicare, illudque Senatui & Populo tradere ſe velle ſignificavit. Ubi peroravit, omnes eum enixe rogarunt, precibuſque compulerunt, ut Imperium retineret. Annuit ille, ſed nolle ſe Provinciis omnibus imperare dixit, aut quas gerendas ſumpſiſſet, in perpetuum gubernare, Ideoque infir-

Caſar Imperator creatus.

mio-

miores, nimirum quia pacatiores eſſent, Senatui reſtituit. Potentiores, & majoribus frequentibuſque motibus obnoxias ſibi retinuit. Id faciebat ſub hac ſpecie, ut Senatus optimis Imperii partibus tuto perfrueretur: Ipſe laboribus & periculis objectus videretur: Sed hac ratione inermem Senatum Populumque Romanum effecit, armis ac militibus ad ſe unum translatis. Senatui Populoque redditæ ſunt Africa, Numidia, Aſia, & cum Epiro Græcia, Macedonia, Dalmatia, Bythinia Ponto finitima, Libya Cyrenaica, Sicilia, Creta, Sardinia, & Hiſpania Bœtica. Penes *Cæſarem* manſit quod reliquum erat Hiſpaniæ, Gallia omnis, & Germania, item Cœleſyria, Phœnice, Cilicia, Cyprus, & Ægyptus. Imperium vero in ſuas Provincias decennale ſuſcepit, intra quod tempus eſs ſe reſtituturum Senatui promittebat. (Ex *Dione* Lib. 53.) Idibus Januariis earum Provinciarum diſtributio facta. Quo etiam die *Cæſari Octaviano* cognomentum *Auguſti* a Senatu Populoque Romano datum eſt, auctore *Munacio Planco* (ut teſtantur *Dio* ibidem, *Liviana Epitome* Libri 134. *Vellejus Paterculus* Lib. 2. Cap. 91. *Suetonius in Octavio*, *Florus* Lib. 4. *Ovidius* Lib. 1. *Faſtorum*, *Cenſorinus* Lib. *De Die Natali*, Cap. 21.)

Cæſar Auguſtus appellatus.

Auguſtus Pontifex Maximus creatur.

XLVI. Anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, *Auguſtus* Pontificatum Maximum, quem vivo *Lepido* auferre noluerat, mortuo demum ſuſcepit. Pontifex creatus, quicquid fatidicorum Librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis Auctoribus ferebatur, ſupra duo millia collecta cremavit. Ac ſolos retinuit Sybillinos; hos quoque delectu habito, & duobus forulis auratis condidit ſub *Apollinis Palatini* baſi; teſte *Suetonio*. Poſt triennium, Annum a *Julio Cæſare* ordinatum, ſed poſtea negligentia & errore Sacerdotum confuſum & conturbatum rurſus ad priſtinam rationem redegit. In cujus ordinatione Sextilem menſem e ſuo cognomine *Auguſtum* nuncupavit. (Ex *Dione* Libro 54. *Suetonio in Octavio*, *Macrobio* Lib. 1. *Saturnalium*, Cap. 14. & *Cenſorino* Lib. *De Die Natali*, Cap. 22.) Cum *Julia Auguſti* filia, *Tiberii* uxor, publicis adulteriis infamis eſſet, ea Pater *Auguſtus* detulit ad Senatum. Nonnulli ejus proci morte puniti: Ipſa in Inſulam Tyrrheni Maris Pandatariam relegata eſt.) Ex *Dione* Libro 55. *Vellejo Paterculo* Libro 2. *Suetonio in Octavio*, C. *Tacito* Lib. 1. *Annalium*, *Seneca* Lib. 6. *De Beneficiis*, Cap. 32.) Hinc *Lex Julia De Adulteriis*.

Lex Julia de adulteriis, qua occaſione lata?

Cenſus ab Auguſto habiti.

XLVII. Cenſus Romani Imperii ab *Auguſto* ter habitus eſt, *Suetonio* teſte, cum tabulis Ancyranis. Primus, *Auguſto* 6. & *Agrippa* 2. *Coſſ.* anno Juliano decimo-octavo. Secundus, *Marcio Cenſorino & Aſinio Gallio Coſſ.* anno Juliano trigeſimo octavo. Tertius, *Sexto Pompejo & Sexto Apulejo Coſſ.* anno Juliano quinquageſimo-nono. Secundus Cenſus ad tempus Nativitatis Chriſti pertinent. Sed cum Cenſus res fuerit diuturnioris operæ, plures anni in eo perficiendo conſumpti ſunt, nec omnino certum eſt quoto illius Cenſus anno Chriſtus natus ſit. Præſide Syriæ *Cyrino* ſive *Quirino* factum eſſe in Siria *S. Lucas* teſtatur. Vox Ηγεμονευοντος qua Sanctus Evangeliſta uſus eſt, poteſtatem quamlibet paulo majorem ſignificat, non ſolum Præſidis Munus. Miſſus ergo fuit *Quirinius* in Syriam ab *Auguſto* cum extraordinaria poteſtate ad Cenſum peragendum, eumque Cenſum inchoavit, quem abſolvit *Sentius Saturninus* Syriæ Præſes. Sic *Tertullianus* cum *Sancto Luca*, & *Juſtino* Martyre conciliator. *S. Lucas* Capitul. 2. *Factum eſt autem*, inquit, *in diebus illis, exiit Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino.* Ita vero *S. Juſtinus* in Dialogo cum Tryphone: *Cum primus ille Cenſus ſub Cyrenio tunc ageretur, aſcendit Nazaretho, ubi domicilium habebat, Bethlehemum unde erat oriundus, ut in Cenſum referretur.* Ita *Tertullianus* Lib. 4. *adverſus Marcionem*, Cap. 19. *Sed & Cenſus conſtat actos ſub Auguſto nunc in Judæam per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus* (ſcilicet JESU CHRISTI) *inquirere potuiſſent.* Pro *Quirinio* legendum eſſe *Quintilio* in *S. Lucæ* Textu, conjicit Vir Eruditus, & multis mihi nominibus colendus; ſed ignoſcat ſi ejus conjecturæ non ſubſcribam, donec eam lectionem aliquorum Manuſcriptorum Codicum venerandæ auctoritatis & probatæ fidei teſtimonio confirmet. Legi poſſunt quæ de hoc argumento ſcripſimus Diſſertatione 2. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 1. Quæſtione 1. in Reſponſione ad primam Objectionem. Quamvis autem Judææ Rex eſſet *Herodes*, inde colligi non poteſt quod Judæa in Cenſum non venerit. Regnum enim Judææ tenebat ille beneficiario jure. Unde & certa tributa Romanis ipſum pependiſſe teſtis eſt *Appianus* Libro 5. *De Bellis Civilibus*. Quamquam non ad exigenda ſolum tributa, ſed ad cognoſcendas etiam ſingulorum facultates, ætates, familias, artes, & officia Cenſus habebantur. Intererat autem Romanorum perſpectas habere Judææ vires, cujus ſupremum dominium ad eos pertinebat. In Cenſum porro veniebant non ſolum Romani Cives, aut qui ex iis arma ferre poterant, licet eorum tantummodo nomina in publicum ederentur, ut colligitur ex *T. Livio* Libro 1. Cap. 44. Reliquorum enim omnium non ſolum in Urbe, ſed etiam in Provinciis nomina in Tabulas cenſuales etiam referebantur. Unde *S. Juſtinus Martyr*, *Tertullianus*, *S. Joannes Chryſoſtomus* Tabulas illas conſuli jubent, in quibus JESU nomen a *Quirinio* deſcriptum erat. Non viri tantum, ſed feminæ cenſebantur: Quod in primo Cenſu a *Servio Tullio* Rege inſtituto, & in eo quem habuit *Largius* primus Dictator, ſervatum teſtatur *Dionyſius Halicarnaſſenſis* Lib. 2. 5. & 9. Idque confirmatur ex verbis illis *Ciceronis* Libro *De Legibus*. *Cenſores Populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento.* Et ex *Ulpiano* Libro 2. De Cenſibus; *In Syriis*, inquit, *a quatuordecim annis maſculi, a duodecim feminæ, uſque ad ſexageſimum annum tributo capitis obligantur*, neque contrarium colligi poteſt ex *T. Livio* hæc verba paſſim addente poſt deſcriptionem Cenſuum, *Præter orbos orbaſque*; vel, *Præter Pupillos & Viduas*. His enim verbis non ſignificat *Livius* orbos & orbas excluſos fuiſſe e Cenſu, ſed eorum numerum ſe non exprimere. Sic in Cenſibus olim a *Moſe* & *Davide* habitis eorum tantum deſcribitur numerus qui armis ferendis erant idonei. In Cenſibus denique Romanis profeſſio ſequi debuit locum originis, ut colligitur ex *L. Forma* §. 2. *D. De Cenſibus*, & ex *Ulpiano* Libro 3. De Cenſibus: *Is vero qui agrum in alia Civitate habet, in ea Civitate profiteri debet, in qua ager eſt: Agri enim tributum eam Civitatem debet levare, in cujus territorio poſſidetur.* Falſo igitur ſcripſit *Bodinus* Lib. 5. *De Abditis Rerum Sublimium Arcanis*, S. Lucæ divinum teſtimonium impie oppugnans, Neminem coactum fuiſſe cenſendi cauſa loca mutare. *Livii* teſtimonio refellitur Libro 38. Cap. 37. & Libro 62. Cap. 9. ſcribentis, *Valerio Meſſala*, & *Livio Salinatore* Conſulibus, Campanos ex Senatuſconſulto Romæ cenſeri fuiſſe coactos, cum incertum fuiſſet antea ubi cenſerentur. Item C. *Popillio Lænate* & P. *Ælio Ligure Conſulibus*, cum Luſtrum conderent Cenſores Q. *Fulvius Flaccus*, *A. Poſthumius Albinus*, minorem aliquanto fuiſſe numerum, *Quia Poſthumius Conſul pro Concione edixerat, qui Sociûm Latini nominis ex Edicto Claudii Cæſaris redire in civitates ſuas debuiſſent, ne quis eorum Romæ ſed omnes in Civitatibus ſuis cenſerentur.* Lege Doctiſſimi Præſulis *Danielis Huetii* Demonſtrationem Evangelicam, Propoſitione 9. Capit. 9. Ex quo reconditioris Eruditionis Promptuario hanc de Romanis Cenſibus Obſervationem deprompſi.

Cenſus ab Auguſto factus quo tempore Chriſtus natus eſt.

S. Lucas vindicatur.

XLVIII. Cum hic cenſus peractus eſt, cujus *S. Lucas* meminit, altiſſima pace Orbis univerſus fruebatur. De pace ab *Auguſto* parta ſcribit *Suetonius* in ejus Vita: *Janum Quirinum ſemel atque iterum a condita Urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breviore temporis ſpatio, Terra Marique pace parta ter clauſit.* Audiendus etiam ea de re *Oroſius* Libro 6. Cap. 22. *Anno ab Urbe condita* 752. *Cæſar Auguſtus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione ad Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis Gentibus una pace compoſitis, Jani portas tertio ipſe tunc clauſit. Quas ex eo per duodecim fere annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo conſignavit: Nec prius unquam niſi ſub extrema ſenectute Auguſti pulſata, Athenienſium ſeditione & Dacorum*

Pax ab Auguſto parta.

torum commotioni patuerunt. Clauſis igitur Jani portis, Rempublicam, quam bello quæſiverat, pace cunctire atque amplificare ſtudens, Leges plurimas ſtatuit, quas humanum genus libera reverentia diſciplina morem gereret. Domini appellationem ut homo declinavit. Huc referenda eſt Inſcriptio vetus Emeritæ, apud *Gruterum* pag. 149. IMP. CÆS. DIVI. F. AUG. PONT. MAX. COS. XII. TRIBUNIC. POTEST. X. IMP. VIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANI. CLUSO. ET. REP. PO. ROM. OPTIM. LEGIB. SANCTISS. INSTIT. REFOR. *Auguſto* imperante, toto orbe in pace compoſito, natus eſt JESUS CHRISTUS Veteris Teſtamenti conſummator, & Novi Teſtamenti conditor.

Poetæ illuſtres. XLIX. *Auguſti* temporibus illuſtres Poetæ floruere: Latinorum Princeps *Virgilius*, Mantuanus, *Æmilius Macer* Veronenſis, *Sextus Aurelius Propertius*, *Quintus Horatius Flaccus*, Lyricorum Princeps: *Tibullus* ob Elegiarum elegantiam & ingenii acumen gratos futuros, niſi caſtis auribus indignas obſcœnitas feciſſet: *Ovidius*, cujus Libri *Amorum & De Arte Amandi* peſtilentem afflant auram caſtitati & bonis moribus, ideoque eorum lectio Chriſtianæ juventuti minime permittenda.

Vaticinia Danielis de Romano Imperio. L. Romanum Imperium in Statua illa Magna quæ *Nabuchodonoſori* per ſomnium viſa eſt, repræſentabatur tibiis ferreis, & pedibus, quorum pars ferrea, pars fictilis erat, interprete *Daniele* Cap. 2. *Et Regnum quartum erit velut ferrum. Quomodo ferrum comminuit & & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc. Porro quia vidiſti pedum, & digitorum partem teſtæ figuli, & partem ferream; Regnum diviſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundum quod vidiſti ferrum mistum teſtæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles; Ex parte Regnum erit ſolidum, & ex parte contritum. Quod autem vidiſti ferrum mistum teſtæ ex luto, commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ.* Imperium Romanum ferreis tibiis adumbratur, ob robur & firmitatem; Quod inſtar ferri cætera Regna contriverit, Gentes univerſas domuerit, robore corporis & viribus prævalidas, ut Gallos, Germanos, Hiſpanos: Imperio potentes, ut Carthaginenſes. Majorum gloria, ſapientia & prudentia præſtantes, ut Græcos; Opibus & Militum copiis abundantes, ut Aſiaticos: Terrarum longinquitate remotas, ut Cappadoces, Ponticos, Armenos, Iberos, Albanos, Scythas: Oceano a noſtro orbe disjunctas, ut Britannos: Patrum ſuorum ſanctitate & ſuæ Legis Religione confiſas, ut Judæos. Digiti pedum ex parte ferrei, & ex parte fictiles ſignificant Romanum Imperium primo quidem robuſtiſſimum & validiſſimum fore: poſterius vero infirmum & invalidum. Et revera ferreum fuit uſque ad irruptionem Gothorum & aliarum Gentium Barbararum in Romanam Ditionem: Poſt hæc autem fictile terreumque fuit; quippe tunc majorem in modum Romani Imperii majeſtas deformari, minui amplitudo, potentia debilitari cœpta eſt. Vel, digiti ex parte ferrei, & ex parte fictiles, diviſionem Romani Imperii in multa Regna, multoſque Reges ſignificat, quorum alii majores & potentiores, alii minores & infirmiores ſunt futuri. Vel denique diviſio illa pedum in digitos partim ferreos partim fictiles, feralia illa diſſidia ſignificat, bellaque civilia, quæ Romanam Rempublicam miſere laceraront, ſub *Sulla & Mario*; *Pompeio & Julio Cæſare*; *Marco Antonio*, *Bruto*, *& Caſſio* Triumviris, & ipſo *Octavio* ſeu *Octaviano Cæſare*, *& M. Antonio*. Ad immanes quidem diſcordias inter Romani Imperii Principes tollendas & ad mutuam inter eos concordiam firmandam connubia miſcuerunt. *Pompejus Juliam* filiam *Julii Cæſaris* uxorem duxit: *M. Antonius Octaviam Octavii* ſororem: Sed ex conjunctiones, affinitates, & amicitiæ brevi diſſolutæ ac poſthabitæ ſunt, odiaque, diſſidia, & bella ſæviſſima conſecuta: Quod a *Daniele* prænuntiatum eſt his verbis: *Commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi; ſicut ferrum miſceri non poteſt teſtæ.* Legantur *S. Hieronymus Commentario in Cap. 2. Danielis*, *& Theodoretus* Lib. 2. in eumdem Prophetam.

Idem Imperium *Danieli* in Viſione quatuor beſtiarum grandium aſcendentium de Mari, per beſtiam quartam repræſentatum eſt, Cap. 8. *Et ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis: Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: Diſſimilis autem erat cæteris beſtiis, quas videram ante, & habebat cornua decem.* Beſtiæ nomen non exprimis, qui ex plurimis Nationibus Romanorum Reſpublica conflata, Orbis terrarum potita eſt: Quæ a Regibus primum, deinde a Conſulibus & Tribunis Plebis, interdum a Dictatoribus, & Triumviris, denique ab Imperatoribus adminiſtrata eſt. Terribilis, mirabilis, & fortis nimia dicitur, quia Regnorum omnium potentiſſimum fuit Romanorum Imperium. Dentes ferrei magni quibus cætera comedit & comminuit, tributorum gravitatem ſignificant, quæ Romani debellatis Gentibus impoſuerunt. Pedes, quibus reliqua conculcant, ſignificant Exercitus, a quibus non mediocres clades incolis & urbium & regionum exterarum ſunt illatæ. Omnibus beſtiis, quæ ante ipſam erant, diſſimilis erat quarta illa beſtia. Romanorum ſcilicet Imperium ſuperioribus omnibus Regnis potentius & illuſtrius evaſit. Cornua decem ſignificant ſub finem Imperii Reges decem ſurrecturos. Quos inter orietur *Antichriſtus* per *cornu parvulum* deſignatus, quia ex parva Judæorum Tribu naſcetur. Tria cornua radicitus evellet, id eſt, ex decem illis Regibus tres evertet. *Quaſi oculos hominis* habebit, quia prudentia & aſtutia carnali, diabolica, plurimos decipiet: *Os loquens ingentia*, eſt arrogantia & ſuperbia, qua *Homo ille peccati, filius perditionis extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo Dei ſedeat oſtendens ſe tamquam ſit Deus*, ut ait Apoſtolus 2. *ad Theſſalonicenſes*, 2. Regnabit autem Antichriſtus tres annos cum dimidio, quibus conſummatis, Chriſtus Dominus potentiam ejus auferet & conteret, & Iniquum illum interficiet ſpiritu oris ſui. Sic Beſtiæ quartæ ſignificationem *Daniel* Propheta explicat. *Beſtia quarta Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus Regnis, & devorabit univerſam terram, & conculcabit, & comminuet eam. Porro cornua decem ipſius Regni, decem Reges erunt; & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit. Et ſermones contra excelſum loquetur, & Sanctos Altiſſimi conteret; & putabit quod poſſit mutare tempora, & Leges; & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et Judicium ſedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat uſque in finem.* Legantur *S. Hieronymus* & *Theodoretus* in Commentario ejus loci.

LI. Veteres Romanos ad tantum potentiæ faſtigium provexit cupido gloriæ, libertatis, dominationis, ut obſervat *Sanctus Auguſtinus* Libro 5. *De Civitate Dei*, Cap. 12. *Veteres igitur primique Romani*, inquit, *quantum eorum docet & commendat Hiſtoria, quamvis ut aliæ Gentes, excepta una Populi Hebræorum, Deos falſos colerent, & non Deo victimas, ſed Dæmoniis immolarent; tamen laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant: Hanc ardentiſſime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt. Cæteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate preſſerunt. Ipſam denique Patriam ſuam, quoniam ſervire videbatur ingloriam, dominari vero atque imperare glorioſam, prius omni ſtudio liberam, deinde Dominam eſſe concupierunt.* *Romani gloriæ, libertatis, & dominationis cupidi.*

Digitized by Google

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM
VETERIS TESTAMENTI
SEXTÆ MUNDI ÆTATIS
DISSERTATIONES
SELECTÆ.

DISSERTATIO I.

DE PROPHETIS QUI TEMPORE BABYLONICÆ CAPTIVITATIS vaticinati ſunt.

ARTICULUS I.

De Ezechiele.

Ezechielis genus, & ætas. EZECHIEL Tribu Levitica oriundus, filius *Buzi* Sacerdotis; in Terra Sarera nutus, *Jeremiæ* coævus; cum *Jechonia* Rege in Chaldæam deportatus eſt, ibique vaticinari cœpit juxta Fluvium *Chobar* anno quinto Tranſmigrationis, ætatis ſuæ trigeſimo, ut ipſe teſtatur Prophetiæ ſuæ Cap. 1. v. 2. Cum per annos viginti-duos Prophetico Munere functus eſſet, a Judice Populi Iſrael fertur interfectus, quod eum, Populumque ob Idololatriam increparet: Ac in eadem ſpelunca ſepultus, in qua *Sem* & *Arphaxad* Abrahami progenitores, ad ripam Euphratis, quæ de loco ſepulturæ *Sem* & *Arphaxad* traditio ex Rabbinorum officina prodiiſſe videtur, quamvis hanc non improbaverit *Baronius*, nec e Martyrologio Romano expungendam duxerit. *Ezechielis* memoria in Martyrologiis *Bedæ*, *Flori*, *Notkeri*, *Uſuardi*, & Romano, die decimu Aprilis celebratur. *Ezechielis Vaticinia.* *Jeremiæ* Vaticinia de excidio Templi & Urbis confirmavit concaptivis pœnitentibus, quod ad *Jeremiæ* Vaticinium ſe ultro Chaldæis tradidiſſent, & viderent adhuc Urbem Hieroſolymam ſtare, quam ille caſuram eſſe prædixerat. Judaico Populo in *Portentum* datus eſt, ut ipſe de ſe ait Cap. 24. Non verbis tantum, ſed factis inſolitis vaticinatus. Obſidionem Jeruſalem juſſu Dei in latere deſcripſit. Super latus ſiniſtrum trecentis nonaginta diebus, ſuper dextrum vero quadraginta dormivit. Vilem cibum, ac fœde confectum trecentis nonaginta diebus comedit, & aquam bibit in menſura. (*Ezechielis* 4.) Capillos & barbam raſit novacula acutiſſima, in partes æquas diviſos, partem combuſſit, partem gladio concidit, partem in ventum diſperſit, ut imminentes Judæis, qui Hieroſolymis remanſerant, calamitates factis adeo ſtupendis portenderet. (*Ezechielis* 5.) Sic ſua convaſando, & egrediendo veſpere inſtar tranſmigrantis, velatis oculis, proximam *Sedeciæ* deportationem, & excæcationem a Chaldæis ſignificat. (*Ezechielis* 12.) Parabolis frequentibus utitur ad ſignificandas calamitates Regibus, Populoque imminentes. Parabola duarum aquilarum, & vineæ deportationem Regis *Joachim* in Babylonem, & exaltationem *Sedeciæ* in ejus ſolium, & defectionem ipſius *Sedeciæ* a *Nabuchodonoſore* contra fœdus initum, & confugium ad *Pharaonem Ophram*, ſive *Vaphrem* exprimit, ac vehementer arguit. (*Ezechielis* 17.) Sub Parabola leonis & leunculorum, *Joachaz* & *Joakim* captivitatem; illius a Rege Ægypti, iſtius a Rege Babylonis, inferendam prædicit. (*Ezechielis* 19.) Quæ Prophetia impleta legitur 4. *Regum* 23. & 24. Sub Parabola duarum inſignium Meretricum, *Oolla* & *Ooliba*, & punitionis earum ob adulteria, *Samariæ*, quæ nomine *Oolla* ſororis majoris; & *Jeruſalem*, quæ nomine *Ooliba* ſororis minoris ſignificatur, Idololatriam reprehendit; Duas Tribus, quæ decem aliarum impietatem imitatæ ſunt, a Gentibus, a quibus Idololatriam didicere, amatorum nomine ſignificatis, exſcindendas prænuntiat. (*Ezech.* 23.) Parabola ollæ carnibus electis plenæ, igni admotæ, conſummationis carnium, & rubiginis, quæ nec per ignem ab ea ablata eſt, conſumptionem Populi ab hoſtibus ſignificat, & pertinaciam in peccatis, a quibus nec divina ultione imminente mundatur. (*Ezechielis* 24.) Parabola de ipſius Prophetæ uxore, quam flere prohibetur, ſignificat domum Iſrael in exitium tradendam, filioſque ejus trucidandos, nullo ſequente luctu in communi clade. Reductio filiorum Iſrael a Captivitate, & poſt reditum proſperitas, aridorum oſſium mox reviviſcentium figura ſignificatur. (*Ezech.* 34.) Urbis & Templi futuram inſtaurationem prædicit, ac divini cultus præſcribit renovationem & ordinem. (*Ezech.* 40. & *ſequentibus*.) A *S. Hieronymo* Præfatione in Librum 14. Commentariorum, *Ezechielis* Prophetia vocatur *Scripturarum Oceanus*, & *myſteriorum Dei Labyrinthus*, propter Viſionum ſublimitatem, quibus Dei & Angelorum proprietates, Chriſtique Myſteria adumbrata ſunt per currum Cherubim, per rotas oculatas, quaternas animalium facies, firmamentum, cryſtallum, electrum, ignem, virum indutum lineis, ſigno *Thau* pios in Urbe Jeruſalem notantem, quo a cæde ſerventur, & prunas ignis accipientem de medio rotarum quæ ſunt ſubtus Cherubim, eaſque ſupra Civitatem effundentem. (*Ezech.* 1. 9. 10.) *De Gog*, & *Magog* vaticinatur, & de eorum irruptione in Iſraelitas cum ingenti Exercitu, deque eorum excidio.

His nominibus ſignificantur hoſtes Judæos affligentes ante Chriſti adventum, nec non hoſtes Eccleſiæ, noviſſimis temporibus eam infeſtaturi. (*Ezech.* 38. 30.) Confer cum *Apocalypſi* 20. 7. Horum Prophetiarum obſcuritas in cauſa fuit, ut *Ezechielis* exordium & finem ante annum ætatis trigeſimum, quæ Sacerdotalis Miniſterii erat ætas, apud Hebræos legere nemo permitteretur, uti nec Principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, teſte *S. Hieronymo* in Proœmio Libri primi Commentariorum ad *Euſtochium* Virginem.

Ezechielis Vaticinia de Chriſto & Eccleſia.

II. De Chriſto, & Eccleſia præclara ſunt apud *Ezechielem* Vaticinia, Capite præſertim trigeſimo-quarto, ubi Deus reprehenſa Paſtorum Iſrael negligentia & avaritia, qui ſemetipſos, non gregem Domini paſcebant, quod infirmum fuerat non conſolidabant, quod ægrotum erat non ſanabant, quod confractum non alligabant, quod abjectum non reducebant, quod perierat non quærebant; ſed cum auſteritate & potentia ovibus imperabant: Se iis amotis curam gregis ſui ſuſcepturum promittit, oveſque ſuas viſitaturum, congregaturum, ſanaturum, & in paſcua uberrima deducturum, ubi requieſcent & accubabunt. Tum ſubdit: *Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David: Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum: & ſervus meus David Princeps in medio eorum: Ego Dominus locutus ſum. Et faciam cum eis pactum pacis...... Et erunt in Terra ſua abſque timore: & ſcient quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi .... Et ſuſcitabo eis germen nominatum: Et non erunt ultra imminuti fame in Terra, neque portabunt ultra opprobrium Gentium. Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, & ipſi Populus meus domus Iſrael, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ, homines eſtis, & ego Dominus Deus veſter, dicit Dominus Deus.* Unus ille Paſtor, quem Deus ſe ſuſcitaturum pollicetur, eſt Chriſtus Jeſus, qui de ſeipſo ait Joannis 10. *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.... Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: Et illas oportet me adducere, & vocem meam audient. & fiet unum Ovile, & unus Paſtor.* Hic ſervus Dei, ſecundum quod formam ſervi dignatus eſt aſſumere, ut ait Apoſtolus ad *Philippenſes* Cap. 2. 7. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* David appellatur, quia ex domo & familia *Davidis* oriundus. Non ſolum Paſtor fuit, ſed & Princeps, ut ex Angeli verbis ad *Mariam* Virginem liquet Lucæ 1. 30. 33. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum: Et Regni ejus non erit finis.* Et ex verbis S. Petri actuum 5. Cap. Verſ. 30. 31. *Deus Patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum, quem vos interemiſtis, ſuſpendentes in ligno. Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera ſua ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum.* Princeps in medio Populi datus eſt, ſecundum illud Joannis 1. *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Fecit cum hominibus pactum pacis, qui dixit Joannis 14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Unde & S. Paulus ad *Epheſios* Cap. 2. 14. de Chriſto Jeſu ait: *Ipſe eſt pax noſtra.* Ipſe contrivit catenas jugi eorum, & eruit eos de manu Imperantium; de Diaboli nimirum ſervitute, de pravarum cupiditatum & vitiorum tyrannica dominatione. *Germen* illud *Nominatum*, quod ſe ſuſcitaturum Deus pollicetur, eſt Chriſtus Jeſus; de quo Iſaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet ... in die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum Populorum, ipſum Gentes deprecabuntur.* Unde Chriſtus de ſe ait. Joannis 15. 5. *Ego ſum vitis vera, vos palmites.* Chriſtiani, a divino illo germine nomen adepti, non ſunt imminuti, orbem enim Terrarum impleverunt, & Chriſti Corpore, & Sanguine, Deique Verbo, quod ubique prædicatur, nutriti, famem ultra non patiuntur, nec Gentium opprobriis amplius vexantur, dicentium, *Ubi eſt Deus eorum?* Dominus quippe cum eis, ipſe qui dixit Matthæi 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Et ipſi Dei Populus facti ſunt, domus Iſrael, non ſecundum carnem, ſed ſecundum fidem, cujus lumine Deus videtur, quantum in hac mortali vita videri poteſt. Utque non ad Judæos ſolum, ſed ad omnes homines hæc Prophetia pertinere intelligatur, ſubdit Propheta: *Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ, homines eſtis, & ego Dominus Deus veſter.* Lege *S. Hieronymum & Theodoretum* in Commentariis. Hoc Vaticinium cum ad Meſſiam referant *Aben Ezra*, & *David Kimchi*, mirum eſt quod *Grotius* de uno *Zorobabele*, cum Judæis imperitioribus interpretetur, cujus temporibus *Pactum* illud *Pacis* celebratiſſimum, & habitatio in Terra *abſque timore* non convenit. Veterem certe crambem *Grotius* recoxit, illud commentum ſuſcitans & amplexus, quod olim a *Theodoreto* luculente confutatum eſt *Libro* 13. *Commentariorum in Ezechielem*, ad Caput 34. *Ego vero*, inquit, *Judæos quidem uſitato more deſipere nihil novi arbitror: admiror autem quod ex noſtris audeant quidam omnia hæc de Zorobabel accipere, cum non intelligant, earum quæ dicta ſunt plurima iis eſſe contraria, quæ ab illo geſta ſunt .... Ille enim e Babylone reverſus, cum cœpiſſet Sacrum Dei Templum rurſus ædificare, a finitimis Gentibus prohibitus eſt operi finem imponere. Quare cum ſex & quadraginta præteriiſſent anni, & ſecundum antiquam Hiſtoriam, & ſecundum Evangeliorum teſtimonium ſolum Templum recens factum eſt: Poſt vero alios duos & octoginta annos Urbs Muros recepit, quos Nehemias erexit altero & trigeſimo Artaxerxis Regni. Docetque nos Eſdræ Hiſtoria, tantum metum ædificantes invaſiſſe, ut cogerentur arma geſtantes ædificare, eodemque tempore & lapides afferre, & in hoſtes tela jaculari. Quomodo igitur his conveniunt.* Non erit qui exterreat eos; *vel* Suſcitabo eis plantam pacis, *vel* Non erunt pauci in numero? *Docet item nos rurſus Eſdras, multo labore Nehemiam Sacerdotibus perſuaſiſſe, ut deſinentes in agris degere, Urbem incolerent, & alia ſimiliter diſcendi ſtudioſis facile eſt Hiſtoriæ opponere, diſcrepantiamque percipere. Igitur aliqua illis conveniunt, plurima vero orbis terrarum ſaluti.*

Grotius refellitur.

Huic *Ezechielis* Vaticinio geminum eſt illud Capitis trigeſimi-ſeptimi, 21 & ſeq. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio Nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos undique, & adducam eos in humum ſuam. Et faciam eos in Gentem unam in terra in Montibus Iſrael, & Rex unus erit omnibus imperans.* Hæc Prophetia exitum conſecuta eſt ſecundum figuram in *Zorobabel*, accurate autem & vere in Chriſto Jeſu. *Neque enim Rex fuit Zorobabel, ſed Populi, atque Exercitus Dux*, (inquit *Theodoretus* in Commentario hujus loci,) Pergit Propheta: *Et non erunt ultra duæ Gentes, nec dividentur amplius in duo Regna.* Id in Chriſto Jeſu impletum, *Qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua: Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Qui, *veniens evangelizavit pacem iis qui longe erant, & pacem iis qui prope. Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem:* Ut ait S. Paulus *Epheſ.* Cap. 2. Subdit Propheta: *Neque polluentur ultra in Idolis ſuis, & abominationibus ſuis, & cunctis iniquitatibus ſuis: Et ſalvos eos faciam de univerſis ſedibus in quibus peccaverunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus. Et ſervus meus David Rex ſuper eos, & Paſtor unus erit omnium eorum: In judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, & facient ea. Et habitabunt ſuper terram, quam dedi ſervo meo Jacob, in qua habitaverunt Patres veſtri: & habitabunt ſuper eam ipſi, & filii eorum & filii filiorum eorum, uſque in ſempiternum: & David ſervus meus Princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit Tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi Populus. Et ſcient gentes quia ego Dominus Sanctificator Iſrael, cum fuerit ſanctificatio mea*

in

in medio eorum in ſempiternum. Quem locum tractans *Theodoretus*, Commentum illud Judaicum diſerte refellit, quod *Grotius* amplecti maluit, quam hoc *Ezechielis* Vaticinium Chriſto & Eccleſiæ vindicare. *Dicant*, inquit, *Judæi, quis ſempiternus ipſorum Rex ſit, qui David appellatur. Nequaquam enim Zorobabeli hujuſmodi appellationes convenire, ipſi quoque confitebuntur. Primum enim haud regnavit ille, ſed Populi Ductor fuit: Deinde etiam illud ipſum Imperium morte finitum eſt. Quod ſi de genere Davidico hunc ſempiternum intelligunt David, oſtendant David genus regnare. Quod ſi præter Regnum ipſum quoque David genus incertum eſt, in præſenti duorum alterum neceſſe eſt, vel falſam Prophetiam opinari, vel Domini Chriſti ex David ſecundum carnem nati Regnum adorare. Verum a mendacio vacuam eſſe Prophetiam, ipſi itidem fatebuntur. Quod ſi vera eſt, quemadmodum mendacii expers eſt, neque videmus aliud Judæorum Regnum, neque inſuper ipſum genus David clarum eſt & perſpicuum; & ipſe regnat ut ex David ſecundum carnem, Filius autem Dei ſecundum Divinitatem, & ſempiternum obtinet Imperium; Perſpicua & aperta eſt, & illorum deliratio perfidiaque, & noſtra Dei cognitio. Confirmantur enim quæ dicta ſunt in iis quæ ſequuntur. Etenim,* Et diſponam, *inquit*, ipſis teſtamentum pacis, teſtamentum æternum erit cum ipſis. *Oſtendant igitur nobis, vel pacis, vel ſempiternum teſtamentum: At non poterunt, cum utroque privati ſint; Nobis autem utrumque dedit Dominus, Namque & ſempiterna nobis bona pollicitus eſt, & id nobis eſt elargitus, ut cum ipſo reconciliaremur.* Ipſe enim eſt pax noſtra, *ſicut auctor* „ *eſt Divus Apoſtolus; Et rurſus:* Unus ac Mediator, „ Deus homo, Chriſtus Jeſus, qui dedit ſeipſum re„ demptionem pro omnibus. *Et quæ ſequuntur item* „ *iis conſentiunt quæ dicta ſunt.* Et ordinabo eos, „ *inquit*, & multiplicabo eos, & ponam Sancta mea „ in medio ipſorum in ſæculum, & erit Tabernacu„ lum meum in eis: Et ero ipſis Deus, & ipſi erunt mihi Populus. *Atqui deſertum Templum & quæ antiquitus Sancta erant. Quomodo igitur promiſit ſe poſiturum Sancta ſua in medio ipſorum in ſæculum, & Tabernaculum ſuum in ipſis? Igitur cum neque horum eorumque eventum, ſecundum Judæorum ſententiam, noverimuſque ſpiritalium verborum veritatem, ita hæc intelligemus, ut iis congruant, quæ ante interpretati ſumus. Habemus enim etiam rerum ipſarum conſentiens teſtimonium. Nec enim ſolum ſancta Domus Dei, ſed etiam divina Altaria omnibus hominibus donata ſunt: Nec ſolum iis qui ex Gentibus, verum etiam iis qui ex Judæis credidere; & unus idemque & horum & illorum Deus nuncupatur.* Ipſe enim, *inquit*, Domi„ nus omnium, dives in omnes qui invocant illum. „ *merito ſubjecit:* Et cognoſcent Gentes, quia ego „ ſum Dominus, ſanctificans eos, cum ſint Sancta „ mea in medio ipſorum in ſæculum. *Revera enim per eos qui ex Judæis credidere, etiam Gentes cognitionis Dei lumen exceperunt: Ex Judæis enim divini Apoſtoli, & primi Apoſtolorum Diſcipuli, & ex Propheticis Libris qui apud Judæos cuſtodiebantur quæ ad Salvatorem noſtrum Chriſtum pertinent, perſpicienter, divino præconio Gentes credidere. Quamobrem Divus quoque Apoſtolus, cuſeri qui ex Gentibus crederent, dixit, impia Judæorum radice, frangique & ab hac radice ſeparari eos, qui e Judæis minime crederent. Salute igitur Judæis, inquit, primum ſuppeditata, cognoſcent Gentes quia ego ſum Dominus ſanctificans eos. Ex Judæis enim Dominus Chriſtus ſecundum carnem, apud Judæos Crux, Sepulcrum, Reſurrectio, ex Judæis Apoſtoli primique Præcones. Merito igitur Gentes per hos ſalutem conſequuntur.* Cum itaque Templum illud quod a *Zorobabele* extructum eſt, Romano igne ſuccenſum ſit, Vaticinium illud *Ezechielis* ad Eccleſiam, & ad tempora Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri referendum eſt: Quando Tabernaculum ejus poſitum eſt in Eccleſia, ubi factus eſt Deus noſter, & nos Populus ejus, imo Templum ejus: Unde S. Paulus 2. ad *Corinthios* 6. 16. ait: *Vos eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi Populus.* Legatur *S. Hieronymus* in Commentariis, & *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 34. ubi Vaticinium iſtud *Ezechielis* Chriſto & Eccleſiæ vindicant.

2. Tim. 2. 5.

III. *Ezechielem duos Libros conſcriptos* reliquiſſe, *Joſephus* teſtatur Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 6. Unde vel alter interiit, vel, (quod veriſimilius eſt) unicus ille, quem habemus, *Ezechielis* Liber, in duas partes *Joſephi* ætate diſtinctus erat. Huic libro fidem facit Siracides *Eccleſiaſtici* Cap. 49. 10. *Ezechiel qui vidit conſpectum gloriæ, quam oſtendit illi in curru Cherubim. Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre, benefacere illis qui oſtenderunt rectas vias.* Reſpexit ad Caput 1. *Ezechielis*, & ad Verſ. 28. Capitis 10. cujus hæc ſunt verba: *Et egreſſa eſt gloria Domini a limine Templi, & ſtetit ſuper Cherubim & elevantia Cherubim alas ſuas, exaltata ſunt a terra coram me, & illis egredientibus rotæ quoque ſubſecutæ ſunt.* Item ad illud 13. Capitis: *Et erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, & lapides grandes in ira in conſumptionem.*

Ezechielis Prophetia in duos Libros olim diviſa.

IV. Tractatus *Theologico-Politici* temerarius Auctor Librum *Ezechielis* genuinum ipſius Opus non eſſe contendit, ſed majoris Operis fragmentum, his fretus ratiunculis. Prima, quod a conjunctione connexiva incipiat, *Et factum eſt.* Secunda, quod annum trigeſimum notet, *In trigeſimo anno*: Unde colligitur *Ezechielem* res quoque ſuperioribus annis a Deo ſibi præmonſtratas ſcriptis mandaſſe. Tertia, quod Verſ. 3. Capitis primi dicatur: *Fuerat ſæpe Verbum Dei Ezechieli filio Buzi Sacerdoti in Terra Chaldæorum.* Quarta quod *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 10. ſcribat: *Ezechielem* prædixiſſe futurum ut *Sedecias* Babylonem non videret: Id porro in eo, quem habemus, *Ezechielis* Libro non legitur; immo Babyloniam ducendum prænuntiat Cap. 17. Sed iſtarum objectionum vanitatem Reſponſiones oſtendent.

Liber Ezechielis vindicatur contra Theologo-Politicum Diſſertatorem.

Ad primam reſpondetur, Librum *Joſue*, Prophetiam *Jonæ*, & Librum 1. *Machabæorum*, a conjunctione connexiva, *Et*, pariter incipere, quæ vim copulæ non ſemper habet apud Hebræos, ſed ornatus gratia, vel aliis de cauſis interdum adhibetur, ut obſervant Linguæ Sacræ periti.

Ad ſecundam reſpondetur, Trigeſimum annum initio Prophetiæ *Ezechielis* adſcriptum ætatem Prophetæ deſignare, ut vult *S. Hieronymus Præfat. in Ezech.* Unde concluditur ante annum ætatis trigeſimum vaticinatum non fuiſſe. Vel ab anno decimo-octavo *Joſiæ* quo *Helcias* ſummus Hebræorum Pontifex Librum Legis in Templo invenit, trigeſimum annum & conſequentes Propheta numerat, ut ait idem *S. Hieronymus* in Commentario Capitis 1. Quæ etiam *Jonathanis* & *R. Davidis Kimchi* ſententia eſt. Alii trigeſimum annum Jubilæi a Propheta indicatum cenſerunt, quam opinionem *Theodoretus* rejicit, annum quintum deportationis *Jechoniæ* cum vigeſimo quinto Jubilæi concurrere ex Annalium fide oſtendens. Alii, ut ipſe *Theodoretus*, Captivitatis annum trigeſimum notari volunt, non quidem ab ipſius Captivitatis exordio, nam ante tredecim duntaxat annos cœpta erat, ſed ab ejus denuntiatione per *Holdam* Propheteſſam anno octavo-decimo Regni *Joſiæ*; ut habetur 4. *Regum* 22. 15.

Ad tertiam reſpondetur, Vocem illam *ſæpe*, aut æquivalentem, nec in Latina *S. Hieronymi* Verſione, nec in Hebræo Textu, nec in Verſionibus 70. Interpretum, Syriaca, Arabica, aut Chaldaica Paraphraſi, Verſu 3. primi Capitis haberi: Nec præteritum pluſquam perfectum, *fuerat*; ſed præteritum perfectum exprimi in Hebræo, in Verſionibus Græca, & Latina, & Chaldaica Paraphraſi, *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem*: Vel, *Fuit ſermo Domini ad Ezechielem* (ut in Syriaca & Arabica.) Unde perperam colligitur *Ezechielem* antea fuiſſe vaticinatum.

Ad quartam reſpondetur, Certo non conſtare utrum omnia *Ezechielis* Vaticinia Literis mandata ſint; aut quod omnia quæ literis mandavit, eo contineantur Libro, quem præ manibus habemus. Illa itaque prædictio ad *Sedeciam* pertinens, de qua *Joſephus* (ſi vere ab *Ezechiele* prolata eſt) aut voce tenus edita, aut per Nuntios vel Epiſtolam ſignificata, non in Librum Propheticum relata fuit. Ut ut eſt, hæc duo Vaticinia inter ſe non pugnant, futurum ut *Sedecias* Babylonem non videat, & tamen Babylonem

lonem ducendum. Babylonem enim deportatus eſt poſtquam oculis privatus fuit, adeoque Babylonem non vidit. Sic utrumque Vaticinium impletum eſt.

V. Obiicit Auctor Tractatus Theologico-Politici, *Moyſis* & *Jeremiæ* pronuntiatis repugnare, quod legitur *Ezechielis* 18. Cap. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Quid eſt quod inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud in Terra Iſrael dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, ſi erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Iſrael, Ecce omnes animæ meæ ſunt: Ut anima patris, ita & anima filii mea eſt: Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Et verſ. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: Juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum.* At *Moyſes* Exodi 34. 7. docet Deum paternorum ſcelerum pœnas a nepotibus & pronepotibus expetiturum; *Dominator Domine Deus....... Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Et *Exodi* 20. 5. Deus ipſe ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et Jeremias 34. Cap. 34. Prophetiæ ſuæ, Verſ. 18. *Qui facis miſericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum poſt eos.*

Reſpondetur. Ex ipſo *Moyſe* expreſſum eſſe illud *Ezechielis* Oraculum, Deuteronomii 24. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Quod ab Auctoribus Sacris Libri 4. *Regum* Cap. 14. 6. & Libri 2. *Paralipomenon* 25. 4. repetitur. Nec tamen ulla *Moyſis* ſecum ipſo, aut *Ezechielis* cum *Moyſe* & *Jeremia* pugna eſt. Deus enim per *Moyſen* Exodi 20 & 34. & per *Jeremiam* ait ſe paternorum criminum pœnas a filiis & nepotibus expetiturum, ſi filii paternam impietatem imitentur, & criminum ipſorum menſuram impleant & cumulent; Per eumdem vero *Moyſen Deuteronomii* 24. & per *Ezechielem* negat futurum ut filii parentum delicta luant immeriti, ſi illa execrentur, & pie juſteque vivant. Id ex totius Capitis ſerie perſpicuum eſt, & ex *S. Hieronymi* interpretatione. Conciliantur & alia ratione hæc loca. Quæ enim Deum paternorum ſcelerum pœnas a nepotibus & pronepotibus expetiturum denuntiant, de pœnis temporariis, & quidem corporis duntaxat intelligenda ſunt: Quæ autem filios & nepotes parentum & majorum ſuorum delicta luituros negant, de pœnis animæ, & æternis maxime ſunt explicanda: Unde *Ezechiel* ait, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Sic explicat *S. Auguſtinus* Epiſtola olim 75. nunc 250. ad *Auxilium* juvenem Epiſcopum, qua oſtendit ob unius delictum totam familiam excommunicari non poſſe. & hortatur ut præcipitem Anathematis ſententiam in *Claſſicianum*, totamque ejus domum latam reſcindat.

ARTICULUS II.

De Daniele Propheta.

Danielis genus, ætas, vita ratio, Vaticinia. I. DAniel ex Tribu Juda, & Regio ſemine oriundus, adoleſcens ac pene puer Babylonem a *Nabuchodonoſore* Chaldæorum Rege cum *Joakim* Rege Juda tranſlatus eſt, anno ejuſdem *Joakim* tertio completo, ſive quarto inchoato, ut conſtat ex Cap. 1. *Danielis* 1. collato cum vigeſimo quinto Jeremiæ 1. Eunuchus factus, & cum *Anania*, *Miſaele* & *Azaria* Eunuchorum Præpoſito commendatus, pro ſe & ſociis obtinuit ut ſolis leguminibus veſcerentur, & aquam biberent, ne cibis regiis pollucrentur: Quos Deus cæteris pueris, qui cibo regio alebantur, vegetiores effecit. In literis & lingua Chaldæorum eruditi, in Regiorum Satraparum numerum adſcripti ſunt, quos Rex omnibus Magis & Ariolis decuplo ſapientiores & doctiores invenit. *Hic enim dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni Libro & Sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum* Summam ſapientiæ famam ex Dan. 1. admirabili *Suſannæ* liberatione conſecutus eſt. Sub *Nabuchodonoſore*, *Evilmerodacho*, *Neriglíſſoro*, *Baltaſſare*, *Dario Medo* Babyloniæ Regibus, & *Cyro* Perſarum Rege floruit. Danielis 1. 21. *Fuit autem Daniel uſque ad annum primum Cyri Regis.* Imo anno tertio Regni ejus in vivis erat, & vaticinabatur, ut conſtat ex Capite decimo. *Nabuchodonoſoris* & *Baltaſſaris* ſomnia viſaque prophetico ſpiritu eſt interpretatus, futuraſque rerum converſiones & Imperiorum interitus prædixit. (*Danielis* 2. 7. 11.) Omnibus Babyloniæ Provinciis a *Nabuchodonoſore* præpoſitus, & centum viginti Satrapis totius Regni a *Dario Medo* præfectus, a veri Dei cultu, avitaque Religione dimoveri nuſquam potuit. Auream *Nabuchodonoſoris* ſtatuam adorare recuſarunt *Ananias*, *Miſael*, & *Azarias* Danielis ſocii: unde in fornacem ignis ardentis miſſi ſunt; ex qua Deo ſervante egreſſi ſunt illæſi. Daniel vero bis in foveam leonum eſt immiſſus, prima vice ſub *Evilmerodacho*, cum jam *Cyrus* Perſide quidem, ſed nondum Babylone regnaret, quod fraudibus Sacerdotum *Beli* detectis, ejuſdem falſi Numinis Idolum & Templum evertiſſet: Altera ſub *Dario Medo*, cum Edicto, quo ſancitum erat, ut nemo homo rogaret quemquam de Diis & hominibus uſque ad dies triginta, niſi ipſum regem, non paruiſſet; ſed nihilominus in cœnaculo ſuo, feneſtris apertis contra Jeruſalem, ter ſingulis diebus procumbens, Deum Iſrael adoraret, laudaret, laudaretque pro more ſolito. *Prima vice* in fovea leonum ſeptem diebus concluſus, & ab *Habacuc* Propheta, quem Angelus e Judæa Babylonem portavit, paſtus eſt. (*Danielis* 14.) Altera vice una tantum die in lacu manſit. Rex enim *Darius* primo diei ſequentis diluculo feſtinus ad lacum leonum perrexit, illæſumque educi juſſit. (*Danielis* 6.) Suſis obiiſſe videtur, ibique ſepultum *Benjamin Tudelenſis*, & *Abulfaragius* tradunt. Minus veriſimile quod ſcribunt *Pſeudo Epiphanius* & *Pſeudo Dorotheus*, Babylone defunctum, & in ſpelunca Babylonica ſepultum: Cum anno tertio *Cyri* in Suſianis eſſet, ut ex Capite decimo conſtat, tuncque provecta jam ſenectute, nec deinceps Babylonem regreſſus in Scriptura Sacra, aut apud bonos Auctores legatur. Turrim admirabilem *Ecbatanis* Mediæ ab ipſo extructam, ad ſuam uſque ætatem ſuperſtitem, in qua Medorum, Perſarum, & Parthorum Reges ſepelirentur, ejuſque cuſtodiam Judæo Sacerdoti creditam, *Joſephus* teſtatur Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 12. Eadem refert *S. Hieronymus*, & *Joſephum* teſtem appellat, a quo nihilominus diſſentit, Turrim illam a *Daniele* Suſis extructam, fallente memoria ſcribens, Commentario in Caput octavum *Danielis*.

II. Chaldaico primum Idiomate ſcriptus eſt Liber *Danielis* ut *S. Hieronymus* docet Præfatione in hunc Librum, quæ eſt Epiſtola 130. Hebraice deinde editus eſt a Judæis e Captivitate reducibus, in gratiam ſuæ Gentis, idque publica auctoritate. Græce poſtea, ſive a Septuaginta Interpretibus, ſive (quod probabilius *S. Hieronymo* viſum eſt) ab Anonymo quodam non ſatis Chaldaicæ linguæ perito, cujus Verſio propterea, utpote multum a veritate diſcordans, ab Eccleſia repudiata eſt. Eumdem Librum Græce reddiderunt *Aquila*, *Theodotion*, & *Symmachus*. Verſionem *Theodotionis* uſu ſuo conſecravit Eccleſia. Denique *S. Hieronymus* illum ex Chaldaico ſummo labore Latinum fecit. *Liber Danielis qua lingua editus? Ejus Verſiones.*

III. Illuſtria de Chriſto Jeſu vaticinia *Daniel* edidit. Chriſtum ejuſque Regnum ſignificat lapis ille de Monte ſine manibus abſciſſus, qui poſt comminutam ſtatuam illam grandem ex variis metallis conflatam, & extremis pedibus fictilem, in tantum Montem excrevit, ut orbem univerſum repleret. Quo Regnum portendi docuit Propheta nullis unquam mutationibus obnoxium, ſed æternum & univerſa terræ Regna non ope humana, ſed divina virtute everſurum. Cap. 2. 34. & ſeq. *Videbas ita, donec abſciſſus eſt Lapis de Monte ſine manibus: & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta, quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento: Nulluſque locus inventus eſt eis: Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt Mons magnus, & implevit* *Danielis Vaticinia de Chriſto & Eccleſia.*

uni-

univerſam terram. Verſ. 44. & 45. *In diebus autem Regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum quod in æternum non diſſipabitur, & Regnum ejus alteri Populo non tradetur: Comminuet autem, & conſumet univerſa Regna hæc: & ipſum ſtabit in æternum. Secundum quod vidiſti, quod de Monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus oſtendit Regi quæ ventura ſunt poſtea, & verum eſt ſomnium; & fidelis interpretatio ejus.* Lapidis typo Chriſtum ſignificari, Lapidis (inquam) quem reprobaverunt ædificantes, qui factus eſt in caput anguli; itemque Montis in vertice Montium præparati, ad quem Gentes confluent univerſæ, ex aliis Scripturæ locis compertum eſt. Regnum ejus univerſa Regna domiturum, ſibique ſubjecturum, Pſalmo 2. prædicitur: *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos*... Iſaiæ 60. 12. *Gens & Regnum quod non ſervierit tibi, peribit, & Gentes ſolitudine vaſtabuntur*. Chriſti Jeſu Regnum æternum fore Angelus Mariæ Virgini Dei nomine pollicetur, Lucæ 1. 32. *Regnavit in Domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*. Hoc *Danielis* Vaticinium brevi illo, ſed luculento commentario *S. Hieronymus* illuſtrat. *In fine autem horum omnium Regnorum, abſciſſus eſt lapis Dominus atque Salvator, ſine manibus, id eſt abſque coitu, & humano ſemine de utero virginali, & contritis omnibus Regnis factus eſt Mons magnus & implevit univerſam terram: Quod Judæi, & impius Porphyrius male ad Populum referunt Iſrael, quem in fine ſæculorum volunt eſſe fortiſſimum, & omnia Regna conterere, & regnare in æternum*. Illud quidem Vaticinium *Danielis* in primo Chriſti adventu impleri cœptum, ſed in ſecundo tandem omni ex parte implendum *Theodoretus* interpretatur, quod naſcente Chriſto everſum non fuerit, imo floruerit magis Romanum Imperium. Atque hæc ejus expoſitio confirmari videtur Apoſtoli ſententia 1. ad Corinthios 15. 24. *Deinde finis; cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus. Noviſſima autem inimica deſtruetur mors. Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus... Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia: Tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia ut ſit Deus omnia in omnibus*.

IV. Ad ſecundum Chriſti adventum pertinet Oraculum illud ſeptimi Capitis 12. 13. 14. *Aſpiciebam in viſione noctis & ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit: & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum: omnes Populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient: Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & Regnum ejus, quod non corrumpetur*. Illud Vaticinium in Chriſto Jeſu implendum Ipſe nos docuit Matthæi 26. 64. *Amodo videbitis Filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli*. Poteſtatem quoque ſibi a Patre conceſſam teſtatur, Matthæi 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. His adde illud *S. Joannis in Apocalypſi*, Cap. 14. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam*. Et Cap. 19. 1. 12. 13. 14. 15. 16. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax; & cum juſtitia judicat, & pugnat. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi Ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et Exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus: Ut in ipſo percutiat Gentes. Et ipſe reget eos in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum; Rex Regum, & Dominus dominantium*. Merito itaque *Theodoretus* hunc *Danielis* locum explicans, ait, *Prophetam evangelice revera potius & apoſtolice, quam prophetice & ænigmatice hæc divulgaſſe*. In tanta luce, quæ ipſorum Judæorum præſtrinxit oculos, hoc Vaticinium de Meſſia exponentes, cæcutiit *Grotius*, qui *Filium hominis* Populum Romanum interpretatur, *cum nubibus cœli*, id eſt, ſumma cum celeritate, ac motu rapido in partes omnes venturum. *Qui uſque ad antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum*: Id eſt, juſſus eſt ſe ſiſtere coram Deo Regum & Regnorum Judice, velut ad accipienda mandata. Cui Deus *dedit poteſtatem*, honorem & Regnum, ſive Imperium maximum. *Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpetur*: Quia, inquit, manet etiam nunc Imperii Romani, acciſi alicubi, ſed aucti in aliis partibus, & nomen & majeſtas. Hanc interpretationem coactam ac miſere detortam eſſe, nemo cordatus non videt. Imperio certe Romano verba iſta *Danielis* eodem capite Verſ. 27. minime conveniunt; *Regnum autem, & poteſtas & magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, detur Populo Sanctorum Altiſſimi: Cujus Regnum, Regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſervient ei, & obedient*. *Grotius refellitur.*

V. Nullum vero luculentius ac expreſſius eſt de Chriſto Vaticinium illo, quo poſt ſeptuaginta hebdomadas *Sanctus Sanctorum* ungendus prædicitur capite nono 24. & ſequentibus. Cui Vaticinio, ob amplitudinem ac celebritatem argumenti, ſingularem diſſertationem dicabimus.

VI. Interim de *Daniele*, quatuor ſunt expendenda. Primum, utrum Liber quem ipſius nomine inſcriptum legit Eccleſia, vere ab ipſo ſcriptus ſit, quod negavit *Porphyrius*; Secundum, an *Daniel* vere Propheta fuerit, quod inficiantur Judæi: De quibus *S. Hieronymus* in Præfatione, *Illud* inquit, *admoneo, Non haberi Danielem apud Hebræos inter Prophetas, ſed inter eos qui Hagiographa conſcripſerunt*. Tertium utrum unus idemque ſit *Daniel* Propheta & *Suſannæ* vindex, ſive Hiſtoriæ *Suſannæ Belis*, Draconis, Orationis Azariæ, & Hymni trium Puerorum ſcriptor? an ad alium Auctorem hæc referenda ſint, ut Judæis, *Euſebio Apollinario*, & *Julio Africano* viſum eſt? Quartum, utrum Hiſtoria *Suſannæ*, & alia quæ *Additamenta Danielis* vulgo nominantur, quod in Hebræorum Codicibus non extent, ſacra ſint & canonica, quod poſt Judæos, & Africanum, hujus ætatis Heterodoxi præfracte negant.

PROPOSITIO I.

Liber Danielis nomine inſcriptus, genuinus ipſius fœtus eſt.

PRobatur ex iis locis in quibus ex ſua perſona loquitur, ſcilicet Capite 7. 1. 2. *Anno primo Baltaſſar Regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit: Viſio autem capitis ejus in cubili ſuo: & ſomnium ſcribens brevi ſermone comprehendit; ſummatimque perſtringens ait: Videbam in viſione mea nocte*. Et Cap. 8. 26. *Tu ergo Viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. Et ego Daniel langui*. Et Capite 12. 4. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna Librum uſque ad tempus ſtatutum. Et vidi ego Daniel*. Idem probatur Chriſti Domini teſtimonio, Matth. 24. 15. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: Qui legit, intelligat: Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad Montes*. Habetur autem Danielis 9. 27. *Et erit in Templo abominatio deſolationis; & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*. Id confirmat Synagogæ pariter & Eccleſiæ Traditio. Accedit denique *Joſephi* teſtimonium Libro undecimo *Antiquitatum*, Cap. ultimo, ubi de Hieroſolymitana *Alexandri Magni* profectione loquens, deſcribenſque quomodo a Pontifice Sacerdotibus, & Populo ſit exceptus, ait: *Oſtenſoque ſibi Danielis Libro, in quo Græcum quemdam Perſas debellaturum ſignificat, hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus dimiſit multitudinem. Sequenti autem die vocatis eis, juſſit ut quicquid vellent, peterent. Pontifice autem petente, ut patriis Legibus vivere ſibi liceat, atque ſeptimo quoque Anno concederetur eis tributorum immunitas, conceſſit omnia*.

Ex

Digitized by Google

Ex his reſellitur *Porphyrius*, qui hunc Librum falſo *Danielis* nomine inſcriptum contendit Libro adverſus illum edito, compoſitumque in Judæa, *Antiochi Epiphanis* temporibus, a quodam, qui non tam futura prædixit, quam narravit præterita. Quicquid enim uſque ad *Antiochum* dixerit, veram hiſtoriam continere: Si quid autem ultra opinatus ſit, quia futura neſcierit, eſſe mentitum. Impii *Porphyrii* errorem ſolertiſſime confutarunt *Euſebius Cæſarienſis* Libris tribus, *Apollinarius* grandi Libro, & ante hos ex parte *Methodius*, ut *S. Hieronymus* teſtatur in Proœmio Commentariorum. Quæ quidem Opera perierunt. Porphyrianæ calumniæ occaſionem dedit (inquit *S. Hieronymus*) quod nullus Prophetarum tam aperte de Chriſto ſit vaticinatus. *Non enim ſolum ſcribit Eum eſſe venturum, quod eſt commune cum cæteris, ſed etiam quo tempore venturus ſit, docet: & Reges per ordinem prænunciat. Quæ quia vidit Porphyrius univerſa completa, & tranſacta negare non poterat, ſuperatus Hiſtoriæ veritate, in hanc prorupit calumniam: Ut ea quæ in conſummatione Mundi de Antichriſto futura dicuntur, propter geſtorum in quibuſdam ſimilitudinem, ſub Antiocho Epiphane impleta contendat: Cujus impugnatio, teſtimonium veritatis eſt. Tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura prædixiſſe, ſed narraſſe præterita.* Cum *Porphyrio* conſutatus manet *Hobbeſius*, in *Leviathan* Cap. 33. aſſerens, certo ſciri non poſſe, an ipſe *Daniel* Vaticinia ſua literis mandaverit.

Ex his etiam reſellitur *Spinoſa* in Tractatu *Theologico-Politico*, Librum *Danielis* editum aſſerens poſt inſtauratum a *Juda Machabæo* Templi cultum ſaltem quoad priora ſeptem capita, quæ ex Chronologicis Chaldæorum Libris deprompta temere conjicit: Cum tamen *Mathatias* ſe Librum *Danielis* verſaviſſe, adeoque his temporibus antiquiorem eſſe, abunde teſtetur Libro 1. *Machabæorum*, Cap. 2. 59. 60. *Ananias, & Azarias, & Miſael, credentes liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum.*

Ex his denique reſelluntur Thalmudiſtæ, & alii Rabbini, qui Librum *Danielis* a Viris Synagogæ Magnæ conſcriptum fuiſſe tradunt, hac ratione ducti, quod Prophetias extra Terram Sanctam literis tradere nefas fuerit. Cujus rationis vanitas ex eo etiam oſtenditur, quod *Jeremias* Vaticiniorum ſuorum partem in Ægypto literis prodiderit.

Objicitur *S. Iſidori Hiſpalenſis* teſtimonium *Lib.* 6. Originum, *Cap.* 2. dicentis: *Ezechiel & Daniel a viris quibuſdam ſapientibus ſcripti eſſe perhibentur.*

Reſpondetur, *S. Iſidorum* id ex Rabbinorum ſententia dixiſſe. Deinde nulla ratio eſt cur aliis Vaticiniorum ſuorum ſcriptionem *Daniel* ſervaverit, cum ipſe ſapientiſſimus fuerit ac doctiſſimus: Unde illud *Ezechielis* 28. 3. Dei nomine Principi improperantis. *Ecce ſapientior es tu Daniele: Omne ſecretum non eſt abſconditum a te.* Denique ſic explicari poteſt *S. Iſidorus*, ut Viros Sapientes Librum *Danielis* Hebraice ſcripſiſſe velit, quem ipſe *Daniel* Chaldaice compoſuerat: Vel, iſtorum Prophetarum Libros, qui in terra aliena inter Idololatras tuto & commode vulgari non potuerant, ſapientes viros, id eſt, Synagogæ Magnæ Magiſtros, multis deſcriptis Exemplaribus publicaſſe.

Objicitur ſecundo *Danielem* ab Auctore Synopſis, quæ ſub *S. Athanaſii* nomine edita eſt, inter *Apocrypha* recenſeri.

Reſpondetur, Hunc Auctorem non loqui de Vaticiniis *Danielis*, quæ inter Canonicas Scripturas recenſet, ipſique *Danieli*, aſſerit, etiam cum Hiſtoriis *Suſannæ*, *Beli*, & Draconis, & Hymno trium Puerorum: Sed de alio quodam Libro loqui *Danieli* ſuppoſito; ſicut aliæ ſcriptiones Sacris Auctoribus Veteris ac Novi teſtamenti ſuppoſitæ ſunt, quæ ab eo in *Apocryphorum* claſſem merito rejiciuntur. Hujuſmodi fuere *Somniale ſcripta falſo Danielis nomine titulata*, de quibus Cap. *Non obſervetis*, apud Gratianum, *Cauſa* 26. *Quæſt.* 7.

PROPOSITIO II.

Daniel vere & proprie Propheta fuit.

PRobatur Chriſti Domini teſtimonio, qui *Danielem* Prophetam appellavit, Matth. 24. 15. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto; Qui legit intelligat: Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad Montes.* Et certe is jure optimo Propheta dicitur, qui res futuras clare & diſtincte prænoſcit & prædicit: Atqui *Daniel* futuras rerum converſiones, Imperiorum interitus, Chriſti adventum, mortem, Regnum æternum prænuntiavit, temporibus etiam accurate notatis, quibus Vaticinia ſua exitum habitura eſſent: Nemo igitur ſanæ mentis ipſum vere ac proprie Prophetam fuiſſe negaverit.

Probatur ſecundo ex Patribus, qui *Danielem* inter Prophetas Majores quartum numerant, vereque & proprie Prophetam fuiſſe contendunt. Ita *S. Hieronymus* in Epiſtola ad Paulinum: *Quartus vero, qui & extremus inter quatuor Prophetas, & totius Mundi χρονικὸς lapidem præciſum de Monte ſine manibus, & Regna omnia ſubvertentem, claro ſermone prænunciat.* Et in Proœmio Commentariorum ait: *Nullum Prophetarum tam aperte dixiſſe de Chriſto.* Ita *S. Auguſtinus Libro* 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. ubi Scripturarum Sacrarum Canonicos Libros enumerans, ait: *Reliqui ſunt eorum Libri, qui proprie Prophetæ appellantur, duodecim Prophetarum Libri ſinguli, qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſejuncti ſunt, pro uno habentur .... Deinde quatuor Prophetæ ſunt majorum Voluminum, Iſaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel.* Tempus teram, ſi Patres omnes, & Concilia enumerem, a quibus *Daniel* inter quatuor Majores Prophetas recenſetur. Sed temperare mihi non poſſum quin *Theodoreti* contra Judæos differentis in ſuorum Commentariorum Præfatione locum elegantem deſcribam. *Hunc Prophetam*, inquit, *in præſenti conamur interpretari, non quaſi alios, quod abſit, contemnentes: Omnes enim novimus eſſe Divini Spiritus inſtrumenta: Sed primum quidem ipſius interpretationem a nobis familiares efflagitarunt; æquumque cenſuimus beneficium his qui petierunt non denegare. Deinde facit Judæorum amentia, atque adeo impudentia, ut aliis in præſenti omiſſis, hujus prædictiones enodare atque aperire aggrediamur. Eo ſiquidem impudentiæ proceſſere, ut a Prophetarum choro ipſum ſegregent, propheticique cognomento defraudent. Impudens quidem certe hoc ipſorum eſt commentum, non tamen ab eorum ſine abhorrens. Cum enim multo apertius, quam alii omnes, magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti prædixerit adventum, neque ſolum ea quæ facturus eſſet, ante commemorarit, ſed etiam tempus præſignificaverit, numerumque adſcripſerit annorum, qui uſque ad illius adventum interceſſerunt, aperte perceptis omnibus calamitatibus, quæ poſt admiſſum perfidiæ ſcelus in eos eſſent invaſuræ, merito, ut Deo infeſti, & veritatis hoſtes, audent impudenter aſſerere non eſſe Prophetam; qui hæc & infinita alia ediderit Oracula, ſufficere arbitrati ſuam ſententiam ad hoc mendacium confirmandum .... Ut autem ipſorum impudentiam abunde coarguamus, ita eos interrogemus; Quidnam Prophetæ proprium aſſeritis? Atqui reſpondebunt fortaſſe, Futura prænoſcere, eademque prædicere. Inſpiciamus itaque annon hæc & prænoverit, & prædixerit Beatus Daniel. Et quæ de Domino Chriſto locutus eſt, interim ſilentio continēamus: Alias vero ipſius prædictiones in medium proferamus. Comperimus igitur de Babyloniorum, de Perſarum, ac Macedonum, de Romanorum Regno ipſum complura prædixiſſe. Quænam videlicet Babylonio Regi eventura eſſent, & quemadmodum Perſæ illius Regnum occupaturi; Deinde ut iis everſis Macedo ipſe quam celerrime e vita diſceſſurus, quatuor vero unius vice Regno quaſi hæreditate potituri: Nec non ut ex uno ipſorum quidam oriundus, infinita damna Judæis illaturus, qui divina impetrata ope ab illius tandem ſævitate vindicarentur. Tum deinde digreſſus, prædixit Romanorum potentiam, qui Regnis omnibus debellatis, ab omnibus eſſent exacturi tributa. Nam quid ea commemo-*

Digitized by Google

memorem, quæ de Ægyptiorum ac Syrorum Regibus vaticinatus eſt? Quantas ſibi illi mutuo clades illaturi, & pacis poſtmodum fœdera, & connubiorum jura, ac neceſſitudines, tum bella rurſus poſt factam reconciliationem implacabilia? Qui igitur hæc omnia & prænovit, & prædixit, eorumque memoriam literis commendatam reliquit, quomodo non impium ac nefarium ſit, ſi quis hunc a Prophetarum extermineti cœtu? Si enim hæc a Propheta ſunt aliena, quænam erunt propria Prophetiæ?

Frivolæ porro ac nugatoriæ ſunt Judæorum rationes, quibus permoti, *Danielem* Prophetam fuiſſe negant, quod ſcilicet rerum futurarum notitia per ſomnium ſit imbutus, nec Angelum in ſe ſe deprehenderit, ſed extrinſecos alloquentem conſpexerit, Secundo, quod Prophetico more non vixerit, ſed Aulico. Eædem enim rationes contra *Abrahamum*, *Samuelem*, *Davidem* afferri poſſunt, quos tamen Prophetas fuiſſe certum eſt. Oculatior Judæis & æquior *Nabuchodonoſor*, qui Spiritum Dei Sanctum in *Daniele* agnovit. Quamvis autem in Aula vixerit, vitæ tamen ſanctimonia cæteris Prophetis impar non fuit, orationibus, jejuniis, gloriæ divinæ, ſalutiſque proximorum zelo, conſtantia in adverſis ac fortitudine, rerum terrenarum contemptu, nemini Prophetarum inferior. *Theodoreti* verbis hanc Reſponſionem fulciamus. *Quod ſi propterea quod propria orationi non præponit, Hæc dicit Dominus; idcirco e Prophetarum choro exemptum volunt: Nobis dicant, quid tale dixerit Abraham Patriarcha, qui ab omnium rerum auctore Deo Propheta nuncupatus eſt. De Abra-*
Geneſ. 20. 7. „ *ham enim dictum eſt:* Et nunc redde uxorem vi-
„ ro, quia Propheta eſt, & orabit pro te, & ſal-
„ vaberis tu, & omnibus domus tua. *Beatus item*
„ *David de ipſo, & filio, ac nepote ait:* Et cor-
„ ripuit pro eis Deus Reges, *dicens:* Nolite tangere
Pſ.104. 14. „ Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. *Maximus quoque Propheta Samuel: ille a puero Æditus, non quemadmodum alii Propheta viſionem habet Prophetiæ; ſed ipſe etiam vel per ſomnia vel per quadam ſibi interdiu diviniius revelata, prænoſcendi, intelligendi, & prædicendi munere donatus eſt. Cum illis igitur palam contendite, eoſque e Prophetarum cœtu aperte ejicite: Quod ſi in illos debacchari veremini, in hunc quoque cavete ne calumniam inferatis. Propheta eſt enim, & Propheta, qui ſummo ſtudio, & cupiditate futurorum cognitionem eſt adeptus, ſudore & laboribus, jejunio & afflictione futura perdoctus: Quique non ea modo quæ ſolis Judæis eventura eſſent, ſed etiam quemadmodum res communes in toto orbe terrarum adminiſtranda forent, & prænovit, & præſignificavit. Conſiderate itaque num admodum injuſtum ſit, Abdiam, qui mala in Judæos eventura duntaxat prædixerit, & Jonam, atque Naum, de una tantum Civitate Ninive vaticinatos, adſcribere in numerum Prophetarum: At Beatum Danielem, qui non de una Civitate, aut de exigua Natione, ſed de maximis: Regnis, Chaldaico, Perſico, Macedonico, Romano, & de iis, quæ ab ipſis ſigillatim geſta ſunt, pronunciavit, Prophetico cognomine defraudare, & a Divini Spiritus beneficio alienum aſſerere. Atqui oportebat vos vel iniquiſſimos Judices pudore aliquo perfundi ob Nabuchodonoſor impium illum, agreſtem, barbarum, divinis Myſteriis minime initiatum, qui de Daniele exclamans, ita loquitur:* Quia Spiritus Dei Sanctus eſt
Dan.4. 5. in ipſo. *Etenim revera Divini Spiritus munus erat, & ſomnium illud, quod cum alius conſpexiſſet, oblitus fuerat enarrare, & ejuſdem accuratam ac veram interpretationem afferre. Vos vero ne hæc quidem re adduci poteſtis, ut in Prophetam deſinatis inſanire, ſed per Prophetam Prophetæ Domino repugnatis. At Propheta ipſe nihil veſtris machinis læditur, quem Prophetam Divina Volumina demonſtrant, cujuſque præcognitio prædictionis confirmatur eventu. Verum enimvero nos nunc res ipſas intuentes, antiqua illa intelligimus Oracula, & ab ipſis rebus ducti facile comprehendimus ipſum rerum eventum: Vos autem propriam inſaniam etiam per hæc declaratis.* Idem argumentum breviter retractans *Theodoretus* in fine commentariorum, *Joſephi* teſtimonium Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. ultimo Judæis opponit. *Antiquos vero Judæos*, inquit, *Beatum Danielem maximum Prophetam vocaſſe, teſtis locuples eſt Joſephus Hebræus, qui Chriſtianam quidem prædicationem non admiſit, veritatem tamen occultare non ſuſtinuit. Hic in decimo Judaicæ Antiquitatis Libro, cum multa alia de Beato Daniele dixiſſet, hæc quoque adjecit:* Omnia, *inquit*,
„ ipſi incredibiliter, ut uni ex maximis Prophetis con-
„ ceſſa ſunt; omnique vitæ tempore honorem & glori-
„ am, & apud Reges, & apud Populum eſt aſſecutus:
„ Mortuus autem monimentum habet ſempiternum.
„ Libri enim, quoſcumque ille conſcriptos reliquit,
„ apud nos etiamnum leguntur, quibus adducti ſu-
„ mus, ut credamus *Danielem* cum Deo collocutum
„ fuiſſe. Non enim futura ſolum, quemadmodum a-
„ lii Prophetæ, prædicebat, ſed etiam tempus, quo
„ illa eventura eſſent, definiebat. *Et paulo poſt:*
„ Ab eventu autem Prædictionum, veritatis fidem,
„ & divinitatis opinionem apud multitudinem con-
„ ſequitur. *Ac deinceps hujuſmodi infinita de ipſo commemorat. Atque itidem in duodecimo Antiquita-*
„ *tum ita rurſus ait:* Accidit vero ut Templi de-
„ ſolatio fieret ſecundum id quod *Daniel* ante qua-
„ dringentos & octo annos prædixerat: Oſtendit e-
„ nim ipſum a Macedonibus everſum iri. *Et hæc quidem Joſephus Prophetæ atteſtatur. Judæi vero omni impudentia laborantes, ne ſuos quidem erubeſcant Magiſtros.*

PROPOSITIO III.

Unus & idem eſt Daniel Propheta & Suſannæ vindex: Ad eumque Suſannæ, Beli & Draconis Hiſtoria referenda ſunt.

Probatur primo ex vetuſtiſſimis Editionibus Græcis, in quibus a *Suſannæ* Hiſtoria incipit Liber *Danielis*; ſervato ſcilicet ordine temporum; quod *Daniel* duodecim annorum puer hoc primum virtutis & ſapientiæ ſpecimen ediderit, maximamque nominis celebritatem ſibi comparaverit.

Probatur ſecundo ex Chriſtianis Patribus, & univerſalis Eccleſiæ ſenſu. In his *Origenes* Epiſtola ad *Julium Africanum*, hanc ſententiam egregie tuetur & ipſius *Africani* argumentis reſpondet *S. Athanaſius* Epiſtola ad *Marcellinum* Tom. 1. pag. 664. *Jam quia unus & idem Spiritus eſt*, inquit, *ad quem omnes quotquot ſunt gratiarum diviſiones pertinent, ipſeque ex natura indiviſus eſt, ideo in ſe totus & integer eſt. Sed tamen pro rei inſtituto, manifeſtationes & diviſiones ſingulis obveniunt: Ac deinde pro præſenti uſu unuſquiſque ſuæ functioni reſpondens ſermonem ſuum moderatur: Atque hinc eſt, ut dixi, quod Moſes in condendis Legibus vaticinetur & cantet, Propheta in prophetando Legum juſſiones edant, dum ajunt* Iſai. 1.
Lavamini, & mundi eſtote: *Et*, Ablue malitiam cordis tui Jeruſalem: *Et aliquando Hiſtorias conſcribant, ut Daniel Suſannæ, Iſaias Rapſacis & Sennacherib.* Auctor Synopſis Scripturæ Sacræ apud eumdem Athanaſium: *Daniel in captivitate fuit uſque ad Cyrum Regem Perſarum. Cauſam Suſannæ ipſe judicavit, & Seniores tamquam ſycophantas condemnavit.* Severus Sulpitius Libro 2. *Hiſtoriæ Sacræ* noſtram Propoſitionem confirmat. *Captivitatis*, inquit *tempora Prophetarum Vaticiniis atque actibus illuſtrata ſunt. Maxime itaque Danielis egregiam ad conſervandam Legem perſeverantiam, & in abſolutionem Suſannæ divino conſilio, cæteraque ab eo geſta ordine perſequemur.* S. Joannes Chryſoſtomus Sermone *De Suſanna*, Tom. 6. nullum diſcrimen agnoſcit inter *Danielem* Prophetam & Suſannæ vindicem. *S. Ambroſius* Libro 3 *De Spiritu Sancto*, Cap. 7. Danielem *Suſannæ* Patronum ipſummet Prophetam fuiſſe diſerte aſſerit. *Spiritus S.* inquit, *dijudicat in Prophetis, quia per Spiritum datur ſermo ſapientiæ.... Daniel niſi accepiſſet Dei Spiritum, numquam potuiſſet deprehendere adulterium libidinis, mendacium fraudis. Nam cum Suſanna Preſbyterorum conjurationibus appetita inflexam Populi mentem videret contemplatione Seniorum, & omnibus deſtituta ſubſidiis, ſola inter hoſtes pudicitiæ ſua conſilia*
„ *Deum arbitrum precaretur:* Exaudivit, *inquit*, Do-

Dan. 13. ,, minus vocem ejus, cum duceretur, ut periret, ,, & excitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri a- ,, doleſcentis, cui nomen Daniel. *Itaque ſecundum accepti Spiritus Sancti gratiam, vacillantia perfidorum teſtimonia deprehendit .... Ac ne quis forte exiſtimet,* ,, *quia dicendo Scriptura:* Excitavit Deus Spiritum

Dan. 45. ,, Sanctum Pueri adoleſcentuli, *Spiritum in eo puteri fuiſſe hominis, non Spiritum Sanctum: Legat in ſuperioribus, & inveniet quia Spiritum Sanctum accepit Daniel, & ideo prophetavit. Denique & Rex eum pretulit, quia habebat gratiam Spiritalem. Sic* ,, *enim dixit:* Tu autem Daniel potes, quia Spiri- ,, tus Sanctus Dei in te eſt. *Et infra Scriptura dicit:* Et fuit Daniel præpoſitus illis, quoniam Spiritus erat ſuperans in eo.

Obiicitur ex *S. Hieronymo* in Proœmio Commentariorum Danielis, Danielem *Suſanna* vindicem fuiſſe Sacerdotem filium Abda: *Danielem* autem Prophetam fuiſſe de Tribu Juda. Item Suſannæ, Belis, ac Draconis Hiſtorias partem eſſe Prophetiæ *Habacuc*. Id *Euſebium* & *Apollinarium* olim reſpondiſſe *Porphyrio* Chriſtianæ Religionis hoſti. Idque niti titulo quem Septuaginta interpretes Hiſtoriæ Belis præfixerunt. *S. Hieronymi* verba ſubiicio; *Porphyrio Euſebius & Apollinarius reſponderunt: Suſanna, Beliſque, ac Draconis fabulas non contineri in Hebraico, ſed partem eſſe Prophetiæ Habacuc filii Jeſu de Tribu Levi: Sicut juxta Septuaginta Interpretes in titulo ejuſdem Belis fabulæ ponitur: Homo quidam erat Sacerdos nomine Daniel filius Abda, conviva Regis Babylonis: Cum Danielem & tres pueros de Tribu Juda fuiſſe, Sancta Scriptura teſtetur. Unde & nos ante annos plurimos, cum verteremus Danielem, has Viſiones obelo prænotavimus: Significantes eas in Hebraico non haberi.*

Reſpondetur, *Euſebium* & *Apollinarium* ad *Suſannæ* Hiſtoriam titulum illum extendiſſe, qui ad Belis & Draconis Hiſtoriam dumtaxat pertinet, ut *S. Hieronymus* indicat. Deinde, titulum illum in *Theodotionis* Editione non comparere, quæ & *Hebræo* & *ceteris Tranſlatoribus congruit*; cum Græca, quæ ſub Septuaginta Interpretum nomine vulgata eſt, *Multum ab Hebraica veritate diſcordet;* ideoque *Judicio Magiſtrorum Eccleſiæ repudiata ſit*, ut obſervat *S. Hieronymus* in Cap. 4. *Danielis*. Denique veriſimilius eſſe, nec titulum illum, nec antiquam illam Verſionem Græcam eſſe Septuaginta Interpretum; ſed alicujus Interpretis Linguæ Chaldaicæ prorſus imperiti & nimium audacis, qui conjecturam ſuam de Hiſtoria Belis & Draconis *Habacuc* tribuenda, velut rem indubitatam fronti Capitis illius adſcripſerit, in quo narratur quomodo *Habacuc* Propheta prandium Meſſoribus ferens, ab Angelo capillis apprehenſus, e Judæa Babylonem tranſlatus ſit, & poſitus juxta lacum leonum, in quo *Daniel* concluſus erat, ut ipſum prandio recrearet. *S. Hieronymi* auctoritate noſtra hæc Reſponſio roboratur, Præfatione in Danielem; *Danielem Prophetam juxta Septuaginta Interpretes Domini Salvatoris Eccleſiæ non legunt, utentes Theodotionis Editione; Et hoc cur acciderit, neſcio. Sive enim quia ſermo Chaldaicus eſt, & quibuſdam proprietatibus a noſtro eloquio diſcrepat, noluerunt Septuaginta Interpretes eaſdem Linguæ lineas in Tranſlatione ſervare: Sive ſub nomine eorum ab alio neſcio quo non ſatis Chaldæam Linguam ſciente editus eſt Liber: Sive aliud quid cauſæ extiterit ignorans: Hoc unum affirmare poſſum, quod multum a veritate diſcordet, & recto judicio repudiatus ſit*. Addi poteſt, *Danielem* Prophetam a Græco illo Interprete *Sacerdotem* appellatum, non quod e Tribu Levitica & Sacris Judaicæ Religionis Præpoſitus, ſed quod inter Aulæ Babylonicæ Proceres & Satrapas ſpectatiſſimus fuerit. Quo ſenſu de filiis *Davidis* Cap. 8. Lib. 2. *Regum* Verſ. 18. dicitur *Filii autem David Sacerdotes erant*. Septuaginta habent, Αὐλάρχαι; Chaldaica Paraphraſis, *Optimates*; Verſiones Syriaca & Arabica, *Principes*. Auctor *Paralipomenon*, Lib. 1. Cap. 18. 17. exprimit quid hoc loco ſibi velit Sacerdotum nomen: *Porro filii David, primi ad manum Regis*.

Obiicitur ſecundo, *Danielem* Suſannæ vindicem puerum fuiſſe annorum circiter duodecim, ut conſtat ex illis verbis Capitis 13. quo *Suſannæ* narratur Hiſtoria; *Cumque duceretur ad mortem, ſuſcitavit Dominus Spiritum Sanctum Pueri junioris, cujus nomen Daniel*. At *Danielem* Prophetam virum fuiſſe grandem natu & multorum liberorum parentem, ut conſtat ex Ezechielis 14. 14. *Si fuerint tres viri iſti in medio terræ, Noe, Daniel, & Job, nec filios, nec filias liberabunt*.

Reſpondetur, Prophetam ipſum *Danielem*, quo tempore hæc ſcribebat *Ezechiel*, anno nempe *Joakimi* ſexto, nondum pueriles annos exceſſiſſe: Ab *Ezechiele* tamen inter grandævos homines fuiſſe collocatum propter Nominis claritatem ex vindicata *Suſannæ* innocentia, & ſomniorum Regis interpretatione comparatam: Ipſi vero tribui liberos ex hypotheſi id eſt, ſi liberos haberet ipſos pœnis eximere non poſſet. Hæc reſponſio eſt *S. Hieronymi* Lib. 1. Adverſus Jovinianum. *Superfluum eſt*, inquit, *de Daniele dicere, cum Hebræi uſque hodie autument, & illum, & tres Pueros fuiſſe Eunuchos, ex illa Dei ſen-* ,, *tentia, quam Iſaias loquitur ad Ezechiam:* Et de ,, filiis tuis, qui naſcentur ex te, tollent, & fa- ,, cient Eunuchos in Domo Regis. *Rurſuſque in Da-* ,, *niele legimus:* Et dixit Rex Aſphenez Principi ,, Eunuchorum, ut introduceret de filiis Captivita- ,, tis Iſrael & de ſemine Regio, & de Parthemmim ,, Pueros in quibus non eſſet macula, pulchros fa- ,, cie, & intelligentes ſapientiam. *Et argumentatur*

Dan. 1. *Si de ſemine Regio electi ſunt Daniel, & tres Pueri, de ſemine autem Regio Eunuchos fore Scriptura prædixit, hoc eſt, qui Eunuchi facti ſunt. Si vero & illud oppoſuerit quod in Ezechiele dicitur, Noe, Daniel, & Job in terra peccatrice filios & filias liberare non poſſe: Reſpondendum eſt, quod juxta hypotheſim dictum ſit. Nec enim eo tempore Noe & Job erant; quos multis ante ſæculis fuiſſe cognovimus. Et eſt ſenſus:*

Ezech. 14. *Si ſoli & tales viri fuerint in terra peccatrice, filios ſuos & filias liberare non poterunt, quia juſtitia patris non liberabit filium, nec peccatum alte-* ,, *rius alteri imputabitur.* Anima enim quæ pecca- ,, verit, ipſa morietur. *Sed hoc dicendum, Danielem, juxta Hiſtoriam Libri ejus, cum Joakim Rege captum eo tempore, quo Ezechiel quoque ductus eſt*

Dan. 4. *in Captivitatem. Quomodo ergo potuit habere filios, qui adhuc puer erat? Et expleto triennio, inductus eſt ad Regis obſequium. Ac ne quis putet Ezechielem* ,, *jam viri meminiſſe Danielis, & non pueri:* Fa- ,, ctum eſt, *inquit*, in anno ſexto, *Regis ſcilicet* ,, *Joakim*, in menſe ſexto, in quinta Menſis: Et

Ezech. ,, ego ſedebam in domo mea, & Senes Juda ſede- ,, bant coram me. *Atque in eadem die ad eum di-* ,, *citur:* Si fuerint Noe, Daniel, & Job. *Erat igitur Daniel adhuc puer, & notus Populo, vel propter interpretationem ſomniorum Regis, vel propter Suſannæ liberationem, & occiſionem Presbyterorum. Et perſpicue comprobatur, eo tempore quo hæc dicebantur de Noe, Daniele, & Job, adhuc puerum fuiſſe Danielem, nec potuiſſe habere filios & filias, quos ſua juſtitia liberaret*.

Obiiciebat *Julius Africanus*, Danielem alio modo prophetaſſe, quam *Suſannæ* Vindicem. Ille enim per viſiones & inſomnia, & apparente interdum Angelo prophetavit, ſed non per afflatum Propheticum. *Suſannæ* vero Vindex, cum illa duceretur ad ſupplicium, Spiritu captus exclamavit, injuſtam eſſe ſententiam, Senes impudicos ſeorſim interrogavit, convicit, objurgavit. Alius itaque fuit a *Daniele* Propheta *Suſannæ* Vindex.

Reſpondet Origenes in Epiſtola ad eumdem Africanum: *Deum olim multifariam locutum eſſe Patribus in Prophetis* (ut ait S. Paulus Heb.) *non modo in omnibus illis, ſed & in ſingulis. Iiſdem enim ſanctis obtigiſſe tum divina inſomnia, tum apparitiones Angelicas, tum inſpirationes*. Id vel unius *Jacob* exemplo probari, *Geneſis* 31. 10. 11. 12. 13. 32. 24. & ſequentibus & toto Capite 49. *Non igitur mirum eſt, Danielem quoque interdum ex inſpiratione locutum eſſe, interdum inſomniis, vel viſiones, & aliam apparitionem Angeli ei obtigiſſe*. Quod ſpectat vero modum agendi *Danielis* cum impudicis illis Senibus, videri ſimilem Judicio *Salomonis* in cauſa duarum illarum Meretricum, quæ eumdem Infantem ſibi vendicabant (3. *Regum* 3.) & de *Daniele* non minus quam de *Salomone* vere dici, *Sapientiam Dei fuiſſe in eo ad faciendum Judicium*. Obi-

Obiiciebant *Porphyrius*, Judæorum Magiſtri, & *Julius Africanus*, Hiſtoriam *Suſannæ* ab homine Græco compoſitam, ex etymologiis illis & alluſionibus maniſeſte probari, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ πρίνου πρίσαι. Quæ magis Græco ſermoni quam Hebræo conveniunt.

Reſpondet *Origenes* in Epiſtola ad Africanum: *In noſtris Scripturis extare quaſdam etymologias, quas apud Hebræos quidam ſimiliter habent, ſed apud nos non item. Nil igitur mirum, Interpretes ſic Verſionem adminiſtraſſe in his de Suſanna ſcriptis, ut invenirent ſane aliquid Hebræo conſonum. Non enim Hebraicis dictionibus ſane convenientibus ſimilia eſſe nomina noſtra denominativa.* Sic *Eſſa*, Mulier, apud Hebræos, ab *Is*, Viro denominatur, quia de Viro ſumpta eſt, quæ etymologia in Græca Lingua, Latinaque non ſervatur. *Non igitur mirum eſt, Interpretes quoſdam Hebraici de Suſanna Textus, (in ſuppreſſis, ut videtur, Libris olim apud illos habiti, & apud Doctiores & veritatis amantiores conſervati) aut primitivas edidiſſe dictiones, aut inveniſſe ſimilia Hebraicis denominativa; ut poſſimus nos Græci quoque illos imitari. Etenim in multis aliis invenire licet, quæ ab Interpretibus, prout vis quæque poſcebat, edita fuerunt; Quæ quidem* (inquit Origenes) *nos obſervavimus, cum omnes Editiones inter ſe collatas examinaremus.* Quamvis itaque etymologiæ illæ & alluſiones in Hebræo non fuiſſent, quod tamen incompertum eſt, id non probat Auctorem Hiſtoriæ *Suſannæ* Danielem Prophetam non fuiſſe. Non enim verbum verbo curavit reddere fidus Interpres, modo ſententiæ integritas ſervaretur. Quapropter ut alluſionis, quæ a *Daniele* facta erat, ſervaretur venuſtas, Græcus Interpres aliarum fortaſſis arborum nomina ſubſtituit, quod Sacrarum Literarum Tranſlatoribus non fuit inuſitatum, multiſque exemplis in Verſionem Septuaginta Interpretum approbari poteſt, qui vocabula Hebraica arborum, lapidum, locorum, ignota Gentibus, quarum Lingua ſcribebant, in vocabula aliarum rerum ipſis ratione quadam reſpondentium commutarunt.

Obiiciebat *Julius Africanus*, Prophetarum neminem alterius Prophetæ ſententiis ac verbis uſum eſſe: At *Suſannæ* Vindicem, cum utrique Seni minitaretur, uſurpaſſe illud Exodi 23. 7. *Inſontem & juſtum non occides.* Vindicem itaque *Suſannæ* alium eſſe a *Daniele* Propheta.

Reſpondet *Origenes*: Hoc argumentum indignum eſſe viro, qui in Scripturæ Sacræ lectione ac meditatione adeo verſatus erat. Obſervare enim potuiſſet, *Prophetas Prophetarum ſermonibus fere iiſdem verbis uſos eſſe.* Sic *Iſaiæ* 2. & *Michææ* 4. illud Oraculum iiſdem verbis expreſſum reperiri: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice Montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum Gentes*, &c. ut ex utriuſque loci collatione evidens eſt. Sic Libro 1. *Paralipomenon* 16. Pſalmum *Aſaph* & fratribus ejus inſcriptum, cujus initium, *Confitemini Domino & invocate nomen ejus*, in pluribus ſimilem eſſe Pſalmo centeſimo quarto ab initio ad illa uſque verba: *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Poſt hæc autem pene convenire cum Pſalmo nonageſimo-quinto, qui incipit, *Cantate Domino omnis terra*, uſque ad illa verba; *Quoniam venit judicare terram.* Quin etiam, *De onere non ferendo die Sabbathi*, non tantum a *Moſe* præſcriptum, ſed & in *Jeremia*. Item *De Paſchate ac Legibus Sacerdotalibus*, ſimilia reperiri apud *Moſem*, & in ultimis *Ezechielis*. Pluribuſque aliis exemplis oſtendit poſſe Prophetas, alioſque Scriptores Sacros poſteriores, priorum ſententias & verba uſurpaſſe. Mirum itaque non eſſe quod *Daniel* Propheta *Exodi* verba uſurpaverit.

PROPOSITIO IV.

Hiſtoria Suſannæ, & alia quæ Danielis Additamenta vulgo nominantur, Sacra ſunt & Canonica.

PRobatur Chriſtianorum Patrum teſtimonio, qui vel ſententias ex Hiſtoria *Suſannæ* aliiſque *Danielis* Additamentis, tanquam ſacras & divinas laudarunt, uſurparunt, ut *S. Ignatius* in Epiſtola genuina ad Magneſianos, *S. Athanaſius* Epiſtola ad *Serapionem*, qua *Spiritum Sanctum non eſſe creaturam* oſtendit; *S. Ambroſius* Lib. 3. *De Spiritu Sancto*, Cap. 7. vel Hiſtoriam ipſam ut ſacram & divinam ab Eccleſia haberi & in ea legi ſignificant, aut ſupponunt ut *Tertullianus* Lib. De Corona Militis. *S. Cyprianus* Epiſtola 40. *Clemens Alexandrinus* Lib. 4. Stromatum, *Origenes* in Epiſtola ad *Julium Africanum* ſcribens Hiſtorias *Suſannæ*, Belis & Draconis, Orationem Azariæ, Hymnum trium Puerorum, *per totam Chriſti Eccleſiam circumferri, quæ tamen in Hebræo Danielis Textu non ſunt ſcripta.* Et Tractatu 31. in Matthæum: *Ut autem*, inquit, *timeamus eum qui dicit, Dividet eum, convenit recordari ea quæ a Daniele ſunt dicta contra Presbyteros malos*, Quoniam Angelus Domini habens gladium, ſcindet te medium. Scindens autem dividet. *Auſi ſumus uti in hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes quoniam in Hebræo poſitum non eſt, ſed quoniam in Eccleſiis tenetur. Alterius autem temporis eſt requirere de hujuſmodi.* Et Homilia 1. in Leviticum: *Sed tempus eſt nos adverſus improbos Presbyteros uti Sanctæ Suſannæ vocibus, quas illi quidem repudiantes, Hiſtoriam Suſannæ de Catalogo Divinorum Voluminum deſecarunt, nos autem & ſuſcipimus, & opportune contra ipſos proferimus, dicentes: Anguſtiæ mihi ſunt undique. Si enim hoc conſenſero vobis, ut Legis literam ſequar, mors mihi erit. Si autem non conſenſero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt me ſine ullo geſtu incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* S. Methodius ſingulari Opere *De Daniele & Suſanna*, cujus meminit *Georgius Syncellus* in Chronographia, hanc Hiſtoriam ut Canonicam agnoſcit ac tuetur. Auctor Synopſeos Scripturæ Sacræ apud *S. Athanaſium* eamdem Hiſtoriam, ut partem Prophetiæ *Danielis* agnoſcit, adeoque ut Canonicam *S. Gregorius Nazianzenus* Homilia 18. in laudem *S. Cypriani*, ejuſdem velut Sacræ Hiſtoriæ meminit. *Severus Sulpitius* Lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ* Hiſtoriam Suſannæ, Belis & Draconis, ut partes Libri *Danielis* agnoſcit, ac refert. *Ruffinus* Libro 2. adverſus S. Hieronymum: *Quis ergo*, inquit, *in iſta eruditorum virorum copia auſus eſt inſtrumentum Divinum, quod Apoſtoli Eccleſiis tradiderunt & depoſitum Sancti Spiritus compilare? An non eſt compilare, cum quædam quidem immutantur, & error dicitur corrigi? Nam omnis illa Hiſtoria de Suſanna, quæ caſtitatis exemplum præbebat Eccleſiis Dei, ab iſto abſciſſa eſt, & abjecta, atque poſthabita. Trium Puerorum Hymnus, qui maxime diebus ſolemnibus in Eccleſia Dei canitur, ab iſto e loco ſuo penitus eraſus eſt.*

S. Hieronymus Lib. 2. *Adverſus Ruffinum* huic reſpondens calumniæ, non negat Hiſtoriam *Suſannæ* Inſtrumenti divini partem eſſe, ad depoſitum Spiritus Sancti pertinere, ab Eccleſia legi; & velut ſacram ac divinam agnoſci: Sed tantum negat ſe Hiſtoriam illam, aliaque *Danielis* Additamenta abſcidiſſe, abjeciſſe, poſthabuiſſe, ut affingebat *Ruffinus*, cum notaverit dumtaxat, quæ in Hebræis Codicibus non habentur. Idem Libro 5. Commentariorum in *Jeremiam*, ad caput 29. Hiſtoriam *Suſannæ* veram eſſe ſupponit; & a *Daniele* ſcriptam, adeoque Canonicam. Ubi enim *Achabi* filii *Coliæ*, & *Sedeciæ* filii *Maaſiæ*, ſupplicium a Rege Babylonis decretum *Jeremias* commemorat, *S. Hieronymus* ait, Ex Hebræorum ſententia *Hos eſſe Presbyteros, qui fecerint ſtultitiam in Iſrael, & mœchati ſunt uxores Civium ſuorum*: *Quorum uni loquitur Daniel*: Inveterate dierum malorum; & *alteri*: Semen Chanaan & non Juda: ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum: Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ me- Dan. 13.

„ tuentes loquebantur vobiſcum : Sed non filia Juda „ ſubſtinuit iniquitatem veſtram. *Quodque Propheta* „ *nunc loquitur* : Et locuti ſunt verbum in nomine „ meo mendaciter, quod non mandavi eis : *Illud ſignificari putant, quod miſeras mulierculas, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſic deceperint, quod dicerent eis, Quia de Tribu erant Juda, Chriſtum de ſuo ſemine, eſſe generandum, quæ illectæ cupidine, præbebant corpora ſua, quaſi Matres futuræ Chriſti. Sed illud quod impræſentiarum dicitur* : Quos frixit Rex Babylonis in igne, *videtur Danielis Hiſtoriæ contraire. Ille enim aſſerit eos ad ſententiam Danielis a Populo eſſe lapidatos : Hic vero ſcriptum eſt, quod frixerit eos Rex Babylonis in igne. Unde & a pleriſque, ac pene omnibus Hebræis, ipſa quaſi fabula non accipitur, nec legitur in Synagogis eorum. Qui enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi lapidandi Principes & Prophetas ſuos haberent poteſtatem? Et magis hoc eſſe verum affirmant, quod ſcribit Jeremias, convictos quidem eſſe Presbyteros a Daniele, ſed latam in eos ſententiam a Rege Babylonis, qui in captivos ut victor & Dominus habebat Imperium.* Et rurſus in Caput 12. *Danielis*, de Senibus illis impudicis hæc habet : *Si interfecit eos omnis Synagoga, videtur illa opinio refutari, de qua ſupra diximus ſecundum Jeremiam, quod ipſi eſſent Presbyteri Achab & Sedechias, niſi forte hoc quod ſcriptum eſt*, Interfecerunt eos ; *Sic interpretemur pro eo quod eſt, Regi Babylonis occidendos tradiderunt. Sicut & nos dicimus quod Judæi interfecerint Salvatorem ; Non quod ipſi percuſſerint, ſed quod tradiderint occidendum, & ſucclamantes dixerint : Crucifige, crucifige eum.*

S. Auguſtinus Sermone trecenteſimo quadrageſimo-tertio Editionis poſtremæ Pariſienſis *De Suſanna & Joſeph*, hanc Hiſtoriam in Eccleſia legi ſignificat ut divinam & canonicam. *Divinæ*, inquit, *lectiones, & ſancta Oracula Dei, quæ inſonuerant in auribus noſtris, nidum faciant in mentibus noſtris... Audivimus de Suſanna lectionem : Ædificatur pudicitia conjugalis, & tam firmo fundamento innititur, muroque vallatur, ut & inſidiantes repellat, & falſos teſtes convincat. Remanſerat caſta Mulier moritura, niſi adeſſet qui videbat, quod judicantes latebat. Conſcripta ſunt verba ejus, quæ habuit in paradiſo, hoc eſt, in viridario ſuo : Quæ verba nullus hominum audivit, niſi ſoli duo, qui pudori uxoris alienæ inſidiabantur, & relictantis falſum teſtimonium meditabantur. Illi ſoli audierunt quod dictum eſt* : Angu„ ſtiæ mihi undique. Si enim non fecero, mors mi„ hi eſt : Si autem hoc fecero, non effugiam manus „ veſtras. Melius eſt autem mihi manus veſtras non „ evadere, quam in conſpectu Dei peccare. *Contemnebat quod audiebat, quia timebat quem non videbat, cujus tamen oculis erat conſpicua.... Videbat Deus quod ædificabat, inſpiciebat opus ſuum, habitabat Templum ſuum, ibi erat ipſe, inſidiantibus reſpondebat. Nam ſi caſtitatis dator deſeruiſſet, caſtitas interiiſſet. Ait ergo : Anguſtiæ mihi undique.... Adfuit Dominus precanti, exaudivit quam noverat : Non deſerait ne moreretur, cui ſubvenit ut adulteraretur. Excitavit Dominus Spiritum Sanctum Danielis adhuc novelli ætate, ſed robuſti pietate. Quia ergo erat in eo Propheticus Spiritus, continuo nequiſſimorum Seniorum vidit fallaciam. Sed quod ille intuebatur, providendum erat quomodo cæteris monſtraretur.* Falſi, inquit, teſtes ſunt, redite in judicium. *Sed quod falſi eſſent, ille noverat, cui Propheticus Spiritus revelaverat : Docendi erant qui neſciebant. Ergo ſi Judices docendi, teſtes proculdubio convincendi... Juſſit eos ab invicem ſeparari. Interrogavit ſingulos... Interrogatus eſt unus ſub quam arborem comprehendiſſet adulteros ; Reſpondit*, Sub lentiſco. *Interrogatus eſt alius ; Reſpondit*, Sub ilice. *Diſſonantia teſtimoniorum patefecit veritatem, liberavit caſtitatem.*

Daniel. 13. 22.

S. Fulgentius Quæſtione ad *Ferrandum*, Spiritus Sancti Divinitatem ex verbis *Suſannæ* probat Danielis 13. 42. *Spiritus Sanctus*, inquit, *Deus verus agnoſcitur, qui occultorum cognitor invenitur. Scientia vero quæ comprehendit occulta, ſine dubio continet & futura : quod ſummo ac vero Deo vera, fides aſſignat : Sancta Suſanna Deum verum taliter invocante. Deus qui occultorum es cognitor, qui ſcis omnia antequam fiant.*

Alcimus Avitus Viennenſis Epiſcopus in Libro ad *Faſcinam* ſororem, Virginem Deo ſacram, de *Suſanna* ita canit :

Suſannam poſt hanc dignis quis laudibus unquam Joſephum.
Extolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota Senum, conjuratoſque furores?
Confeſſi ardorem, pariter mendacia produnt
Diſpoſita, & laqueos pandunt, quos nectere vellent,
Anceps illa diu ſecum luctatur, & herens
Fluctuat, incerta quo vergant pondera mentis.
Lex peccare vetat, rurſuſque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, & obſcœnas lacrymis reſtinguere flammas.
Sed poſtquam nullis precibus monitiſque remotos
Obſtrictoſque Senes vicit rogante libido ;
Femina præclaro mentem ſuccenſa pudore
Decrevit tunc caſta mori, ne crimine tanto
Ambiret miſeram caruſs commercia vitam.
Cœlum teſte vocat, famamque recuſat inanem,
Judicio contenta ſuo, cum conſcia corda
Commendat ſupera fidei, ſervatque futuris.
Maluit illi tamen ſecreti inſpector apertum
Examen præſtare loco, facinuſque reclusum
Pandere, & objectas laqueis producere fraudes.
Spectabat vanis commotam fletibus Urbem
Judæo ille Puer, Puerts turbas ipſe futurus
Poſt comes, undanti quas jecit Parthica flamma
Contempto Imperio flammis ferventior ira.
....
Hic ergo Impubes Suſannam forte videbat
In tormenta rapi, veri quam neſcius ante
Vulgus inauditam damnaverat, & ſimul omnes
Inſontis ſontem certabant ſternere mortem.
Cum ſubito in medium Juvenis ſe proripit agmen
Accenſum tenera caſtigans voce tumultum ;
Cur tanto in cœtu nullus rem judicat? At ſe
Liber ad injuſtum clamat non currere lethum.
Protinus ad verbum Pueri permota repreſſit
Turba ſequax animos : Judex decernitur ipſe,
Conſulturque Senum, per quem via vera pateſcat
Conſulit avulſos quiſnam ſit criminis ordo :
Sed dum diſcordans reſponſum præbet uterque,
Conjunctam facinus diſtincta voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accepit ; Undique clamor
Tollitur, auctores ſceleris plebs obruit omnis :
Laudaturque Deus, qui nunquam vota bonorum
Deſerit, auxiliumque ſuum pro tempore monſtrat.

Hanc denique Hiſtoriam, & illa quæ vulgo dicuntur *Danielis Additamenta*, Eccleſia judicio ſuo ut Canonica recepit, approbavit, cum in Synodo Oecumenica Tridentina Seſſione 4. hoc Anathema pronuntiavit : *Si quis autem Libros ipſos integros, cum omnibus ſuis verſibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Latina Vulgata Editione habentur pro Canonicis & Sacris non ſuſceperit, anathema ſit.* Legitur autem ab antiquo Hiſtoria *Suſannæ* Sabbato ante Dominicam quartam Quadrageſimæ.

Obiiciunt Heterodoxi ; Hiſtoriam *Suſannæ* in Hebræis Codicibus non haberi. *Julium Africanum* virum Sacrarum Scripturarum, & Chriſtianorum Dogmatum peritiſſimum, eam cum *Philiſtionis* fabulis comparaſſe. *Euſebium* & *Apollinarium* pro ea reſpondere neglexiſſe *Porphyrio*, utpote quæ Canonicam Auctoritatem non haberet. *S. Hieronymum* illam paſſim velut fabulam reiicere. *Theodoretum*, qui Librum *Danielis* Commentariis illuſtravit, illam prætermiſiſſe. Auctorem Libri *De Mirabilibus Scripturæ* apud *S. Auguſtinum*, & Gloſſæ Interlinearis ac Ordinariæ Auctores, *Fabulæ* nomine ipſam notare. Patres antiquos, qui Canonicorum Librorum Indices in ſuis Operibus ad poſteros tranſmiſerunt, & Concilia, *Hiſtoriam Suſannæ* in Scripturarum Canonicarum numerum non referre, ſcilicet *Melitonem* apud *Euſebium* Libro. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 26. *Origenem* apud eumdem Libro 6. Cap. 25. Canonem 85. Apoſtolorum. *Cyrillum Hieroſolymitanum* Catecheſi 4. *S. Gregorium Nazianzenum*, in Carminibus. *S. Epiphanium* Hæreſi 6. & Libro de Ponderibus & Menſuris. *S. Auguſtinum* Libro 2. *De Doctrina Chriſtiana*,

na; Cap. 8. Concilia Laodicenum & Carthaginenſe 3. *Innocentium I.* & *Gelaſium I. Caſſiodorum* Libro 1. Divinarum Lectionum *S. Iſidorum Hiſpalenſem* Lib. 6. Originum Cap. 1. & 2. *Rabanum Maurum* Lib. 2. *De Inſtitutione Clericorum*, Cap. 54. & 55. Quæ omnia probant eam Canonicam non eſſe. *S. Hieronymi* teſtimonium ea in cauſa inſigne, luculentum, multoties occaſione data repetitum ſubjicio, Præfatione in *Danielem*, ſive Epiſtola 120. *Hæc idcirco refero, ut difficultatem vobis Danielis oſtenderem: Qui apud Hebræos nec Suſannæ habet Hiſtoriam, nec Hymnum trium Puerorum, nec Belis, Draconiſque fabulas: Quas nos, quia in toto orbe diſperſa ſunt, veru antepoſito eaſque jugulante ſubjecimus: Ne videremur apud imperitos magnam partem Voluminis detruncaſſe.* Idem in Proœmio Commentariorum in Danielem: *Porphyrio Euſebius & Apollinarius pari ſententia reſponderunt: Suſannæ, Beliſque ac Draconis fabulas non contineri in Hebraico. Unde & nos ante annos plurimos cum verteremus Danielem, has Viſiones obelo prænotavimus: Significantes eas in Hebraico non haberi. Et miror quoſdam μεμψιμοίρους indignari mihi, quaſi ego decurtaverim Librum: Cum & Origenes, & Euſebius & Apollinarius, aliique Eccleſiaſtici Viri & Doctores Græciæ, has, ut dixi, Viſiones non haberi apud Hebræos fateantur; Nec ſe debere reſpondere Porphyrio pro his, quæ nullam Scripturæ Sanctæ auctoritatem præbeant.* Et in Commentario Capitis 13. *Hoc quod Scriptura nunc dicit; Exclamavit voce magna, quia de idololatra & ignorante Deum dicitur, videtur obſervationem noſtram ſubvertere, qua dudum aſſeruimus vocem magnam in Sanctis tantum reperiri. Quod ſolvet facile, qui hanc hiſtoriam in Libro Danielis apud Hebræos dixerit non haberi. Si quis autem potuerit eam approbare eſſe de Canone, tunc quærendum eſt quid ei reſpondere debeamus.*

Ad primam argumentationis illius partem reſpondet *Origenes* in Epiſtola ad *Africanum*, Hiſtoriam *Suſannæ* primitus fuiſſe in Codicibus Hebræis, ſed Judæos illam expunxiſſe. Quæcumque enim *poterant, de iis quæ Seniorum & Principum accuſationem aliquam continebant, ea ſuſtulerunt a cognitione Populi.* Sic in Veteribus Libris non inveniuntur Scribarum & Phariſæorum verba, quæ Chriſtus commemorat, Matthæi 23. *Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non fuiſſemus participes ſanguinis Prophetarum*; Quia nimirum *continent accuſationem iniquorum in Iſraele Judicum.* Quapropter (inquit Origenes) *rem non aliter geſtam eſſe opinor, quam illos, qui cenſebantur Sapientes, & Principes, & Seniores Populi ſuppreſſiſſe talia, quæcumque accuſationem aliquam ipſorum continebant apud Populum. Non igitur mirum ſi hanc, licet veram exiſtentem de Suſanna, inſidiis Seniorum libidinoſorum petitu, Hiſtoriam, illi qui non procul aberant a ſimili propoſito Seniorum illorum ſuffurati ſint, & abſtulerint a Scripturis.* Et certe illam Hiſtoriam olim fuiſſe in Codicibus Hebræis, conſtat ex veteri Verſione Græca, quæ ſive a Septuaginta Interpretibus ſive a privato aliquo Interprete ſub eorum nomine edita eſt; & ex *Theodotione*, qui ex hoc fonte illam hauſerunt. Jam vero cum Eccleſia ante *S. Hieronymi* ætatem Librum *Danielis* juxta Verſionem *Theodotionis* legeret, & poſt *S. Hieronymi* obitum ſecutis temporibus Hiſtorias Suſannæ, Beli, Draconis, Orationem Azariæ, Hymnum trium Puerorum, ex ipſius *Theodotionis* Verſione legere perrexerit, perſuaſum habuit hunc Interpretem ea Hebraicæ Veritatis fontibus illa derivaſſe.

Addit *Origenes*, Plura in Libris Sacris apud Græcos interdum haberi, interdum pauciora, quod multis exemplis probat, ex *Geneſi*, *Exodo*, *Libro Job*, *Jeremia*, & *Libro Eſther* petitis. Tum maximam Exemplaribus, quibus utitur Eccleſia, fidem præſtandam eſſe docet. Contrariam ſententiam *irrita facere Exemplaria quæ in Eccleſiis noſtris habentur, & fratribus*
Prov. 22. 28. *legem figere tum ſeponendi* (ſeu abjiciendi) *facros Libros apud illos uſitatos; tum Judæis blandiendi & ſuadendi, ut nobis puros, & nullum figmentum continentes Libros tradant. An vero Providentia divina in Sacris Scripturis (quæ illa omnes largita eſt) in Eccleſiis Chriſti ædificationem non curavit illorum, qui pretio empti ſunt; pro quibus Chriſtus mortuus eſt; cui quamvis Filius eſſet, non pepercit Deus, ipſa charitas, ſed quem pro nobis omnibus tradidit, ut cum ipſo nobis omnia gratificaretur?* Denique illud in memoriam revocandum: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt Patres tui.*

Ex *Julii Africani* Epiſtola ad *Origenem*, *Euſebii*, & *Apollinarii* Reſponſis ad Objectionem Porphyrii, *S. Hieronymi*, verbis, *Theodoreti* in Commentariis *Danielis* ſilentio, colligere licet, Hiſtoriam *Suſannæ*, & cætera quæ vulgo dicuntur *Danielis Additamenta*, non fuiſſe in primo Scripturarum Sacrarum Canone id eſt, non ſemper ab omnibus Eccleſiis, & ab omnibus Eccleſiarum Magiſtris, ut Sacra & Canonica habita fuiſſe, nondum eliquata veritate: ſed tamen ab Eccleſiarum parte maxima, & majoris auctoritatis, doctiſſimiſque Patribus, recepta fuiſſe ut partes Libri Danielis, eodemque Spiritu dictatas, & in eadem canonicæ auctoritatis arce poſitas ac reliqua *Danielis* Capita. Nec vero contrarium evincit Patrum & Conciliorum de Hiſtoriis Suſannæ, Belis, & Draconis ſilentium in Indicibus Librorum Canonicorum, quos ad poſteros tranſmiſerunt. Sicut enim perperam colligeretur Hiſtoriam Judicii a *Salomone* Rege lati in cauſa duarum Mulierum de eodem infante litigantium Sacram & Canonicam non eſſe, quia veteres illi Patres & Synodi ejus non meminerunt in iis quos texuerunt Librorum Canonicorum Indicibus: Recteque reſponderetur, Illam habitam ac ſuſceptam fuiſſe ab iis ut Sacram & Canonicam, hoc ipſo quo Librum tertium Regum, in quo exarata eſt, in Canonem retulerunt: Ita cum *Librum Danielis* inter Canonicos adſcripſerint, ejuſque Libri partes ſint Hiſtoriæ *Suſannæ*, Belis, & Draconis, & Canticum trium Puerorum, in iiſque Codicibus continerentur, quibus utebatur Eccleſia illorum temporibus, ſatis ſuperque ab iis in Scripturarum Canonicarum cenſu ſunt comprehenſæ.

S. Hieronymum quod ſpectat, fabulæ nomen improprie ſumptum veris hiſtoriis lectu & auditu jucundis, & ad aures captumque vulgi accommodatis, illum interdum tribuiſſe, conſtat ex Epiſtola ad *Caſtrutium*, & ex Epiſtola 24. ad *Marcellam*, ut a Viris eruditis *Bellarmino* & *Sixto Senenſi* obſervatum eſt. Et quamvis tamen Hiſtoriam *Suſannæ* obelo confixit, & in Canone non contineri ſcripſit, non ex propria, ſed ex Hebræorum ſententia locutus eſt. Optimum ſuæ mentis Interpretem ipſumet audiamus Apologia 2. adverſus Rufinum. *De Daniele autem*, inquit, *breviter reſpondebo, Me non negaſſe eum Prophetam, quem ſtatim in fronte Prologi Prophetam eſſe confeſſus ſum, ſed quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis ſuam niterentur probare ſententiam, voluiſſe monſtrare, & dixiſſe lectorem, Eccleſias Chriſti hunc Prophetam juxta Theodotionem legere, & non juxta Septuaginta Tranſlatores. Quorum ſi in iſto Libro Editionem dixi multum a veritate diſtare, & recto Eccleſiarum Chriſti judicio reprobatam: Non eſt mea culpa qui dixi, ſed eorum qui legunt. In promptu ſunt quatuor Editiones, Aquilæ, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Eccleſiæ juxta Theodotionem legunt Danielem. Ego quid peccavi, ſi Eccleſiarum Judicium ſecutus ſum? Quod autem refero, quid adverſum Suſannæ Hiſtoriam, & Hymnum trium Puerorum, & Belis Draconiſque fabulas, quæ in Volumine Hebraico non habentur, Hebræi ſoleant dicere: Qui me criminatur ſtultum, ſe ſycophantam probat. Non enim quid ipſe ſentirem, ſed quid illi contra nos dicere ſoleant expleavi. Quorum opinioni ſi non reſpondi in Prologo brevitati ſtudens, ne non Præfationem, ſed Librum viderer ſcribere, puto quod ſtatim ſubjecerim: Dixi enim: De quo non eſt hujus temporis diſſerere. Alioquin & ex eo quod aſſerui Porphyrium contra hunc Prophetam multa dixiſſe, vocavique hujus rei teſtes Methodium, Euſebium, & Apollinarium, qui multis verſuum millibus ejus veſaniæ reſponderunt; me accuſare poterit, quare non in Præfatiuncula contra Libros Porphyrii ſcripſerim.*

Objiciebat *Julius Africanus*: Non eſſe veriſimile quod Judæi captivi inter Chaldæos, luſu talorum venditi & diſtracti & in plateis inſepulti abjecti, cum filii ipſi caperentur ut Eunuchi eſſent, & filiæ ut pellices, ſicut a Prophetis prædictum erat; va-

Digitized by Google

veriſimile, inquam, non eſſe, quod Judicii capitalis ferendi poteſtatem habuerint, & id quidem fecerint contra uxorem Regis ipſorum *Joakimi*. Quod ſi non iſte, ſed alius ex Populo fuerit ille *Joakimus*; unde illi captivo tantæ ædes, & hortus tam ſpecioſus & amplus?

Reſpondet *Origenes* in Epiſtola ad *Julium Africanum*: Etiam in Captivitate priori, cum Iſraelitæ a *Salmanaſare* Aſſyriorum Rege abducti ſunt, nonnullos captivorum divites fuiſſe, & bene lauteque vixiſſe. In exemplum affert *Tobiam* in concaptivos beneficentiſſimum, & *Achiacharum* Tobiæ nepotem, cubſtir agitandis rationibus Regni Præfectum, ſeu Ærarii Aſſyriaci Adminiſtrum. In poſteriori vero Captivitate, *Mardochæum*, & *Nehemiam*, qui auctoritate & gratia apud Regem plurimum poterant. Quid igitur mirum, ſi hortum, & domum, ac prædium habuerit quidam Joakim, ſive domus illa ampla fuerit; ſive mediocris? Id enim ex Scriptura ſacra non eſt manifeſtum. Addere poterat *Origenes*, Deum proſpera omnia Judæis apud Chaldæos per *Jeremiam* prænuntiaſſe & promiſiſſe ſub parabola duorum calathorum ficuum. (*Jeremiæ* 24.) Eiſque juſſiſſe ut domos ædificarent, & hortos plantarent, ſecuri ac felices Babylone futuri, quantum ſtatus captivitatis pateretur (*Jeremiæ* Cap. 29. 4.) *Hæc dicit Dominus Exercituum Deus Iſrael omni tranſmigrationi, quam tranſtuli de Jeruſalem in Babylonem: Ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum. Accipite uxores, & generate filios & filias; & date filiis veſtris uxores, & filias veſtras date viris, & pariant filios & filias; & multiplicamini ibi, & nolite eſſe pauci numero.*

Quod vero Judiciorum poteſtatem ſpectat, reſpondet *Origenes*; Non eſſe abſurdum, ſi magnis Gentibus ſubactis a Rege concedatur ut ſuis legibus & tribunalibus utantur captivi. Suis temporibus Judæos Cæſaris permiſſu non aliter vivere, quam cum rerum potiebantur. Fieri interdum Judicia ſecundum Legem, uti condemnentur nonnulli eorum ad mortem; non quidem cum omni omnino ad hoc licentia; nec tamen clanculum, & inſcio eo qui regnat. Itaque veriſimile eſt, ſatis fuiſſe Babyloniis quod Judæos captivos haberent? cæterum propria illis tribunalia permiſiſſe.

DISSERTATIO II.

DE LXX. DANIELIS

HEBDOMADIBUS.

DUdum Eruditos exercuit celeberrimum *Danielis* de Chriſto intra Septuaginta Hebdomadas venturo Vaticinium, quod legitur Cap. nono Verſ. 24. & ſequentibus. *Septuaginta Hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper Populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum Ducem, Hebdomades ſeptem, & Hebdomades ſexaginta-duæ erunt; & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt Hebdomades ſexaginta-duas occidetur Chriſtus; & non erit ejus Populus, qui eum negaturus eſt. Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit Populus cum Duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una, & in dimidio Hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium. Et erit in Templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Multis intricatum difficultatibus hoc Vaticinium eſt, quoad Septuaginta Hebdomadum a *Daniele* hic prædictarum exordium, exitumque. Unde variæ natæ ſunt circa illius explicationem ſententiæ. Hebdomadas annorum hic intelligi certum eſt, id eſt annos nonaginta & quadringentos. Septuaginta enim Hebdomades dierum nonaginta dumtaxat & quadringentos dies continent; Quo temporis intervallo nihil contigit eorum quæ *Gabriel* Archangelus *Danieli* viro deſideriorum intra Septuaginta Hebdomades eventura prædixit. Neque vero de Hebdomadibus decenniorum, quarum quælibet annis conſtat ſeptuaginta; quod *Origenes* Tractatu 29. in *Matthæum* viſum eſt. Aut de Jubilæorum vel Sæculorum hebdomadibus, quod Rabbinorum quorumdam delirium fuit, referente *Galatino* Libro 4. *De Arcanis Catholicæ Veritatis*, Cap. 14. hæc *Danielis* Prophetia intelligenda eſt; in Sacris enimvero Scripturis duplex tantum invenitur Hebdomadis acceptio, ſcilicet dierum, & annorum. Septem Hebdomades dierum a Paſchate ad Pentecoſten numerantur Levitici 23. 15. 16. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem Hebdomadas plenas uſque ad alteram diem expletionis Hebdomadæ ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies.* Tres Hebdomades dierum ſe jejunaſſe *Daniel* memorat anno tertio *Cyri* Regis, Cap. 10. 2. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium Hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque unguento unctus ſum, donec complerentur trium Hebdomadarum dies.* Septem Hebdomadas annorum numerari jubet Deus *Levitici* 25. & annum quinquageſimum, qui Jubilæus eſt, celebrari. *Numerabis quoque tibi ſeptem Hebdomadas annorum, id eſt, ſeptem ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem . . . . . Sanctificabiſque Annum quinquageſimum, & vocabis Remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; Ipſe eſt enim Jubilæus.* Cum itaque in hoc *Danielis* Vaticinio dierum Hebdomades intelligi non poſſint, ſupereſt ut annorum Hebdomades intelligantur. Qua in re Chriſtiani Patres, & doctiores Hebræorum Magiſtri conſentiunt.

At circa initium, exitumque harum Hebdomadum variæ fuerunt ac pugnantes Patrum, aliorumque Auctorum Eccleſiaſticorum, & Hebræorum ſententiæ. *Hippolytus Martyr*, ut *S. Hieronymus* refert in Cap. 9. *Danielis*, Septuaginta Hebdomadum exordium ſtatuit anno quinquageſimo ante ſolutionem Babylonicæ Captivitatis, id eſt, Olympiade quadrageſima-prima: Exitum ſexaginta novem Hebdomadum conſtituit in Natali Chriſti: Ultimam vero Hebdomadem refert ad conſummationem Mundi; eamque partitur inter Prædicationem *Enoch*, & *Eliæ* & Regnum Antichriſti. *Clemens Alexandrinus* Libro 1. *Stromatum* Septuaginta Hebdomadum initium ducit a primo anno *Cyri*, quo ſoluta eſt Babylonica Judæorum Captivitas, & facultas inſtaurandi Templi Judæis conceſſa: Exitum vero ſtatuit in Excidio Hieroſolymitano per *Titum* Imperatorem. *Origenes* Libro 10. *Stromatum* (ut *S. Hieronymus* refert) Septuaginta Hebdomadas exorditur ab anno primo *Darii Medi*, quo Vaticinium iſtud a *Daniele* editum eſt: Illarum vero finem in Natali Chriſti ſtatuit. Nec tamen in ea opinione conſtans fuit. Tractatu enim 29. in *Matthæum* Hebdomades illas decenniorum eſſe cenſet; harum initium ducit ab *Adamo*: novem & ſexaginta Hebdomadas in Chriſti Natali finitas aſſerit: Septuageſimam & ultimam Hebdomadam a Nativitate Chriſti ad everſionem uſque Hieroſolymorum ſub *Tito* extendit. *Julius Africanus*, referentibus *Euſebio* Libro 8. *Demonſtrationis Evangelicæ*, & *S. Hieronymo* in Cap. 9. *Danielis*, Septuaginta Hebdomades numerat ab anno viceſimo *Artaxerxis Longimani*, ad mortem Chriſti, quam refert ad annum 15. *Tiberii Cæſaris*, quem concurrere ait cum Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ anno ſecundo. Annorum autem lunarium Hebdomades fuiſſe vult, non ſolarium: Ideoque dictas eſſe ab Angelo *Abbreviatas*. Quadringenti autem & nonaginta anni lunares, quot Septuaginta Hebdomadibus continentur, annis ſolaribus ſeptuaginta-quinque & quadringentis æquivalent. *Tertullianus* Libro *Adverſus Judæos*, a *Dario Medo* ad Nativitatem uſque Chriſti Hebdomadas ſexaginta-duas & dimidiam, id eſt, annos triginta-ſeptem & quadringentos: Reliquas vero ſeptem Hebdomadas cum dimidia, id eſt, annos quinquaginta-tres, ab ortu Chriſti ad excidium Hieroſolymitanum numerat. *Euſebius Cæſarienſis* Libro 8. *Demonſtrationis Evangelicæ*, tres Septuaginta Hebdomadum interpretationes proponit; prima initium illarum

Digitized by Google

darum ducit ab anno primo *Cyri*, quo ſoluta Captivitas eſt, Templique permiſſa inſtauratio: Finem autem Hebdomadum novem & ſexaginta refert ad *Hyrcani* Pontificis tempora, cui *Pompejus* captis Hieroſolymis Pontificatum confirmavit. Hunc ultimum Chriſtum, id eſt, ultimum Pontificem legitime inſtitutum fuiſſe. Poſtquam enim *Herodes*, interfecto *Hyrcano*, Regnum Judæorum Senatuſconſulto accepit, & primus alienigena Judæis præfuit, Pontificatum alieni generis hominibus, ad breve tempus, ob gratiam & pretium, divinam Legem contemnens, tradebat. Secunda Interpretatio *Euſebii* Hebdomadarum Septuaginta initium figit anno ſexto *Darii Hyſtaſpis*, quo Templi inſtauratio abſoluta eſt: Et inde uſque ad *Herodem* & *Cæſarem Auguſtum* numerat Hebdomades ſeptem & ſexaginta duas, id eſt, annos quadringentos octoginta-tres, quando *Hyrcanus* noviſſimus Pontifex de genere Machabæorum, quem Chriſtum interpretatur, ab *Herode* jugulatus eſt, & ceſſavit legitima Pontificum ſucceſſio. Septuageſimam vero Hebdomadam longo a cæteris disjungens intervallo, duas in partes dividit. In priori Chriſtum baptizatum ait Evangelium ſuum prædicaſſe tribus annis & ſex menſibus: & ſic pactum ſuum, ſive novum fœdus confirmaſſe. In poſteriori occiſum eſſe Chriſtum, & in ejus morte hoſtiam & Sacrificium defeciſſe. Quicquid enim in Templo poſtea factum eſt: non fuit
Matth. 27. Sacrificium Dei, ſed cultus Diaboli, cunctis in commune clamantibus; *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Tertia *Euſebii* Expoſitio eo tantum a prioribus differt, quod Hebdomadæ ſexaginta novem ſint Hebdomadæ annorum, ſeptuageſima vero ſit Hebdomada decenniorum quæ annos ſeptuaginta contineat. Ita *Euſebium* intellexit *S. Hieronymus*. Priorem illius Hebdomadæ partem a Paſſione Domini ad *Neronis* Imperium, quando contra Judæos Romana primum arma commota ſunt: Alteram a *Veſpaſiano* & *Tito*, quando everſa Hieroſolyma, Templumque ſuccenſum eſt, uſque ad *Trajanum* extendit: Et hanc eſſe Hebdomadam ait, de qua Angelus *Danieli* loquitur: *Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una*. In toto enim orbe per Apoſtolos Evangelium prædicatum eſt, qui uſque ad illud tempus perſeveraverunt: Tradentibus Eccleſiaſticis Hiſtoriis *S. Joannem* uſque ad *Trajani* tempora vixiſſe. *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Catechesi 12. Septuaginta Hebdomadum initium arceſſit ab exordio Regni *Darii Medi*, quem cum *Dario Hyſtaſpis* confundit: indeque ad ortum Chriſti annos octoginta tres & quadringentos numerat: Hebdomadam ſeptuageſimam alto involvit ſilentio *S. Joannes Chryſoſtomus* Oratione contra Judæos 2. ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani* ad Excidium Hieroſolymitanum ſub *Tito*, Septuaginta *Danielis* Hebdomadas computat. *Sulpitius Severus* Libro 2. *Hiſtoria Sacra*, Septuaginta Hebdomadum initium ſtatuit anno ſecundo *Darii* Regis, ſub quo Templum inſtauratum eſt, quem *Darium Nothum*, ſeu *Ochum* (ut vocat) eſſe cenſet. Finem vero ſexaginta novem Hebdomadum ad Excidii Hieroſolymitani tempus rejecto, de ſeptuageſima ſilet. *Theodoretus* in Caput 9. *Danielis*, has Hebdomadas annorum lunarium eſſe ſtatuit, eaſque ab anno *Artaxerxis Longimani* vigeſimo exorditur. Sexaginta duas in nece *Hyrcani* completas opinatur. Inde uſque ad Baptiſmum Chriſti Jeſu ſeptem Hebdomadas reliquas numerat. In ſeptuageſima & ultima Chriſtum per tres annos & dimidium prædicaſſe, & abſoluta Prædicatione mortuum eſſe ait in medio Hebdomadæ: Reliqua vero ejuſdem Hebdomadæ parte Evangelium ab Apoſtolis in Judæa prædicatum. Veteres quidam Hebræi referente *S. Hieronymo*, Hebdomadum *Danielis* exordium a primo anno *Darii Medi* repetebant, quo Vaticinium iſtud editum eſt: Finem vero collocabant in prima clade Jeroſolymis ab *Hadriano* illata: Cum tamen iſtud temporis intervallum centum ſeptuaginta-quatuor Olympiades, id eſt, annos ſexcentos nonaginta-ſex, qui faciunt Hebdomadas Hebraicas nonaginta-novem, & annos tres contineat, ut obſervat *S. Hieronymus*. Alii Hebdomadum initium in prima Templi everſione per *Nabuzardanem* anno *Sedeciæ* undecimo; finem in Excidio Hieroſolymitano per *Titum*, anno *Veſpaſiani* ſecundo conſtituunt; Non animadvertentes hoc temporis intervallo nonaginta-quatuor Hebdomades contineri. *Aben Ezra* Hebdomadum exordium ducit *Ab exitu ſermonis in oratione*, nempe ab anno primo *Darii Medi*, quo *Daniel* orationem hanc fudit ad Deum, quæ nono ipſius Capite habetur. Inde ſeptem Hebdomadas numerat ad profectionem *Nehemiæ* quæ in annum vigeſimum *Artaxerxis Longimani* incidit, cum tamen Hebdomades amplius quindecim intercedant. Inde ſexaginta duas Hebdomades cum dimidia computat ad ſecundi Templi conflagrationem; cum tres & ſeptuaginta interfluxerint. Poſterioris ætatis Commentatores de Septuaginta Hebdomadum initio & fine varie ſenſerunt. *Nicolaus De Lyra Paulus Burgenſis*, *Vatablus*, *Galatinus*, Hebdomadas illas ab anno quarto *Sedeciæ* Regis numerare incipiunt, & in Chriſti Paſſione abſolvunt: Sed calculus illa vitioſus eſt, cum annos ſeptuaginta & ſexcentos illud temporis intervallum contineat, ab Olympiade nempe trigeſima-quinta ad Olympiadem ducenteſimam-ſecundam. *Driedo* Libro 3. *De Scriptura Sacra* Cap. 5. & *Cornelius Janſenius* in *Concordia Evangelica*, Cap. 122. ſeptem priores Hebdomadas numerant ab ædificatione Templi ſub *Dario Hyſtaſpis*, uſque ad inſtaurationem Mœnium & Urbis Jeruſalem ſub *Artaxerxe Longimano*. Inde vero uſque ad mortem Chriſti ſexaginta duas Hebdomadas, id eſt, annos quatuor & triginta ſupra quadringentos numerant. Quorum calculus in eo deficit, quod prius intervallum, non ſeptem dumtaxat Hebdomadas, id eſt, annos quadraginta-novem, ſed amplius ſeptuaginta contineat, quot nempe ab Olympiade ſexageſima-quinta uſque ad octogeſimam-quartam intercedunt. Poſterius vero non annos tantum quatuor & triginta ſupra quadringentos, ſed ſex & ſeptuaginta complectatur, quot nempe intercedunt ab Olympiadis octogeſimæ-tertiæ anno tertio, ad Olympiadis ducenteſimæ-ſecundæ annum quartum. *Scaliger* Libro 6. *De Emendatione temporum*, Septuaginta Hebdomadum exordium ſtatuit in anno ſecundo *Darii Nothi*. Finem refert ad annum *Neronis* duodecimum, quo Judæos inter & Romanos bellum flagrabat: Ex quo ſi tres annos cum dimidio numeres, incides in Excidium Hieroſolymitanum. *Darium* autem illum cujus anno ſecundo inchoatam ſecundi Templi fabricam, ſexto abſolutam eſſe docet Liber *Eſdræ*, volt eſſe *Darium Nothum*, Artaxerxis Longimani Succeſſorem, non *Darium Hiſtaſpis*. Qua in re egregie fallitur, ut ſingulari Diſſertatione oſtendemus. Septem autem Hebdomadas, ſexaginta duas, & unam ſingulariter ab Angelo commemoratam, continuari negat *Scaliger*, ſed a diverſis capitibus aſſerit proficiſci, nec eodem conſpirare. Sexaginta & duas Hebdomadas ductas ab anno quinto *Artaxerxis Memoris*, quo Edictum de reſtauranda Urbe promulgatum perperam cenſet, ad annum Paſſionis Dominicæ porrigit. Septem priores Hebdomades ab anno ſecundo *Darii Nothi* ad annum trigeſimum-primum *Artaxerxis Memoris* pertingere vult. Septuageſimam Hebdomadem duas in partes tribuit: Priorem annorum quatuor cum ſemiſſe, a Baptiſmo Chriſti ad ejus Paſſionem extendit; reliquum biennium cum ſex menſibus ab anno duodecimo *Neronis* ad bellum Judaicum confectum, Ita quidem ille in Editione prima ſui Operis. At in ſecunda totam Septuaginta Hebdomadum ſeriem ab anno ſecundo *Darii Nothi* ad Excidium Templi perducit, adjectis annis tribus & ſemiſſe. Opinionis hujus abſurditatem demonſtrat *Petavius* Libro 12. *De Doctrina Temporum*, Capite 32. *Jacobus* & *Ludovicus Capelli*, ille in *Hiſtoria Sacra*, hic in *Chronographia Sacra Not. ad Tab.* 11. & alii, Septuaginta Hebdomadum initium ponunt in *Artaxerxis Longimani* anno ſeptimo, & eaſdem in Chriſti Morte concludunt. *Joannes Lucidus* Libro *De Emendatione Temporum* ab anno 20. *Artaxerxis Longimani* Septuaginta Hebdomadum initium ducit; in quarto poſt Chriſti Mortem anno exitum ipſarum conſtituit: ſed in medii intervalli numerandis annis illum toto decennio aberrare *Pererius* ex accurata Olympiadum ſupputatione demonſtrat Lib. 12. in *Danielem* Parte 2. Cum *Lucido* ſenſit *Petavius* Lib. 12. *De Doctrina Temporum*. At vigeſimum annum *Artaxerxis* non numerant a *Xerxis* obitu, ſed ab eo tem-

pore

pore quo in Regni communionem ab ipſo vocatus eſt, anno circiter duodecimo Regni ipſius; cum forte ad bellum extra Perſidem gerendum proficiſceretur. *Petavii* conjecturam inanem eſſe, nulloque fultam fundamento probavit Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius* Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione 9. Cap. 7. §. 8. Eamque, cum ſibi in mentem veniſſet, olim exſufflaverat *Pererius*. Hic Libro 15. in *Danielem*, 3. Parte Diſputationis de Septuaginta Hebdomadibus, cenſet illas fuiſſe annorum lunarium. Non aliunde ipſarum initium ſumi debere ait, quam ab anno *Artaxerxis Longimani* vigeſimo. Exitum vero collocari poſſe ait, vel in quarto anno poſt Chriſti Domini Paſſionem; vel in ipſo Dominicæ Paſſionis anno. Si primum aſſeratur, non Septuaginta duntaxat Hebdomades, ſed dimidiam inſuper in illo temporis intervallo agnoſcit, id eſt, annos quadringentos nonaginta-tres: Sed Angelum numerum duntaxat maximum plenum & integrum Hebdomadum Septuaginta expreſſiſſe, minutum & imperfectum dimidiæ Hebdomadis numerum prætermiſiſſe, more Scriptoribus Sacris ſolemni. Si poſterius ſtatuatur, Hoſtiam & Sacrificium defeciſſe ait in medio Hebdomadæ, quando Chriſtus baptizatus eſt: Tunc enim inſtituto Baptiſmo, primo Legis Evangelicæ Sacramento, datum eſſe ſignum defectionis mox futuræ Cæremoniarum Legalium. Vel certe ſeptuageſimam Hebdomadam in duas partes æquales dividendam: poſteriori parti Baptiſmum, Prædicationem & Mortem Chriſti eſſe illigandam, quam Legalium Sacrificiorum abrogatio conſecuta eſt. Quod itaque ait angelus: *In dimidio Hebdomadis deficiet Hoſtia & Sacrificium*. Id de poſteriori & extrema parte ſeptuageſimæ Hebdomadis eſſe intelligendum.

Tam variarum ac repugnantium opinionum examen operoſum nimis ac moleſtum eſſet, imo & inutile, cum pleræque exoleverint. Quamobrem ab illis ſigillatim diſcutiendis ac refellendis ſuperſedeo, tum quia hæc provincia occupata eſt ab Interpretibus & Theologis Eruditis: Tum quia illam adſtruendo, quæ omnium maxime probabilis videtur, ceteræ ſatis confutatæ manebunt & convictæ: Tum quia *Sancti Hieronymi* obſervantiam erga Patres, qui ipſum præceſſerant, imitari religioſum eſt: Quorum interpretationes referre ſatis habuit, dijudicare noluit. *Scio*, inquit, *de hac Quæſtione ab eruditiſſimis viris varie diſputatum, & unumquemque pro capta ingenii ſui dixiſſe quod ſenſerat. Quia igitur periculoſum eſt de Magiſtrorum Eccleſiæ judicare ſententiis, & alterum præferre alteri, dicam quod unuſquiſque ſenſerit, Lectoris arbitrio dereliaquens, cujus expoſitionem ſequi debeat*. Ne tamen jejunum omnino Lectorem dimittamus, totam de Septuaginta *Danielis* Hebdomadibus Diſſertationem duabus Propoſitionibus expediemus. Prima exordium ac finem Hebdomadum explicabit: Altera Oraculi Prophetici cum eventu convenientiam, ejuſque in Chriſto conſummationem.

PROPOSITIO I.

Septuaginta Hebdomadum Danielis exordium probabilius ducitur ab anno vigeſimo Artaxerxis Longimani: Finis vero earumdem ſtatuitur poſt Paſſionem Chriſti: Ita ut in medio ſeptuageſimæ & ultimæ Hebdomades occiſus fuerit Chriſtus.

PRobatur prima pars Propoſitionis. Septuaginta Hebdomadum exordium peti debet *Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem*; id eſt a promulgatione Edicti, quo Judæis inſtaurandæ Urbis data poteſtas eſt: illud porro Edictum ab *Artaxerxe Longimano* promulgatum eſt anno Regni ejus vigeſimo: Inde ergo peti debet Septuaginta Hebdomadum exordium.

Probatur Minor: Quatuor leguntur a Regibus Perſarum data in gratiam Judæorum Edicta: Primum *Cyri* (1. Eſdræ Cap. 1.) Alterum *Darii Hiſtaſpis*. (1. Eſdræ 6.) Tertium *Artaxerxis Longimani* anno Regni ejus ſeptimo. (1. Eſdræ 7.) Quartum ejuſdem *Artaxerxis* anno Regni ejus vigeſimo. (2. Eſdræ 2.)

At *Cyri* & *Darii Hyſtaſpis* Edicta Templi duntaxat reſtaurandi, non reparandæ Urbis poteſtatem faciunt Judæis: Primum etiam *Artaxerxis*, Templum tantum & Sacrificia ſpectat. Quartum vero Urbis ædificationem permittit antea non conceſſam. Illud itaque Edictum eſt, a cujus promulgatione Septuaginta Hebdomadum exordium duci debet.

Probatur Minor ipſius *Nehemiæ* teſtimonio: *Et dixi Regi: Rex in æternum vive: Quare non mœreat vultus meus quia Civitas domus ſepulcrorum Patris mei deſerta eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni? Et ait mihi Rex: Pro qua re poſtulas? Et oravi Deum Cœli, & dixi ad Regem: Si videtur Regi bonum, & ſi placet ſervus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad Civitatem ſepulcri Patris mei, & ædificabo eam.... Et placuit ante vultum Regis, & miſit me... Et dixi Regi: Si Regi videtur bonum, Epiſtolas det mihi ad Duces regionis trans Flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam, & Epiſtolam ad Aſaph Cuſtodem Saltus Regis, ut det mihi ligna, ut tegere poſſim portas Turris Domus, & Muros Civitatis... Et dedit mihi Rex juxta manum Dei bonam mecum*. Et infra, poſtquam Hieroſolymam pervenit, ſe Sacerdotibus, & Optimatibus, & Magiſtratibus Judæis dixiſſe memorat: *Vos noſtis afflictionem in qua ſumus, quia Jeruſalem deſerta eſt, & portæ ejus conſumptæ ſunt igni: Venite, & ædificemus Muros Jeruſalem, & non ſimus ultra opprobrium*. Narrat deinde Cap. 4. quomodo *Sanaballat*, & *Tobias Ammanites*, & Arabes, & Ammanitæ; & Azotii ipſis inſidiati fuerint, & opus interturbare conati ſint armata manu, ut neceſſe fuerit ædificiis & bello ſimul intendere. *Factum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus eſt valde: & motus nimis ſubſannavit Judæos. Et dixit coram fratribus ſuis, & frequentia Samaritanorum: Quid Judæi faciunt imbecilles?... Nunquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combuſti ſunt?* Et infra: *Factum eſt autem, cum audiſſet Sanaballat, & Tobias & Arabes, & Ammanitæ, & Azotii, quod obducta eſſet cicatrix muri Jeruſalem, & quod cœpiſſent interrupta concludi, irati ſunt nimis. Et congregati ſunt omnes pariter, ut venirent & pugnarent contra Jeruſalem, & molirentur inſidias* &c. Et infra: *Et factum eſt a die illa, media pars juvenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & ſcuta, & arcus, & loricæ, & Principes poſt eos in omni domo Juda, ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: Una manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium*. Tandem completum eſt opus brevi temporis intervallo ſcilicet quinquaginta duobus diebus, frementibus circumquaque hoſtibus, qui inſidiis & inſultibus illud impedire fruſtra conati fuerant. Hoc eſt quod ab Angelo, & Propheta prænuntiatum fuerat his verbis: *Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum*. Non ſolum autem muros, turres, propugnacula, plateas ædificarunt Judæi permittente *Artaxerxe*, duce *Nehemia*, ſed publica ædificia, ſtrata viarum, fora, porticus, ciſternas, aquæ ductus, aliaque hujus generis quamplurima, quæ Chaldæi diſturbaverant. Domus etiam tumultuario opere antea exſtructæ, in meliorem formam directis ordinibus compoſitæ ſunt, ut colligitur ex *Eccleſiaſtici* Cap. 49. 15. *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros everſos, & ſtare fecit portas & ſeras qui erexit domos noſtras*. Sed hæc opera longiori temporis intervallo abſoluta ſunt, quam muri & propugnacula, ſicut & Templi ædificatio, cui quadraginta ſex annos impenſos fuiſſe Judæi teſtantur, (*Joannis* 2. 20.)

Fruſtra vero quis objiciat, *Artaxerxem* anno Regni ſui ſeptimo Eſdræ omnem petitionem ejus dediſſe, ut dicitur 1. Eſdræ 7. 6. *Ipſe Eſdras aſcendit de Babylone... Et dedit ei Rex ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum, omnem petitionem ejus*: Adeoque & facultatem inſtaurandæ Urbis conceſſiſſe. Nihil enim *Eſdram* tunc a Rege poſtulaſſe quod Mœnium & Urbis reſtaurationem ſpectaret; ſed tantum quæ ad cultum Templi, Legis obſervationem, & Politiam pertinerent, petiiſſe, & impetraſſe, conſtat ex Capite 7. Libri 1. *Eſdræ*, & ex verbis E-

dicti

Digitized by Google

dicti tunc dati. *Artaxerxes Rex Regum, Eſdræ Sacerdoti, Scribæ Legis Dei Cæli doctiſſimo, ſalutem. A me decretum eſt, ut cuicumque placuerit in Regno meo de Populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat. A facie enim Regis, & ſeptem Conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam & Jeruſalem in Lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: Et ut feras argentum & aurum, quod Rex & Conſiliatores ejus ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cujus in Jeruſalem Tabernaculum eſt. Et omne argentum & aurum quodcunque inveneris in univerſa Provincia Babylonis, & Populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ ſponte obtulerint Domui Dei ſui, quæ eſt in Jeruſalem, libere accipe... Sed & cætera quibus opus fuerit in Domum Dei tui, quantumcunque neceſſe eſt ut expendas, dabitur de theſauro & de fiſco Regis, & a me. Ego Artaxerxes Rex, ſtatui atque decrevi omnibus Cuſtodibus Arcæ publicæ, qui ſunt trans Flumen, ut quodcunque petierit a vobis Eſdras Sacerdos, Scriba Legis Dei, abſque mora detis, uſque ad argenti talenta centum, & uſque ad frumenti coros centum, & uſque ad vini batos centum, & uſque ad batos olei centum, ſal vero abſque menſura. Omne quod ad Ritum Dei Cæli pertinet, tribuatur diligenter in Domo Dei Cæli: Ne forte iraſcatur contra Regnum Regis, & filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus & Janitoribus, Nathinæis, & Miniſtris Domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. Tu autem Eſdra, ſecundum ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Judices & Præſides, ut judicent omni Populo qui eſt trans Flumen, his videlicet qui noverunt Legem Dei tui, ſed & imperitos docete libere. Et omnis qui non fecerit Legem Dei tui, & Legem Regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, ſive in carcerem.* Ex his verbis, & ex totius Hiſtoriæ ſerie conſtat, *Artaxerxem Longimanum* anno Regni ſui ſeptimo Urbis ædificandæ facultatem Judæis non conceſſiſſe.

Quod autem *Artaxerxes* ille, cujus anno vigeſimo promulgatum Edictum eſt de Urbe inſtauranda, fuerit *Longimanus*, non *Memor*, ut *Scaligero* viſum eſt, facile probatur. Nam *Artaxerxes Memor* Regnum obtinuit anno periodi Julianæ quater milleſimo trecenteſimo-decimo, ante Æram Chriſtianam quarto ſupra quadringenteſimum: adeoque annus ejus vigeſimus concurrit cum anno Periodi Julianæ quater milleſimo trecenteſimo vigeſimo-nono, ante Æram Chriſtianam ter centeſimo octogeſimo-quarto: Quo anno ſuperſtes non fuit *Nehemias*, niſi vitam illius ad annum ætatis unum & trigeſimum ſupra ducenteſimum producamus. Siquidem unus fuit eorum qui ſub *Cyro* cum *Zorobabele* aſcenderunt anno Periodi Julianæ quater milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-octavo, ante Chriſtianam Æram ſexto & trigeſimo ſupra quingenteſimum.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis, Statuamus *Artaxerxem Longimanum* Regnum iniiſſe anno Periodi Julianæ quater milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo; vigeſimus ejus annus inciderit in annum Periodi Julianæ quater milleſimum ducenteſimum ſexageſimum, Mundi ter centeſimum quingenteſimum quinquageſimum: Si adjeceris ſexaginta-novem Hebdomades annorum, hoc eſt, annos tres & octoginta ſupra quadringentos, habebis annum Mundi quater milleſimum trigeſimum-tertium, Periodi Julianæ quater milleſimum ſeptingenteſimum quadrageſimum-tertium, Æræ Chriſtianæ trigeſimum, quo Baptiſmum Chriſti poſuimus Diſſertatione 2. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 1. Concluſione 2. Tunc temporis Chriſtus *Ducem* agere cœpit, Prædicationem auſpicando ſuam, Novamque Legem ſenſim condendo & promulgando. Cum igitur Menſe Niſan exierit Edictum illud Artaxerxis *Nehemiæ* datum, ab eodem Niſan anni hujus, hoc eſt, a primo Paſchate, quod Chriſtus poſt Baptiſma celebravit (*Joannis* 2.) incipit primus annus ſeptuageſimæ & ultimæ Hebdomadæ; *In qua fœdus confirmatum eſt multis*. Paſcha autem noſtrum Chriſtus, legalibus omnibus Sacrificiis hoc unum præfigurantibus fine impoſito, immolatus eſt ineunte anno quarto, ſive in medio poſtremæ ejuſdem Hebdomadæ: Tuncque defecit Hoſtia & Sacrificium, ut Angelus *Danieli* prædixerat. Annus ille quartus fuit Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, Julianus quadrageſimus-octavus, Æræ vulgaris trigeſimus-tertius *Tiberii Cæſaris* decimus-nonus, Hebdomadum *Danielis* quadringenteſimus octogeſimus-ſeptimus. Poſt triennium exitum habuere Septuaginta Hebdomades. Hæc ſententia, quatenus ab anno vigeſimo *Artaxerxis Longimani* Septuaginta Hebdomadum *Danielis* ducit exordium, nobiles ex antiquis Patribus Patronos habet, *Julium Africanum*, *S. Joannem Chryſoſtomum*, *Theodoretum*, *Bedam*, *S. Thomam*. Quamquam vero Syſtema illud, Septuaginta Hebdomadum per annos lunares probabiliter explicari poſſit; Ad illos tamen confugere minime neceſſe eſt, cum incertum ſit an Hebræi lunari anno uſi fuerint, imo uſus non fuiſſe probabilius ſit; aut certe ad lunarem annum ſolari coæquandum ſecundo aut tertio quolibet anno menſem intercalaſſe, ſeu quolibet octennio tres Menſes emboliſmos adjeciſſe. Quod jam olim a *Moſis* temporibus uſitatum tradit *Aben-Ezra*. Neque lunares annos intelligere cogit Angelica & Prophetica locutio, qua Septuaginta Hebdomades *Abbreviatæ* dicuntur. *Ta* enim *Abbreviata*, idem eſt ac *deciſa* ſeu *definita*: Quod nempe ex incerto & infinito tempore ad certum & conſtitutum ſpatium prophetico Vaticinio, ac divina ordinatione contractus ſit adventus Meſſiæ: Sive quod ea longiore intervallo, quod Orbis initio fluxit, breviſſimum reſtabat; quemadmodum in ſenectute vita hominis abbreviata dicitur.

PROPOSITIO II.

Undecumque Septuaginta Hebdomadum numerandarum exordium ſumatur, ex hoc Danielis Oraculo veniſſe Meſſiam demonſtratur contra Judæos; Eumque non alium eſſe quam Chriſtum Jeſum.

PRobatur prima pars: Undecumque illarum Hebdomadum petatur initium, plane elapſas eas eſſe neceſſe eſt: Atque iis elapſis ungi debuit *Sanctus Sanctorum*, & *occidi Chriſtus*: Itaque negari abſque ſumma cæcitate & pertinacia non poteſt, unctum eſſe Sanctum Sanctorum, natum & occiſum fuiſſe Chriſtum. Poſt ejus vero mortem, dirui debuerunt Templum & Urbs, ſecundum Oraculi Prophetici verba; *Et Civitatem & Sanctuarium diſſipabit Populus cum Duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Atqui Templum & Urbs diruta ſunt: Judæi Templi reſtaurationem fruſtra ſunt aggreſſi *Juliano Apoſtata* imperante; cœleſtibus prodigiis cœptum opus diſturbatum eſt: Quibus fidem faciunt *S. Gregorius Nazianzenus* Oratione 4. *S. Joannes Chryſoſtomus* Orat. 3. in Judæos, Homilia 4. in Matth. Homil. 41. in Acta. Sermone 2. in S. Babylam. *Philoſtorgius* Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. 12. Cap. 9. *Theodoretus* Lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Cap. 20. *Sozomenus* Lib. 5. Cap. 22. *S. Ambroſius* Epiſt. 29. ad Theodoſium *Ammianus Marcellinus* Lib. 23. ubi de *Juliano* Imperatore ita ſcribit: *Ambitioſum quondam apud Hieroſolyma Templum, quod poſt multa & internecina certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægre eſt oppugnatum, inſtaurare ſumptibus cogitat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat... Cum itaque rei inſtaret Alipius, juvaretque Provinciæ Rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes fecere locum, exuſtis aliquoties operantibus, inacceſſum: Hocque modo elemento deſtinatius repellente, ceſſavit inceptum.* Nulla ab Excidii Hieroſolymitani tempore Judæorum Reſpublica. Sedibus ſuis exterminati, & toto orbe diſperſi, ſervilem vitam agunt. Contriti ſunt *ſicut vas figuli, quod non poteſt ultra inſtaurari*, ut prædixerat *Jeremias*, Cap. 19. Completum eſt & *Iſaiæ* Vaticinium Cap. 25. *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo; Quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, Amen, Quia poſuiſti Civitatem in tumulum;*

Urbem fortem in ruinam, domum alienorum: Ut non ſit Civitas, & in ſempiternum non ædificetur. Illa itaque Templi & Urbis vaſtitas in perpetuum tempus duratura, Chriſtum veniſſe, & occiſum fuiſſe probat. Præterea in medio poſtremæ Hebdomadis abrogari debuerunt Sacrificia & Cæremoniæ Veteris Legis, juxta verba Angelici & Prophetici Oraculi. *Et in dimidio Hebdomadis deficiet Hoſtia & Sacrificium.* Cum itaque a tot ſæculis abrogata ſint, negari non poteſt poſtremam Hebdomadam præteriiſſe.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis: In illo completum eſt hoc Archangeli Gabrielis, & Danielis Prophetæ Oraculum, qui Juſtitia Sempiterna eſt, & Sanctus Sanctorum a Deo unctus: Per quem finem accipit peccatum, & deletur iniquitas: In quo Viſio & Prophetia impletur. His enim characteribus deſcribitur Meſſias, qui poſt Hebdomadas ſexaginta novem occidendos erat: *Septuaginta Hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper Populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Juſtitia ſempiterna, & impleatur Viſio & Prophetia:* Hi porro characteres Chriſto Jeſu conveniunt: Illud itaque *Danielis* Oraculum in Chriſto Jeſu completum eſt.

Probatur Minor. Se enim a Deo unctum, quemadmodum Prophetæ prædixerant, Jeſus ipſe teſtatur *Lucæ* 4. 17 & ſequentibus: *Et traditus eſt illi Liber Iſaiæ Prophetæ. Et ut revolvit Librum, invenit locum ubi ſcriptum erat, Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me.... Cœpit autem dicere ad illos. Quia hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris.* Idem docent Chriſti Diſcipuli Actuum 4. 26. 27. *Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Convenerunt enim vere in Civitate iſta adverſus Sanctum Puerum tuum Jeſum quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus.* S. Petrus, Actuum 10. 37. 38. *Vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Judæam: Incipiens enim a Galilæa, poſt baptiſmum quod prædicavit Joannes. Jeſum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto & virtute.* S. Paulus ad Hebræos 1. 8. 9. *Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis virga Regni tui: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* Jeſus Sanctus & Juſtus, imo Juſtitia ipſa. Lucæ 1. 35. *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Actuum 2. 27. de ipſo dictum explicatur, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Actuum 3. 14 *Vos autem Sanctum & Juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis.* Ad Romanos 3. 26. *Ut ſit ipſe Juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti* 1. ad Corinthios 1. 30. *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis Sapientia a Deo, & Juſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio.* Et 2. ad Corinthios 5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur Juſtitia Dei in ipſo.* Per Chriſtum Jeſum delentur peccata, in idque venit, ut hominum noxas elueret, Deumque ſanguine ſuo propitiaret *Lucæ* 24. 45. & ſequentibus: *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die; & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes.* Actuum 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Actuum 13. 38. 39. *Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in Lege Moyſi juſtificari; in hoc omnis qui credit juſtificatur.* Ad Romanos 3. 24. & ſequentibus: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem, per fidem, in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ. propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Et ad Coloſſenſes 2. 13. 14. *Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificabit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Chriſto nato, finis Prophetiis impoſitus eſt: Nullus deinceps apud Judæos Propheta. Unde ipſe ait Matthæi 11. 13. *Omnes enim Prophetæ, & Lex uſque ad Joannem prophetaverunt.* Et ſanctus Paulus ad Hebræos 1. 1. 2. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.* Omnes etiam Prophetiæ in Chriſto Jeſu ſunt impletæ, qui de ſe ipſo ait Matthæi 5. *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem aut Prophetas; non veni ſolvere, ſed adimplere.* Idemque teſtatur S. Paulus ad Romanos 10. 4. *Finis enim Legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti.* Quæ ſpectans *Tertullianus* Libro *adverſus Judæos*, ait: *Itaque quoniam impleta eſt Prophetia per adventum ejus, id eſt per Nativitatem & Paſſionem, propterea & Daniel ſignari Viſionem & Prophetiam dicebat, quoniam Chriſtus eſt ſignaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro erant de eo nuntiata: Poſt enim Adventum ejus & Paſſionem ipſius, jam non Viſio, neque Prophetia. Unde firmiſſime dixit Adventum ejus ſignare Viſum & Prophetiam.* Chriſtus Jeſus Dux eſt a *Daniele*, aliiſque Prophetis prædictus, qui verum Iſraelem ſpiritaliter recturus erat, & ab Hoſtibus inviſibilibus, ſcilicet Dæmonibus, vindicaturus, atque ad æternam felicitatem perducturus. Matthæi 2. 4. 5. *Sciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: Sic enim ſcriptum eſt: Et tu Bethleem Terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda: Ex te enim exiet Dux qui regat Populum meum Iſrael.* Hic a. Judæis occiſus eſt, ſub *Pontio Pilato* crucifixus, quemadmodum *David* prædixerat Pſalmo 21. *In pulverem mortis deduxiſti me: Quoniam circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obſedit me: Foderunt manus meas & pedes meos:* Et Iſaias Cap. 53. 7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur.* Unde Jeſus ipſe Diſcipulis Emmauntem euntibus *Aperuit ſenſum ut intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt: & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes.* Hinc Eunucho *Candaces* Reginæ Æthiopum, mox laudatum *Iſaiæ* locum legenti, cum occurriſſet *Philippus, incipiens a Scriptura iſta, evangelizavit illi Jeſum*; ut refertur *Actuum* 9. Pactum quod multis confirmandum prædixit *Daniel*, ſanxit & confirmavit Jeſus. Novi & Æterni Fœderis a Deo cum hominibus initi Mediator & Sequeſter, ut S. Paulus docet ad Hebræos ſcribens Cap. 8. *Nunc autem melius ſortitus eſt Miniſterium, quanto & melioris Teſtamenti Mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*, &c. Cap. 9. *Et ideo Novi Teſtamenti Mediator eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis. Ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: Alioquin nondum valet, dum adhuc vivit qui teſtatus eſt. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.* Sanguine itaque ſuo Novum & æternum Pactum Deum inter & homines Jeſus confirmavit. Unde ipſe ait Matthæi 26. Marc. 14. Lucæ 22. *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In morte Jeſu defecit Hoſtia & Sacrificium, quantum ad jus, etſi nondum quantum ad rem, niſi poſt excidium Templi & Urbis Hieroſolymorum. Sacrificia ſecundum Legem abrogata ſunt, oblato immaculati Agni, qui tollit peccata Mundi, vero Sacrificio. Qua de re S. Paulus Epiſtolæ ad Hebræos Cap. 10. ſcribit: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere: Alioquin ceſſaſſent offerri: Ideo quod nullam haberent conſcientiam peccati cultores ſemel mundati; Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos*

annos

Digitized by Google

omnes ſit. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens Mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: Corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: In capite Libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum Legem afferuntur, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: Aufert primum, ut ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel. Id ſignificabat Chriſtus Jeſus, cum moriens diceret (Joannis 19. 30.) *Conſummatum eſt.* Ideo cum peracto Sacrificio emiſiſſet ſpiritum, *Velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum*, ea quæ pridem cerni non poterant, omnibus conſpicua faciens, & quæ contingi, aut ad quæ adiri non licebat, ad ea aditum aperiens. *Cum enim* (inquit *Theodoretus* Commentatio in Danielem) *velum ſepararet a Sanctis Sancta Sanctorum, in quibus erant Propitiatorium, & Cherubim, & Arca, fractum totum velum rebus ipſis oſtendit quemadmodum ab interioribus partibus, quæ ibi cuſtos aſſidebat gratia receſſerit, & communia illa facta ſint, ad quæ pridem ſoli Principi Sacerdotum aditus patebat. Hoc autem contigit cum Sacrificium pro univerſo Mundo eſſet oblatum.* Judæi Chriſtum Jeſum negarunt, cum rogante Pilato, *Regem veſtrum crucifigam?* reſponderunt: *Non habemus Re-*
Joan. 19. *gem niſi Cæſarem. Tolle, tolle, crucifige eum.* Et
Matt. 26. rurſus: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Negationem illam Chriſti Jeſu a Populo ſuo, id eſt, a Judaica Gente, *S. Joannes* his verbis expreſſit Evangelii ſui Cap. 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Ideo reprobati ſunt, & diſperſi, impletaque eſt Dei per *Oſee* Prophetam commmatio: *Quia vos non Populus meus, & ego non ero veſter.* Confer cum Epiſt. ad *Romanos* Cap. 9. Deſolationem Templi, & Excidium Urbis a *Daniele*, aliiſque Prophetis prædictam, Chriſtus Jeſus perfidæ Genti denuntiavit. Matthæi 23. 37. 38. *Jeruſalem, Jeruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Matthæi 24. 1. *Et egreſſus Jeſus de Templo, ibat, Et acceſſerunt Diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes Templi. Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur....... Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: Qui legit intelligat: Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad Montes.* Lucæ 24. 41. & ſequentibus: *Et ut appropinquavit videns Civitatem, flevit ſuper illam, dicens; Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circumdabunt te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique: & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.* Id quomodo in Excidio Hieroſolymitano completum ſit, conſtat ex Hiſtoria Joſephi *De Bello Judaico* Lib. 7. & ex Joanne Xiphilino *Epitom. Dionyſ. in Tito.* Dei vindicis manum in Excidio illo agnovit *Joſephus* Cap. 3. Libri mox laudati. *Deus profecto*, inquit, *Deus ipſe cum Romanis ignes inſtrules ipſi* (Templo) *iniicit, & Civitatem tot piaculis plenam exſcindet.* Et Cap. 20. *Templum invito Tito exuritur.* Agnovit *Titus* apud eumdem *Joſephum* Cap. 16. ejuſdem Libri, cum ſolida murorum altitudine conſpecta, & ſingulorum lapidum magnitudine, & accurata compage, & quantum hi in altum, quantum item in latum paterent: *Deo*, inquit, *fuvente bellum geſſimus, & Deus ab iſtis munitionibus Judæos detraxit: Nam quid manus hominum, vel machinæ poſſunt adverſus hac turres?*

Stupenda Judæorum cæcitas, & pertinacia eſt, qui Chriſtum Ducem *Cyrum* eſſe ſtatuunt, aut *Jeſum Joſedec* Sacerdotem, aut *Zorobabelem* vel *Agrippam Juniorem.* Nemini enim illorum Meſſiæ characteres a *Daniele* delineati conveniunt. Nemo illorum *Sanctus Sanctorum & Juſtitia ſempiterna* merito dici poteſt: Nemo illorum Chriſtus ſeu *Meſſias Nagid*, id eſt, *Princeps* ſive *Dux* fuit. Nullus enim Chriſti nomine in Scriptura invenitur appellatus, qui unctus non fuerit vel ſacro illo corporali oleo, quo Reges & Sacerdotes ungebantur, ut *Aaron* & *Saul*; aut ſpirituali, id eſt Spiritu Sancto, & Gratia Prophetiæ, quod in Pſalmo dicitur *Oleum lætitiæ.* Corporali autem oleo uncti non fuere Sacerdotes & Reges qui poſt ſolutam Captivitatem Judæis præfuerunt. Quinque enim rebus Templum primum ſecundo antecelluit, ut tradunt Judæi, nempe Igne ſacro, Arca, Urim & Thummim, Oleo unctionis, & Spiritu Sancto. Cum iis ergo Templum ſecundum caruerit, Reges aut Pontifices qui eo cadente Populo Judaico præfuerunt, Chriſti jure ac proprie dici non poſſunt. Ita contra Judæos diſſerit noſter *Raymundus Martini* in *Pugione* Fidei, p. 2. Cap. 3. §. 29. Fruſtra vero Judæi obiicerent, Cyrum *Iſaiæ* 45. 1. Chriſtum appellatum, quamvis neutro oleo unctus eſſet: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubiiciam ante faciem ejus Gentes*, &c. Præterea quoſdam alios Chriſtos vocari Pſalmo 105. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Nam *Cyro* Chriſti nomen a Deo propterea tributum eſt, quia electus ab ipſo fuit, ut Populum ipſius e Captivitate ſolveret, ac libertate donaret, eaque in re Meſſiæ typus fuit, hominum genus a Dæmonis Captivitate liberaturi, & in libertatem filiorum Dei vindicaturi. Unde *Iſaias* loco laudato ſtatim a *Cyro* Chriſto typico, ad verum Meſſiam aſſurgens, in has voces erumpit: *Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: Aperiatur terra & germinet Salvatorem: & Juſtitia oriatur ſimul: Ego Dominus creavi eum.* Præterea *Cyrum* verum Meſſiam non eſſe Judæi agnoſcunt, & hæc *Iſaiæ* verba ad Meſſiam ipſum, non ad *Cyrum* referunt. Sic enim habetur in *Talmud*, in Libro qui dicitur *Megilla*, Diſtinctione quæ incipit, *Megilla Nirkath*, ut refert Raymundus Martini: *Quid eſt quod ſcriptum eſt Iſaiæ 45. 5. 6.* Hæc dicit Dominus Meſſiæ ſuo, &c. *Numquid Cyrus Meſſias eſt? ſed Deus ſanctus & benedictus dicit Meſſiæ: Opponens ego te Cyro, quem fortificavi in dextera ſua, Ego dixi: Ille ædificabit mihi domum.* Et *R. Selomoh* hunc Iſaiæ locum exponens, ait: *Magiſtri noſtri dixerunt*, Dixit Deus Regi Meſſiæ, Opponens ego te Cyro &c. *Sicut eſt in Libro Megilla.* Denique *Aben-Ezra* in Cap. 9. *Danielis*, ait: *Opinio ejus qui dixit quod Cyrus eſt Meſſias Domini, non eſt congrua.*

Quod ſpectat Verſum 15. Pſalmi 105. *Nolite tangere Chriſtos meos*, illum de *Abraham*, *Iſaac* & *Jacob* interpretatus *R. Barachias* in *Midraſch.* Hos autem unctos fuiſſe oleo ſpirituali, id eſt, Spiritu Prophetico, certum eſt. Unde ſubdit Pſalmiſta: *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Veteres præterea Judæi recentiorum cæcitatem arguunt. Illi enim ingenue confeſſi ſunt *Danielis* Oraculum, quod hujuſce Diſſertationis noſtræ argumentum eſt, ad Meſſiam pertinere, ut refert *S. Hieronymus.* Idem fatetur *R. Moſes* filius Nachman Gerundenſis, in Danielem: *Sanctuarium*, inquit *Sanctuariorum* ſive *Sanctus Sanctorum, eſt Meſſias ſanctificatus de filiis David.* De cujus unctione Pſalmo 45. dicitur: *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi, virga directionis virga Regni tui: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quod *Targum* de Meſſia diſerte exponit. Tertio nec *Cyrus*, nec *Jeſus Joſedec*, nec *Zorobabel* poſt Hebdomadas ſexaginta duas ab edicto de Urbis Jeruſalem ædificatione promulgato ſunt occiſi, nec eorum temporibus Hoſtia & Sacrificium defecerunt: Nullus igitur illorum eſt Chriſtus ab Angelo prænuntiatus. Nec etiam is fuit *Agrippa Junior*, quippe qui Romanorum partes ſecutus ſit, Belloque Judaico ſuperſtes fuerit, teſtibus *Joſepho* Libro 2. *De Bello Judaico*, Cap. 16. & *Tacito* Libro 5. Hiſtoriæ. Hanc Diſſertationem opportune claudet ſincera confeſſio, quam *R. Samueli* vis veritatis extorſit, in Epiſtola ad *R. Iſaac*, quam in *Dionyſii Carthuſiani* Commentariis legere eſt, *Videtur, Domine mi, Danielis Prophetia, quæ ſcribitur nono Capite, jam completa eſſe,*

„ *eſſe ; ubi ſic dicitur* : Poſt ſexaginta duas Hebdo-
„ madas occidetur Chriſtus; & veniet Populus cum
„ Principe venturo, deſtruetque Civitatem & Do-
„ mum, & erit conſummata deſtructio deſolationis
„ perpetuæ. *Et non eſt, Domine mi, dubium, quin deſtructio perpetua deſolationis ſit hæc Captivitas in qua jam ſumus. Nam jam ſunt mille anni, & aperte dicit Dominus per Prophetam, quod erit deſolatio perpetua propter occiſionem Chriſti : ſicut eſt deſolatio noſtra poſt occiſionem Chriſti. Non enim comminatus eſt deſolationem perpetuam, niſi poſt occiſionem Chriſti. Et ſi voluerimus dicere quod ante occiſionem Chriſti fuerimus in deſolatione : Reſpondeant nobis Chriſtiani, Quod ante illam mortem non fuit deſolatio niſi ſeptuaginta annis ; & poſt hoc fuimus reducti in Terram promiſſionis, & fuimus apud Deum in gratia & honore. Certe, Domine mi, non video evaſionem. De facto enim probatur nobis, quod poſtquam a reædificatione Templi completæ fuerunt ſeptuaginta Hebdomades annorum, tunc fuit Jeſus occiſus a Patribus noſtris ; & poſtea venit Dux, ſcilicet Titus ; & Populus, ſcilicet Romani, & fecerunt nobis ſecundum Prophetiam iſtam. Hodie ſunt mille anni, & nihilominus in ira Dei ſumus, & tamen nos in ipſo ſperamus, exſpectantes adhuc venturum Meſſiam, & reverſuros nos in Terram Promiſſionis ; & Civitatem atque Templum inſtauraturos, futuroſque in gratia & honore apud Deum : Nec deſolationem hanc fore perpetuam, ſed temporalem. Heu, mi Domine, non eſt iſta excuſatio, & evaſio conſona ; & vana videtur talis exſpectatio*,

DISSERTATIO III.

DE BABYLONICÆ CAPTIVITATIS EPOCHA.

CAptivitas Babylonica Septuaginta annorum intervallo in Sacris Literis definitur, *Jeremiæ* 25. 9. & ſeq. *Danielis* 9. 1. 2. 2. *Paralipomenon* 36 19. & ſeq. ſed unde iſtorum ſeptuaginta annorum ducendum ſit exordium, ubi finis conſtituendus, non levis difficultas eſt. Quidam illorum initium ducunt ab anno primo Imperii *Nabuchodonoſor*, quo Rex *Joachim* ab ipſo captivus abductus eſt. Hæc ſententia Patronos habet *Severum Sulpitium* Libro 2. Hiſtoriæ Sacræ, *Nicolaum de Lyra*, & *Vatablum*. Alii a transmigratione Regis *Jechoniæ* Septuaginta illos annos numerant, ſcilicet *R. Salomoh*, *Cajetanus* & *Scaliger*. Alii ab anno undecimo *Sedechiæ* Regis, ſcilicet *Joſephus* Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 10. & 11. Libro 11. Cap. 2. & Libro 1. Contra Apionem; *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum, *Euſebius* in Chronico, Libro 10. Præparationis Evangelicæ, Cap. ultimo, & Libro 8. Demonſtrationis Evangelicæ, ubi agit de 70. Hebdomadibus Danielis, *S. Hieronymus* in 4. Caput Ezechielis, & in Prologo Commentariorum in Aggæum Prophetam, *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 8. Adverſus Julianum, *Julius Hilario* Libello De Mundi Duratione, *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Libro 5. Originum, Cap. 39. Venerabilis *Beda* & *Nicephorus* Patriarcha Conſtantinopolitanus in Chronicis, *Cedrenus*, *Zonaras*, *Marianus Scotus*, *Lucas Tudenſis*, *Albertus Stadenſis*, & recentiorum Chronologorum & Commentatorum plurimi. Exitum vero & finem illorum ſeptuaginta annorum quidam in ſecundo *Darii Hiſtaſpis* anno conſtituunt, ut *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum, *Euſebius* in Chronicis, *S. Hieronymus* Prologo Commentar. in Aggæum, & in Cap. 1. Zachariæ., *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 26. & *S. Iſidorus* Libro 5. *Originum*, Cap. ultimo. Alii primo anno *Cyri* annos 70. Captivitatis finitos aſſerunt, ſcilicet *Joſephus* Libro 11. Antiquitatum, *Euſebius* Libro 10. *Præparationis Evangelicæ*, Capite 14. *Sulpitius Severus* Libro 2. Hiſtoriæ Sacræ, *S. Cyrillus Alexandrinus* Libro 8. Contra Julianum, & *Beda* Libro de ſex Ætatibus Mundi. Alii annos Captivitatis ab annis deſolationis Templi diſtinguunt, & Septuaginta quidem annos Captivitatis numerant a prima Captivitate Judæorum, quæ anno tertio *Joachimi* Regis facta eſt, ad annum primum Imperii *Cyri* : Annos vero deſolationis Templi ab undecimo *Sedeciæ* Regis ad ſecundum *Darii Hiſtaſpis*. Hujus ſententiæ Auctor eſt *Theodoretus* Commentario in Caput 9. *Danielis* : Eamque eru probabiliorem Viri inter Recentiores Eruditi propugnant.

PROPOSITIO UNICA.

Septuaginta Babylonica Captivitatis Anni ab anno quarto Joakimi Regis Juda, ad annum primum Cyri Perſarum Regis : Anni vero ſeptuaginta deſolationis ab anno undecimo Sedechiæ ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis, probabilius computantur.

PRobatur prima pars ex Capite 25. *Jeremiæ* 8. 9. & ſeq. *Pro eo quod non audiſtis verba mea ; Ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum ; & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes Nationes, quæ in circuitu illius ſunt ; & interficiam eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas. Perdamque ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ. Et erit univerſa terra hæc in ſolitudinem, & in ſtuporem ; & ſervient omnes Gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis*. Et Cap. 29. 10. *Hæc dicit Dominus : Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos ; & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum* ; Iſtud autem *Jeremiæ* Vaticinium impleri cœptum eſt eo ipſo quo prolatum eſt anno, ſcilicet quarto ineunte, vel tertio completo *Joakimi*, qui primus erat *Nabuchodonoſoris*. Expugnatis enim a *Nabuchodonoſore* Hieroſolymis, *catenis vinctus* eſt *Joachimus*, Babylonem deportandus, niſi pactis conditionibus ſervitutis precarium ſtipendiariumque Regnum a Victore obtinuiſſet. Triennio itaque tributum ſolvit *Nabuchodonoſore*, qui & ſacra Vaſa Templi Hieroſolymitani Babylonem tranſtulit, & poſuit ea in Templo ſuo (4. *Regum* 24. 1. & 2. *Paralipomenon* 36. 6. 7.) & *Danielis* 1. ubi hæc leguntur : *Anno tertio Regni Joakimi Regis Juda, venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Jeruſalem, & obſedit eam ; & tradidit Dominus in manu ejus Joakim Regem Juda, & partem vaſorum Domus Dei, & aſportavit ea in Terram Sennaar, in Domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui*. Tunc deportati & Eunuchi Regis Babylonis facti ſunt *Daniel*, *Ananias*, *Miſael* & *Azarias*. Inde ſi numerum ducamus annorum ſeptuaginta Captivitatis, prope ſeptuaginta inveniemus ad annum uſque primum *Cyri* Perſarum Regis. *Nabuchodonoſor* enim, cujus anno primo Judæi cum *Joakimo* Rege ſuo ſervire Babyloniis cœperunt, regnavit annis quadraginta-tribus : *Evilmerodachus* annis duobus : *Nerigloſſorus* annis quatuor : *Laboraſoarchodus*, qui & *Baltaſſar*, novem menſibus : *Nabonidus* qui & *Darius Medus*, annis ſeptemdecim. Ex quibus fit ſumma ſeptem & ſexaginta annorum, uſque ad annum primum *Cyri* Perſarum Regis, qui *Darium Medum* debellavit, & Babyloniorum Imperio potitus eſt. Septem autem & ſexaginta anni numero rotundo ſeptuaginta dicuntur a Propheta. At ſi annos ſeptuaginta Babylonicæ Captivitatis ab anno *Sedechiæ* Regis Juda undecimo ad annum primum *Cyri* numerare volueris, en illa ſumma novemdecim anni detrahendi ſunt ; Si quidem undecimus annus *Sedechiæ* cum anno decimo nono *Nabuchodonoſoris* concurrit. Remanebunt itaque anni duntaxat octo & quadraginta Captivitatis. Porro ſeptuaginta annorum Captivitatis exitum in anno primo *Cyri* conſtituendum ex Scriptura Sacra conſtat. Illorum itaque exordium altius repetendum eſt, quam ab anno undecimo *Sedechiæ*. Exitum (inquam) & finem illorum ſeptuaginta annorum Captivitatis & Servitutis in anno primo *Cyri* conſtituendum, probatur ex 2. Paralipomenon 36. *Incenderunt hoſtes Domum Dei, deſtruxeruntque murum Jeruſalem, univerſas turres combuſſerunt*,

Digitized by Google

ſerunt, & quicquid pretioſum fuerat, demoliti ſunt: Si quis evaſerat gladium, ductus in Babylonem ſervivit Regi & filiis ejus, donec imperaret Rex Perſarum, & compleretur ſermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra ſabbata ſua: Cunctis enim diebus deſolationis egit ſabbatum, uſque dum complerentur ſeptuaginta anni. Anno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum, qui juſſit prædicari in univerſo Regno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna Terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei Domum in Jeruſalem quæ eſt in Judæa: Quis ex vobis eſt in omni populo ejus? Sit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat. Idem confirmatur ex 1. *Eſdræ* Cap. 1. *In anno primo Cyri Regis Perſarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum: & traduxit vocem in omni Regno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens; Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna Terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei Domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa. Quis eſt in vobis de univerſo Populo ejus? Sit Deus illi cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet Domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus qui, eſt in Jeruſalem .... Et ſurrexerunt Principes Patrum de Juda, & Benjamin, & Sacerdotes & Levitæ, & omnis cujus Deus ſuſcitavit ſpiritum, ut aſcenderent ad ædificandum Templum Domini, quod erat in Jeruſalem .... Rex quoque Cyrus protulit vaſa Templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonoſor de Jeruſalem & poſuerat ea in Templo Dei ſui.* Id prædixerat & *Iſaias* Cap. 44. & 45. *Qui dico Cyro: Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jeruſalem: Ædificaberis: & Templo: Fundaberis. Hæc dicit Dominus Chriſto meo, Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus Gentes; & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas & portæ non claudentur .... Et dabo illi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum: Ut ſcias quia ego Dominus qui voco nomen tuum, Deus Iſrael .... Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam: Ipſe ædificabit Civitatem meam, & Captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Exercituum.* Ex his omnibus conſtat, Cyrum anno primo Regni ſui ſeptuagenariæ Judæorum Captivitati finem impoſuiſſe.

Probatur ſecundo ex *Joſepho* Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 1. ita ſcribente: *Primo autem anno Regni Cyri, qui fuit Tranſmigrationis noſtræ Babylonicæ ſeptuageſimus, miſeratus eſt Deus Captivitatem & calamitatem ærumnoſi illius Populi: Et ſicut illis per Jeremiam Prophetam ante dirutam Urbem prædixerat, quod poſtquam ſervierint Nabuchodonoſoro ejuſque poſteris per annos ſeptuaginta, rurſum eos reſtituturus eſſet in Patriam, & ædificato Templo redituri eſſent ad felicitatem priſtinam, ita eis omnia præſtitit. Excitato enim ad id Cyri animo effecit, ut ille in hunc modum per univerſam Aſiam ſcriberet: Hæc dicit Cyrus Rex: Quoniam me Deus Maximus Orbis Regem conſtituit, hunc illum eſſe credo, quem Iſraelitarum adorat Populus. Is enim meum nomen per ſuos Prophetas prædixit, & quod Templum ejus ædificaturus ſim Hieroſolymis in Terra Judæa: Hæc autem Cyrus cognovit ex lectione Libri qui Iſaiæ Prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipſius ætatem conſcriptus.*

Probatur ſecunda pars ex *Zacharia* Cap. 1. 12. ubi Angelus, qui in ipſo loquebatur ait, *Domine Exercituum, uſquequo tu non miſereberis Jeruſalem & Urbium Juda, quibus iratus es? Iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Annus porro ſecundus *Darii* Regis tunc agebatur, ut conſtat ex *Verſ.* 1. Exitus igitur ſeptuaginta annorum deſolationis conſtituendus eſt in anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*. Hoſtes enim Judæorum occupato *Artaxerxe*, ſeu *Cambyſe*, qui *Cyro* ſucceſſerat, animo, ædificationem Templi prohibuerant *in brachio & robore*, poſtquam Edictum ab ipſo per obreptionem impetratum promulgaſſent: Sicque Templi deſolatio, & vaſtitas ad annum uſque ſecundum *Darii Hyſtaſpis* perſeveraverat, ut habetur 1. Eſdræ 4. 24. *Tunc intermiſſum eſt opus Domus Domini in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum.* Tunc ſcilicet *Zorobabel* & *Joſue* filius *Joſedec*, adhortatione *Aggæi* & *Zachariæ* Prophetarum incitati, *cœperunt ædificare Templum Dei in Jeruſalem, & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Fruſtra ſacrum Opus interturbare conati ſunt Judæorum hoſtes, fruſtra contra ipſos apud *Darium* Regem expoſtularunt. *Darius* enim Edictum *Cyri*, in volumine quodam Bibliothecæ ſuæ in Ecbatanis inventum, executioni mandari juſſit, ut habetur 1. Eſdræ 6. *A me ergo*, inquit, *poſitum eſt Decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem ejus publicetur, Deus autem qui habitare fecit Nomen ſuum ibi, diſſipet omnia Regna, & Populum qui extenderit manum ſuam ut repugnet, & diſſipet Domum Dei illam quæ eſt in Jeruſalem. Ego Darius ſtatui Decretum, quod ſtudioſe impleri volo.* Subdit Eſdras: *Igitur Thathanai Dux Regionis trans Flumen, & Stharbuzanai, & Conſiliarii ejus ſecundum quod præceperat Darius Rex, ſic diligenter executi ſunt. Seniores autem Judæorum ædificabant, & proſperabantur juxta Prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ .... & ædificaverunt, & conſtruxerunt, jubente Deo Iſrael, & jubente Cyro, & Dario & Artaxerxe Regibus Perſarum: Et compleverunt Domum Dei iſtam, uſque ad diem tertium menſis Adar, qui eſt annus ſextus Regni Darii Regis.* Ex his perſpicuum eſt, finem ſeptuaginta deſolationis annis impoſitum non fuiſſe ante annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*.

Objicitur, Annos ſeptuaginta ſolitudinis, vaſtitatis, ſtuporis, deſolationis Urbis Jeruſalem & Templi, de quibus vaticinatus eſt *Jeremias* Cap. 25. ab eo tempore eſſe numerandos, quo Templum & Urbs incenſa & vaſtata ſunt. Id autem factum eſt anno undecimo *Sedeciæ*, & finem habuit ea deſolatio anno primo *Cyri* Regis Perſarum. Hucuſque enim terra *egit ſabbatum*, ut dicitur 2. Paralipomenon 36. *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum, ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis*, &c.

Confirmatur ex Danielis 9. 1. 2. *In anno primo Darii filii Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperavit ſuper Regnum Chaldæorum: Anno uno Regni ejus, ego Daniel intellexi in Libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur deſolationis Jeruſalem ſeptuaginta anni.* Iidem ſunt igitur anni Deſolationis & Captivitatis a *Jeremia* prædicti; idem illorum exordium, nempe annus undecimus *Sedeciæ*, idem exitus, nempe annus primus *Cyri* Perſarum Regis.

Reſpondetur, *Jeremiam* quidem annos ſeptuaginta Captivitatis & deſolationis uno tenore vaticinari, & finem Captivitati a *Cyro* Perſarum Rege imponendum prædicere, cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni; Sed non deſignare tempus quo exitum habituri ſint anni Deſolationis Templi & Urbis. Quod autem obſcurum *Jeremias* & *Daniel* reliquerant, a *Zacharia* explicatum eſt: Annum ſcilicet ſeptuageſimum & ultimum deſolationis & vaſtitatis a *Jeremia* prædictæ, fuiſſe annum ſecundum *Darii Hyſtaſpis*. Certe ſi anni deſolationis ab anno *Sedeciæ* Regis undecimo cœpti, anno primo *Cyri* impleti eſſent; non ſeptuaginta, ſed quadraginta & octo duntaxat anni Deſolationis numerarentur. Annus enim *Sedeciæ* undecimus cum anno decimo-nono *Nabuchodonoſoris* concurrit. Cum itaque *Nabuchodonoſor* annis tribus & quadraginta regnaverit, ſuperſunt anni illius tres & viginti; quibus ſi addideris duos *Evilmerodachi*, quatuor *Nerigliſſoris*, novem Menſes *Baltaſſaris* poſt obitum Patris, ſeptemdecim *Nabonidi* ſeu *Darii Medi*, & primum *Cyri*, ſiunt anni duntaxat quadraginta & octo. Adde vero annos octo Imperii *Cyri* reliquos, octo *Cambyſis*, ſeptem menſes *Smerdis* magi, duos annos *Darii Hyſtaſpis*, habebis ſummam annorum ſeptem & ſexaginta, quos rotundo numero ſeptuaginta dixerunt Prophetæ, quia parum aberat ne ſeptuaginta eſſent. Hac diſtinctione annorum Captivitatis & deſolationis, & varia utriuſque epocha, *Zachariæ* & *Jeremiæ* Vaticinia

& Eſ-

& *Eſdra* ac *Paralipomenon* Hiſtoria facile conciliantur, duce *Theodoreto* Doctiſſimo Scripturæ Sacræ Interprete, Libro 9. in *Danielem*, ubi recenſitis *Eſdra*, *Paralipomenon*, *Jeremia*, & *Zacharia* Oraculis ſupra laudatis, ait *Et nonnulli quidem ex iis qui incredulitatis morbo laborant, Sanctos inter ſe Prophetas diſſentire opinantur; qui vero ſacris in ſermonibus educati ſunt, divina gratia illuſtrati, Sanctorum Prophetarum inveniunt conſenſum. Age itaque, illo ſplendore precibus exorato, ignaris eum perſpicuum faciamus. Tempus igitur Captivitatis omnes idem nihil diſcrepantes poſuere, & divinus Jeremias, & divinus Zacharias, & beatus Eſdras: in ſeptuageſimo numero omnes conſenſere: Sed non ab eiſdem temporibus omnes numerare exorſi hoc tempus, alii in Cyrum, alii in Darium hunc ipſum numerum deſinere dixerunt. Beatus enim Jeremias & Eſdras, a primo Captivitatis initio numerantes, jure uſque ad Cyrum Perſarum Regem ſeptuaginta definiunt annos. Sed Sanctiſſimus Zacharias a noviſſima obſidione, qua funditus interiere, numerans, ſeptuaginta annorum numerum Dario regnante Perſarum Rege expleri aſſeruit. Etenim revera ipſo regnante ſanctum rurſus ædificatum eſt Templum. Nam quia ter Populus captivus fuit, primo tempore Joacim filii Joſia Regis Juda, iterum Jechonia filii Joacim, tertio Sedecia fratris Joacim, patrui Jechonia, valde appoſite ter etiam in Patriam reditum conſequuntur. Primo enim dimiſit ipſos Cyrus Perſa, deinde Darius Hyſtaſpis filius, tum Artaxerxes Xerxis, quo tempore prius Eſdram, poſtea Nehemiam miſit, ut muros Jeruſalem iterum conſtruendos curarent. Erram igitur qui primo capti fuere, ſeptuaginta annorum numerus Cyro Perſa regnante expletur: Templi autem deſolationis hoc idem tempus finitur anno ſecundo Darii Hyſtaſpis: Ita ut utraque Prophetia & Jeremia & Zacharia, & ditiem Eſdra Scriptura mendacio careat & vera ſit.*

Obiiciuntur ſecundo Veterum teſtimonia, qui annos ſeptuaginta Captivitatis & Deſolationis pariter numerant ab anno undecimo *Sedechia* ad annum primum *Cyri* Perſarum Regis, ſcilicet:

Joſephi Libro 1. *Contra Apionem* ſcribentis: *Nabuchodonoſor Templum in Hieroſolymis concremavit: Cunctumque generis noſtri Populum auferens, migravit in Babylonem: Unde Civitatem contigit deſolari annis ſeptuaginta, uſque ad Cyrum Regem Perſarum.*

Clementis Alexandrini Libro 1. Stromatum, p. 329. *In duodecimo autem anno Regni Sedechia*, inquit, *Nabuchodonoſor ſeptuaginta annis ante Principatum Perſarum adverſus Phœnicas & Judæos bellum geſſit, ut dicit Beroſus in Hiſtoriis Chaldaicis. Jobac autem ſcribens de Aſſyriis, fatetur ſe a Beroſo ſumpſiſſe Hiſtoriam, vera eſſe, quæ ab eo dicuntur, teſtificans. Nabuchodonoſor ergo excæcatum Sedechiam adducit Babylonem, & totum facit Populum tranſmigrare. Fuit autem hæc Captivitas ſeptuaginta annis.*

Julii Africani in Chronographia apud *Euſebium* Libro 10. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 10. *Primum igitur*, inquit, *celebratiſſima illa Hebræorum migratio, cum a Nabuchodonoſore Babylonis Rege in ſervitutem abducti ſunt, annos tenuit ſeptuaginta, uti futurum Jeremias ante prædixerat.... Exactis illis ſeptuaginta Captivitatis annis Cyrus Perſarum Regnum obtinuit, cum Olympias ageretur quinquageſima-quinta.... Cyrus igitur anno Imperii ſui primo, per Zerobabelem, cujus etiam æqualis idem & ſocius erat Jeſus Joſedeci filius, expleta jam ſeptuaginta annorum ſumma, Populi Judaici partem aliquam primum dimiſit, ut apud Eſdram Hebræum Hiſtoricum legimus. Et quoniam Regni Cyri principium cum Judaica Captivitatis fine Hiſtoricorum omnium conſenſione concurrit, ſimiliter etiam in Olympiadum annis, cum utriuſque, tum cæterorum deinceps convenientia ad nos uſque ducitur.*

Euſebii Libro 10. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 14. ubi de *Sedecia* Regum Juda poſtremo ait: *Sub eo capta Jeruſalem ab Aſſyriis, Templum incenſum, univerſa Judæorum Natio Babylonem abducta, ubi Daniel & Ezechiel prophetarunt. Poſt annos inde ſeptuaginta, Cyrus Perſis imperavit, Judæoſque ſervitute liberavit, omnibus quicumque vellent in Patriam redeundi, Templique inſtaurandi poteſtate facta.*

S. Cyrilli Alexandrini Libro 8. *Contra Julianum*, pag. 260. *Captis autem*, inquit, *Hieroſolymis, & vaſtata Judæorum regione, Babyloniis bellum in ipſo gerentibus, in Captivitatem actus eſt cum ſuo Rege Iſrael, Sedecia nimirum: Sed exacto demum anno ſeptuageſimo, ſolvit eos Captivitate per Cyrum Deus.*

Julii Hilarionis Libello De Mundi Duratione: *Poſt undecimum ergo annum Sedecia*, inquit, *Jeruſalem everſa a Rege Nabuchodonoſor, Judaicus Populus in Babylonem, tranſmigratus eſt; Quæ Captivitas ſeptuaginta annos tenuit, qui completi ſunt in Babylonia, ut impleretur Viſio & Prophetia Jeremiæ. Poſt quos annos Cyrus Rex Perſarum jubet Populum ire ad Jeruſalem primo anno Regni ſui.*

Reſpondetur, In Quæſtione Chronologica, quæ ſummam fidei non ſpectat, Veteribus in varias ſententias diviſis, nobis fas eſſe eam amplecti, quæ probabilior videtur. *Joſephus* & hic & alibi a recta Chronologia aberrat. *Julius Africanus* ſeptuaginta Captivitatis annos anno primo Cyri terminat, ſed unde illorum ſumat exordium non indicat, an ab undecimo *Sedechia*, an a Jechoniæ deportatione, an ab anno quarto Joakimi. *Clemens Alexandrinus* ab undecimo quidem anno *Sedechia* ſeptuaginta Captivitatis & deſolationis annos incœpiſſe cenſet, ſed eoſdem anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis* abſolvit. *Manſit autem Captivitas annis ſeptuaginta, ut quæ ceſſaverit anno ſecundo Darii Hyſtaſpis filii qui fuit Rex Perſarum, Aſſyriorum, & Ægyptiorum.... In ſecundo anno Regni Darii, mittitur Zorobabel filius Salathiel, ut excitet & exornet Templum quod erat Hieroſolymis*. Sibi non conſtat *Euſebius*. In Chronico enim annos ſeptuaginta Captivitatis & Deſolationis ab anno *Sedechiæ* Regis undecimo cœpto, deſinere aſſerit anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*: Hæc ſunt ejus verba ad annum *Sedechiæ* undecimum: *Hebræorum Captivitas & exterminium Templi, quod fuit in Jeruſalem annis 70. qui ſupputantur uſque in ſecundum annum Darii. Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum, Hieroſolymis captis, Templum incendit, quod ab initio ædificationis ſuæ permanſerat annos 442. Sententia autem noſtra etiam Clemens congruit in primo Stromate, 48. Olympiade captivitatem Judæorum factam eſſe conteſtans, regnante apud Ægyptios Vaphre, apud Athenas Phænippo; & ſupputari 70. annos deſolationis Templi, uſque ad ſecundum annum Darii.* Et Libro 8. Demonſtrationis Evangelicæ, p. 391. *Ad ſecundum*, inquit, *Darii annum tempus ſolitudinis Urbis Jeruſalem, quod ſeptuagenarium fuit, perveniſſe Propheta Zacharias indicat his verbis*: In die ,, vigeſimo quarto undecimi Menſis, (*is eſt Sabat*) ,, in anno ſecundo Darii, factum eſt verbum Domi- ,, ni ad Zachariam filium Barachiæ. *Deinde progreſſus* ,, *adjungit*: Et reſpondit Angelus Domini, & di- ,, xit: Domine Omnipotens, quouſque miſereberis ,, Jeruſalem & Urbium Juda, quas deſpexiſti hunc ,, ſeptuageſimum annum? *Hoc igitur ipſum tempus Daniel cum Divino Spiritu afflatus vidiſſet, his verbis notavit*: Ego Daniel intellexi in Libris nu- ,, merum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ,, ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur Deſo- ,, lationis Jeruſalem ſeptuaginta anni.... *A Cyro primum reſponſum eſt ut ædificaretur Jeruſalem, nec tamen ipſum opus effectum eſt, cum id vicini undique prohibuerint. Poſtea vero cum Darius juſſerit, eoque regnante abſolutum ſit Templi ædificium, inde ab hoc ipſo tempore Propheta Danielis Oraculum ſui exitus initium ſumit, cujus verba illa ſunt*, Ut reſpondeatur, & ædificetur Jeruſalem.... *Anno igitur Darii ſecundo apparet completos eſſe annos illos ſeptuaginta*. Denique S. Cyrillo *Alexandrino* & *Julio Hilarioni* opponimus S. *Hieronymum*, S. *Auguſtinum*, & *Theodoretum*.

Ita S. *Hieronymus* in Prologo Commentarii in *Aggæum* Prophetam. *Secundo anno Darii Regis Perſarum, filii Hyſtaſpis ſeptuageſimum annum deſolationis Templi fuiſſe completum, quem Jeremias vaticinatus eſt, Zacharias quoque Propheta teſtis eſt; Qui cum Viſionis ſuæ titulum in ſecundo anno ejuſdem Regis, undecimo menſe Sabat, vigeſima-quarta die præpoſuiſſet,* Zach. 16. ,, *adjecit dicens*; Domine Exercituum, uſquequo non ,, miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus 2. *Eſdra* ,, iratus es? Iſte ſeptuageſimus annus eſt. *Sed &* 5.

Eſ-

Eſdras extructo tantum Altari, & jactis fundamentis Templi, ad Literas Regis Artaxerxis prohibitum opus refert: Tunc intermiſſum eſt opus Domus Dei in Jeruſalem; & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum. Et in Cap. 1. Zachariæ: *Secundo anno Darii, filii Hiſtaſpis, ſeptuageſimum Deſolationis Templi annum, qui ab Jeremia prædictus eſt fuiſſe completum, ipſe Zacharias teſtis eſt, dicens: Domine Exercituum, uſquequo non miſereberis Jeruſalem & Urbium Juda, quibus iratus es? Ecce iſte ſeptuageſimus annus eſt.* Et in Caput 4. Ezechielis *Regnavit Sedekias annis undecim, ſub quo capta Urbs, Templumque deſtructum eſt. Cujus ſolitudo uſque ad ſecundum Darii annum permanſit annis ſeptuaginta.*

Ita *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 26. *Cyrus Rex Perſarum, qui etiam Chaldæis & Aſſyriis imperabat, relaxata aliquanta captivitate Judæorum, quinquaginta millia hominum ex eis ad inſtaurandum Templum regredi fecit. A quibus tantum prima cœpta fundamenta, & Altare conſtructum eſt. Incurſantibus autem hoſtibus, nequaquam progredi ædificando valuerunt, dilatumque opus eſt uſque ad Darium... Sub Dario ergo Rege Perſarum impletis ſeptuaginta annis, quos Jeremias Propheta prædixerat, reddita eſt Judæis ſoluta Captivitate libertas, regnante Romanorum ſeptimo Rege Tarquinio.*

Ita *Theodoretus* in Cap. 1. Zachariæ: *Angelus, cui Populi mandatu erat Præfectura, vehementer indignatus, quod omnibus pace fruentibus, Populus ſibi ſubditus in ærumnis adhuc verſaretur, ſupplex Dominum obſecrat:* „Domine Omnipotens, uſquequo non „miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus „iratus es? Iſte eſt ſeptuageſimus annus. *Eſt autem animadvertendum prioris Captivitatis tempus completum fuiſſe anno primo Cyri Perſarum Regis, bono & benigno Domino, cum ærumnis quas experti erant, tempus etiam Prædictionis annumerante.... Vaſtitatis autem Jeruſalem ſeptuaginta anni completi ſunt ſecundo anno Regni Darii. Hic porro numerus inchoandus eſt ab anno undecimo Regni Sedekiæ, ſub quo Urbs capta fuit. Si quis enim ducto inde initio inveſtiget, tempus hoc completum fuiſſe inveniet anno ſecundo Regni Darii Hyſtaſpis filii. Hoc igitur Populi Procurator Angelus Deum Omnipotentem rogat, ut tempus Prædictionis completum attendat, & ne Urbem ſibi conſecratam vaſtitati traditam diutiſſime reſpiciat.*

Objicitur tertio, *Baruch* Prophetiam Captivitatis tempus uſque ad ſeptem generationes extendere. Sic enim Cap. 6. 2. *Ingreſſi itaque in Babylonem, eritis ibi annos plurimis, & temporibus longis, uſque ad generationes ſeptem: Poſt hoc autem educam vos inde cum pace.* At ſeptem generationes ultra annos ſeptuaginta extenduntur, ſive ſumatur generationis nomen pro ætate quam homines vivendo attingere ſolent, quæ a *Davide* ſeptuaginta aut octoginta annis definita eſt, ſive pro ætate matura generationi prolis, quæ certe minor non eſt quindecim annis. Plures igitur quam ſeptuaginta anni Captivitatis numerandi ſunt.

Reſpondetur primo, Probabile eſſe *Baruchum* non loqui de ultima Deportatione Judæorum ſub *Sedekia*, ſed de ea quæ facta eſt in tranſmigratione *Jechoniæ* annis undecim ante *Sedekiæ* Captivitatem: Cum *Baruch* eo loci referat Epiſtolam *Jeremiæ* ſcriptam ad
2. Eſdra 7. *Jechoniam* & Judæos, qui cum ipſo Babylonem deportati fuerant. Ab hac porro deportatione ad annum ſeptimum *Artaxerxis Longimani*, quo reliquiæ Judæorum, qui cum *Zorobabele* Hieroſolymam redire noluerant, & qui Babylone poſtea nati fuerant, cum *Eſdra* regreſſi ſunt, anni centum & triginta-novem numerantur, quos in ſeptem generationes dividere facile eſt.

Reſpondetur ſecundo, cum vox γενεὰ apud Græcos varias habeat ſignificationes, & quandoque ſumatur pro vita hominis, quandoque pro triginta annis, pro 25. pro 20. ut notat *Heſychius*; pro ſeptem annis apud Medicos, incertum eſſe quot annos ſeptem generationes apud *Baruchum* complectantur. Pro decem annis ſumi cenſet *Grotius*. Quod quia exemplo caret, ſuſpicari (inquit) aliquis poſſit, in Textu Græco, olim ſcriptum fuiſſe ἕως δεκάδων ἑπτὰ, *Uſque ad decades ſeptem*. Audaciorem conjecturam non probo. Probabilius videtur vocabulum *ſeptem* a *Baruch* Propheta uſurpatum pro numero indefinito, ut idem ſignificet quod multa. Quo ſenſu paſſim in Scripturis accipitur. Sic *Levitici* 26. 28. ait Deus. *Corripiam vos ſeptem plagis propter peccata veſtra*; id eſt, plagis multis. Et *Proverbiorum* Cap. 24. 16. *Septies enim cadet juſtus, & reſurget*; id eſt, frequenter cadat. Eodem ſenſu *Baruchi* Vaticinium intelligi poteſt: Judæos in patriam, ſoluta Captivitate, poſt ſeptem, id eſt poſt multas generationes reverſuros.

DISSERTATIO IV.

DE ESDRA

Eſdras Sacerdos, & Scriba Moſaicæ Legis peritiſſimus, ſive ut ipſe de ſe ait, *Scriba velox in Lege Moyſi*, ſoluta Edicto *Cyri* Perſarum Regis Judæorum Captivitate, Babylone manſit ad annum uſque ſeptimum *Artaxerxis Longimani*, quo Hieroſolymam cum Regiis Mandatis reverſus, magno cum Judæorum comitatu, Sacros Ritus, Politiamque Judaicam reſtituit. De illo tres inpræſentiarum Quæſtiones breviter expediemus. Expendemus primo, Utrum *Eſdras* Sacros Codices in Hieroſolymitano Excidio, & in Deportatione Babylonica amiſſos aut neglectos ex integro reparaverit, ac Numine afflatus memoriter dictaverit? Secundo, Utrum Auctor fuerit Hebraicæ Punctationis, & Maſſoræ? Tertio, Utrum fuerit Auctor Cabalæ? 1. Eſdra 7.

ARTICULUS I.

Utrum Eſdras Sacros Codices ex integro reparaverit, ac memoriter dictaverit.

PROPOSITIO UNICA.

Eſdras Libros Sacros in Captivitate Babylonica diſſipatos & corruptos collegit, digeſſit, a mendis repurgavit; non ex integro reparavit, aut ex memoria conſcripſit, vel dictavit.

Probatur prima pars: Ex integro non reparatur, niſi quod penitus abolitum eſt, & omnino periit: Atqui veriſimile non eſt Libros omnes Sacros in Hieroſolymitano Excidio crematos, aut tempore Babylonicæ Captivitatis abolitos fuiſſe; Illos itaque ex integro non reparavit *Eſdras*.

Probatur Minor: *Eſdras ſe Scribam velocem in Lege Moyſi* appellat (1. *Eſdræ* 7. 6.) Teſtimonium ex *Libro Moyſi* profertur *Danielis* 9. 2. 13. Moſaica ergo Lege Judæi exules & captivi non caruerunt. Idem *Daniel* ait: *Intellexi in Libris numerum annorum, de quo factus eſt ſermo Domini ad Jeremiam Prophetam ut complerentur Deſolationis Jeruſalem ſeptuaginta anni.* Superſtes igitur erat *Jeremiæ* Liber 2. *Eſdræ* 8. dicitur *Eſdram* retuliſſe Librum Legis Moyſi, & in frequenti Populi conventu legiſſe: *Et dixerunt Eſdræ Scribæ ut afferret Librum Legis Moyſi, quem præceperat Dominus Iſraeli. Attulit ergo Eſdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die prima menſis ſeptimi. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante Portam aquarum, de mane uſque ad mediam diem, in conſpectu virorum & mulierum, & ſapientum; & aures omnis Populi erant erecta ad Librum.* Librum itaque Legis penes ſe habuerat *Eſdras* tempore Babylonicæ Captivitatis. Præterea, credibile non eſt, *Jeremiam* Prophetam, cui ſumma libertas conceſſa fuit a *Nabuzardan* Magiſtro Militiæ Regis Babylonis, & qui Tabernaculum, & Arcam, & Altare Incenſi abſcondit, opportunitatem non habuiſſe vel unum Librorum Sacrorum Codicem ab incendio vindicandi, vel id opportunitate data neglexiſſe. Secundo, quis ſibi facile perſuadeat, & in prima Deportatione ſub *Joakim*, cum *Ezechiel*, *Daniel*, aliique viri Principes abducti ſunt; & in ſecunda ſub *Jechonia*, qui Jerem. 40. 42. Machab. 2.

Na-

Nabuchodonoſori ſponte ſe dedit, nullum Sacrorum Codicum Babylonem ablatum fuiſſe? Tertio, inter ea quæ a Chaldæis concremata & diſſipata ſunt, vel ab iis Babylonem aſportata, quorum expreſſa mentio & accurata fit enumeratio (4. *Regum* 25. & *Jeremiæ* 52.) altum eſt de Sacris Codicibus ſilentium. Quarto, *Joſephus* Libro *Judaicarum Antiquitatum* 11. Capite 1. refert *Cyro* Perſarum Regi oſtenſum *Iſaiæ* Vaticinium, quo ipſius nomen exprimebatur, ipſique ampliſſimum promittebatur Imperium: Quod Cyrum permovit ut Judæos libertate donaret, Templique Hieroſolymitani reparandi poteſtatem illis concederet. Vindicata igitur fuerat ab incendio *Iſaiæ* Prophetia, idemque de Lege, & aliorum Prophetarum Libris, omnibuſque Scripturæ Sacræ partibus credere par eſt. Nullus tandem Hebræorum admirabilis hujus reſtitutionis Librorum Sacrorum ab *Eſdra* factæ meminit.

Probatur ſecunda pars teſtimonio *Joſephi* Lib. 1. *Contra Apionem*, ſcribentis, Judæorum morem hunc fuiſſe, ut ſi quæ ingruerent bella, pace demum compoſita Sacri Codices a ſuperſtitibus Sacerdotibus recognoſcerentur, relegerentur, ac renovarentur; nec unicuique de rebus ſacris Scripta in vulgus edere jus & fas eſſet, ſed Prophetis tantum. Probabile igitur ac veriſimillimum eſt, poſt Babylonica bella, diuturnamque Captivitatem, Sacros Codices recognitos, emendatos, inſtauratos fuiſſe opera Sacerdotum, qualis fuit *Eſdras* Scriba Doctiſſimus in Lege Dei.

Accedit Patrum Auctoritas *S. Irenæi* Libro 3. Cap. 25. ubi enim de Verſione Scripturæ Sacræ a ſeptuaginta Senioribus divino afflatu facta ſermonem fecit, ſubdit: *Non eſſe mirabile Deum hoc in eis operatum, quando in ea Captivitate Populi, quæ facta eſt a Nabuchodonoſor, corruptis Scripturis, & poſt ſeptuaginta annos Judæis deſcendentibus in regionem ſuam, & poſt deinde temporibus Artaxerxis Perſarum Regis, inſpiravit Eſdræ Sacerdoti Tribus Levi, præteritorum Prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere Populo eam Legem, quæ data eſſet per Moyſen.* Eum locum inſeruit *Euſebius* Libro 5. Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ, Cap. 8. ex *Valeſii* Verſione: *Neque vero mirandum eſt id a Deo præſtitum fuiſſe; cum in Captivitate Populi, quæ ſub Nabuchodonoſore contigit, corruptis Scripturis, ac poſt ſeptuaginta deinum annos regreſſis in Patriam Judæis, Artaxerxis Perſarum Regis temporibus, Eſdram Sacerdotem de Tribu Levi afflatu ſuo Deus impulerit, ut omnes veterum Prophetarum Libros denuo componeret, Legemque miniſterio Moyſis latam Populo reſtitueret.* Denuo componere, *S. Irenæi* ſenſu, nihil aliud eſt quam recognoſcere, digerere, emendare, alioqui Scripturas non ſolum corruptas, ſed plane abolitas tempore Babylonicæ Captivitatis dixiſſet.

Tertulliani, Libro 1. *De Cultu Feminarum*, Cap. 3. *Hieroſolymis*, inquit, *Babylonia expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ Literaturæ per Eſdram conſtat reſtauratum.*

S. Hilarii Præfatione in Pſalmos, Collectionem quidem Pſalmorum in unum Librum, non abolitorum novam compoſitionem, & reparationem ex integro *Eſdræ* tribuentis.

Auctoris Synopſeos Scripturæ Sacræ inter *S. Athanaſii* Opera editæ. *Narratur*, inquit, *& hoc de Eſdra, quod cum Libri quinque per injuriam Populi ac diuturnam Captivitatem periiſſent, ipſe illos, cum vir eſſet benelli ſtudioſus, induſtrius, & lector, apud ſe omnes cuſtodiverit, & tandem protulerit, omnibuſque tradiderit, atque ita ſervaverit.* Et infra: *Eſdras omnes Pſalmos a quibuſcumque dictos uno complexus eſt Libro.*

S. Joannis Chryſoſtomi Homilia 8. in Epiſtolam ad Hebræos. *Videte atque ab ipſo repetentes initio, ut Dei diſcatis benignitatem & clementiam. Moſem inſpiravit, tabulas inſculpſit, quadraginta dies eum tenuit in Monte, & rurſus totidem ut daret Legem. Poſtea miſit Prophetas mala perpeſſos innumerabilia. Ingruit bellum, omnes ſuſtulerunt, conſciderunt, exuſtæ fuerunt Tabulæ: Alium rurſum virum inſpiravit admirabilem, ut eas reponeret, Eſdram, & fecit ut componerentur ex reliquiis.* Sacræ Scripturæ reliquias *Eſdram* digeſſiſſe, & in unum corpus compoſuiſſe ſignificat *S. Joannes Chryſoſtomus*, non ex integro reparaſſe.

Hoc ſenſu *S. Hieronymus* vocat *Eſdram* Pentateuchi reſtauratorem Libro adverſus Helvidium. *Sive*, inquit, *Moſen dicere volueris Auctorem Pentateuchi, ſive Eſdram ejuſdem inſtauratorem Operis, non recuſo.* Cum *Eſdras* Codices Sacros emendaverit, in ordinem redegerit, & adhibitis novis characteribus, Aſſyriis ſcilicet, quibus Populus aſſuetus erat (veteribus Characteribus Samaritanis relictis) Codices quaſi novos conſcripſerit, *Legis inſtaurator* a *S. Hieronymo* non immerito dicitur.

Objicitur *Clementis Alexandrini* teſtimonium Libro 1. *Stromatum* dicentis: *In Captivitate Regis Nabuchodonoſor, cum interiiſſent Scripturæ tempore Artaxerxis Perſarum Regis, inſpiratus Eſdras Levites, qui factus fuerat Sacerdos, prophetavit, omnes veteres rurſus Scripturas renovans.*

Item *Theodoreti* Præfatione in Pſalmos, dicentis: *Eſdram Sacrorum Voluminum memoriam renovaſſe.*

Reſpondetur, *Clementem Alexandrinum* veterum Scripturarum renovationem *Eſdræ* tribuere, quod illas recognoverit, & emendaverit, cum interiiſſent, id eſt, a priſtina puritate & integritate excidiſſent, earumque maxima ex parte detrita eſſent, diſſipata, & corrupta, Exemplaria, paucis exceptis, quæ apud Sacerdotes aut Prophetas conſervata fuerant. Id paulo ſuperius ſignificat *Clemens Alexandrinus* his verbis: *Zorobabel cum Eſdra rediit in Patriam, per quem facta Populi redemptio, & divinitus inſpiratorum Eloquiorum recenſio, & renovatio.*

Clarius *Theodoretus*, ubi de 70. Interpretum Verſione ſermonem fecit: *Annis* (inquit) *ante Interpretationem illam centum & quinquaginta, Mirabilis Eſdras cœleſtis gratia plenus, Sacros Libros deſcripſit, qui partim per Judæorum incuriam, partim vero per impietatem Babyloniorum dudum fuerant depravati. Quod ſi & hic Spiritu Sancto afflatus horum Voluminum memoriam renovavit; & illi non ſine divino afflatu eadem in Græcum ſermonem conſenſione maxima converterunt, atque inter cætera etiam Inſcriptiones interpretati ſunt: Regem equidem nimiæ temeritatis & confidentiæ plenum arbitror falſas illas affirmare, & cogitationes noſtras Sancti Spiritus efficientia ſapientiores ducere.*

Objiciuntur verba *S. Baſilii* in Epiſtola ad *Chilonem*, ubi de Terra Sancta ſic loquitur: *Hic ſita eſt campeſtris planities, in quam ſeorſim a cæteris cum ſe Eſdras ſubmoviſſet, Libros Scripturæ divinitus inſpiratæ omnes ex Dei mandato ad communem omnium uſum eructavit & exprompſit.*

Reſpondetur, *S. Baſilium* in illa fuiſſe ſententia, quod *Eſdras* omnes Scripturæ Sacræ Libros ex integro reparaverit, divinoque Spiritu afflatus memoriter dictaverit: Sed ab Auctore Apocrypho Libri 4. *Eſdræ* deceptus eſt, & ipſe, & ſi qui alii ex antiquis, eidem ſententiæ adhæſerunt, ut *Leontius* Libro *De Sectis*, *Actione* 2. Sic autem habet Auctor ille Apocryphus Cap. 19. ſive *Eſdras* perſonatus: *Lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit quæ a te facta ſunt, vel quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, & ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab initio, quæ erant in Lege tua ſcripta, ut poſſint homines invenire ſemitam, & qui voluerint vivere in noviſſimis, vivant. Et reſpondit ad me, & dixit: Vadens congrega Populum, & dices ad eos, ut non quærant te diebus quadraginta. Tu autem præpara tibi buxos multos, & accipe tecum Saream, Dabriam, Salmiam, Echanum, & Aſiel, quinque hos qui parati ſunt ad ſcribendum velociter. Et venies huc, & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non extinguetur, quoadúſque finiantur quæ incipies ſcribere.... Et accepi quinque viros, ſicut mandavit mihi, & profecti ſumus in campum, & manſimus ibi. Et factus ſum in craſtinum, & ecce vox vocavit me dicens: Eſdra, aperi os tuum, & bibe quod te potavero. Et aperui os meum, & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum ſicut aqua: Color autem ejus ut ignis ſimilis. Et accepi, & bibi: Et in eo cum bibiſſem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia. Nam ſpiritus meus conſervabatur memoria. Et apertum eſt os meum, &*

non

Digitized by Google

non eſt clauſum amplius. Altiſſimus dedit intellectum quinque viris, & ſcripſerant quæ dicebantur excesſione noctis, quas non ſciebant. Nocte autem manducabant panem: Ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti ſunt autem per quadraginta dies Libri ducenti quatuor.

ARTICULUS II.

Utrum Eſdras Auctor fuerit Hebraicæ Punctationis, & Maſoræ.

DE Punctatione Hebraica, & Maſora quædam breviter delibanda ſunt, & ex Virorum Linguæ Hebraicæ periciſſimorum, ac Eruditionis Rabbinicæ laude præſtantium editis eo de argumento Operibus veluti deflóranda.

Punctorum vocalium & Accentuum originem alii ad *Moſem* referunt: Alii ad *Eſdram* & Synagogam Magnam: Alii ad Maſorethas Tiberienſes, qui circa quingenteſimum, vel etiam poſt octingenteſimum ab orto Chriſti Salvatoris annum ea adinvenerunt, & Sacro Textui appoſuerunt. Hoc argumentum cum multi attigerint, exhauſere certe *Ludovicus Capellus* Libro *De Punctationis Arcano Revelato*, & *Joannes Morinus* Libro 2. *Exercit. De Hebræi Græcique Textus ſinceritate*.

Maſora eſt Sacra Hebræorum Critica, qua ſcriptionis & lectionis varietas per totam Scripturam traditur; quoties quo loco, & qua forma quæque dictio in Textu Hebræo invenitur; inventa, ut genuina lectio ab omni corruptione & mutatione immunis ſervetur. Maſora itaque poſita eſt in Annotationibus Criticis circa Textum Hebræum, & verſatur circa Verſus, Voces, Literas, Puncta vocalia, & Accentus. Circa Verſos, numerarunt Maſorethæ ſingulos Verſus uniuſcujuſque Libri, & uniuſcujuſque Sectionis majoris Legis, nec tantum Pentateuchi, ſed & totius Textus Hebraici: Numerumque ad finem cujuſque Sectionis vel Libri annotarunt, primo literis numeralibus; tum nomine aliquo ſymbolico, ex cujus literis idem numerus exurgit. Deinde Verſum medium ſingulorum Librorum annotarunt. In Verſibus etiam quædam obſervarunt de numero vocum & literarum ex quibus conſtant, & alia, quorum exempla legi poſſunt apud *Buxtorfium* in *Tiberiade*. Finis Maſoretharum in his obſervationibus fuit, ne quis fraude vel negligentia Verſum aliquem detruncaret, vel audacter adderet. Circa Voces, annotarunt 1. Varias Codicum Lectiones, aliaque, quæ ſub nomine *Keri* & *Ketib* comprehenduntur; cum vox ſcilicet aliter in Textu ſcribitur, aliter in Margine legenda notatur: Unde Puncta, quæ voci marginali propria ſunt, voci textuali adſcribuntur. *Keri* & *Ketib* verſantur vel circa dictiones integras, vel circa literas. Quæ circa dictiones integras verſantur, oriuntur vel ex vocum omiſſione, additione, compoſitione, vel permutatione. Quædam igitur iſtiuſmodi Notarum Criticarum ſunt circa voces quæ leguntur & non ſcribuntur, vel quæ ſcribuntur & non leguntur. Secundo, quædam conjunctim ſcribuntur in Textu, ac ſi eſſent vox una, quas diviſim legendas eſſe monet *Keri* marginale. Quædam e contra diviſim ſcribuntur, ſed conjunctim leguntur. Tertio, quædam ſunt voces, pro quibus, quia obſcœnæ videbantur, alias ſubſtituerunt Rabbini in margine legendas, magis caſtas & honeſtas. Notæ Criticæ quæ circa literas verſantur, vel ſunt ex literarum omiſſione, vel tranſpoſitione, vel permutatione: Et verſantur vel circa literas radicales, vel ſerviles. De his legendi *Capellus* in Critica Sacra, *Buxtorfius* in Tiberiade, *Morinus* in Exercitationibus Biblicis, *Waltonus* Prolegomeno 8. in Biblia Polyglotta, & alii. Notarunt præterea Maſorethæ voces quaſdam plene vel defective ſcriptas. Plenæ dicuntur cum literæ *Vau* & *Jod* quieſcentes exprimuntur, ubi non ſemper exprimi ſolent; vel cum *He* paragogicum additur perſonæ ſecundæ præteriti, & ejus affixo: Defectivæ, cum voces ſcribuntur ſine literis *Jod*, *Vau*, *Aleph* quieſcentibus, vel *He* finali, licet communiter cum iis ſcribi ſoleant. Quædam etiam notarunt circa vocum ſitum, vel locum, reſpectu initii, medii, vel finis alicujus Verſus. Verborum inſuper quorumdam ſtructuram notarunt, cum verbum aliquod certo cum nomine, aut certa cum præpoſitione peculiariter jungitur, vel cum literis ſervilibus extra communem uſum. Numerarunt & voces quaſdam, quoties in Bibliis inveniuntur: Item voces quæ ſuperne uno vel pluribus punctis notantur: Quæ quidem puncta non ſunt vocalium notæ, ſed Myſteriorum quorumdam ſignificandorum gratia appoſita eſſe volunt, quæ Legis Oralis pars erant. Circa literas viginti duas Alphabeti notarunt Maſorethæ quædam ſpectantia quantitatem, ſitum, numerum: Scilicet, quæ majuſculæ quæ minuſculæ, quæ quaſi ſuſpenſæ ſupra reliquas in eadem linea, quæ inverſæ, quæ mediæ in quolibet Libro: Quot literæ in ſingulis Libris occurrant, quot ex quinque finalibus; quot in omnibus Libris Veteris Teſtamenti. De quibus omnibus *Elias Levita*, & *Buxtorfius* fuſe tractarunt, aliique ipſos ſecuti, & hiſce minutiis Rabbinicis delectati. Circa vocales, earumque punctationem, & accentuum notas operam etiam collocarunt Maſorethæ. Imprimis enim Textum Hebræum punctarunt ſecundum lectionem receptam, & ad ipſorum tempora conſervatam: Unde facilior lectio, & Textus corruptioni minus obnoxius redditur. Poſteriores Maſorethæ (neque enim Maſoreticæ Notæ omnes eorumdem hominum, aut ejuſdem temporis ſunt) adnotarunt plurima circa rectam lectionem Vocalium, & irregularem punctationem, ne quis eas mendoſas ſuſpicatus, mutare tentaret. Voces etiam plurimas hoc vel illo modo punctatas numerarunt. Rabbinicæ illius Criticæ partem faciunt ſpatiola quædam vacua, quibus Textum eſſe mutilum ſignificarunt Maſorethæ, adeoque verba aliqua ſupplenda, ut ſenſus perfectus ſit. Ad Maſoram quoque pertinet *Tikkun Sopherim*, id eſt, *Correctio Scribarum*. Octodecim hujuſmodi Correctiones vulgo recenſentur, quæ revera variæ ſunt lectiones a Judæorum Magiſtris obſervatæ. His adde *Itur Sopherim*, id eſt, *Refectionem Scribarum*, qui literam *Vau* ex quinque vocibus reſecandam obſervant. Maſoram *Sepem Legis* Hebræorum Magiſtri nuncuparunt, ut teſtatur *Elias Levitas* Præfatione 3. Maſoræ Auctorem quidam ex Hebræis *Moyſen* faciunt, quod prorſus ineptum eſt, cum Maſora Notas Criticas in Libros omnes Veteris Teſtamenti complectatur, quorum pars maxima poſterior eſt *Moyſe*. Alii Maſoram *Eſdra* & Synagogæ Magnæ tribuunt. Alii Tiberienſibus Magiſtris.

PROPOSITIO I.

Puncta vocalia & Accentus nec Moyſem, nec Eſdram Auctorem agnoſcunt, ſed Maſorethas Tiberienſes.

PRobatur prima pars: Samaritanis Characteres iidem fuere cum antiquis Hebræis, ante Captivitatem, teſte *S. Hieronymo* in Prologo Galeato: *Samaritani*, inquit, *Pentateuchum Moyſe totidem literis ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certumque eſt Eſdram Scribam, Legiſque Doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias literas reperiiſſe, quibus nunc utimur: Cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum Characteres fuerint*. Quod confirmat Commentariis in Caput 9. *Ezechielis*, & in Cap. 3. Epiſtolæ ad *Galatas*. Idemque ante *S. Hieronymum* affirmaverat *Euſebius Cæſarienſis* in Chronico ad annum Mundi quater milleſimum ſeptingenteſimum quadrageſimum. Atqui Samaritani Puncta vocalia nulla habent; nec in Libris ipſorum Manuſcriptis, aut antiquis eorum Siclis a Regibus Iſraelis percuſſis ulla exſtant Punctorum vocalium veſtigia. Trium enim literarum ope; quas *Matres Lectionis* vocant, quæque antiquitus pro vocalibus habitæ ſunt, Libros ſuos Sacros legerunt hodieque legunt. Igitur nec Sacro Textui Puncta olim affixerant in ſacris Hebræorum Libris. Adeoque illorum origo non eſt ad Moyſem referenda.

Confirmatur, unaque probatur altera pars ex more & uſu Judæorum ab omni retro antiquitate in eorum Synagogis obſervato publice prælegendi Scripturam Sacram ex Voluminibus, quæ ſine Punctis, Accentibus, & Verſuum diſtinctionibus exarata ſunt. Hæc autem Volumina ipſum Moſis Autographum referre volunt, quod Punctis & Accentibus deſtitutum erat, necnon Verſuum diſtinctionibus. Quod Rabbinorum teſtimoniis probat *Buxtorfius* Libro *De Punctorum Antiquitate*. At ſi *Moyſes*, vel *Eſdras*, & Viri Synagogæ Magnæ, quos inter erant noviſſimi Prophetarum, Puncta Sacro Textui affixiſſent, Judæi, Punctationem maxima religione retinuiſſent, in illis ſaltem Voluminibus, quæ in Synagogis palam ac ſolemniter præleguntur, nec profana ducerent Volumina Punctis inſignita.

Probatur ſecundo ex antiquis Scriptoribus Talmudicis & Cabaliſticis. In toto enim Talmude, tam in *Miſchna*, quam in *Gemara*, nulla Punctorum vel Accentuum mentio occurrit, data ſæpius occaſione, cum nempe controverſia erat de vocabuli alicujus lectione, quod Punctis deſtitutum varie legi poterat. Sed quoties lectorem variæ lectionis admonent, ajunt: *Ne legas ſic*, *ſed ſic*, nihil omnino de Punctis locuti: Quod argumento eſt Puncta nondum inventa fuiſſe. Legitur etiam in Tractatu Talmudico *Bava Bathra*, Cap. 2. *Joab* interfeciſſe Præceptorem ſuum, quod docuiſſet illum legere *Deuteronom.* 20. 12. *Zacher*, *Maſcalum*, pro *Zecher*, *Mamoream*, ubi habetur, *Delebis marem Amalech*, At ſi puncta Hebraico Textui affixa fuiſſent, nulla *Joabo* aut ejus Præceptori errandi cauſa fuiſſet: Siquidem noviſſent *Zecher* cum duplici Segul *Memoriam*, *Zacher* cum duplici Camets marem ſignificare, Simile quid de *Sancto* refert *S. Hieronymus* in cap. 26. *Iſaiæ*, obſervatque, ipſum vocis ambiguitate deceptum, quando adverſus Amalecithas pugnavit, omne maſculinum eorum interfeciſſe, cum Deus præcepiſſet, ut omnis memoria Amalec deleretur, & pro memoria maſculos interpretatum eſſe, non tam errore, quam prædæ ſeductum cupidine. Cabaliſtæ etiam veteres, qui per literarum permutationem, Gematriam, & Notaricon myſticas Scripturæ expoſitiones, ſive (ut verius dicam) ineptas plerumque expoſitiones crediderunt, ante Talmudis Editionem, illas ex ſolis Alphabeti literis ſive conſonis, non ex Punctis vocalibus derivarunt: Quod argumento eſt Puncta ipſis ignota fuiſſe; aut certe a *Moyſe*, aut *Eſdra* inventa non exiſtimaſſe.

Probatur tertio ex *Keri* & *Ketib*, quæ marginibus Bibliorum Hebraicorum ſunt adſcripta. Hæc enim circa literas dumtaxat ſive conſonantes verſantur, nullatenus circa Puncta vocalia vel Accentus: Cum tamen in his & proclivior ſit ſcribarum error, & major lectionum varietas oriri poſſit.

Probatur quarto ex antiquis Verſionibus, Græca τῶν Septuaginta, Chaldaica Paraphraſi, Syriaca, &c. ex quarum diſſenſione perſpicuum eſt, illarum Auctores ob quarumdam vocum ambiguitatem aliter interpretatos eſſe, quam hodie in punctatis Codicibus legimus. At ſi a *Moyſe*, vel *Eſdra*, & Synagogæ Magnæ Viris puncta ſacro Textui adſcripta fuiſſent, nulla fuiſſet vocum ambiguitas, nec aliter priſci illi Interpretes legiſſent, quam nos hodieque legimus. Puncta itaque nec *Moyſem*, nec *Eſdram* Auctores habent.

Probatur quinto ex ſummo veterum Eccleſiæ Patrum, præſertimque *Origenis* & *S. Hieronymi* Hebraicæ Linguæ peritiſſimorum de vocalibus Punctis & Accentibus ſilentio. *S. Hieronymo* ignota prorſus fuiſſe, ex multis Operum ejus locis colligitur, ſcilicet Commentario in Cap. 9. Jeremiæ. *Verbum Hebraicum*, inquit, *quod tribus literis ſcribitur DBR* (*Vocales enim in medio non habent*, *ſed pro conſequentia & legentis arbitrio legunt*) *ſi legatur Dabar*, *ſermonem ſignificat*, *ſi Deber*, *mortem*; *ſi Daber*, *loquere*. *Unde Septuaginta & Theodotion junxerunt illud præterito Capitulo*, *ut dicerent*, *Diſperdens parvulos de foris*, *juvenes de plateis*, *mortem*; *Aquila vero & Symmachus tranſtulerunt* λάλησον, *loquere*: *ut imperet Deus Propheta loqui quæ ſequuntur*: *Hæc dicit Dominus*, *&c.* Quod in Cap 9. *Iſaiæ*, Verſ. 8. & in 3. *Habacuc* Verſ. 5. repetit. Poſitis autem Punctis omnis prorſus ambiguitas tollitur. Nam, *Dabar* cum duplici *Camets*, ſignificat *verbum*, ſi vero cum duplici Segol ſcribatur, *Deber*, ſignificat *mortem* vel *peſtem*; ſi cum *Patach* & *Tſere* ſcribatur *Daber*, ſignificat *loquere*. Et in Caput 9. *Iſaiæ*. in Jeremiæ 3. Traditionibus Hebraicis in Geneſim ad Cap. 38. & Epiſtola 125. ad *Damaſum* Quæſtione 2. ait, Omnem Judæam conclamare, & Synagogarum conſonare univerſa ſubſellia, *Quod idem ſermo*, *& iiſdem literis ſcriptus*, *diverſas apud eos & voces & intelligentias habebat*. Verbi gratia, eamdem vocem recipiam quatuor iiſdem literis *Res*, *Ain*, *Jod*, *Mem*, *Paſtores* & *Amatores* ſignificare; Sed legi *Roim* cum Paſtores, *Reim* cum Amatores ſignificat. At poſitis Punctis, nullus eſt ambiguitati locus, idemque verbum non dumtaxat modo legi poteſt. Itaque ante *S. Hieronymum*, & ejus ætate, nulla erant in Hebræo Puncta vocalia.

Confirmatur ex ejuſdem Sancti Doctoris Epiſtola 126. ad *Evagrium* ſcribente: *Nec refert utrum Salem an Salim nominetur*, *cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebræi*; *& pro voluntate lectorum*, *atque varietate regionum*, *eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur*. Cum igitur Hebraica vocabula Punctis vocalibus ad certam & definitam ſignificationem contrahantur, eiſque poſitis lectio & pronuntiatio ex lectoris arbitrio non pendeat; evidens eſt Puncta vocalia *S. Hieronymi* ætate Hebræis incognita penitus fuiſſe.

Probatur ſexto ex aliarum Linguarum Orientalium comparatione, quibus maxima cum Hebraica affinitas eſt, quæ tamen Puncta & Accentus olim non habuerunt, ſed recens accepere; aut etiamnum Punctis & Accentibus carent; Quales ſunt Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Arabica. Samaritani nulla Puncta vocalia ad hanc diem habent. Chaldaicas Paraphraſes antiquiſſimas Punctis caruiſſe, ex literis ſuperfluis poſt punctationem relictis colligit *Ludovicus de Dieu* Lib. 1. Comparationis trium Linguarum, Cap. 8. Idemque ante ipſum oſtendit *Buxtorfius* Grammaticæ Syriacæ & Chaldaicæ Libro 2. Cap. 1, Syrios Puncta initio non habuiſſe, poſtea ad facilitatem lectionis, vel ad ambiguitatem tollendam, punctum unicum adhibuiſſe, quod pro vario ſitu infra vel ſupra literam vocales diſtinguebat; figuras vero quibus nunc utuntur, ipſos a Græcis mutuatos fuiſſe, teſtis eſt *Andreas Maſius*. Arabes olim Puncta vocalia non habuiſſe, nullos etiamnum Accentus habere: Poſt conſcriptum Alcoranum, a Muhammedanis, qui Linguam hanc excoluerunt, Puncta vocalia invecta fuiſſe, teſtantur Viri hujus Linguæ peritiſſimi, & inter alios *Golius*, & *Erpenius*. Cum itaque in hujuſmodi Linguis Hebraicæ cognatis Puncta recens uſurpata ſint, nec fuerint literis coæva; idem de Hebræa ſentire par eſt.

Probatur tertia pars Propoſitionis, Punctorum ſcilicet inventionem & uſum ad Maſorethas Tiberienſes eſſe referendum, teſtimonio Rabbinorum, quibus hac in re fides non videtur deroganda, ſcilicet *Aben-Ezra*, Libro Elegantiarum dicentis: *Sapientes Tiberiadis pro norma & canone lectionis habendi ſunt*, *quia ab iis ſunt Maſorethæ*, *a quibus noſtram Punctationem accepimus*. Idem aſſerunt *R. D. Kimchi*, & *R. Jehuda Levita*, & *Elias Levita* in Libro *De Maſora*. Idem cenſet *Mercerus* in Geneſis Caput 26. *Lindanus* Epiſcopus Ruremondenſis Libro 2. De optimo genere Scripturas interpretandi; *Genebrardus* in Epiſtola ad Lectorem præfixa Commentariis ejus in Pſalmos, *Joannes Quinquarboreus* initio Grammaticæ, *Joannes Morinus* Libro 2. *Exercitatione* 12. *De Hebræi Græcique Textus Sinceritate*, & ſequentibus, ubi fuſe probat, Puncta vocalia poſt Talmudis obſignationem & Editionem inventa, & Sacro Textui affixa fuiſſe a Tiberienſibus Maſorethis poſterioribus, poſt annum Chriſti quadrageſimum & octingenteſimum; & ante poſtremam Librorum Sacrorum Judæis Babyloniis & Occidentalibus recenſionem, quæ ſub nominibus *R. Aſer* Occidentalis, & *R. Ben Nephtali* Babylonii vulgo prædicatur, nullum Punctorum veſtigium in Hebræorum Codicibus occurrere, Iſtam autem recenſionem circa annum Chriſti quadrageſimum & octingenteſimum factam. Punctationem

Ma-

Digitized by Google

Maſorethis Tiberienſibus pariter tribuunt Proteſtantium Doctiſſimi, *Munſterus* Grammaticæ pag. 17. *Druſius* Libro De recta Pronuntiatione Linguæ Sanctæ, Cap. 4. *Ludovicus Capellus* Libro De Punctationis Arcano Revelato, *Walto nus* Prolegom. 3. in Biblia Polyglotta.

Obiiciunt primo adverſæ ſententiæ Patroni Chriſti Servatoris Oraculum Matth. 5. 18. *Amen dico vobis donec tranſeat Cœlum & Terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant.* Pro *apice* in Græco Textu habetur κεραία quæ vox Punctum ſignificat. Cum itaque id adagium, *Jota unum, aut unus apex*, ex ſcribendi ratione, quæ tum vigebat, originem duxiſſe videatur; ſequitur jam tum in Lingua Hebraica Puncta vocalia in uſu fuiſſe; adeoque vel Textui Legis eſſe coæva, & a *Moyſe* affixa, vel certe ab *Eſdra* Numinis afflatu addita.

Reſpondetur, Apicis nomine Punctum vocale eo loci non ſignificari, ſed literæ quantumvis minimæ particulam. Senſus itaque eſt, Cœlum & Terram potius interitura, quam ullus Legis apex collabatur, & vel literæ *Jod* quæ in Hebræorum Alphabeto minima eſt particula e Lege excidat, & quæ in ea prædicta ſunt non impleantur. Hanc Reſponſionem *Grotii* Annotatio confirmabit in illum *S. Matthæi* lo-
„ cum. κεραίας nomen (inquit) ad Puncta vocalia a
„ quibuſdam trahitur, ſed idem eſt quod *apex* La-
„ tine. *Apices literarum*, ipſos literarum ductus aut
„ partes dixit *Gellius* & hinc nata tranſlatio, *de*
„ *ſuis apicibus diſputare*. Etiam *Ariſtides* de Græ-
„ corum Legibus dixit νόμων κεραίαν, *Legis apicem*. In
„ Gloſſis veteribus, *Apex*, κεραία γράμματος ἄκρον. Sed
„ & apud *Plutarchum*, *Dionem Chryſoſtomum*, *Phi-*
„ *lonem Judæum*, *Clementem Alexandrinum*, & in
„ Pſeudo-Sibyllinis, erat vox κεραία eo ſenſu. Apice
„ literam *Reſch* a *Daleth* differre dixit *S. Hierony-*
„ *mus*. Addit *Grotius*: Libros veteres, etiam poſt
„ *Eſdram*, ſine Punctis vocalibus ſcribi ſolitos, a-
„ deo perſpicuis argumentis a Viris harum rerum
„ doctiſſimis demonſtratum eſt, ut id amplius inſi-
„ ciari non niſi pertinacium ſit.

Obiiciunt ſecundo: Lingua prorſus omnis conſonis & vocalis conſtat. Vocales enim ſunt quaſi dictionum animæ, ſine quibus vox articulata proferri non poteſt. Linguæ igitur Hebraicæ coæva fuerunt Puncta vocalia, ipſique *Moyſis* Exemplari indita.

Reſpondetur, Suas quidem vocales Hebræos ab ipſius Linguæ origine, ſicut & Gentes reliquas habuiſſe; *Aleph*, *Jod*, *Ain*, *Vau*, quæ hodie pro conſonis tantum habentur, olim pro vocabulis uſurpatas fuiſſe. Id ex *Joſepho* probari Libro 6. *De Bello Judaico*, ubi literas quibus Nomen Dei Tetragrammaton laminæ aureæ inſcriptum erat in ornatu Summi Pontificis, vocat *Elementa quatuor vocalia*. Id ex *Origene* confirmari, qui Textum Hebræum Græcis Characteribus in Hexaplis deſcripſit, nec tamen novas vocales ſibi finxit, ut abſentes vocales in Hebraicis dictionibus exprimeret. In Codice MS. Barberino, ex quo variantes Lectiones Prophetarum Minorum deſcripſit *Waltonus* Tomo ultimo Bibliorum Polyglottorum, extare ſpecimina quædam ex *Origenis* Hexaplis annotata, *Aleph* per α, *Jod* per ι, & interdum per ε, *Ain* per α & ε, *Vau* per ο & ου ſive υ ab *Origene* fuiſſe expreſſa, adeoque vim iſtarum vocalium apud Hebræos habuiſſe. Idem ex *S. Hieronymo* confirmari ſatent Epiſtola 145. docente pro *Hoſianna* dici *Hoſanna*, media vocali eliſa, quia ab *Aleph* excluditur *Jod*: Et Epiſtola 126. ad *Evagrium*, ubi referre negat, utrum dicamus *Salim* quod ſcribitur cum Jod: an *Salem*, quod ſcribitur ſine Jod: Et cauſam hanc addit, quod vocalibus in medio literis raro utantur Judæi, & pro voluntate lectorum atque varietate Regionum, eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur. At inde perperam colligunt, quod Hebræi Puncta vocalia *S. Hieronymi*, vel *Origenis*, multo minus *Eſdra* aut *Moyſis* temporibus haberint. Punctorum itaque vocalium notis & figuris non adſcriptis Textus Hebræus legebatur, quamvis ipſa pronuntiatione vocales exprimerentur.

Obiiciunt tertio, Non eſſe veriſimile quod Deus Scripturæ Sacræ ſenſum prorſus incertum & obſcurum reliquerit: ſublatis autem Punctis, quæ dictionem alias ambiguam determinant, ſenſum Scripturæ incertum eſſe & obſcurum: Quamobrem probabilius eſſe Puncta fuiſſe a *Moyſe*, vel certe ab *Eſdra* Sacro Textui affixa.

Reſpondetur. Ex Codicibus non punctatis certum ſenſum non minus elici, quam ex iis qui Punctis inſigniti ſunt. Dictiones quippe, quæ abſque Punctis vocalibus, & ſecundum ſeipſas ſpectatæ ambiguæ ſunt, & variis lectionibus obnoxiæ, certum & determinatum ſenſum in contextu habere, a quo in lectione diſcedere non licet. Hunc autem ſenſum ab antecedentibus & conſequentibus determinari: uſu autem & traditione innoteſcere. Eccleſiæ judicio declarari: collatione cum antiquiſſimis & optimæ notæ Codicibus, iis præſertim quibus veteres Eccleſiæ Patres uſi ſunt, & antiquis Verſionibus ab Eccleſia probatis plurimum illuſtrari.

Obiiciunt quarto, Samaritanos Codices olim Puncta vocalia habuiſſe, adeoque & Hebræos: cum eorum Libri Sacri ante *Eſdra* tempora Samaritanis literis ſcripti eſſent.

Antecedens probant ex *S. Hieronymi* Procemio in Libros Regum, ſeu Prologo Galeato, dicentis: *Samaritani etiam Pentateuchum Moyſi totidem literis ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes.*

Reſpondetur, Apicem eo loci apud *S. Hieronymum* vocale Punctum non ſignificare, ſed literarum ductum, & minutulas differentias. Vult igitur S. Doctor eamdem eſſe Hebræarum & Samaritanarum literarum poteſtatem, paremque numerum, ſed figuras earum eſſe diverſas, & quæ figuris penitus non differunt, minutis tamen quibuſdam formulis & literarum ductibus diſtingui. Nihil aliud *S. Hieronymum* apicis nomine intellexiſſe, colligitur ex ejus Commentario in *Abdiam* Prophetam. *Judæi*, inquit, *fruſtra ſomniant, contra Urbem, Romam, Regnumque Romanum hanc fieri Prophetiam: Et illud quod in Eſaia ſcriptum eſt*: Onus Duma, *paululum litera apice commutata, pro* Daleth *legi poſſe* Reſch, *& ſonare Romam: Vau quippe litera & pro*, u, *& pro*, o, *eorum Lingua accipitur*. Ibi certe apicis nomine Punctum vocale non ſignificari perſpicuum eſt. Ex eo etiam loco confirmatur ignota fuiſſe *S. Hieronymo* Puncta vocalia. Quidni enim obſervaſſet, ſi tunc in uſu fuiſſent apud Hebræos, duplex eſſe *Vau*, ſcilicet *Vau*, *Cholem* quod ſonat, o, & *Vau Schurek*, quod ſonat u? Hanc eſſe literarum quieſcentium naturam, ut ſileant vocali præcedente pronuntiata: *Vau* pronuntiari, u, ſi punctulus in medio ejus affigatur; pronuntiari o, ſi punctulus ipſi ſuperſcribatur? Putas hæc prætermiſſurum fuiſſe Patrem Hebraicæ Linguæ peritiſſimum, & maxime Criticum, ſi quis tunc fuiſſet Punctorum uſus? Denique veriſimile non eſt, Samaritanos olim Puncta vocalia habuiſſe, cum nulla nunc habeant, etſi lingua eorum jam prorſus extincta, magis illis utilia vel neceſſaria videri poſſint.

Obiiciunt quinto, Puncta vocalia *S. Hieronymo* non fuiſſe incognita: Siquidem in ipſius Operibus quædam loca deprehenduntur, in quibus notat aliter legi in Hebræo, quam interpretati ſint Septuaginta Seniores. Sed illa diverſitas eſt tantum ratione punctorum & diverſæ lectionis, non literarum, aut dictionum: Codicem igitur punctis vocalibus inſignitum *S. Hieronymus* habuit. Nam cum literæ & dictiones eædem fuerint in *S. Hieronymi* Codice, quæ in Codicibus Septuaginta Interpretum, diverſitas in Hebræo Texto eſſe non potuit, niſi ratione punctorum, quæ Codici *Hieronymiano* erant adſcripta. Exempli cauſa ait Libro Traditionum Hebraicarum in Geneſim, ad Capitis 47. Verſum ultimum, ubi ſcribitur: *Adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput*. *Septuaginta tranſtulerunt: Et adoravit Iſrael ſuper ſummitatem virgæ ejus: Cum* (inquit S. Hieronymus) *in Hebræo multo aliter legatur*. Similia loca annotant; *Geneſis* 17.15.38.12. Ad *Exodi*, Cap. 23. Verſ. 18. Epiſt. 125. ad Damaſum Quæſt. 2. Item ad *Pſalm.* 89. Verſ. 8. 12. & 15. Epiſt. 139. ad Cyprianum. Item Commentar. In *Iſaia* Cap. 2. Verſ. 22. & Cap. 5. Verſ. 9. Et in Cap. 3. *Habacuc* Verſ. 4. Sublatis

punctis, eædem erant in Codicibus *S. Hieronymi* & *LXX* Septuaginta, dictiones, & eodem modo ſcriptæ. Nulla itaque differentia inter utroſque eſſe potuit, niſi ratione punctorum.

Reſpondetur, Diverſitatem illam a *S. Hieronymo* inter Hebræum Textum & Verſionem Septuaginta Interpretum obſervatam, in puncta non eſſe refundendam, quæ nulla in Hebræo Textu fuerunt, neque illorum, neque ipſius *ſancti Hieronymi* ætate; ſed in earumdem ambiguitatem dictionum, ancipitemque ſignificationem, quæ appoſitis punctis ipſam determinantibus ſublata fuiſſet. Lectionem autem ſuam ac interpretationem hic in locis Hebræo Textui convenientiorem eſſe quam lectionem 70. Interpretum, eorumque Verſionem exiſtimavit *S. Hieronymus* ex ſerie contextus, comparatione cum locis parallelis, & ex antiquis Verſionibus *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis*, &c. Si punctatum Codicem *S. Hieronymus* habuiſſet, aut ipſius ætate puncta Hebraico Textui affixa fuiſſent, monuiſſet identidem varietatem illam in punctorum diverſitatem eſſe refundendam: Nec dixiſſet, *Traditionibus Hebraicis in Geneſim* ad Cap. 47. *Cauſam, cur Septuaginta Interpretes idem verbum aliter edideruut, neſcio: Hoc unum audacter dico, quod ipſum verbum Mitta, quod hic in lectulum tranſtulerunt, ſupra &c. virgam potius quam lectulum nominaverunt*. Cauſam certe *S. Hieronymus* ſciviſſet, ſi puncta in uſu fuiſſent; nimirum diverſam punctorum inſcriptionem Septuaginta Senioribus occaſionem dediſſe idem verbum aliter & aliter interpretandi. *Mitta* autem legit *S. Hieronymus*, quod *lectum* ſignificat. *Matte* Septuaginta, quod *virgam* vel *ſceptrum*. Primam ille cenſuit anteponendam lectionem, quod ſuo tempore ita paſſim ab omnibus legeretur, ſicque vertiſſent *Aquila & Symmachus*: Ille, *Adoravit Iſrael ad caput lecti*, Προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ [illegible] τῆς κλίνης: Iſte; *Super ſummitatem lecti* ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης. Unde & S. Hieronymus vertere non dubitavit, *Adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput*. Cum *S. Hieronymo* cenſet Chaldæus Paraphraſtes. Verſionem tamen 70. Interpretum rectam etiam eſſe certiſſimum eſt, cum hunc locum juxta eam laudet Apoſtolus *Hebr.* 11. 21. ubi ait. *Fide Jacob, moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit: & adoravit faſtigium virgæ ejus*. Senſum igitur utrumque Spiritus Sancti eſſe minime dubium eſt: Imo hæc forte ratio eſt (inquit *Bonfrerius*) cur Deus Scripturam Sacram olim ea lingua & literis ſcribi voluerit, quibus in ſcriptione deeſſent puncta, ut ſenſuum diverſitas ex diverſorum punctorum appoſitione naſci poſſet, qui ſimul a Spiritu Sancto intenderentur.

In iiſdem Traditionibus Hebraicis ad Geneſis 17. 15. ubi Septuaginta tranſtulerunt, *Non vocabitur uxor tua*: Notat *S. Hieronymus*, In Hebræo haberi: *Non vocabitur nomen ejus Sarai* &c. Quæ tamen ejus Annotatio punctorum antiquitatem non probat. Imo ſi tunc puncta inventa fuiſſent & Codicibus Hebræis adſcripta, diverſas eſſe dictiones, utpote variis punctis notatas, monuiſſet, eam quæ ſignificat, *Vocabitur*, & quæ *Vocabis*. Sublatis quidem punctis, utroque modo legi poterat; ſed cum *Aquila*, cæterique Interpretes vertiſſent, *Vocabis*, in illorum interpretatione *S. Hieronymus* acquievit, & in Hebræo haberi ſimpliciter dixit, quod illi reddiderant, ad grammaticales minutias non attendens, neque cogitans eandem vocem varie legi & pronuntiari poſſe.

In eodem Libro ad Capitis 38. Verſ. 12. notat S. Hieronymus: *Pro Paſtore, Amicus legitur*. Sed ex hac Annotatione, nihil pro Punctorum vocalium antiquitate extundi poteſt. Non enim, in Hebræo Textu ita legi Sanctus Doctor ait, neque ita lectum verisimile eſt, cum ipſe *Amicum* non verterit, ſed *Paſtorem*; imo vocem eſſe ambiguam, quæ utrumque ſignificet, ibidem notat: *Sed verbum ambiguum eſt*, inquit, *quia iiſdem literis utrumque nomen ſcribitur: Verum amicus Re, Paſtor Ro legitur*. Legit itaque *S. Hieronymus* cum Septuaginta Interpretibus, *Robehu*, ideſt, *Paſtor ejus*, cum legiſſent alii, *Rebehu*, ideſt, *Amicus ejus*. At adſcriptis punctis vox ambigua non fuiſſet.

Epiſtola 125. ad Damaſum, Quæſtione 2. *S. Hieronymus* expendens quare *Exodi* 13. 18. Septuaginta vertarint: *Quinta autem generatione aſcenderunt filii Iſrael de Terra Ægypti*. Aquila vero tranſtulerit: *Et armati aſcenderunt filii Iſrael de terra Ægypti*, ait: *Volumen Hebræum, replico, & ipſos characteres ſollicitius attendens, ſcriptum reperio*, Vahamiſim Ali bene Iſrael Meerez Mizraim. *In reliqua parte interpretationes non diſcordant: Omnis pugna de verbo eſt* Hamiſim, *quod hic literis ſcribitur*. Het, Mem, Sin, Jod, Mem; *utrumnam quinque an munitos ſonet. Et quidem quinque hoc ſermone dici negare non poſſumus: Verum quinque plurali numero non quinta, ut illi interpretati ſunt, ſingulari* ... *Aquilam vero ut in cæteris & in hoc maxime loco propriè tranſtuliſſe, omnis Judæa conclamat, & Synagogarum conſonant univerſa ſubſellia, quod videlicet idem ſermo, & eiſdem literis ſcriptus, diverſas apud eos & voces & intelligentias habeat*. Tantum abeſt ut hæc Annotatio faveat antiquitati punctorum, ut potius demonſtret nulla tunc puncta fuiſſe cum literas ipſas enumerans quibus conſtat Hebræa vox *Hamiſim*, non meminerit punctorum, quibus ad *quinque* vel ad *armatos* ſignificandum determinata fuiſſet: Sed illud ſtatuat principium omnium tunc Hebræorum peritorum conſenſu receptum (quo poſito nulla tunc puncta Hebraico Textui affixa fuiſſe neceſſe eſt) Idem vocabulum, & eiſdem literis ſcriptum, diverſis apud eos lectionibus & ſenſibus obnoxium eſſe.

Epiſtola 139. ad *Cyprianum Presbyterum*, miratur *S. Hieronymus* cur *Pſalmo* 89. 8. ubi juxta Hebraicum ipſe vertit cum Symmacho, *negligentias noſtras*, Aquila, *errores*, ſive *ignorantias*; Quinta Editio, *adoleſcentiam*; Septuaginta tranſtulerint, *ſæculum noſtrum*, cum in Hebræo ſcriptum ſit, *Alumenu*. Verum admiratio ſancti Doctoris affixa tunc fuiſſe Hebræo Textui puncta vocalia non ſupponit; ſed dictionem illam ſcriptam fuiſſe cum *Vau* poſt *Lamed*, quo modo ſemper ſcribi ſolet, cum *adoleſcentiam* ſignificat; nec attendi ſcriptam cum *Vau* ante *Lamed*, *Olamenu*, ſignificare *ſæculum* abſque punctorum ſubſidio, quo modo Septuaginta Seniores legerant. Unde cum in Codice ſuo *S. Hieronymus* legerit, *Alumenu*, mirabatur 70. Interpretes vertiſſe, *ſæculum noſtrum*.

Ibidem circa Verſum 12. ejuſdem Pſalmi *S. Hieronymus* notat, Septuaginta Interpretes vertiſſe, *Dexteram tuam ſic notam fac*. ubi *Aquila*, *Symmachus*, & Quinta Editio, ipſeque illam Veterum Interpretum triadem ſecutus, verterunt, *Dies noſtros ſic oſtende*. Varietatis iſtius cauſam inquirit, quam a ſolis repetit literis, non a punctis. *Error*, inquit, *perſpicuus eſt, cur pro diebus, Septuaginta dexteram dixerint. Jamenu quippe verbum compoſitum eſt, ſignificans dies noſtros: Quod in ſingulari numero ſi ſcribatur, extrema litera, quæ appellatur Nun, ſupponit dexteram, ſicut eſt illud in nomine Benjamin, qui interpretatur filius dexteræ: Sin autem Mem habeat, dies vel dies ſonat*. Hic itaque *S. Hieronymi* locus punctorum antiquitati non ſuffragatur.

Commentario in Iſaiæ, Cap. 15. 12. annotat S. Hieronymus: *Verbum Hebraicum Bamah*, vel ὑψώματα *dicitur, id eſt excelſum, quod & in Regnorum Libris, & in Ezechiele legimus: Vel certe, In quo, & eiſdem literis ſcribitur Bamah: At pro locorum qualitate, ſi voluerimus legere, In quo, dicimus Bameh: Sin autem excelſum vel excelſus, legimus Bemah. Intelligentes ergo Judæi Prophetiam eſſe de Chriſto, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati ſunt*. Diverſitatem Interpretationis Judæorum & *S. Hieronymi* hoc in loco in varietatem punctorum non eſſe refundendam; imo puncta & illis & ipſi pariter ignota fuiſſe probat hæc Annotatio. Eadem enim vox adſcriptis punctis non ſignificat, *in quo*, & *excelſum*, nec pro locorum qualitate, & legentis arbitrio unum & alterum ſignificare poteſt, cum puncta vim & poteſtatem illius coerceant. Nulla itaque remanſiſſet ambiguitas, ſi Codices Hebræi punctati fuiſſent, faciliimumque fuiſſet *S. Hieronymo* Aquilam, cæteroſque Judæos malæ fidei convincere ex inſcriptione punctorum.

Item in Cap. *Iſaiæ* 5. 9. ait *S. Hieronymus* ſe juxta Hebræum convenientius vertiſſe: *In auribus meis ſunt hæc Domini Exercituum*: Cum Septuaginta tranſtule-

ſtulerint, *Audita ſunt hæc in auribus Domini Exercituum*; Verum majorem ſuæ Verſionis convenientiam ex punctis non reperit, ſed ex natura rei, & ipſius Textus conſequentia: *Cum*, inquit, *conſequentius ſit intelligere audiſſe Prophetam, quæ Dominus ſit locutus*. Hæc itaque S. *Hieronymi* Annotatio cauſam eorum non juvat, qui pro punctorum vocalium apud Hebræos antiquitate pugnant.

Idem in Cap. 3. *Habacuc* Verſ. 4. *Quia vero*, inquit, *& in Hebræo & in cæteris Editionibus non habet ſcriptum, Cornua in manibus ejus, ſed, in manu ejus, quod dicitur, Jado, manum Dei fortem atque robuſtam intelligamus Filium ejus*. Sed hæc Annotatio puncta vocalia in uſu fuiſſe tempore S. *Hieronymi* non probat, cum *Jedo* ſine punctorum ſubſidio ſemper fuerit ſingularis numeri; adeoque ſemper ſignificaverit manum ejus, ſicut & *Jadad* plurale, *manus ejus*.

Obiiciunt ſexto, Librum *Zohar*, Cabaliſticorum omnium Librorum antiquiſſimum, cujus Auctor R. *Simeon Jochai*, circa annum Chriſti vigeſimum ſupra centeſimum mortuus, imo (ut quidam volunt) Chriſto antiquior, aſſerere *Puncta & vocales Traditionem eſſe Moſis de Monte Sinai*. Hinc autem certo colligitur, Puncta Maſorethis Tiberienſibus eſſe antiquiora.

Reſpondetur cum *Joanne Morino* viro doctiſſimo Libro II. *Exercit.* 9. *De Hebræi Græcique Textus ſinceritate*, Cap. 5. & 6. Librum *Zohar* eſſe longe recentiorem, & R. *Simeoni* ſuppoſitum. Ea de re convenire *Zacutbum*, *Ghedaliam*, & alios Rabbinos, & ingenue fateri nuſquam apud ſuos ante annum Chriſti milleſimum ducenteſimum nonageſimum iſtius Libri factam eſſe mentionem, licet plures longe ante hoc tempus de hac Kabbalæ ſpecie ſcripſerint, in qua Liber ille verſatur. Figmentum eſſe quod tamdiu in Ægypto latuerit. Nam R. *Saadias*, totius Ægypti Rabbinus celeberrimus, ex Ægypto Babylonem ad Scholas Judæorum regendas evocatus ante annos circiter ſeptingentos; & R. *Moſes Ben Nachman*, qui Oriente peragrato, in Palæſtina diu vixit, obiitque in Europam reverſus anno Chriſti 1260. cum de eodem Cabbalæ genere ſcripſerint, Libri *Zohar* ne quidem meminerunt. Altum etiam de eodem Libro ſilentium eſt apud *Benjaminum*, qui toto orbe peragrato, in Itinerarium ſuum retulit quæcumque rara apud Judæos viderat: Apud *Moſem Cordubenſem*, qui totam fere vitam in Ægypto egit, magnaque ſcripſit Volumina, in quibus aliquando Simeonis *Ben Jochai* honorifice meminit, ut *Commentario in Miſnam*: Apud R. *Abraham Levitam*, qui ante annos quingentos Judæorum Hiſtoriam ſcripſit, magnaque cum diligentia Rabbinorum antiquorum Libros celebravit, & ipſius R. *Simeonis*, quem Libri *Zohar* Auctorem eſſe commenti ſunt, cum laude meminit. Nemo denique Judæus ante trecentos annos de hoc Libro aliquid audiverat. Maſorethis eſſe recentiorem ſe prodit Libri illius Auctor, cum literarum magnarum & parvarum mentionem facit; cum Alphabetum literarum majuſcularum & minuſcularum colligit, & ad myſteria magna Legis commenta ſua revocat: Nam Talmudiſtæ literarum iſtarum non meminerunt, nec ipſe Tractatus *Sopherim* ſive *Scribarum*, qui totus eſt in explicanda ratione deſcribendi Libros Sacros. Præterea, Libri *Zohar* novitas probant variæ voces barbaræ ex *Thargum Jonathanis*, & Hieroſolymitano, ex *Raboth*, aliiſque *Midraſchim* derivatæ, plures etiam locutiones, phraſes, & fabulæ Talmudicæ. Argumentum denique recentioris ætatis eſt illa ſapientiæ, doctrinæ, & eruditionis, quam ſæpe Iſmaelitis ſive Arabibus tribuit, apud quos tamen ſcientiæ non floruerunt niſi ducentis poſt *Mahumetem* annis. Tantum igitur abeſt ut ex Libro *Zohar* vocalium punctorum antiquitas apud Hebræos probetur, ut potius ex punctorum vocalium mentione Libri illius novitas demonſtretur; quam agnoſcunt etiam *Buxtorfius* in Bibliotheca Rabbinica, *Joſephus Scaliger* Epiſtola 243. ad *Buxtorfium*, *Arnoldus Bootius*, & alii Hebraica literatura inſignes Scriptores.

Obiiciunt ſeptimo, Diſtinctæ lectionis, accentuum, & verſiculorum in Talmude fieri mentionem, Tractatu *Meghilla* Cap. 1. Tractato *Nedarim* Capit. 4. in *Miſchna* & *Gemara*: Adeoque Puncta Maſorethis Tiberienſibus eſſe antiquiora.

Reſpondetur, Pronuntiationis quidem accentuum, & diſtinctæ lectionis per verſiculos & commata mentionem fieri in Talmude: nec mirum; nemo enim cum intelligentia legens, periodos & periodorum commata legendo non diſtinguit, vocemque in accentus linguæ proprios non inflectit: Sed inſcriptionis accentuum & punctorum vocalium in Libris Hebraicis nulla mentio in Talmudicis Tractibus. Sane Liber Legis in Judæorum Synagogis legi ſolitus, Librique Rabbinici, etſi nullas habeant punctorum vocalium, accentuum, periodorum & commatum notas, cum periodorum tamen diſtinctione, cum vocalium, punctorum & accentuum pronuntiatione leguntur ab iis qui linguæ periti ſunt. Sic qui antiquiſſimos Libros Græcos atque etiam Latinos legunt, & pauſant ubi pauſandum eſt, & dictiones a ſe invicem ſecernunt, & cum legitimo accentu efferunt, licet in iis Libris nulli ſint accentus, nulla commata, nulla ſæpe dictionum diſtinctio, ſed lineæ omnes ſcriptæ ſint velut una dictio, & interdum ultima lineæ litera ſit vel dictionis ſubſequentis initium, vel medium. Præterea, in Talmude laudantur *Eſdras*, & alii Scribæ, quod legendo Textum Sacrum bene pronuntiaverint, pauſaverint, & accentus obſervaverint. Quæ laus plane puerilis eſt, ſi in eorum Libris punctorum vocalium & accentuum figuræ notatæ erant, commatumque inciſio & diſtinctio expreſſa. Pari enim jure & mulieres & pueri Judæorum laudari poſſent, quod in Libris Precum, quibus puncta ſunt adſcripta, & accentus notati, diſtincte & expedite legant, pauſas obſervent, ſecundum accentus pronuntiationem inflectant. Denique Talmudica duo Principia ſive Axiomata, 1. *Eſt mater Maſora*, 2. *Eſt mater Lectionis*, puncta vocalia poſt editionem & obſignationem Talmudis inventa fuiſſe probant. Maſora & lectio duo ſunt principia & loci, ex quibus Talmudiſtæ argumenta depromunt. Per Maſoram Textum Biblicum intelliguot, ut a *Moſe* ſine punctis traditus eſt, qui natura ſua plurium lectionum ſæpiſſime capax eſt. Ita hoc principium explicat Gloſſa Talmudica R. *Salomonis* in Tractatu *Sura*, fol. 6. *Eſt mater Maſoræ, quomodo videlicet ſcripſit Moſes, & tradidit Iſraeli in Libro Legis. Hoc, mater eſt & fundamentum, non autem quomodo illud legitur*. Mater igitur Maſoræ eſt Textus Sacer nudis literis conſtans, ut a *Moſe* Iſraelitis traditus eſt. Mater Lectionis, eſt uſitata lectio, & dictionum pronuntiatio vulgaris, qua dictiones ex pluribus ſignificationibus, quas Textus ferre poteſt, ad unam contrahuntur. Hinc Talmudiſtæ Principium illud *Eſt mater Maſora*, adhibent tantum, cum argumenta ex vi Textus depromunt: Illud vero, *Eſt mater Lectionis*, cum argumentantur ex pronuntiationis uſu. At ſi puncta vocalia Talmudiſtis nota fuiſſent, eaque ſive a *Moſe*, ſive ab *Eſdra* Sacro Textui inſcripta exiſtimaſſent, nullus eſſet iſtis Principiis & Axiomatis locus. Maſora enim cum lectione coincideret, nec amplius liceret Textum ut ſcriptum Textui ut lecto opponere. Siquidem Lectio a ſcriptione non differret apud Hebræos, uti nec apud Græcos, Latinos, cæteroſque Occidentales, apud quos Textus non aliter legitur, quam ſcribitur. Ita diſſerit *Morinus*, plura ex Rabbinicis ſcriniis proferens Libro 2. *Exercit.* 15. *De Hebræi Græcique Textus Sinceritate*, Cap. 5.

Obiiciunt octavo, Punctorum & accentuum mentionem fieri in Maſora, multaque notari vocabula, quæ contra regulas punctantur: Maſorethæ itaque non fuerunt Auctores Punctationis.

Reſpondetur, Maſoram nec unius Auctoris, nec unius ſæculi Opus eſſe, ſed a variis Criticis cœptam, & longa temporum ſerie continuatam. Priores itaque Puncta vocalia invenerunt, & Sacro Textui inſcripſerunt: Poſteriores, notas ſuas circa punctationem vocum quarumdam irregularium addiderunt.

Obiiciunt nono, De punctorum vocalium inventione altum eſſe in Judæorum Hiſtoria ſilentium: nullam præterea Scholæ Tiberienſis, ex qua Punctatores Maſorethæ prodiiſſe dicuntur, poſt annum Chriſti quadrageſimum & trecenteſimum occurrere memoriam, cum tamen Schola Babylonica per mille

annos

Digitized by Google

annos poſt Hieroſolymitanum Excidium floruerit.

Reſpondetur, Judæos ob exilia & frequentes diſperſiones, in ſuæ Gentis Hiſtoria plane hoſpites & peregrinos eſſe: & poſt Hieroſolymorum Excidium vix ullum Hiſtoricum fide dignum habuiſſe; ſed omnem apud illos Hiſtoriam craſſis erroribus & fabulis eſſe inquinatam. Quæ de Schola Babylonica & Rabbinorum illius Scholæ Rectorum per mille annos ſucceſſionibus referuntur, falſitatis admodum ſuſpectæ eſſe, cum hæc a recentioribus Auctoribus literis prodita ſint, qui nullos ex antiquis fidejuſſores habeant, nulla Gentis ſuæ, quibus fidem narrationibus ſuis concilient, Monumenta. Scholam celebrem Tiberiade fuiſſe ex Chriſtianis Auctoribus colligitur, ex *S. Epiphanio* Hæreſi 30. & ex *S. Hieronymo*, qui ſe Linguæ Hebraicæ Præceptorem habuiſſe Rabbinum Tiberienſem ſuos inter celebrem teſtatur: Nemo etiam diffitetur, *R. Ben Aſcher*, qui Biblia Hebraica, eorumque Punctationem poſt annum Chriſti milleſimum recenſuit, in Palæſtina vixiſſe. Tandem etſi Punctorum vocalium inventores ignoti eſſent, non minus certum eſſet ipſorum originem ad *Moyſem*, vel *Eſdram*, & Synagogæ Magnæ viros, non eſſe referendam.

Objiciunt decimo, Muſicam antiquitus in Templo uſurpatam, ſine Punctis vocalibus & accentibus cani minime potuiſſe.

Reſpondetur, Hebræos ſicut veram lectionem & rectam pronuntiationem ſine Punctorum & accentuum inſcriptione habuerunt, ita & muſicam modulationem ſine punctorum & accentuum notis habuiſſe. Præterea, cum incertum ſit quænam fuerit antiquis illis temporibus Muſicæ praxis, incertum etiam eſt an aliquibus notis, & quibus, Pſalmos & Cantica affecerint Hebræi, ut modulate canerentur.

PROPOSITIO II.

Auctores Maſoræ non fuerunt Eſdras, & Viri Synagogæ Magnæ, ſed Critici Tiberienſes.

PRobatur primo: Magna pars Maſoræ circa voces punctatas verſatur, & Punctatione ut fundamento nititur, Atqui puncta vocalia *Eſdra* & Synagogæ Magnæ temporibus longe recentiora eſſe, & poſt editum obſignatumque Talmudem inventa fuiſſe a Maſorethis Tiberienſibus ſuperius probatum eſt: *Eſdras* igitur cum Synagoga Magna non fuit Auctor Maſoræ

Probatur ſecundo, Pleraque ſunt in Maſora viris Spiritu Sancto afflatis prorſus indigna, inutilia, ſuperſtitioſa, ut numeratio vocum & literarum in ſingulis Sacræ Scripturæ Libris exactatarum; literæ mediæ Legis vel aliorum Librorum, literarum etiam finalium notatio; item majuſcularum, minuſcularum, inverſarum, ſuſpenſarum, *Mem* clauſæ & apertæ, *Nun* finalis & mediæ. Unde *Aben-Ezra* Maſoræ Auctores comparat numeranti folia & paginas Librorum Medicinum, quorum opera non ſanarat ullum vulnus. Et Auctor Libri *Coſri* Maſoretharum Opus vocat Occupationem diligentem in re inutili.

Probatur Tertio. Quæ ſunt alicujus utilitatis in Maſora Notæ, ut variæ lectiones ſub titulo *Keri* & *Ketib* vulgatæ, in ipſius *Eſdræ*, *Nehemiæ*, *Aggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ* Libros editæ ſunt. *Eſdras* igitur & Synagogæ Magnæ Viri, quos inter poſteriores illi Prophetæ eminebant; Auctores hujuſmodi Notarum non fuerunt. Quis enim ipſos veram in propriis Scriptis lectionem ignorasse dixerit, vel quas in diverſis Codicibus invenerant, ſub *Keri* in margine annotaſſe?

Probatur quarto ex veterum Judæorum, & Eccleſiæ Patrum Hebraice peritorum de Maſora & Notis Maſorethicis ſilentio. At ſi Maſora ab *Eſdra* & Synagoga Magna edita fuiſſet, & ad poſteros propagata, illius certe meminiſſent, *Origenes* præſertim & *S. Hieronymus*, & Notas illas Criticas laudaſſent occaſione data, vel ſugillaſſent. Cum igitur nullum Maſoræ, & Maſorethicarum Annotationum extet veſtigium, nulla mentio fiat ante editum Talmudem; certum eſt, *Eſdram* & Synagogam Magnam Maſoræ Auctores non fuiſſe.

Probatur quinto; Si Maſoræ Auctores fuiſſent *Eſdras* & poſteriores Prophetæ, non ita negligenter tractata fuiſſet a Judæorum Magiſtris, qui eam infinitis erroribus fœdari, & tantum non perire permiſerunt, ut fatetur *Elias Levita* Præfatione 2. in Maſoram, & *R. Jacob Ben Caim*, in Præfatione Maſoræ, quam in Bibliis Venetis primus edidit; quibus ſuffragantur *Buxtorfius* in Commentario Maſoræ, *Joannes Morinus* Libro 2. *Exercitat.* 21. *Cap.* 1. & 2. & *Ludovicus Capellus* Lib. 6. *Critica Sacra*; Opus *Eſdræ* & Prophetarum divinam prope venerationem obtinuiſſet; nec ſibi fas eſſe putaſſent Maſoram mutilare, aut Criticis tantorum virorum & a Deo afflatorum Notis ſuas permiſcere, & cum illis confundere, quaſi paris auctoritatis. At priorum Maſoretarum Notis abſque ſcrupulo ſuas adjecere poſteriores Magiſtri, Maſoramque ipſam ut Opus imperfectum ſemper ſpectarunt. Unde *Elias Levites* Præfatione 2. in Maſoram *Notas illas ejuſmodi eſſe* ait, *ut ſemper vis aliquid novi adjici poſſit, & nova in dies excogitari poſſint.*

Quanquam vero Judæi plerique *Eſdram* & Synagogam Magnam Maſoræ Auctores faciant, cum tamen id probare nequidem ſatagant, & hoc illorum commentum ad ſolam oſtentationem compoſitum firmiſſimis argumentis refellitur, ipſorum in cauſa propria teſtimonio nullatenus credendum eſt. Ut enim in *C. Theod. Tit. de Teſtibus*, *L. Omnibus*, habetur: *Omnibus in re propria dicendi teſtimonii facultatem Jura ſubmoverunt.*

Objicies: Ante *S. Hieronymi* tempora Judæos literas plenas a deficientibus diſtinxiſſe, & myſteria in minutiis hujuſmodi Grammaticis quæſiviſſe. Sanctus enim *Hieronymus* in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, ad Cap. 23. ubi nomen *Ephron* bis in eodem Verſu legitur, prius cum *Vau*. quod vim habet o, alterum ſine *Vau* ſcribi notat, etſi poſteriori loco *Ephran* pro *Ephron* legat. Additque: *Poſtquam pretio victus eſt, ut ſepulcrum venderet argento, licet, cogente Abraham, Vau litera ablata de ejus nomine eſt, & pro Ephron appellatus eſt Ephran: Significante Scriptura, non eum fuiſſe conſummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere Mortuorum.* Hujuſmodi autem obſervatio Maſoram redolet, eamque ſupponere videtur.

Reſpondetur, Ex hac, aliiſque ſimilibus obſervationibus probari quidem Judæos ante *S. Hieronymi* tempora ſuas Traditiones habuiſſe, partim veras, partim multis commentis & fabulis inſperſas: Illos in Bibliorum Sacrorum Exemplaribus & legendis & deſcribendis Patrum ſuorum Traditionem ſecutos; Ex ſcriptionis varietate Myſteria quandoque eruiſſe, ubi nulla Myſteria erant: Traditionum loco interdum habuiſſe, quod Amanuenſium erroribus tribuendum erat, ut fatetur *Aben-Ezra* Præfatione in Pentateuchum: Ex iis quæ caſu contigerant ſuperſtitioſos Magiſtros allegorias confinxiſſe: Sed ulla de his Scripta *S. Hieronymi* temporibus edita fuiſſe, ex his non ſequitur.

ARTICULUS III.

Utrum Eſdras Auctor fuerit Cabbalæ?

I. JUdæi Legem diſtinguunt in Scriptam & Traditam ſive Oralem: Illam quinque Libris *Moyſis* contineri: Hanc a *Moſe* voce traditam, & a *Moſe* continua ſucceſſione ad *Eſdram*, ab *Eſdra* ad ipſos tranſmiſſam. Legem Oralem duas in partes dividunt, quarum una pleniorem explicationem Præceptorum, & Cæremoniarum Legis complectitur, a Legiſperitis & Sapientibus diverſis temporibus factam, quæ habetur in *Miſchna* & *Gemara* Talmudis Partibus integralibus. Ad hanc Legis Oralis partem revocantur etiam Traditiones Grammaticæ de Punctis vocalibus, accentibus, ſyllabis, & ejuſmodi minutiis, in quibus Maſora verſatur. Altera pars, quæ Theologica magis eſt, in altiorum arcanorumque

Le-

Digitized by Google

Legis Myſteriorum cognitionem & explicationem incumbit. Cui *Cabbale* nomen indiderunt, quæ vox Hebræis *Receptionem* ſignificat. Hanc mirum in modum venditant Judæi, quorum illud eſt in Talmuda Axioma: *Verba Cabbala æquiparantur Legi*. Scripturam, ejuſque ſenſum literalem comparant candelæ, quæ minimo quadrante emitur; Cabbalam margaritæ pretioſæ, quæ accenſa candela invenitur. Miſnicos Doctores Pharmacopolis ſimiles eſſe ajunt, qui Pharmaca parant ex Medici præſcripto, quorum ipſi vires ignorant: Cabbaliſtas Medicis, qui plantarum & mineralium, ac medicamentorum ex iis confectorum vires perſpectas & exploratas habent.

II. *Cabbala* definitur a *Reuklino* Lib. 1. De Arte Cabbaliſtica, *Divina revelationis ad ſalutiferam Dei & formarum ſeparatarum contemplationem tradita ſymbolica receptio*. Nihil aliud eſſe quam Expoſitiones Sacrorum Librorum juxta ſenſum anagogicum cenſet *Joannes Picus Mirandulanus Comes*. Judæi quippe, ut Chriſtiani, modum quadruplicem habent Scripturas exponendi, 1. Literalem, qui *Peſat* apud eos dicitur: Hunc explicandi modum amplexi ſunt *Aben-Ezra* & *D. Kimchi*. 2. Allegoricum, qui ab iis appellatur *Midras*: Unde apud eos *Midras Ruth*, *Midras Thillim*, *Midras Coheleth*, Expoſitiones ſcilicet Myſticæ Libri Ruth, Pſalmorum, Eccleſiaſtis. Hoc genus commentationis amplexi ſunt Doctores Thalmudici, & antiqui Auctores *Merbilta*, *Midraſchim* & *Rabboth*. 3. Tropologicum, quem vocant *Sechel*: Quo in genere excelluit *Maimonides*, 4. *Anagogicum*, qui dicitur *Cabbala*: Quem Auctor Libri *Zohar*, Libri *Jetzira* ejuſque Commentatores quinque, nempe *R. Saadias*, *R. Abraham Dior*, *R. Moſes Bar Nachman*, *R. Moſes Botrel*, *R. Eliezer de Geromiſſa*, & alii ſectantur. Nos Myſticum Senſum generali locutione dicimus, in quo eruendo Cabbala verſatur, prout opponitur literali, adeoque ſenſum allegoricum, & tropologicum, non minus quam anagogicum, modo proprii non ſint, ſed altiores, & arcani, ad Cabbalam pertinere.

III. Triplex vulgo Cabbalæ genus Chriſtiani Scriptores diſtinguunt. Primum eſt antiquorum Judæorum ante Chriſtum, myſticam & arcanam Scripturæ Sacræ expoſitionem continens, non ſcriptam, ſed ore traditam: non omnibus, ſed ſapientioribus. Huic primus Latinorum operam dedit *Joannes Picus Comes Mirandulanus*, publiceque propoſitas de illa Concluſiones, & Romæ improbatas, edita Apologia defen-
„ dit. In Cabbaliſticis Libris ſe vidiſſe ait Religio-
„ nem non tam Moſaicam, quam Chriſtianam. Ibi
„ Trinitatis Myſterium, Verbi Dei Incarnationem,
„ Meſſiæ Divinitatem, peccatum originale, Ange-
„ lorum ordines, futuræ vitæ pœnas; eadem quæ
„ apud *SS. Paulum*, *Dionyſium*, *Hieronymum*, *Au-*
„ *guſtinum*, quotidie legimus, ſe legiſſe teſtatur,
„ Nulla ferme de re nobis eſſe cum Judæis contro-
„ troverſiam, de qua e Libris Cabbaliſtarum ita re-
„ dargui revincique non poſſint, ut ne angulus qui-
„ dem reliquus ſit, in quem ſe condant. Cabbalam *veram & piam* vocat *Sixtus Senenſis* Libro 2. *Bibliotheca Sancta*, & ab Eccleſia nuſquam damnatam aſſerit. Plurimum tamen differt modus tradendi ſenſus myſticos in Cabbala, ab eo quem ſervant Eccleſiæ Patres & Interpretes Catholici. Cabbaliſtæ enim verbis obſcuris Myſteria ſua tradunt, ut olim Pythagoræi obſcuris ſymbolis Myſteria ſua efferebant, ut ſapientiam oſtentent, & clariſſimorum ingeniorum excitent curioſitatem, vulgique admirationem, quod ſuſpicit quidquid intelligentia aſſequi non poteſt. At Patres & Interpretes Catholici, verbis planis & apertis myſticos Scripturæ Sacræ ſenſus exponunt: Adeo ut ſi quæ ſit obſcuritas, ea non ex modo exponendi, ſed ex argumenti ſublimitate oriatur.

Secundum Cabbalæ genus, cui recentiores Judæi ſe totos addixerunt in literis, punctis, accentibus, & verbis Scripturæ Sacræ ludit, ex variis permutationibus, combinationibus, abbreviaturis, vel ex literarum figura, aut vi Arithmetica arcanos ſenſus & intelligentias extundens. Hujus tres ſpecies aſſignantur, ſcilicet *Gematrie*. *Notaricon*, & *Permutatio*.

Gematria, vox origine Græca, in Arte Cabbaliſtica ſignificat Arithmeticam literarum ſupputationem, qua dictionum quarumdam, quarum literis idem numerus notatur, unam per alteram explicat. Sic *Zachariæ* 3. 8. *Adducam ſervum meum Tſemach*, (Orientem) *R. Kimchi* notat quoſdam per *Tſemach* intelligere Meſſiam: Quia inter Meſſiæ nomina, quæ a Talmudicis ei tribuuntur, unum eſt *Menachem Conſolator*; Literæ autem utriuſque vocis & *Tſemach*, & *Menachem* eundem numerum reddunt 138. Sic ex prima voce Geneſis probant Deum creaſſe Mundum in Lege: quia literis Hebraicarum dictionum, quæ ſignificant, *In Principio creavit*, &, *In Lege formavit*, idem numerus exprimitur. Sic ex litera *Mem* clauſa *Iſai.* 9. 5. 7. annum Nativitatis Meſſiæ colligunt, ut videre eſt apud *Galatinum*, Lib. 4. Cap. 19. & Lib. 7. Cap. 12. Hanc Cabbalæ ſpeciem uſui eſſe poſſe ajunt Chriſtiani quidam Interpretes explicando *Apocalypſis* loco Cap. 13. ubi cum *S. Joannes* præmiſiſſet, beſtiam, ſeu Antichriſtum effecturum, ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habuerit characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus, mox ſubdit: *Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenta ſexaginta-ſex*. Volunt *Sanctum Joannem* ex literis Græcis, earumque Arithmetica ſignificatione intelligendum & conjectandum reliquiſſe quondam futurum eſſet Antichriſti nomen. Ampliſſimus vero patet eruditis Interpretibus divinandi campus, cum ex variis literarum Græcarum combinationibus is numerus reſultare poſſit. *SS. Irenæus* & *Hyppolitus* hoc nomen eſſe TEITAN conjiciunt: Siquidem T in numeris apud Græcos 300. indicat, cumque hæc in dictione duplex T reperiatur, fiunt 600. Adde N. 50. I. 10. E. 5. A. 1. numerus reſultat 666. *Ticonius* Antichriſti nomen conjicit eſſe AAMПETIΣ, In quo T. 300. Σ. 200. Π. 80. M. 40. A. 30. I. 10. E. 5. A. 1. Ex quibus fit ſumma totalis 666. *Arethas* Antichriſto nomen futurum conjicit λατεινος. In quo τ. 300. ς. 200. O. 70. N. 50. A. 30. I. 10. E. 5. A. 1. Ex quibus numeris ſimul junctis fit ſumma 666. *Primaſius* Antichriſti nomen eſſe ait ANTEMOΣ. In quo pariter T. 300. Σ. 200. O. 70. N. 50. M. 40. E. 5. A. 1. Ex quibus numeris fit eadem ſumma 666. Plura ejuſmodi nomina conficta, in quibus idem numerus reperiatur, apud *Malvendam* noſtrum legere eſt libro 8. *De Antichriſto*, Cap. 8. Verum ut certum eſt numerum nominis Antichriſti juxta computationem Græcorum literis in ipſo contentis declarari: Ita incertum eſt quodnam ſit id nomen, cum *S. Joannes* illud non indicaverit. Unde *S. Irenæus* Lib. 5. *Nos vero*, inquit, *de Antichriſti nomine temere ac periculoſe quicquam affirmare nolamus. Nam ſi huic ſæculo nomen illius manifeſte annuntiandum fuiſſet, ab illo utique expreſſum eſſet, qui Revelationem vidit*. Hunc *S. Irenæi* deſcripſit *Euſebius* Lib. 5. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, Capite 8.

Notaricon eſt, quo per compendium literarum ſingulæ dictionis alicujus literæ totidem verba ſignificant, quæ eaſdem literas initiales vel finales habent, Sic ex prima Geneſis dictione *Bereſchith*, colligunt hoc Oraculum, *Bariſchonath ruah Elohim Schikbelou Iſchrael torah, in principio vidit Deus quod acciperent Iſraelitæ Legem*. Cujus Oraculi ſingulæ dictiones incipiunt a literis vocis, *Bereſchit*. Sic Machabæos dictos volunt ab initialibus literis ſacræ illius Sententiæ, quæ habetur Exodi 15. 11. *Mikamoka baelohim Jehova*, id eſt, *Quis ſicut tu inter Deos, Domine?* Sic Auctor Traditionum in Libros *Regum* apud *S. Hieronymum*, ad illum locum 3. Regum 11. 8. *Habes quoque apud te Semei filium Gera, filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima*; notat maledictionem peſſimam apud Hebræos eſſe *Nimretſoth*, quod vocabulum quinque literis conſtat, *Nun*, *Mem*, *Ree*, *Tzade*, *Thau*: Quæ totidem verborum contumelioſorum initiales ſunt; *Noeph*, *Adulter*; *Moab*; *Moabita Rotſeach*, *Homicida*: *Tſarouab*, *Leproſus*: *Toheba*, *Abominatio*. Quæ omnia a *Semei* Davidi exprobrata volunt, Illum nempe ut adulterii reum, genere Moabitam, utpote ex *Ruth* Moabitide ortum, homicidam & *Uriæ* interfectorem, velut leproſum, a Deo & hominibus abominabilem, Urbe, Regnoque merito ejici.

Tertia ſpecies eſt *Permutatio*, qua eodem literarum

rum

rum numero retento, eas eodem ordine manente aliter componunt; vel per certam Alphabeti combinationem cum aliis permutant. Sic (inquiunt) *Jeremiæ 25. Verſ. 26.* cum de Rege Babylonis infauſta prænuntiaret *Jeremias*, nec tutum eſſet Babylonem exprimere, pro Babel *Seſach* ſubſtituit: *Et Rex Seſach bibet poſt eos*. Quod *Sanctus Hieronymus* in hunc *Jeremiæ* locum ex Hebraicæ Linguæ ingenio explicat. Sic *Exodi 33.* ubi dicitur Iſraelitico Populo, *Præcedet Angelus meus*, ex Hebraico vocabulo *Malachi* per literarum permutationem colligunt Archangelum *Michaelem* fuiſſe Populi Iſraelitici cuſtodem; quia ex iſtius dictionis *Malachi* literis alio modo combinatis fit *Michael*.

Tertium Cabbalæ genus, quam *Practicam* vocant, ex literis ac verbis Scripturæ detortis, & arcanis quibuſdam inde elicitis, morborum curationem, expulſionem Dæmonum, aliorum id genus miraculorum patrationem tentat. Cabbala hæc ab arte magica nihil differt, eoque nomine execranda eſt, & ab Eccleſia merito damnata. De hoc Cabbalæ genere aliquid ſubolfecit *Plinius*, cum hanc inter Magiæ ſpecies referat, depravato licet nomine, Artem enim illam *Jochabelam* vocat, & a *Moſe* ac Judæis arceſſit Libro 30. *Hiſtoriæ*, Capite primo. Virtute præſertim Nominis Dei Tetragrammaton Miracula illa patrare Cabbaliſticæ Artis peritos ajunt. Et hac ratione JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum Miracula edidiſſe, Rabbini quidam impie fabulantur. Narrant ſcilicet, in Hieroſolymitano Templo extitiſſe lapidem, cui olim Arca imponi ſolita fuerat, in eoque deſcriptum fuiſſe Nomen Dei Tetragrammaton; cujus ea vis erat, ut quicumque illud didiciſſet, omnis generis Miracula edere poſſet: Veritos ergo Sapientes, ne quis ea facultate abuteretur, canes æreos portæ cuſtodes appoſuiſſe, hac arte fabricatos, ut ſi quis memoriæ mandato ineffabili Nomine exire vellet, magnis eorum latratibus territus illius oblivisceretur. Hunc itaque gnarum Jeſum Sacrum Nomen in membrana deſcripſiſſe, quam in vulnere cruri facto occultavit: ſicque egreſſum Templo, membrana extracta, Nomen, cujus oblitus fuerat, iterum didiciſſe, ejuſque virtute tot Miracula ediddiſſe. De variis illis Cabbalæ generibus legi poſſunt noſter *Sixtus Senenſis* Libro 2. Bibliothecæ Sanctæ, *Bonfrerius* Præloquiorum in Scripturam Sacram, Capite 21. *Waltonus Prolegom.* 8. in Biblia Polyglotta, & alii.

His prænotatis, expendendum eſt, an *Eſdras* Auctor fuerit Cabbalæ, aut certe ipſius Doctor, quam *Moyſes* a Deo edoctus Sapientibus tradiderat, & quæ continua ſucceſſione ad *Eſdram* uſque & Synagogæ Magnæ viros tranſmiſſa fuerat.

PROPOSITIO UNICA.

Cabbala nomine ſi ſenſus Myſtici in literali fundati, & ex Intentione Spiritus Sancti ſub litera cortice reconditi, traditionem & intelligentiam dumtaxat ſignifices; Moyſen & Eſdram Cabbalæ Doctores fuiſſe, facile conceſſerim: At ſi hoc nomine Artem illam intelligas, qua Judæi recentiores Myſteria ex literis & earum figura, permutatione, aut arithmetica ſupputatione eruunt, hujus Auctorem Eſdram vel Moyſen aſſerere temerarium ac ridiculum eſt.

PRima pars propoſitionis ex eo probatur, quod apud Judæos, *Quibus credita ſunt Eloquia Dei*, ut ait Apoſtolus *ad Romanos* 3. & quibus cuncta *in figura contingebant*, non ſolum ſenſus literalis, ſed etiam myſtici intelligentia & expoſitio eſſe debuerit ſecundum Dei Providentiam ſingularem: Ut quæ Chriſtum, ejuſque Myſteria, & Eccleſiam ſpectant in Lege ac Prophetis, nec primario tamen vocibus, ſed rebus ipſis ſignificantur, explicari Populo poſſent, ſive ab hominibus Numine afflatis, ſive a Sacerdotibus & Doctoribus. Hanc autem intelligentiam ſenſuum Legis reconditorum, & Myſteriorum notitiam *Moyſen*, per quem Deus Legem dedit, ab ipſo Deo accepiſſe, & cum *Joſue* ac Senioribus communicaſſe: hos vero illam tranſmiſiſſe ad ſequentium ætatum Sapientes ſucceſſiva & nuſquam interrupta Traditione, credere par eſt; Alioqui Deus Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis defuiſſet. Hac intelligentia præ ceteris excelluiſſe Prophetas nemo ſanæ mentis dubitaverit, necnon *Eſdram* a Deo deſtinatum ut Legem, cæteroſque Libros Sacros quodammodo reſtauraret, Populoque exponeret, utpote Scriba doctiſſimus in Lege Dei. Sane cum interpretaretur Populo univerſo verba Legis per dies plurimos (2. *Eſdræ* 8.) non ſolum ſenſum literalem, ſed & myſticum ipſum reſeraſſe credere par eſt, & arcana Myſteria Meſſiam, qui *finis Legis eſt*, ſpectantia expoſuiſſe; ut fidem Judæorum in Chriſtum venturum excitaret, ſine qua Deo accepti eſſe, & juſtificari, atque ſalvari non poterant.

Confirmatur ex *Origene* Tomo 6. in Joannem: Prov. 16. 23.
Quod ſi, inquit, *Sapiens intelliget quæ ex proprio ore protulerit, in labris vero portabit animi candorem; Vel neceſſario quædam de Prophetis, tanquam non Sapientibus (ut qui non intellexerint proprio ore prolata) inconſiderate enuncianda erunt: Vel quod celebre eſt, & verum admittentes (nempe Prophetas Sapientes eſſe) fatendum erit, quæ proprio ore protulerint, eos intellexiſſe, inque labris geſtaſſe animi candorem: Et perſpicuum eſt, Moſen mentis acie Legis veritatem, Hiſtoriarumque apud ſe ſcriptarum allegorias juxta anagogem vidiſſe. Immo Jeſus veram diſtributionem ſortium poſt deſtructionem novem & viginti Regum intelligit, cum magis quam nos conſpicere poſſet, quas veritates adumbrarent ea a ſe geſta. Quin perſpicuum etiam eſt Eſaiam, Myſterium ſedentis in throno, & duorum Seraphim, & alarum, ipſiuſque Altaris, & forcipis, & operimenti faciei, & pedum, quod faciebant Seraphim, vidiſſe. Rurſus Ezechiel Cherubim, & ſpeciem ipſorum, & firmamentum ſuper ipſos, & Sedentem in throno vidit, quibus quid glorioſius ſublimiuſque? Et ne ſingulatim proſequens in longum protendam ſermonem, volens oſtendere viros perfectos in ſuperioribus ætatibus non minus cognoviſſe, quam qui a Chriſto revelationem habuerunt, quippe cum hic ille idem qui Apoſtolos docuit, cultus Dei Myſteria abſcondita retexerit adhuc paucis additis judicandum legentibus relinquam, & conſiderandum de hiſce rebus quicquid volunt. Nam inquit in Romanorum Paulus Epiſtola:* „Ei autem qui poteſt Rom. 16. 25. 26.
„ nos firmare ſecundum Evangelium meum juxta
„ revelationem Myſterii, quod temporibus ſempi-
„ ternis eſt tacitum, manifeſtatum autem nunc per
„ Scripturas Propheticas, & per Apparitionem Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti. *Si enim Apoſtolis manifeſtatum eſt Myſterium per Scripturas Propheticas, olim tacitum, & Prophetæ intelligebant, quæ proprio ore proferebant, quia ſapientes eſſent, profecto quæ Apoſtolis manifeſtata fuere, etiam Prophetæ intellexerunt .... Ad hunc igitur modum neque Apoſtolos ſapientiores Patribus, vel Moſe, vel Prophetis dicturi ſumus: Hiſque præcipue, qui dantis ob virtutem ſupremis apparitionibus, vel repræſentationibus divinis, & revelationibus grandium Myſteriorum digni fuere habiti.*

Confirmatur ſecundo ex *S. Hilario*, Enarratione in Pſalmum ſecundum: *Erat*, inquit, *jam a Moſe antea conſtitutum, in Synagoga omni 70. eſſe Doctores. Nam idem Moſes quamvis Veteris Teſtamenti verba in literis condidiſſet: Tamen ſeparatim quædam ex occultis Legis ſecretiora Myſteria Septuaginta Senioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus Doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit:* Super Cathedram Moyſi, *inquit*, ſederunt Scribæ & Matth. 23.
Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite: Secundum vero facta eorum nolite facere. *Doctrina ergo horum in poſterum, quæ ab ipſo Scriptore Legis accepta, in hoc Seniorum & numero & officio conſervata eſt* Septuaginta Interpretes reconditiore illa Scripturarum interpretandarum ſcientia inſtructos fuiſſe, addit S. Hilarius. *Hi itaque Seniores Libros hos transferentes, & ſpiritualem, ſecundum Moyſis Traditionem, occultarum cognitionum ſcientiam adepti, ambigue Lingua Hebraica dicta & varia quædam ex ſe nuntiantia, ſecundum virtutes rerum, certis & propriis verborum ſignificationibus tranſtule-*

Digitized by Google

ſtulerunt., *Doctrina ſcientia multimodam illam formonum intelligentiam temperantes*.

Propoſitionis Pars altera ex eo probatur, quod Ars Cabbaliſtica, prout a recentioribus Judæis accipitur, ſit merus in Sacris Scripturæ verbis ludus, obſervationeſque Cabbaliſtarum pleræque omnes nugæ ſint ingenioſorum hominum ſæpe ineptæ, ſæpe impiæ & ſuperſtitioſæ: Adeoque *Moſi*, *Eſdra*, aliiſque a Deo afflatis hominibus indignæ. Myſteria quidem in ipſis literis quandoque a Deo incluſa ſunt, quandoque in vocibus ſolitarie ſumptis. Sic *Tau* Ezechielis 9. Myſterio plenum eſt, utpote Dominicæ Paſſionis ſignum, ac nota Salvandorum. Sic A. & Ω. Apocalypſis ultimo, quibus ſignificatur Chriſtum, ſive qua Deum, eſſe principium & finem rerum omnium, ſive qua hominem, eſſe primum omnium Sanctorum, & principium omnis ſanctitatis in cæteris, per vitæ & Paſſionis ſuæ merita: Eſſe etiam finem, ad cujus illuſtrandum gloriam refertur ſanctitas omnium Electorum. Sic trium illarum dictionum a prodigioſa illa manu in pariete ſcriptarum (Danielis 5.) *Mane*, *Thekel*, *Pharez*, id eſt *Numeravit*, *appendit*, *diviſit*, quælibet myſterium ſignificat, integrumque Vaticinium continet *Baltaſſari* Regi Babyloniorum funeſtum, ut *Daniel* ibidem explicat: *Mane*, *Numeravit Deus Regnum tuum*, *& complevit illud*. *Thekel*, *Appenſus es in ſtatera*, *& inventus es minus habens*. *Phares*, *Diviſum eſt Regnum tuum*, *& datum eſt Medis & Perſis*. Sed hæc cum Gematria, Notarico, & Permutatione literarum Cabbaliſtica commune nihil habent: Siquidem illa divina ſunt: Hæc humanæ artis inventa: Illa ex Dei ordinatione; hæc ex fortuita literarum combinatione. Illa ex Dei nutu; hæc ex humani ingenii luſu, ut fit in Anagrammatiſmis. Unde ex iiſdem literis initialibus eodem in ordine manentibus, aut ejuſdem dictionis omnibus literis aliter diſpoſitis, dictiones formari poſſunt contrarios ſenſus reddentes. Quod *Æſopi* Fabulatoris exemplum probat, qui cum in veteris ædificii ruinas cum hero ſuo *Xantho* incidiſſet, has literas in marmorea columna exaratas A. B. Δ. O. E. T. K. ingenioſe ac feliciter explicuit hunc in modum: Ἀποβὰς βήματα τέσσαρα ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου. Δ Nota numeralis eſt, quatuor ſignificans, quod ſit quarta in Alphabeto Græco litera. Unde ipſam τέσσαρα ſignificare intellexit. *Aſcendens gradus quatuor cum foderis*, *invenies theſaurum auri*. Secundum ſolertem *Æſopi* conjectationem defoſſa humo, inventoque theſauro, cum avarus Dominus totum ſibi vindicaret, monuit *Æſopus* aliud iiſdem literis præcipi, nempe, Ἀναιρούμενοι βαδίσαντες διέλετε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου *Qui auferetis*, *diſcedentes dividite quem non inveniſtis theſaurum auri*. Verum cum theſauri partem ſibi debitam feſtivo illo ingenii luſu, ſeriæ vim admonitionis habente, ab ingrato hero obtinere non poſſet, indicavit *Æſopus* aliud iiſdem literis exprimi mandatum, cui parere teneretur; ſcilicet; Ἀπόδος βασιλεῖ Διονυσίῳ ὃν εὗρες θησαυρὸν χρυσίου. *Redde Regi Dionyſio quem inveniſti theſaurum auri*. Simili ratione, ex iis ipſis literis, ex quibus Cabbaliſtæ magna myſteria per Gematriam, Notaricon, aut Permutationem eruere ſe gloriantur, quidlibet aliud, & forte contrarium ab hominibus ingenioſe ludentibus colligi poſſet. Ars itaque Cabbaliſtica incerta eſt, vana, & nugax: Adeoque *Moyſi*, *Eſdra* aliiſque à Deo afflatis hominibus injuriam faciunt, qui hujus Artis inventores aut Doctores illos fuiſſe contendunt.

Præterea, tantum abeſt ut Cabbala ad Scripturæ Sacræ intelligentiam, & ad fidei dogmata probanda vel illuſtranda viam aperiat, ut potius ad Scripturæ Divinæ Fideique corruptionem tendat: Siquidem Cabbaliſtæ, neglecto ſenſu literali, ingenii ſui figmenta, ſpecioſaſque nugas, pro magnis Myſteriis, veroque Scripturæ ſenſu venditant. Unde Cabbaliſticæ illæ Interpretationes quibuſdam etiam Judæorum Magiſtris paulo magis cordatis non probantur. Ex illis *Aben-Ezra* Præfatione in Legem, tales interpretes *Noctuis* aſſimilat, *qui in literalis ſenſus ſplendore cæci ſunt*, *in Myſteriorum tenebris perſpicaces*: Et Rabbinicum illud axioma profert: *Textus Sacer non egreditur de manibus ſimplicis & literalis Senſus*. Et Commentar. in *Geneſim*, Cap. 14. ait: *Scriptura non loquitur Gematrice*, *ſed verba intelligenda ſunt prout ſonant*. Temerarium igitur & ridiculum eſt, *Moyſem*, *Eſdram*, alioſve Spiritu Dei afflatos homines Cabbalæ Auctores vel Doctores aſſerere.

Tertio, Cabbaliſticæ Artis novitatem probat Veterum ſilentium, *Joſephi* Judaicarum Antiquitatum vernaculi vindicis, *Philonis Judæi*, qui cum in Allegoriis totus verſetur, de arcanis illis *Cabbalæ* nihil omnino habet. *Origenis*, qui tot Judæos de rebus Judaicis conſuluit, qui de Traditionibus Judaicis toties verba fecit, præcipue Libro 4. Περὶ Ἀρχῶν, Cap. 2. qui ſenſum allegoricum Scripturæ Sacræ ubique ſectatur, de Cabbalæ Myſteriis ſe aliquid noviſſe nullibi indicat. *S. Epiphanii*, qui Judæis parentibus natus, & jam adoleſcens Chriſtianam Religionem amplexus, ſæpe de Judæorum Sectis, ac Traditionibus quas Δευτερώσεις vocant, agit *Hæreſi* 13. 14. 15. 16. & ſeq. *Hæreſi* 23. & 24. & in Reſponſione ad Epiſtolam *Pauli & Acacii*: Aliaſque hujuſmodi Δευτερώσεων *Moyſi*, alias *Akiba* quaſdam *Adda Sua Judæ*, nonnullas *Haſmonæis* tribui refert: Mirabilia illius artis, ſcilicet Cabbalæ a *Moyſe*, vel *Eſdra* traditæ, aut Librorum de illa editorum nuſquam meminit. *S. Hieronymi*, qui Judaicarum Traditionum toties mentionem fecit, toties eas explicuit, toties Judæos Præceptores conduxit ut eas addiſceret, tot annis in Judæa & Syria commoratus eſt, & tamen de Cabbala & Libris Cabbaliſticis nihil uſpiam habet. Commentario quidem in Caput 25. *Jeremiæ* explicans illa verba, *Et Rex Seſac bibet poſt eos*, notat *Seſac* poſitum eſſe pro *Babel* commutatione literarum Alphabeti Hebræis familiari, ſed ex Cabbalæ arcanis id non eruit *S. Hieronymus*, neque Prophetam Arte Cabbaliſtica id feciſſe innuit, ſed ex Linguæ Hebraicæ proprietate, & uſu. Ait enim: *Quomodo Babel intelligatur Seſac*, *non magnopere laborabit*, *qui Hebrææ Linguæ parvam ſaltem habuerit ſcientiam*. At Cabbalæ Myſteria intelligere non ita facile eſt. Unde *Elias Levita*, in *Thesbite*, ſe non poſſe hanc Sapientiam ſufficienter exponere, & ob pravitatem ſuam attigiſſe iſtam Sapientiam, & ſcientiam Sanctorum profitetur. Denique Cabbalæ proprie ſumptæ nulla in Talmude, in Midraſchim, in antiquis ullis Judæorum Libris memoria, nullum veſtigium occurrit. Dixi Cabbalæ proprie ſumptæ: Nomen enim Cabbalæ nunc a Judæis tribus modis ſumitur, ut obſervat *Morinus* Libro 2. *Exercitat.* 21. Capitul. 5. §. 2. Primo pro Traditionibus, quas vocare ſolent *Tora Behalpe*, *Legem Oralem*, quæ Thalmude continetur: Immo totum Thalmud nihil eſt aliud quam Lex Oralis ſcripta. Secundo pro Rabbinorum & Doctorum a *Moſe* ad hæc uſque tempora ſucceſſione: De qua Cabbalæ ſpecie *R. Abraham Levita*, & *Ghedaliæ* ſcripſerunt, Libroſque ſuos de Cabbala inſcripſerunt, ille *Librum Cabbalæ*, hic *Catenam Cabbalæ*. Hæc Cabbalæ ſpecies ad primam aliquo modo refertur. Nihil enim in ea agitur quam Doctorum Hiſtoria qui Legem Oralem docuerunt, & aliis tradiderunt. Tertio Cabbala dicitur, Doctrina quædam Myſtica, ex variis Nominum divinorum combinationibus & reſolutionibus, literarum Alphabeti vario ſitu, permutatione, decuſſatione, decem *Sephiroth* ſiva Dei Attributis varie inter ſe comparatis, orta & eruta, quæ præ cæteris Libro *Zohar* continentur. Cabbalæ hoc tertio modo ſumptæ nulla in *Talmude* mentio, nulla in *Midraſchim*, nulla in antiquo ullo Libro memoria, nullum veſtigium. Nec enim hujus rei veſtigium voco grammaticas ſubtilitates, quæ rariſſime in antiquis eorum Libris occurrunt. Hoc enim fert linguarum genius, quæ literis Alphabeti ſui utuntur numerorum & ſiphrarum loco. Sed quando quid ejuſmodi faciunt, ſenſum moralem ſimpliciter inde eliciunt, non in myſticos & tenuiſſimos aliis ejuſdem farinæ inſitos divagantur: Hæc *Morinus*.

Obiicitur, *Eſdram* ſeptuaginta Libros Cabbaliſticos Dei juſſu & afflatu ſcripſiſſe, cum ſolis Sapientibus communicandos: *Moyſi* vero arcanam hanc ſapientiam a Deo traditam in Monte Sinai, & ad *Eſdram* uſque Traditione tranſmiſſam, qui primus illam ſcriptis prodidit. Id ex Libro 4. *Eſdræ*, Cap.

Tom. II. Oo 14.

24. compertum eſſe, ubi Deus de horum arcanorum revelatione Moyſi facta ait: *Revelans revelatus ſum ſuper rubum, & locutus ſum Moyſi, quando Populus meus ſerviebat in Ægypto, & miſi eum de Ægypto, & adduxi eum ſuper Montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarravi ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta & finem; & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abſcondes.* De *Eſdra* vero poſtquam Libros quatuor ſupra ducentos juſſu Dei quadraginta diebus ſcripſiſſet, ſubdit: *Et factum eſt cum compleviſſent quadraginta dies, locutus eſt Altiſſimus, dicens: Priora quæ ſcripſiſti in palam pone, & legant digni & indigni; Noviſſimos autem ſeptuaginta conſervabis, ut tradas eos Sapientibus de Populo tuo. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons & ſcientiæ flumen.* Horum Exemplaria Librorum magna impenſa a Judæis redemit *Joannes Picus Mirandulanus Comes*, ut ipſe teſtatus.

Reſpondetur, Lybrum Apocryphum idoneum ad faciendam fidem non eſſe: Libros autem *Eſdræ* 3. & 4. ut Apocryphos ab Eccleſia reiici jure meritoque, cum fabulis ſcateant. Unde *ſanctus Hieronymus Præfatione in Eſdram & Nehemiam ad Domnionem & Rogatianum*, ſcribit. *Nec quemquam moveat, quod unus a nobis Liber editus eſt: Nec Apocryphorum tertii & quarti ſomniis delectetur; Quia & apud Hebræos Eſdræ Nehemiæque ſermones in unum Volumen coarctantur; & quæ non habentur apud illos, nec de viginti-quatuor Senibus ſunt, procul abiicienda.* Et Libro adverſus Vigilantium: *Tu vigilans dormis*, inquit, *& dormiens ſcribis, & proponis mihi Librum Apocryphum, qui ſub nomine Eſdræ a te & a ſimilibus tui legitur.... Quem ego Librum nunquam legi. Quid enim neceſſe in manus ſumere, quod Eccleſia non recipit?* Quamvis ergo *Clemens Alexandrinus* Libro 3. Stromatum Auctor Operis Imperfecti in Matthæum inter *S. Joannis Chryſoſtomi* Opera editi, Homilia 34. *S. Ambroſius* Libro *De Bono Mortis*, Cap. 11. Libro 2. in *Lucam*, Libro 2. *De Spiritu Sancto*, Cap. 7. Oratione *De Obitu Satyri fratris*, & Epiſtola 38. ad *Orontianum*, Quartum Librum *Eſdræ* velut Canonicum, & ab *Eſdra* aſtante Spiritu Sancto ſcriptum agnoverint, illum nihilominus Eccleſiæ judicio præeunte reiicimus, quæ *duos* tantum *Eſdræ Libros* in Canonem admiſit, ut conſtat ex *Origene* in Expoſitione primi Pſalmi, referente *Euſebio* Libro 6. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, Cap. 25. Concilio Laodiceno Canone ultimo, *S. Gregorio Nazianzeno* in Carmine ad Seleucum, *S. Cyrillo Hieroſolymitano*, *S. Epiphanio* Hæreſi 8. & Libro *De Menſuris & Ponderibus*, Cap. 18. *S. Hieronymo* locis mox laudatis, *S. Auguſtino* Libro 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. & Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 25. *Innocentio I.* Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum. Concilio Carthagienſi Canone 47. *Gelaſio* cum Synodo Romana unum *Eſdræ* Librum Canonicum agnoſcit quod *Eſdræ* & *Nehemiæ* Libri in unum Volumen compingerentur; & ne pluribus recenſendis inutilem operam collocem, Sacra Synodus Tridentina Seſſione 4. in Canonicorum Librorum Indice Librum duntaxat *Eſdræ* primum, & ſecundum, qui dicitur *Nehemias*, adſcribit. Quod ergo Liber quartus *Eſdræ* narrat de Libris quatuor & ducentis ab *Eſdra* intra dies quadraginta conſcriptis, & de Libris ſeptuaginta ex eo numero cum ſolis Sapientibus communicandis, ad fabulas amandetur.

Quod ſpectat Mirandulanum Comitem, fumos ipſi Judæus aliquis venditavit, ipſiſque illuſis, adſcripto veteribus membranis *Eſdræ* Scribæ & Synagogæ Magnæ Principis nomine, ut grandem ab illo pecuniam emungeret. Nec mirum, quod fraudem paſſus ſit feliciſſimi cæteroquin ingenii Comes, quem juvenilis ætas, & ſciendi cupido immenſa impoſturis hujuſmodi nimis credulum effecerant. Nondum enim vigeſimumquartum ætatis annum exegerat, cum Apologiam ſuam ſcripſit, in qua de Libris illis hæc habet: *Hi Libri apud Hebræos hac tempeſtate tanta religione coluntur, ut neminem liceat niſi annos 40. natum attingere. Hos ego Libros non mediocri impenſa mihi cum comparaſſem, ſumma diligentia, indefeſſis laboribus cum perlegiſſem, vidi in illis, teſtis eſt Deus, Religionem non tam Moſaicam, quam Chriſtianam*, &c.

DISSERTATIO V.

DE PERSARUM REGE SUB QUO TEMPLI SECUNDI FABRICA ABSOLUTA EST.

SCaliger Libro 6. *De Emendatione Temporum*, *Darium* illum cujus anno ſexto Templi inſtauratio abſoluta eſt, ut conſtat ex Libro 2. *Eſdræ*, Cap. 6. 15. contendit fuiſſe *Darium Nothum*. Alii pene omnes Eruditi viri *Darium Hyſtaſpis* filium fuiſſe volunt. Quid de Chronologica iſta Quæſtione mihi videatur, breviter exponam.

PROPOSITIO UNICA

Darius Rex Perſarum, ſub quo Templi Inſtauratio abſoluta eſt, non Darius Nothus, ſed Hyſtaſpis fuit.

PRobatur primo ex Libri 1. *Eſdræ* Cap. 4. ubi habetur, Hoſtes Populi Dei *omnibus diebus Cyri Regis Perſarum*, dum ille nimirum aliis diſtentus eſſet, ac Maſſagetarum bello implicitus opus urgere non poſſet, illius Conſiliarios & Miniſtros muneribus corrupiſſe, ac Judæis impedimento fuiſſe ne Templum ædificarent, *uſque ad Regnum Darii Regis Perſarum*. Hic autem deſignari *Darium* primum *Hyſtaſpis* filium illud argumento ſit, quod ſi plures hujus nominis Reges tunc Perſæ habuiſſent, poſteriorem a prioribus certo aliquo nomine Sacer Hiſtoricus diſtinxiſſet.

Deinde id per partes explicans *Eſdras*, quod ſummatim primo dixerat, ait, in principio Regni *Aſſueri* hoſtes illos, qui ſub *Cyro* clanculum egerant, ut impedirent opus ab eo juſſum, jam apertis accuſationibus Judæos petiiſſe, & ad *Artaxerxem* contra ipſos ſcripſiſſe. *Conduxerunt autem adverſus eos Conſiliatores, ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri Regis Perſarum, & uſque ad Regnum Darii Regis Perſarum. In regno autem Aſſueri, in principio Regni ejus, ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Juda & Jeruſalem. Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam Mithridates, & Tabeel, & reliqui, qui erant in conſilio eorum, ad Artaxerxem Regem Perſarum.* Is Urbem ædificari prohibuit, æmulorum Judaici Populi inſidiis circumventus, qui Edicto Regis accepto, *abierunt feſtini in Jeruſalem ad Judæos, & prohibuerunt eos in brachio & robore. Tunc intermiſſum eſt opus Domus Domini in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum Regni Darii Regis Perſarum*: Cujus anno ſexto Templi inſtauratio abſoluta eſt, ut dicitur Cap. 6. 15. Tres itaque Reges hic habemus apud *Eſdram* recenſitos, *Cyrum*, *Cambyſem*, qui & *Aſſuerus* dictus eſt, & *Artaxerxes*. (Unde Septuaginta Sixtinæ Editionis pro *Aſſuero* habent *Artaxerxem*, & nonnulli Codices Latini Cap. 4. Libri 1. *Eſdræ* Verſ. 6. *In Regno autem Aſſueri, ipſe eſt Artaxerxes*,) & *Darium*. Vel ſi *Artaxerxem* alterum a *Dario* fuiſſe contendas, is erit *Smerdis Magus*, qui & *Oropaſtes*, Cteſiæ *Tanyoxarces*, qui paululum immutato nomine *Artaxerxes*, & *Artaxerxes* fuerit appellatus. Sic *Darius* quartus erit Regum, quorum ibi meminit *Eſdras*: adeoque erit *Darius Hyſtaſpis*, qui poſt *Cambyſem* regnavit, ſublato Mago. Porro ſi *Artaxerxes* ille, qui prohibuit ædificationem Templi, fuit *Longimanus*, ut putavit *Scaliger*: Ille vero *Darius*, cujus anno ſexto Templi, inſtauratio abſoluta eſt, fuit *Darius Nothus*, cur Rerum Judaicarum ſtatum ſub *Cambyſe*, *Dario*, *Hyſtaſpis*, *Xerxe I.* Artaxerxis Longimani patre, & ſub *Xerxe II.* ejuſdem filio, atque *Sogdiano* Eſdras breviter ſaltem non perſtrinxit? Nam ſi illi Templi inſtaurationem æque

pro-

hibuerunt, cur non pariter nominantur? Si vero faverunt operi, multo magis eorum nomen celebrandum erat.

Probatur ſecundo, ſi ſub *Dario Notho* Templum ædificatum eſt, centum & ſeptemdecim pene annis poſt Cyri Edictum in ruinis jacuit. Tot enim ab anno primo *Cyri* ad ſecundum *Darii Nothi* fluxerunt. At qui fieri poſſe ut *Eſdras*, qui inter Seniores ſub *Cyro* aſcendentes nominatur 2. *Eſdræ* 12. 1. quique Templi hujus ædificationem & vidit, & deſcripſit, ad hanc uſque ætatem produxerit? Quod magis etiam de *Nehemia* urgeri poteſt. Ille enim inter eos pariter numeratur, qui ſub *Cyro* cum *Zorobabele* aſcenderunt. (*Eſdræ* cc. 2.) Et novæ deinde ſub *Artaxerxe* Coloniæ dux fuit, acceptis anno Regni ejus vigeſimo Diplomatibus. (2. *Eſdræ* 2.) Porro ſi Rex Perſarum, ſub quo Templi abſoluta eſt inſtauratio, fuit *Darius Nothus*, Artaxerxes cujus anno vigeſimo Jeroſolem venit *Nehemias* Urbem ædificaturus, fuit *Artaxerxes Memor* ejus filius. Ab anno autem primo Imperii Babylonici *Cyri* ad annum vigeſimum *Artaxerxis Memoris* anni centum quinquaginta-quatuor interceſſerunt. Et cum ſoluta captivitas eſt, aliquot jam annorum erat *Nehemias*, qui inter Primarios Judaicæ Gentis cum *Zorobabele* reduces nominatur. Fuerit ergo viginti annorum; ſeptuageſimum quartum & centeſimum annum ipſum attigiſſe neceſſe eſt anno vigeſimo *Artaxerxis Memoris*: Quod veriſimile non eſt, cum tanto antea *David* dixiſſet. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: Si autem in Potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Præterea ſi quis *Nehemiæ* Caput decimum cum duodecimo conferat, homines pluſquam viginti numerabit, qui Fœderi ab Iſraelitis, procurante *Nehemia* cum Deo inito ſubſcripſerunt, ex eorum numero qui *Zorobabele* duce ex Captivitate aſcenderant anno primi *Cyri*. Eſtne vero credibile tot coætaneos viros, eodem genere oriundos, ejuſdem conſilii ac negotii participes & ſocios, iiſdem caſibus exercitos, in iiſdem locis moratos, annis pene ducentis vixiſſe? Idem vivacitatis ac diuturnitatis privilegium ad eos omnes extendendum erit, quos his verbis compellare jubetur Aggæus Propheta: *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit Domum iſtam in gloria ſua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?*

Aggæi 2. 4.

Probatur tertio ex Judæorum verbis ad Chriſtum (Joannis 21. 20.) *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud?* Nam a poſitis ſub *Cyro* Templi fundamentis ad annum ſextum *Darii Nothi*, quo inſtaurationem ejus abſolutam fuiſſe contendit *Scaliger*, anni centum & viginti interjacent.

Probatur quarto ex *Joſepho* Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 4. *Sublatis deinde Magis, ſeptem illi Perſarum familiæ Hyſtaſpis filium Darium communibus ſuffragiis Regem declaraverunt. Is adhuc privatus voverat Deo, ſi Regnum adipiſceretur, quicquid ſacrorum vaſorum apud Babylonem eſſet, remiſſurum ſe in Templum Hieroſolyma . . . . Magnis omnium ſtudiis proficiebat Templi ædificatio juxta Mandata Cyri & Darii, prophetantibus interim Aggæo & Zacharia: Abſolutumque eſt intra ſeptennium.*

Probatur quinto ex *Euſebio* in Chronico. *Perſis*, inquit, *regnavit tertius Darius filius Hyſtaſpis. Prophetabant apud Hebræos noviſſimi Aggæus, Zacharias, & Malachias. Secundo anno Darii Regis Perſarum Templum in Hieroſolymis extruitur a Zorobabele; conſummaturque opus anno quarto. Remiſſio quidem Captivitatis Judæorum, & venia Templi ædificandi ſub Cyro exordium habuit: Sed conſummatum Templum ſub Dario: Quia vicinæ Gentes aſſiduis incurſionibus ædificationem Templi impedierunt.* Clemens quoque congruit in primo Stromate ita ſcribens: *Et perſeveravit Captivitas annis ſeptuaginta, uſque ad ſecundum annum Darii filii Hyſtaſpis, qui Perſis, Aſſyriis, & Ægypto regnavit: Sub quo Aggæus & Zacharias, & unus ex duodecim, qui vocatur Angelus, prophetaverunt: Sacerdotioque functus eſt Jeſus filius Joſedech.* Eumdem conſule Libro 8. *Demonſtrationis Evangelicæ*, Cap. 2.

Probatur ſexto ex *S. Hieronymo*, Prologo in *Aggæum* Prophetam, & in Cap. 1. *Zachariæ*, diſerte aſſerente, *Darium* illum ſub quo hi duo Prophetæ vaticinati ſunt, Templum inſtauratum eſt, fuiſſe *Darium* filium *Hyſtaſpis*.

Objicitur pro *Scaligeri* ſententia: Ante *Darium* illum, ſub quo Templi inſtauratio perfecta eſt, Rex Perſarum *Artaxerxes* nominatur ab *Eſdra*, Cap. 4. Sed nullus hoc nomine ante *Darium* Hyſtaſpis apud Perſas regnavit. Sunt enim hi Reges Perſarum ordine ſuo recenſiti, *Cyrus*, *Cambyſes*, *Magus*, *Darius Hyſtaſpis*, *Xerxes*, *Artaxerxes Longimanus*, *Xerxes II.* *Sogdianus*, *Darius Nothus*, *Artaxerxes Memor*, *Artaxerxes Ochus*, *Arſes*, *Darius Codomanus*. Templum igitur ſub *Dario Hyſtaſpis* inſtauratum non fuit.

Secundo, cum neceſſe habuerit *Darius* Edictum *Cyri* conſulere, & Archivia luſtrare, ut de conceſſa olim Judæis a *Cyro* redeundi & Templi inſtaurandi facultate conſtaret, liquet utique rem fuiſſe non novam, neque heri vel nudiuſtertius factam: Recens autem fuiſſet, ſi *Darius* ille eſſet filius *Hyſtaſpis*. Nam a primo anno *Cyri* quo Judæorum ſoluta Captivitas eſt, ipſiſque redeundi in Patriam, & Templum inſtaurandi facultas Edicto conceſſa, ad ſecundum *Darii Hyſtaſpis* annum, octodecim dumtaxat elapſi ſunt anni, brevius ſcilicet intervallum, quam ut Archivorum reſerandi fuerint foruli, & luſtranda Tabularia, ad rem explorandam, cujus teſtes adhuc ſuperſtites erant.

Tertio, annis ante ſecundum annum *Darii* ſeptuaginta, Jejunia quinti & ſexti Menſis inſtituta jam erant, ut *Zacharia* 7. 5. ſignificatur. At ea non potuerunt alibi quam Hieroſolymis & in Eccleſia conſtitui. Nam nulla Solemnia celebrata ſunt in exilio, ut ex Scenopegiæ Feſto liquet; cujus cultus oblivioni traditus eſt. (*Nehemiæ* 8. 15. 16.) Sed & *Daniel* a quarta die Niſan ad vigeſimam-quartam jejunat: Ergo 14. Niſan Paſcha non celebravit. Nulla ergo Solemnia aut Jejunia in Deportatione inſtituerunt, ſed in Palæſtina, jam Altari ſtante, & jugi Sacrificio obtinente, illa inſtituta ſunt. Cum igitur *Zacharias* anno ſecundo *Darii* prophetans aſſerit ante annos 70. inſtituta eſſe Menſis quinti ac ſeptimi Jejunia; ſi ab anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis* retro numeres, nempe ab anno Periodi Julianæ 4194. deſinet calculus in annum quartum a capto *Sedecia*, quo nulla erat Eccleſia in Palæſtina. Quare ab anno ſecundo *Darii Nothi* retexendi ſunt, ut deſinant in 28. *Darii Hyſtaſpis*, quo tempore Judæi Hieroſolymis quidem degebant, ſed nondum Templum ac Mœnia Urbis extruxerant.

Reſpondetur ad primam Objectionem: *Aſſueri* & *Artaxerxis* nomen multis Regibus apud Perſas fuiſſe commune. Unde *Artaxerxes* ille qui *Darium Hyſtaſpis* anteceſſit, non fuit *Artaxerxes Longimanus*, ſed *Cambyſes*.

Ad ſecundam Objectionem reſpondetur, non ideo neceſſe fuiſſe ad Tabularia recurrere, quod de Edicto *Cyri* in gratiam Judæorum lato dubitaretur, aut quod illud ex hominum memoria temporis diuturnitas deleviſſet; ſed ut facultatis & gratiæ a *Cyro* conceſſæ conditionis, cunctæque Edicti, ad quod provocaverant Judæi, capita cognoſcerentur, ad ejuſque formam illud *Darii* conſcriberetur.

Ad tertiam Objectionem reſpondetur, quod etſi Paſcha, Pentecoſte, Scenopegiæ, celebrari extra Jeruſalem nefas fuerit, ob Sacrificia, quæ non alibi quam in Templo licebat offerri: falſum tamen eſt quod alia Solemnia & Jejunia, quæ certo loco nequaquam ex Lege ſunt adſtricta, tempore Deportationis inſtitui non potuerint. Certe *Mardochæus* & *Heſter* in Perſide Solemnia Feſta non ſolum inſtituerunt: ſed eorum quoque religionibus Judæos omnes obſtrinxerunt, & Feſtum *Phurim* biduo peragendum, die ſcilicet 14. & 15. Menſis Adar, ob liberationem totius Gentis ab inſidiis *Aman*, poſteris etiam perpetua Lege commendarunt, ut habetur Libri *Eſther* Cap. 9.

DISSERTATIO VI.

DE PROPHETIS

QUI SOLUTA CAPTIVITATE VATICINATI SUNT.

ARTICULUS I.

De Aggæo Propheta.

Aggæi nomen & dignitas Prophetæ aſſeritur.

I. Aggæum Zachariam, & Malachiam ex albo Prophetarum perperam expunxerunt *Iſaacus Abrabaniel*, nonnullique alii Hebræi, quod Synagogæ Magnæ Proceres fuiſſe credant, quæ ex Sapientibus, non ex Prophetis conflata eſſet. Ipſius *Aggæi*, necnon *Zachariæ*, & *Malachiæ* Libris, & *Eſdræ* teſtimonio refelluntur, qui Prophetarum nomen illis tribuunt: Et Eccleſiaſtici 49. 12. ubi duodecim Prophetarum fit honorifica mentio: *Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo: Nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis*: Quo numero tres illos poſtremos Prophetas comprehendi manifeſtum eſt. Futurorum denique vaticinationes, quæ ipſorum Scriptis continentur, ipſos Prophetæ dignitate & nomine fraudari non ſinunt. Vaticinatus eſt *Aggæus* anno *Darii Hyſtaſpis* ſecundo, Judæoſque increpitos, quod neglecta Domus Dei inſtauratione proprias domos curarent, quam ob cauſam illis immiſſam a Deo ſterilitatem ſignificavit: illos ad ſacrum Opus ſub *Cyro* cœptum, eoque per bella occupato, & *Cambyſe* circumvento intermiſſum, tandem perficiendum hortatus eſt. *Zorobabel* Ethnarcha e *Davidis* ſtirpe, & *Jeſus Joſedec* Sacerdos Maximus, ac reliqui de Populo, Prophetæ prædicatione permoti manum operi admoverunt: Quorum cœptis, volente Deo ac regente, favit *Darius Hyſtaſpis* Rex Perſarum. *Aggæi* & *Zachariæ* Prophetiis fidem facit *Eſdras* Libro 1. Cap. 5. 1. 2. *Prophetaverunt autem*, inquit, *Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa & Jeruſalem, in nomine Dei Iſrael. Tunc ſurrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Joſue filius Joſedec, & cœperunt ædificare Templum Dei in Jeruſalem & cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos.* Et Cap. 6. 14. *Seniores autem Judæorum ædificabant, & proſperabantur juxta Prophetiam Aggæi Prophetæ, & Zachariæ filii Addo.*

Aggæi de Chriſto Vaticinium.

II. Ex *Aggæo* ſumptum eſt illud *S. Pauli* ad Hebræos: Capit. 12. 26. de Chriſto Oraculum: *Cujus vox movit terram tunc: Nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel: & ego movebo, non ſolum Terram, ſed & Cœlum.* Sic enim *Aggæus*, Cap. 2. 7. *Quia hæc dicit Dominus Exercituum: Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cœlum & Terram; & Mare & aridam. Et movebo omnes Gentes.* Et Verſ. 21. *Et factum eſt verbum Domini ſecundo ad Aggæum: Loquere ad Zorobabel Ducem Juda, dicens: Ego movebo Cœlum pariter & Terram.* Hanc orbis commotionem Chriſto *S. Paulus* optimo jure accommodat: Pars eſt enim celeberrimi & clariſſimi de Chriſto Vaticinii: Siquidem priore loco ſubdit Aggæus: *Et veniet Deſideratus cunctis Gentibus, & implebo Domum iſtam gloria, dicit Dominus Exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus Exercituum. Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ plusquam primæ, dicit Dominus Exercituum: Et in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus Exercituum.* Deſideratus Gentibus Chriſtus eſt, quem Patriarcha *Jacob* futurum *Expectationem Gentium* prædixit *Geneſis* 49. De quo *Iſaias* laudatus a *S. Paulo* ad *Romanos* 15. 12. ait: 12. *Exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.* Secundo Templo majorem gloriam conciliavit Chriſtus in ipſo docens: ipſe enim *Rex gloriæ* Pſalmo 23. 7. 8. & *Dominus gloriæ* 1. ad *Corinthios* 2. 8. appellatur. In Templo ſuo daturum ſe pacem Deus pollicetur: Chriſtus ſcilicet *Princeps pacis*; & *Pax noſtra eſt*. Hoc Vaticinium de Meſſia interpretatus eſt *R. Akiba* Libri *Sanhedrim* Cap. ultimo. Idque præclaro Commentario *S. Hieronymus* illuſtrat. *In Hebræo*, inquit, melius & ſignificantius habetur: *Et movebo omnes Gentes, & veniet Deſideratus cunctis Gentibus. Vere enim poſtquam ille venit, impleta eſt gloria Domus Domini. Et quantum Dominus diſtat a ſervo, tantum Domus Domini melior eſt, cui præeſt Dominus, a Domo priore, cui præfuit ſervus. Quod autem ait, Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus Exercituum: Non puto quemquam exiſtimare quod de argento loquatur & auro, quæ a divitibus & Regibus poſſidentur. Hæc enim modo non ſolum argentum & aurum Dei eſt quaſi Creatoris, ſed & cætera metalla .... Sed ego argentum quo Domus Dei ornatur, rectiſſime eloquia Scripturarum, de quibus dicitur:* Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. *Et aurum quod in occulto Sanctorum ſenſu, & cordis verſatur arcano, & ſplendet vero lumine Dei, quod & Apoſtolum de Sanctis, qui ſuper fundamentum Chriſti ædificant, ſenſiſſe perſpicuum eſt:* Aurum, argentum, lapides pretioſos, *ut in auro ſenſus occultus ſit: In argento, ſermo decens: In lapide pretioſo, opera Deo placentia. His metallis illuſtrior fit Eccleſia Salvatoris, quam quondam Synagoga fuerat: His lapidibus vivis ædificatur Domus Chriſti, & pax ei præbetur æterna.* Pſal. 1. Cor. 3. 6.

Idem Vaticinium ad Chriſtum pertinere *S. Auguſtinus* confirmat Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 35. *Aggæus*, inquit, *Chriſtum & Eccleſiam hac aperte*
„ *brevitate prophetat*: Hæc dicit Dominus Exerci-
„ tuum: Adhuc unum modicum eſt, & ego com-
„ movebo Cœlum & Terram, & Mare, & aridam;
„ & movebo omnes Gentes; & veniet Deſideratus
„ cunctis Gentibus. *Hæc Prophetia partim jam completa cernitur, partim ſperatur, in fine complenda. Movit enim Cœlum Angelorum & Siderum teſtimonio, quando incarnatus eſt Chriſtus: Movit Terram ingenti Miraculo de ipſo Virginis partu. Movit Mare & aridam, cum & in Inſulis, & in orbe toto Chriſtus annuntiatur. Ita moveri omnes Gentes videmus ad fidem. Jam vero quod ſequitur:* Et veniet Deſideratus cunctis Gentibus, *de noviſſimo ejus expectatur adventu. Ut enim deſideratus eſſet expectantibus, prius oportuit eum dilectum eſſe credentibus.*

Idem confirmat *S. Cyrillus Alexandrinus* Commentario in Aggæum. *Redit*, inquit, *ad Eccleſiam ex Gentibus, & ad tempora adventus Salvatoris noſtri. Tunc nimirum promittit ipſum agitaturum Cœlum & Terram, Mare quoque, & inſuper omnes Gentes. Ait namque:* Adhuc ſemel; ego movebo. *Quod meo quidem judicio hunc ſenſum continet. Quando Iſraelem, qui Idolis ſervierat, Ægyptiorumque moribus & Legibus innutritus erat, vindicare in libertatem cogitabat, & ad veritatis agnitionem transferre volebat, viſus eſt tantum non omnia concutere, aquis quidem in ſanguinem verſis, Cœlo grandine demiſſa, Mari diviſo, & inſtar murorum aquis defixis, & Cœlo Manna*
„ *ſuppeditante. Tale quiddam Pſalmiſta*: Deus cum
„ egredereris coram Populo tuo, cum pertranſires in
„ deſerto, Terra mota eſt: Etenim Cœli diſtilla-
„ verunt. *Commotam vero tunc Terram dicimus, utpote agitationem inconſultam ſuſtinentem in tam nobili exceſſu filiorum Iſrael, & intentæ mortalium mentem. Iſtiuſmodi motum rurſus futurum dicit tempore adventus Salvatoris noſtri: Quippe omnino ignoraturo qua per illum eveniret bona. Cognovit enim Cœlum hoc Myſterium, cujus teſtis eſt Paulus*: Ut innoteſcat nunc,
„ *inquit*, Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus Epheſ. 5.
„ per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. *Cognovit ſimiliter omnis Terra & Mare, hoc eſt, Inſulæ ...... Prædicatum eſt enim Evangelium per omnes*
„ *Gentes, juxta vocem Salvatoris. Et nunc*, Adhuc
„ *inquit*, ſemel & movebo Cœlum & Terram, & Verſionem
„ tunc venient electa omnium Gentium, & implebo 70. Interpretum
„ Domum iſtam gloria. *Fuerunt enim innumeri ex omni Gente inſignes & electi qui crediderunt, & quaſi ſplendida quædam anathemata ſeu donaria in Domum Dei congregati, & illi ita ideas conciliantes, eamque gloriosam & celebrem reddentes, a Chriſto viciſ-* ſequitur S. Cyrillus.
„ *ſim glorificati ſunt.* Meum eſt argentum, & me-
„ um eſt aurum. *Perinde ac ſi dicat: Ne ingloriam fore exiſtimetis Templum, quoniam auro & argento ſplen-*

ſplendidiſque divitiis fortaſſe carebit. Non indigeo his. Meum eſt enim argentum & aurum omne. Potius germanos ac ſinceros adoratores requiro. Horum fulgore Templum meum inaurabo .... Sit ornatus meus, qui eſt fide recta præditus virtutis ornamentis eximius, charitate in me ſplendidus, mundus corde, pauper ſpiritu, miſericors & bonus. Sic enim ad Templum, hoc eſt, ad Eccleſiam congregati & collecti, eam præ- „ *claram & conſpicuam efficient.* Quare magna erit „ gloria Domus iſtius noviſſimæ ſuper primam, di- „ cit Dominus Omnipotens: Et in loco iſto dabo pa- „ cem. *Tempore enim adventus Salvatoris noſtri glorioſus abſque ulla comparatione divinum Templum apparuit, tantoque illo veteri præclarius & excellentius, quanto quis cultum Religionis legalem a cultu in Chriſto & Evangelio, & veritatem ab umbris diſcerni judicaverit. Aſt hac illud quoque dici poſſe arbitror: Unum erat Templum, & Hieroſolymis tantum, & Gens Iſraelitica in eodem Sacrificiis fungebatur. Poſtquam vero noſtrum ſimilis factus eſt Unigenitus, cum eſſet Deus & Dominus, & illuxit nobis, de cætero Orbis Terrarum Domibus Sanctis, & adoratoribus innumerabilibus qui ſpiritualibus Sacrificiis & odoribus univerſorum Deum venerantur, impletus eſt. Verum eſt igitur, gloriam noviſſimi Templi, Eccleſiæ puta, majorem fore. Solicitis autem, & de ejus ædificatione laborantibus velut xenium a Salvatore, & donum de Cælo datum iri Chriſtum, omnium pacem,*

Ephes. 2. *per quem acceſſum habemus in uno Spiritu ad Patrem,* „ *declarat, cum ait:* Dabo pacem in loco iſto, „ & pacem animæ in acquiſitionem omni conſtruenti

Joan. 14. „ ad excitandum Templum hoc. *Ait enim alicubi Chriſtus quoque: Pacem meam do vobis. Quæ ea quomodo condecat diligentibus, docebit Paulus: Pax Chri-*

Philip. 4. *ſti, inquit, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiet corda veſtra, & intelligentias veſtras.*

ARTICULUS II.

De Zacharia Propheta.

Zacharia genus. I. ZAcharias filium *Barachiæ*, filii Addo ſeipſum dicit. *Filium Addo ſimpliciter* appellat *Eſdras* Cap. 5. Septuaginta *Barachiæ* & *Addo* filium vocant. *S. Hieronymus* in Interpretatione ſua ad Hebraicam veritatem edita, *Zachariam filium Barachiæ, filium Addo Prophetam*. Addonis filius dicitur, id eſt, nepos, ut ex Vulgata noſtra colligitur. Alias enim generali filiorum nomine nepotes ab Hebræis appellari ſolent, ut probat illud Matthæi 1. *Liber Generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham.* An veriſimile eſt quod ait *S. Hieronymus*, *Addonem* hunc *Zachariæ* avum eum ipſum eſſe, qui ad *Jeroboamum* in Bethel ſacrificantem miſſus, futuram ſacrilegi Altaris demolitionem prædixit: Inter avum enim & nepotem quadringenti & quinquaginta anni interceſſiſſent. Difficultas omnis evaneſcet, ſi Barachiam *Zachariæ* patrem filium *Addo* appellatum ſtatuamus, quod ex ejus quidem ſtirpe, non quod ab ipſo immediate genitus ſit. Vaticinatus eſt *Zacharias* anno ſecundo *Darii Hyſtaſpis*, menſe octavo, duobus poſt *Aggæum* menſibus. Hinc colligere licet, noſtrum hunc *Zachariam* diverſum eſſe ab altero *Zacharia* filio etiam *Barachiæ*, cujus meminit *Iſaias* Capite 8 cum inter *Achazum* Regem Juda, ad cujus ætatem pertinet hoc *Iſaiæ* Caput, & *Darium Hyſtaſpis* anni pluſquam ducenti interceſſerint. Accedit quod ille *Zacharias* Iſaiæ quem Editio vulgata *Barachiæ* filium facit, *Jebarechiæ* filius fuerit juxta Hebraicos Codices. Alius etiam fuit Propheta noſter ab illo qui *Joaſi* Regis juſſu in Atrio Domus Domini lapidibus obrutus eſt, ut narratur 2. *Paralipomenon* Cap. 24. 21. Utrum vero ille de quo agimus idem cum illo ſit, quem Chriſtus *Matthæi* 23. 35. & *Lucæ* 11. 51. interfectum dicit a Judæis inter Templum & Altare, an potius *Zachariam* alterum a *Joaſo* Rege oppreſſum Chriſtus indigitaverit, difficultas non levis eſt. In ea conſtans ſum opinione, quam olim adſtruxi, *Zachariam* inter Minores Prophetas undecimum illum ipſum eſſe quem Chriſtus commemoravit. Nam Salvator noſter juſtos viros recenſens a Judæis occiſos, & incipiens ab *Abele*, deſinere videtur in ultimo Prophetarum quos interfecerunt. At poſt illum *Zachariam*, de quo in Paralipomenis, multi alii Prophetæ juſtique viri a Judæis trucidati ſunt. Secundo, ille Paralipomenon, filius erat *Jojadæ* Summi Sacerdotis, unde ibi dicitur: *Et non eſt recordatus Joas Rex miſericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius ſecum, ſed interfecit filium ejus.* Ille vero Chri- *Matth. 23.*
ſti filius erat Barachiæ: *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare.* Propheta autem noſter *Barachiæ* filium ſe declarat. Hunc nodum quidem ſolvit *S. Hieronymus*, dicendo *Jojadam* ipſum a Chriſto *Barachiam* appellatum, eoque nomine Sacerdotis *Jojadæ* juſtitiam commendari. Id tamen, licet ingenioſe excogitatum, minus probabile videtur. Nullum enim in Scriptura Sacra fundamentum habet ſubſtitutio nominis *Barachiæ* pro *Jojada*. Nullibi in Hiſtoria Sacra Veteris Teſtamenti *Jojadæ* Pontifici nomen etiam *Barachiæ* fuiſſe legimus. *Jojadae* appellatus etiam eſt *Johanam* ut conſtat ex 2. *Paralipomenon* 6. 9. nuſquam *Barachias*. An ergo veriſimile eſt, Chriſtum utrumque Summi illius Sacerdotis nomen ex Scriptura notum prætermiſiſſe, ut eum alio nomine Judæis ignoto, & Juſtis omnibus communi, quatenus *Benedictum Domini* ſignificat, indigitaret? In Evangelio quidem, quo utuntur Nazaræi, pro filio *Barachiæ*, filium *Jojadæ* ſcriptum ſe reperiſſe *S. Hieronymus* teſtatur: Sed major eſt cæterorum omnium Codicum S. Matthæi, Græcorum, Latinorum, Syriacorum, Perſicorum, Æthiopicorum, Arabicorum fides, in quibus *Zacharias* filius *Barachiæ* legitur quam illius Nazaræorum, cui *Hieronymus* ipſe fidem derogavit, cum Novum Teſtamentum *S. Damaſi* Pontificis Maximi juſſu Græcæ fidei reddidit. Tertio, *Zacharias* ille de quo in Paralipomenis, occiſus eſt *in Atrio Domus Domini*, in Atrio utique Populi: Hic autem de quo Chriſtus, *Inter Templum & Altare*, id eſt, in Atrio Sacerdotum. Unde locum hic non habet *S. Hieronymi* objectio, quod *Zachariæ* Prophetæ temporibus vix ruinæ Templi ſuperfuerint. Neque enim id neceſſe eſt, ut inter Templum & Altare occiſus fuerit. Altare ſcilicet æneum Holocauſtorum pro foribus Templi poſitum erat, ita ut iis apertis in conſpectu omnium Sacrificia fierent, ut ait *Joſephus* Libro 8. *Antiquitatum*, Cap. 2. Templum vero proprie dicebatur pars illa Domus Dei, quæ alias vocabatur *Sancta*, ad quam Sacerdotibus ſolis patebat aditus. Hanc inter & Altare Holocauſtorum occiſum *Zachariam* Chriſtus ſignificat. Sed, inquiunt, *Zachariam* Prophetam a Judæis occiſum inter Templum & Altare Scriptores Sacri non tradunt. Quaſi ſatis non ſit id a Chriſto traditum eſſe. Unde *Origenes* Epiſtola ad *Africanum* ſcribit: *Sed & de Zacharia filio Barachiæ, occiſo inter Templum & locum Sacrificiorum, a Jeſu quidem didicimus, a nulla vero alia Scriptura cognovimus.*

II. Reditum reliquiarum Judæ in Jeruſalem, & *Zachariæ*
inſtaurationem Templi ac Urbis proxime futuram, *Vaticini-*
vaticinatur *Zacharias*, Populique proſperitatem. *Je-* *um.*
ſum Joſedech Sacerdotem Magnum & *Zorobabelem* ad fabricam Templi conſummandam adhortatur, illos ſub duarum olivarum ſymbolo deſignans. Sub figura quatuor quadrigarum *Cap. 6.* quatuor Imperia repræſentat, quæ ſibi ordine ſucceſſerunt, & ſe mutuo everterunt, Babylonicum, Perſicum, Græcum, & Romanum, ſub quo naſciturus erat Chriſtus; de quo, & ejus Eccleſia inſignia clariſſimaque Oracula edidit.

III. Ad Chriſtum ſcilicet pertinet illud Capitis ſe- *Zachariæ*
cundi: *Hæc dicit Dominus Exercituum: Poſt gloriam* *Vaticinia*
miſit me ad Gentes, quæ ſpoliaverunt vos: Qui enim *de Chriſto*
tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: Quia ecce *& Eccle-*
ego levo manum meam ſuper eos, & erunt præda his *ſia.*
qui ſerviebant ſibi; & cognoſcetis quia Dominus Exercituum miſit me. Lauda, & lætare filia Sion: Quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in Populum, & habitabo in medio tui; & ſcies quia Dominus Exercituum

miſit

Digitized by Google

miſit me ad te. Dominus Exercituom loquitur, & *a* Domino Exercituum ſe miſſum ſignificat, *ut* in medio Popoli *ſui* habitet: Chriſtus ſcilicet verus Deus ac Dei Filius, a Deo Patre miſſus in Mundum eſt, & homo factus, medius noſtrum ſtetit, & habitavit in nobis. Incarnationis vero ejus fructus fuit converſio Gentium plurimarum ad Dominum, quæ Chriſto in Gentem ſanctam, & Populum acquiſitionis factæ ſunt, ab eoque Populus Chriſtianus ſunt appellatæ. Converſis autem ad Chriſtum Gentibus Dæmones, quibus olim ſerviebant, in prædam dati ſunt. *Theodoreti* verbis hunc locum illuſtrare placet, hujuſque explicationem Vaticinii confirmare. *Hac*, inquit, *adumbrate & typice illis evenerunt*, (nempe Judæis) *Prophetia autem veritas in nobis apertiorem exitum habuit. Dæmones enim nos depopulantes, & mentem noſtram ſibi vindicantes, omniaque noſtri corporis membra in ſervitutem ſuam redigentes, Chriſtus Dominus profligans, ſub jugum eos ſubjecit Sanctorum ſervorum ſuorum .... Sic etiam ante victores Martyres uſque in hunc diem clamant, invitique illorum victoriam prædicant, ſuamque infirmitatem declarant. Hos igitur, qui nos olim prædati ſunt, tamquam ſpolia quædam ſpoliatis dedit ille qui poſt gloriam miſſus eſt; ut veterem gloriam, quam deceptus perdidit generis auctor Adam, hanc natura noſtra recuperaret; & cognoſcamus benefactorem, & Salvatorem animarum noſtrarum, & Patrem, qui eum benignitate ſua miſit. Miſſus eſt autem non ut Deus, ſed ut homo. In quantum enim Deus æqualis eſt Patri ..... Demonſtravit igitur nobis Propheta, non ſolum Divinitatem Perſonarum, ſed etiam æqualitatem Perſonarum*. Hæc enim dicit, Dominus omnipotens poſt gloriam miſit me. *Ergo & qui miſit Dominus omnipotens eſt, & qui miſſus eſt Dominus omnipotens, & nullum eſt dignitatem diſcrimina. Miſſus eſt autem, ut dixi, qua homo eſt, non qua Deus, diſpenſationem pro nobis peragens; & miſſus ſecum habuit, qui miſerat, Patrem*. Pater enim meus in me manens, ipſe facit opera. *Deinceps Propheta infert*: Lætare & gaude filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus. *Hoc etiam perſpicue in nos ex Gentibus vocatos, & ſalutem adeptos convenium, qui lætari & gaudere jubemur, ut qui nobiſcum verſantem habuerimus omnium rerum Dominum. Hoc autem loco pariter etiam Perſonarum binarium &*
„ *æqualitatem docemur*. Ecce autem veniam & habi-
„ tabo in medio tui, dicit Dominus; & ſcies quia
„ Dominus omnipotens miſit me ad te. Et poſſi-
„ debit Dominus Judam partem ſuam in Terra ſan-
„ cta, & eliget adhuc Jeruſalem. *Ex Juda enim ſervi formam accepit Dominus, & eam partem ſuam fecit. Cujus rei teſtis eſt divinus Paulus exclamans*:
Hebr. 7. Manifeſtum eſt autem, quod ex Tribu Juda ortus ſit Dominus. *Et oſtendens quod non modo Jeruſalem, ſed etiam univerſum genus humanum ad ſalutem vocet, addit*: Timeat omnis caro a facie Domini, quoniam ſurrexit de nubibus ſanctis ſuis. *Nubes autem Sanctos Prophetas recte vocat, nihil ſuum loquentes, ſed tamquam ex Mari quodam gratia Spiritus pluviam propheticam haurientes. Ab his ſurrexiſſe & apparuiſſe illum dicit. quia cum per hos prædixiſſet adventum ſuum, & hic qua præſignificaverat finem impoſuiſſet, ipſa veritate Prophetiam divinam fuiſſe oſtendit. Hæc ſi Judæis ad tempus converſionis accommodentur, ut quidam interpretati ſunt, non valde repugno. Quod vero prædictio verum & certum poſt Incarnationem Salvatoris noſtri exitum ſortita ſit, hinc intelligitur, quod ex eo tempore infinita Gentium millia, priori errore adjecto, ad Deum univerſorum tranſierunt, & Populus appellatus eſt divinus: Ex eo tempore pius cœtus ex Gentibus congregatus habitavit Jeruſalem. Ex eo tempore omnis caro & priorem Salvatoris adventum excepit, & ſecundum adventum extimuit*.

Jeſus Joſedech ut Chriſti Jeſu typus a Zacharia propoſitus.

IV. *Zacharia* Cap. 3. *Jeſus Sacerdos Magnus* nobilis typus eſt Chriſti Jeſu, *Sacerdotis in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Satan ſtabat a dextris Jeſu Sacerdotis Magni, ut adverſaretur ei: Diabolum Chriſtus Jeſus adverſarium habuit perpetuum, *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Satanam Jeſu Joſedechidæ repugnantem increpuit Dominus: Dæmonem tentatorem Chriſtus increpuit, dicens: *Vade Satana*. (Matthæi 4. 10.) *Et in Synagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamavit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio te quis ſis, Sanctus Dei. Et increpavit illum Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo. Et cum projeciſſet illum Dæmonium in medium, exiit ab eo, nihilque illum nocuit. Et factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis Spiritibus, & exeunt?* (Lucæ 4. 33. 34. 35. 36.) Jeſus indutus erat *veſtibus ſordidis; & ſtabat ante faciem Angeli*. Chriſtus *habitu inventus ut homo*, peccata noſtra ipſe tulit, ac ſupplicii ignominia fœdatus eſt. Cum in agonia conſtitutus eſſet in Monte Olivarum, *Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum*. (Lucæ 22. 43.) Jeſus Joſedechides noxis purgatus novas veſtes & mundas induit, eique cidaris impoſita eſt. *Eum, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum*. (Epiſtolæ ad *Hebræos* 2. 9.) Jeſu Joſedechidæ dixit Deus: *Tu quoque judicabis Domum meam, & cuſtodies Atria mea*. Chriſtum Jeſum Deus vivorum & mortuorum Judicem conſtituit, totiuſque Eccleſiæ Sanguine ejus acquiſitæ cuſtodem præpoſuit. Chriſtum quoque manifeſte deſignat illud ejuſdem Capitis Verſ. 8. 9. 10. *Ecce ego adducam ſervum meum Orientem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jeſu: Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt: Ecce ego cælabo ſculpturam ejus, ait Dominus Exercituum; & auferam iniquitatem terræ illius in die una. in die illa, dicit Dominus Exercituum, vocabit vir amicum ſuum ſubter vitem & ſubter ficum*. Et Cap. 6. 12. 13. *Hæc ait Dominus Exercituum, dicens: Ecce Vir Oriens nomen ejus; & ſubter eum orietur, & ædificabit Templum Domino. Et ipſe exſtruet Templum Domini; & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo*. Chriſtum Jeſum *Orientis* nomine ſignificatum conſtat ex Cantico *Zachariæ* patris S. Joannis Baptiſtæ: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto*. Servus appellatur a *Zacharia*, ut & ab aliis Prophetis: *Humiliavit* enim *ſemetipſum formam ſervi accipiens*. Lapidis unius ſymbolo adumbratur: Ipſe enim *lapis eſt quem reprobaverunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli. In quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum Sanctum in Domino. Lapis ab hominibus quidem reprobatus, a Deo autem electus & honorificatus, in quo & nos tamquam lapides vivi ſuperædificamur in habitaculum Dei in Spiritu. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. (Actuum 4. 2. Ad Epheſios 2. 19. & ſeq. 1. Petri 2. 4. 1. ad Corinthios 3. 2.). Septem oculi providentiam Chriſti in Eccleſiam ſignificant. (Apocalypſis 5.) *Et vidi Agnum habentem oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram*. Sive ſeptem dona Spiritus Sancti, quibus cumulatus eſt Chriſtus. (*Iſaiæ* 11. 2.) Abſtulit iniquitatem terræ in die una, qua *Dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi Populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*. (Ad *Titum* 2. 13. 14.) Pax qua totus fruebatur orbis Chriſto Jeſu naſcente, ſignificatur his verbis: *Vocabit vir amicum ſuum ſuper vitem, & ſuper ficum*: Sicut & a *Michæa* Cap. 4. 4. *Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat*. Ædificavit Templum Domino, ſcilicet Eccleſiam Dei (*Matthæi* 16. 18. 19.) & Sanctos omnes, qui *tamquam lapides vivi ſuperædificantur, Domus ſpiritualis, Sacerdotium Sanctum*. (1. Petri 2.) De quibus ait: *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius; & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen Civitatis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum*. (Apocalypſis 3. 12.) Ipſe portat gloriam. Eſt enim *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Dei, ſedens ad dexteram Majeſtatis in excelſis*. (Ad *Hebræos* 1. 3.) Sedet & dominatur ſuper ſolio ſuo: Deus enim ſuſcitavit illum a mortuis, & *conſtituit ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Domina-*

nationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. (Ad Epheſios 1. 20. 21. 22.) Lege S. *Hieronymum* in Commentario hujus Capitis.

Chriſti triumphalis ingreſſus Hieroſolymam.

V. Inſignis eſt & illa de Chriſto prædictio Zachariæ 9. 9. 10. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi Juſtus & Salvator: Ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jeruſalem, & diſſipabitur arcus belli; & loquetur pacem Gentibus, & poteſtas ejus a Mari uſque ad Mare, & a fluminibus uſque ad fines terræ;* Hoc Vaticinium de Meſſia intellectum a Judæis, & in Chriſto Jeſu fuiſſe completum, conſtat ex SS. Evangeliſtarum Matthæi & Joannis teſtimoniis. Matth. 21. *Cum appropinquaſſet Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad Montem Oliveti: Tunc Jeſus miſit duos Diſcipulos, dicens eis: Ite in Caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: Solvite, & adducite mihi; & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet; & confeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis. Euntes autem Diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Jeſus. Et adduxerunt aſinam & pullum; & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: Alii autem cædebant ramos de arboribus & ſternebant in via; Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoſanna in altiſſimis.* Joannis 12. *In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent quia venit Jeſus Hieroſolymam, Acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant: Hoſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. Et invenit Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Sion: Ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ. Hæc non cognoverunt Diſcipuli ejus primum, ſed quando glorificatus eſt Jeſus, tunc recordati ſunt quia hæc erant ſcripta de eo, & hæc fecerunt ei.*

Grotius refellitur.

Vaticinium illud *Zachariæ* ad *Zorobabelem* perperam detorquet *Grotius*. Neque enim ipſe Rex fuit, nec pauper, nec aſino vectus legitur, nec pacem Gentibus dedit, nec poteſtas ejus a Mari uſque ad Mare, & a fluminibus uſque ad fines terræ pertinuit. At Chriſtus Jeſus Rex eſt & Dominus omnium, de quo Angelus ad *Mariam* Virginem ejus Matrem: *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum; & Regni ejus non erit finis.* Qui de ſeipſo ait Matthæi 28. 18. *Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra.* Ipſe omnium hominum pauper, qui de ſe ait Matthæi 8. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* De quo Apoſtolus 2. ad Corinthios 8. 9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum dives eſſet, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Ipſe pacem hominibus dedit: De quo *Zacharias* Joannis Baptiſtæ pater: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Quo nato pax in terra nuntiata ab Angelo eſt hominibus bonæ voluntatis. Qui poſt Reſurrectionem ſuam Diſcipulis, & in ipſis Fidelibus omnibus pacem dedit, dicens: *Pax vobis.* In cujus ſanguine nos qui aliquando eramus longe, facti ſumus prope. *Ipſe enim eſt Pax noſtra* (ut ait Apoſtolus ad *Epheſios* 2. 13. 14.) Ejus denique poteſtas per totum orbem porrigitur, de quo & a *Davide* prædictum eſt Pſalmo 71. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis..... Et dominabitur a Mari uſque ad Mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum..... Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſervient ei:* De quo Apocalypſis 11. 15. *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Factum eſt Regnum hujus Mundi Domini noſtri, & Chriſti ejus, & regnabit in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Judæorum quorumdam pertinaciam, & *Grotio* ingenio ſuo plus quam par fuiſſet permittentis temerariam libertatem, illud *Zachariæ* Vaticinium, quod expendimus, ad *Zorobabelem* detorquentium, Theodoreti verbis ſupereſt ut refellamus. *Hæc*, inquit, *ex ipſis rebus apertam habent expoſitionem. Etenim Rex, quem Prophetæ prædixerant, venit, & juſtitia ſua peccatum delevit, & manſuetudine diaboli ſuperbiam fregit, & qui pullo aſinæ inſedit, Reges habet adoratores, qui auro & lapidibus pretioſis ornatis vehiculis geſtantur. De hoc pullo Beatus etiam Jacob vaticinatur, dicens: Alligans ad vitem pullum aſinæ ſuæ:* Et diſperdet quadrigas Ephraim, & equum de Jeruſalem; & diſperdam arcus pugnantium, & multitudo & pax ex Gentibus. *Hæc*, inquit, *moderatione uſus Rex univerſorum Maximus, perdidit quadrigas ex Ephraim, & equum ex Jeruſalem, eorum audaciam, & Regnum dirnens inſanum, & vero arcum etiam pugnantium perdidit, & multitudinem per Romanorum pacem Gentibus peperit, & facultatem veritatis enuntiandæ Præconibus largitus eſt. Nam poſtquam omnia ſub unum Imperium ſubjecta fuerunt, atque bella inter ſe Gentes gerere deſierant, & pax toto orbe terrarum conſtituta fuit, intrepide Apoſtoli, quibus promulgandæ veritatis negotium datum fuerat, orbem terræ peragrarunt, & peragrantes orbem, homines ad vitam venati ſunt. Et quod omnium maxime eſt mirandum, is qui non habebat ubi reclinaret caput, quique pullo inſedit, totius Terræ, Marisque, cum illi placuit, Imperium tenuit. Hæc vero etiam ſermo propheticus prædixit:* Et dominabitur aquis a Mari uſque ad Mare, & a fluminibus uſque ad exitus terræ. *Ego vero Judæorum ſtuporem admiror, qui impudentiſſime hanc prophetiam de Zorobabel interpretari conantur. Nam Zorobabel non totam Palæſtinam tenuiſſe, ſed ſolam Judæam, ipſimet Judæi confitentur; Propheta autem prædixit eum qui pullo inſedit toti orbi imperaturum. Accedit quod Chriſtum pullo uſum fuiſſe novimus; Zorobabel vero id feciſſe, nemo ad hunc diem dixit ex his qui divina conſcripſerunt. Quod ſi Chriſtus Dominus juxta Prophetiam pullo aſinæ eſt, & Imperium orbis terræ tenuit, & Deus verus eſſe creditur & prædicatur, delevitque Regnum Ephraim & Iſrael, de eo & hæc Propheta prædixit, & Prophetia ſine dubitatione ad finem pervenit.*

Commentar. in Zachar. 9.

VI. Chriſto Jeſu pariter conveniunt, quæ apud *Zachariam* ſequuntur ejuſdem Capitis Verſ. 11. *Tu quoque in Sanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Ille enim ſurrexit *ſolutis doloribus inferni, & expolians Principatus & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Et, *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* (ut Patriarchas, cæteroſque Juſtos inde educeret) *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.* (1. Petri 3. 18. & ſeq. Coloſſ. 2. 15. ad Epheſios 4. 8. 9.) *Hunc Locum* (inquit Theodoretus) *ſive de morte æterna, ſive de errore Idolorum velit quis intelligere, a veritate non aberrabit. Sic enim & per Jeremiam ait univerſorum Deus:* Duo mala fecit Populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. *Sic autem laborioſum & inutilem Idolorum cultum nuncupavit. Nam miſere laborantes in Idolis colendis nullos ex his fructus ceperant, ſed inſuper vitæ jacturam fecerunt. Cum in hoc lacu vincti eſſent homines, Chriſtus Dominus eos ſolvens & educens, ac pretioſo Sanguine libertatem eis donans, ad viam vitæ illos emiſit, cum eis Novum Teſtamentum dedit.*

Jeremias.

VII. Pergit Propheta ibidem Verſ. 16. & 17. *Et ſalvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem Populi ſui: Quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram ejus. Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Lapides ſancti ſunt Chriſtiani

qui

qui ſecundum Evangelium vivunt, *Lapides vivi, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum; ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* (1. Petri 2. 4. 5. ad Epheſios 2. 20.) Iidem Grex in Domino Jeſu Chriſto ſalvatus, & Populus ejus. Frumentum vero electorum & vinum germinans Virgines, ipſe Chriſtus eſt, qui loquitur in Evangelio Joannis 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert.* De hoc tritico efficitur ille *Panis qui de cœlo deſcendit; & qui confirmat cor hominis.* Hunc panem comedunt, qui in Chriſto robuſti ſunt; & ad quos S. Joannes Evangeliſta loquitur: *Scribo vobis Juvenes, quoniam fortes eſtis, & Verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.* Qui frumentum eſt electorum, ipſe eſt & vinum quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his Virginibus, quæ ſunt ſanctæ corpore & ſpiritu, ut inebriatæ atque gaudentes ſequantur Eccleſiam, & dicatur de eis: *Adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in Templum Regis.* Quæ inebriatæ poculo Salvatoris ajunt: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Hoc vino qui inebriati ſunt, *Sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi cum mulieribus non ſunt coinquinati; Virgines enim ſunt.* Lege S. *Hieronymi* Commentarium in hunc *Zachariæ* locum.

Joan. 6.
Pſ. 103.
1. Joan. 2.
Pſ. 44.
Cant. 2.

Chriſti venditio a Zacharia prænuntiata.

VIII. Venditionis Chriſti, cujus pretio ager figuli emptus eſt, prædictio extat *Zachariæ* 11. 12. 13. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos; & dixit Dominus ad me: Projice illud ad ſtatuarium, decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in Domum Domini ad ſtatuarium.* De Chriſto Jeſu hæc intelligenda conſtat ex Matth. 27. & 28. *Tunc abiit unus de Duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos ...... Videns Judas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit, triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in Templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in Corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt Ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Prophetæ ſententiam S. *Matthæus* expreſſit, verba ipſa non reddidit, ut obſervat S. *Hieronymus* Commentario in Matthæum, & Libro *De optimo genere interpretandi.* In Chriſtum vero Jeſum convenire, præter ejus auctoritatem perſuadent accurate deſignata venditio, pretium venditionis, & numerus ac projectio nummorum, locus etiam projectionis, ac nomen loci. Nec refert quod *Zacharias* triginta argenteos projectos dicat *ad ſtatuarium*, S. vero *Matthæus* emptum ex illis dicat *agrum figuli.* Idem enim Prophetæ & Evangeliſtæ ſenſus eſt. Vox ſiquidem Hebraica *Joſer* fictorem ſignificat qui ex terra ſtatuas aut vaſa teſtacea fingit. Unde S. *Hieronymus* in hunc locum: Pro πλάςα atque *fictore* inquit, *ſtatuarium olim interpretatus ſum verbi ambiguitate compulſus, quod ſtatuarium fictoremque uno ſermone ſignificat.* Sed cur *Zachariæ* Vaticinium *Jeremiæ* ab Evangeliſta tribuitur? Quidam memoriæ lapſum S. *Matthæo* tribuunt, quod de Auctore Spiritu Sancto afflato ſuſpicari nefas. Alii vel ex Libris *Jeremiæ* qui intercerint, vel ex Apocryphis ſub *Jeremiæ* nomine vulgatis, vel ex Vaticiniis ore prolatis, & Traditione commendatis, non ſcripto proditis, volunt illud *Jeremiæ* ab Evangeliſta laudatum. S. *Hieronymus* Commentario in Matthæum, Apocryphum *Jeremiæ* Librum Hebraice ſcriptum a Nazaræa Sectæ homine Hebræo ſecum teſtatur communicatum, in quo teſtimonium illud propriis verbis conceptum extabat. Alii *Jeremiæ* nomen pro *Zachariæ* nomine S. *Matthæi* memoriæ occurriſſe volunt, afflatu Spiritus Sancti, idque conſiderantem Evangeliſtam reliquiſſe *Jeremiæ* nomen, ut ſignificaret eumdem Spiritum locutum per Prophetas, ideoque unius Vaticinia poſſe alteri tribui. Sicut ſi quis volens alicujus verba indicare, dicat nomen alterius a quo dicta non ſint, qui tamen ſit amiciſſimus & familiaritate conjunctiſſimus illi cujus verba dicere voluit, & continuo recordatus alium pro alio ſe dixiſſe, ita ſe colligat atque corrigat, ut tamen dicat, bene dixi, quid aliud intuens, niſi tantam inter ambos eſſe concordiam, inter illum ſcilicet cujus verba dicere voluit, & alium, cujus ei nomen pro illius nomine occurrit, ut tale ſit hoc iſtum dixiſſe, quale ſi ille dixiſſet? *Quanto magis hoc de Prophetis Sanctis intelligendum & maxime commendandum fuit, ut omnium Libros tamquam unum unius Librum acciperemus, in quo nulla rerum diſcrepantia crederetur, ſicut nulla inveniretur, & in quo major eſſet conſtantia veritatis, quam ſi omnia illa unus homo quamlibet doctiſſimus loqueretur? Quod ergo hinc argumentum ſumere conantur vel infideles vel imperiti homines, quaſi ad oſtendendam diſſonantiam Sanctorum Evangeliſtarum, hoc potius debent aſſumere fideles & docti ad oſtendendam unitatem Sanctorum etiam Prophetarum.* Ita S. *Auguſtinus* Libro 3. *De Conſenſu Evangeliſtarum*, Cap. 7. Alii ex *Jeremiæ* & *Zachariæ* collatis teſtimoniis Evangeliſtam id expreſſiſſe dicunt, quia *Jeremiæ* 32. 9. legitur, *Jeremiam* emiſſe agrum a filio fratris ſui, & dediſſe ei argentum, non quidem ſub hoc nomine pretii quod poſitum eſt apud *Zachariam*, triginta argenteis: veruntamen agri empti mentionem apud *Zachariam* non extare. Igitur S. *Matthæum* utriuſque Prophetæ locum, in quo Spiritu Sancto revelante noverat Vaticinium eſſe venditionis Chriſti a Juda proditore, & projectionis pretii ad emendum agrum figuli, in unam ſententiam conflaſſe, & ſub *Jeremiæ* nomine protuliſſe. *Liber quippe empti agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile, & emitur de pretio Domini ager figuli, & hic ad ſepulturam peregrinorum, tamquam ad permanſionem quietis eorum, qui in hoc ſæculo peregrinantes conſepeliuntur Chriſto per Baptiſmum. Nam & illam emptionem agri hoc ſignificare Jeremiæ dixit Dominus, Quia erit permanſio de captivitate liberatorum in illa terra.* Ita S. *Auguſtinus* ibidem. Alii reſpondent in hoc *Sancti Matthæi* loco eſſe *ἁμάρτημα γραφικὸν, mendum Scripturæ*, & pro *Zachariæ* obtruſum *Jeremiam* exſcriptorum oſcitantia & negligentia, eumque errorem ab uno Codice in reliquos propagatum, longe majorem Exemplarium partem invaſiſſe. Planior ac veriſimilior *Eruditis* quibuſdam Viris poſtrema hæc Reſponſio videtur, magnis etiam fulta Nominibus. Hanc enim approbant *Origenes* Tractatu 35. in *Matthæum*, & *Euſebius* Libro 10. *Demonſtrationis Evangelicæ*, pag. 482. *Sancto* quidem *Auguſtino* reſponſio iſta non placuit, ipſius tamen uſum liberum reliquit, ut quæ non levi fundamento niteretur. *Si quis*, inquit, *movetur, quod hoc teſtimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ Prophetæ, ideo putat Fidei Evangeliſtæ aliquid derogandum, primo noverit non omnes Codices Evangeliorum habere, quod per Jeremiam dictum ſit, ſed tantummodo per Prophetam. Poſſemus ergo dicere his potius Codicibus eſſe credendum qui Jeremiæ nomen non habent: Dictum eſt enim hoc per Prophetam, ſed Zachariam; Unde putatur Codices eſſe mendoſos qui habent nomen Jeremiæ; quia vel Zachariæ habere debuerunt, vel nullius, ſicut quidam ſed tantum*, PER PROPHETAM DICENTEM, *qui utique intelligitur Zacharias. Sed utatur iſta defenſione cui placet: Mihi autem cur non placeat, hæc cauſa eſt, quia & plures Codices habent Jeremiæ nomen; & qui diligentius in Græcis Exemplaribus Evangelium conſideraverunt, in antiquioribus Græcis ita ſe perhibent inveniſſe: Et nulla fuit cauſa cur adderetur hoc nomen ut mendoſitas fieret; Cur autem de nonnullis Codicibus tolleretur, fuit utique cauſa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæſtione, quod hoc teſtimonium apud Jeremiam non invenitur.* Jeremiæ nomen nec Syriaca Interpretatio præfert nec Perſica. *Rupertus* Abbas Libro

Cur hoc Vaticinium Jeremiæ tribuit S. Matthæus.

bro 11. *De Gloria & Honore Filii hominis*, hunc locum profert abſque Prophetæ nomine: *Tunc impletum quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos*, &c. In Commentario vero hæc habet: *Propheta per quem hoc dictum fuerat, Zacharias eſt, ſed per incuriam Scriptorum inolevit, ut hic pro Zacharia nominaretur Jeremias*. E recentioribus *Franciſcus Lucas Brugenſis* in Notis ad Varias Lectiones Editionis Latinæ Evangelii ſecundum Matthæum, Verſum 9. Capitis 17. expendens, *Quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam*, ait: *Non dubito, ſalvo Superiorum judicio, quin ſit omittendum nomen JEREMIAM, juxta fidem veteris illius Evangelii Manuſcripti, quod citavimus in Notationibus noſtris prolixioribus, aſſervati in Collegio Societatis Jeſu Lovanienſi. Nam & Auguſtinus* Libro 3. *De Conſenſu Evangeliſtarum*, Cap. 7. *teſtatur, ſuo tempore a quibuſdam Latinis Codicibus abfuiſſe: Quod etiam Lyranus annotat in antiquis Libris haud legi. Huc accedit Syriacum Evangelium, quod nullum hic Prophetam nominat. Suffragatur denique mos Evangeliſtæ, qui ita conſuevit plerumque Scripturas laudare*, Quod dictum eſt per Prophetam, *nullo Propheta nominatim expreſſo*, Capit. 1. Verſ. 22. Cap. 2. v. 6. 15. 23. Cap. 13. 35. Cap. 21. 4. *Quare Doctiſſimi quique Viri hodie ſentiunt ita potius legendum eſſe, nullius Prophetæ nomine addito, Janſenius, Maldonatus, Baronius. Quidam etiam Veterum contendunt pro* Jeremiam, *legendum eſſe* Zachariam (*Locus enim præſens ex Zacharia ſumptus eſt, non ex Jeremia*) *Sed nulli aſſerunt Codices qui legant* Zachariam. *Nam quod Jeremiæ potius nomen additum fuerit quam Zachariæ, ex eo profectum fuiſſe videtur, quod apud Interpretes Septuaginta, quorum Editio olim erat in vulgari uſu, extet Jeremiæ 32. clara Hiſtoria de agro, quem Jeremias juſſu Domini emerit a ſuo Patruele: Zachariæ autem Prophetia, ut apud illos legitur, plurimum ab Evangeliſtæ teſtimonio diſtet*. Poſtremæ huic Reſponſioni ſubſcribit & *Joannes Benedictus* Theologus Pariſienſis in Scholiis.

IX. Spiritus Sancti Miſſionem, Chriſti Jeſu Supplicium, Diſperſionem Diſcipulorum, Idolorum everſionem, Pſeudoprophetarum & Dæmoniorum exterminationem, Ablutionem & remiſſionem Peccatorum per Chriſtum, & fontem Baptiſmatis in Eccleſia manentem clariſſime vaticinatus *Zacharias* Cap. 12. & 13. *Et effundam* (inquit Deus) *ſuper Domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem Spiritum gratiæ & precum: Et aſpicient ad me quem confixerunt. Et plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte Primogeniti..... In die illa erit Fons patens Domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus Exercituum: Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur ultra; & Pſeudoprophetas, & Spiritum immundum auferam de terra..... Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me. Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus Exercituum: Percute Paſtorem, & diſpergentur oves; & convertam manum meam ad parvulos*. In Chriſto Jeſu impletum iſtud Vaticinium fidem faciunt Evangeliſtæ, & Chriſtus ipſe Matth. 26. 31. *Tunc dicit illis Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis*. Hoc itaque *Zachariæ* Vaticinium Chriſto temere abjudicat *Grotius* & Judæ Machabæo addicit. Illud, *Aſpicient in me quem confixerunt, & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum*, de Chriſti Jeſu ſupplicio *S. Joannes* interpretatur Capite 19. 36. 37. *Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt*. Eodem ſpectat illud Apocalypſis 1. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes Tribus Terræ*. Item illud Chriſti apud *S. Matthæum* Cap. 24. 30. *Tunc parebit ſignum Filii hominis in Cœlo: & tunc plangent omnes Tribus Terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multa & majeſtate*. Ad Meſſiam filium Joſeph [illegible] vaticinium illud refert ex Judæis *Aben-Ezra*. Z[illegible]riana illa Oracula Chriſto Jeſu vindicant *S. Hie[illegible]mus & Theodoretus* in Commentariis, quos [illegible] per otium conſulat. Manum ſuam ad parvulos [illegible] eſt, ignobiles, contemptibiles, infirmos, ſtultos [illegible]dum Mundum, ſive ſecundum hominum opinion[illegible] convertendam Deus per *Zachariam* denuntiat, [illegible]dam ad ſalutem eligendos, plures reprobandos [illegible]riis tormentis fidem & virtutem electorum ex[illegible]tum iri, martyriis nempe ac ſuppliciis, quæ [illegible]pulis Chriſti Jeſu irrogata ſunt. *Et convertam [illegible]num meam ad parvulos. Et erunt in omni [illegible], dicit Dominus: Partes duæ in ea diſpergentur, & [illegible]ficient; & tertia pars relinquetur in ea. Et [illegible] tertiam partem per ignem, & uram eos ſicut [illegible] argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. [illegible] vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam [illegible] Populus meus es; & ipſe dicet: Dominus Deus meus* [illegible] (Cap. 13.)

X. Excidium denique Hieroſolymitanum Cap. [illegible] prædicit, tum Evangelii Prædicationem, Gentium vocationem, & Eccleſiæ conſtitutionem: *Et erit [illegible] die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem: Medium earum ad Mare Orientale, & medium earum ad Mare noviſſimum: In Æſtate, & in Hyeme erunt. Et erit Dominus Rex ſuper omnem Terram: In die illa erit Dominus unus, & erit Nomen ejus unum*.

ARTICULUS III.

De Malachia Propheta.

I. MAlachiam Minorum Prophetarum poſtremum reipſa Angelum fuiſſe opinatus eſt *Origenes*. Angelum etiam appellant *Clemens Alexandrinus* Libro 5. *Stromatum*, & alii, qui tamen in eodem errore cum *Origene* non ſunt verſati. Septuaginta Interpretes Angeli nomine ipſum tanto ante decoraverunt: Ipſumque nomen Hebræum *Malachi* idem ſonat ac *Angelus meus*: Verum officii dumtaxat, non naturæ ratione Angelum nuncupatum, diſerte probat illa Sirachidis ſententia Eccleſiaſtici 49. 12. *Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo*: Probat, inquam, ejuſdem naturæ fuiſſe *Malachiam* ac undecim reliquos Minores Prophetas. Deinde, Sacerdotes, Prophetas, & quicumque Dei mandata hominibus ſignificant, Angelos interdum in Scripturis Sacris appellari, & tamen veros homines eſſe, perſpectum eſt. Hoc ſenſu *Malachias* ipſe Capit. 2. 7. ait: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt*. Et Cap. 3. 1. de Joanne Baptiſta Dominus ait: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Argumentum vero illud ab etymologia ductum nullius plane ponderis eſt, ut *Sanctus Hieronymus* Præfatione ad *Minerium & Alexandrum* monet. *Nec putandum eſt*, inquit, *juxta quorumdam opinionem Angelum veniſſe de Cœlo, & aſſumpſiſſe corpus humanum, ut Iſraeli quæ a Domino ſunt mandata, loqueretur. Si enim interpretanda ſunt nomina, & ex nominibus non ſpiritualis intelligentia, ſed Hiſtoriæ ordo texendus eſt, ergo & Oſee qui* Salvator *dicitur, & Joel qui interpretatur* Dominus Deus, *& cæteri Prophetæ, non erunt homines, ſed vel Angeli, vel Dominus atque Salvator: Quia hoc eorum nomina reſonant*.

II. Veteres Hebræi, & Jonathan Chaldæus Paraphraſtes, *Malachiam* ipſum *Eſdram* eſſe cenſent. Illudque commentum *Sanctus Hieronymus* in Prooemio ſupra laudato videtur approbare, his perſuaſus argumentis: 1. *Quod omnia quæ in Libro Eſdræ continentur, hic Propheta commemorat*. 2. Quia ſeipſum Sacerdotem una & Angelum ſignificat his verbis: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini Exercituum eſt*. 3. Quia tempus titulusque conveniunt, & ſicut Pſalmi qui titulos non habent, eorum eſſe creduntur, quorum priores Pſalmi nominibus prænotati ſunt: Sic *Malachi*, id eſt, *Eſdras*, poſt *Aggæum & Zachariam*, qui ſub *Dario* prophetaverunt, floruiſſe cre-

Digitized by Google

dendus, eſt, & propterea titulum non habere, quia Liber ejus pro titulo ſit. Verum hæc argumenta infirma ſunt & inania. Falſum enim eſt eadem *Eſdræ* & *Malachiæ* Libris contineri. Et quamvis aliqua in iis extarent affinia, perperam ex iis colligeretur uni & eidem Auctori eſſe adſcribendos. In coævis certe aut ſuppparibus Prophetis eadem quandoque tractata reperias argumenta, ſimilia interdum Vaticinia: Eaſdem interdum locutiones & ſententias in poſterioribus, quas in prioribus & antiquioribus. Hæc verba, *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam*, &c. ad *Levi* primum, deinde ad univerſos Sacerdotes, non ad *Eſdram* ſingulatim pertinere, contextus orationis oſtendit. *Et nunc ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes! Si nolueritis audire, & ſi nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus Exercituum: Mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis, quoniam non poſuiſtis ſuper cor.... Et ſcietis quia miſi ad vos mandatum iſtud, ut eſſet pactum meum cum Levi, dicit Dominus Exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus: In pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus; Quia Angelus Domini Exercituum eſt. Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in Lege: Irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus Exercituum.* Quod *Eſdræ* temporibus floruerit *Malachias*, non magis probat eumdem atque *Eſdram* fuiſſe, quam probetur omnes homines *Eſdræ* coævos, unum & eumdem hominem extitiſſe. *Malachiæ* Prophetia nomen ipſius adſcriptum habet, & his verbis incipit: *Onus verbi Domini ad Iſrael in manu Malachiæ.* Unde nullum ex titulo quæri poteſt præſidium Hebræorum commento, aſſerentium *Malachiam* ipſum *Eſdram* fuiſſe; præſertim cum *Eſdras* nuſquam *Propheta*, ſed *Scriba*, & *Sacerdos* in Sacris Codicibus appelletur.

Quo tempore vaticinatus Malachias.

III. Poſt reſtaurationem Templi vaticinatus eſt *Malachias*, cujus Prophetiæ ſcopus ad duo hæc refertur Capita, ut obſervat *S. Cyrillus Alexandrinus* in Præfatione Commentarii ſui *Conſtructo enim jam divino Templo, cum temporis Populi Præpoſitus, five eos qui erant de ſanguine Levi, ad Sacrificia vocaret, atque etiam ipſis Iſraelitis preces & vota ſecundum Legem, ſi liberet, abunde quodammodo ſuggereret, ſervabant illi quidem mandata Moſis, non tamen citra culpam, & ut ratio flagitabat. Nam Populus conſueta ad Altare Sacrificia offerebat, verum non magna cura adhibita; ſed perfunctorie & negligenter. Deteriora quippe gregis, & morbida, & rejectanea ad Aram offerebant, Sacerdotes porro ſuſcipiebant, non amplius maculas, ut Lex jubebat, id eſt, num claudum, aut aure ſciſſa, aut naſo mutilum, aut cauda amputata, aut ſcabioſum, aut impetiginoſum, aut unum teſticulum haberet, conſiderantes. Rejiciebat enim iſta Lex, nec aliud quam dedecora erant. Alia item ratione Sacerdotes etiam ſubjectum ſibi Populum negligebant, cum Legem prave explicarent, nec ad Dei voluntatem exequendam probe homines erudirent, ſed a recta ſemita ad ineptias & fatuitates deflecti eos ſinerent. Et hoc quidem objurgationis genus unum eſt. Alterum ad Iſraelitas pertinet, ob cauſas hujuſcemodi. Alii namque amorem in uxores valere jubentes, libellumque repudii illis, & nunnumquam nihil mali commeritis objicientes, aliis copulabantur, nec ſe ullo modo Deum hoc facto offendere opinabantur. Alii in alienigenarum filias inſaniebant, quamvis Lex apertis verbis proclamaſſet,*

Deuteron. 7.

„ Filiam tuam non dabis filio ejus, & filium ejus
„ non accipies filio tuo. Seducent enim filium tuum
„ a me, & abiens ſerviet Diis alienis. *De hoc in Libris Eſdræ multa diſſeruntur. Unde quidam ipſum eſſe Malachiam arbitrantur, quod ſecus eſt.* De tempore quo vaticinatus eſt *Malachias* idem cum *S. Cyrillo* cenſet *Theodoretus* eum ſcilicet poſt ædificationem Templi, & pacem Populi, Prophetiam edidiſſe. *Non enim*, inquit, *eos de negligentia circa ædificationem Templi accuſat, quemadmodum Aggæus & Zacharias: Sed divina beneficia in eorum memoriam revocat, & ſeorſim Sacerdotes, ſeorſimque alios inſimulat, ob res admiſſas ſcelera in medium proponens.*

Malachiæ de Chriſto Jeſu Vaticinia.

IV. Inſignia de Chriſto Jeſu Vaticinia edidit *Malachias*: Illud in primis de incruento Novi Teſtamenti Sacrificio, ubique locorum & Gentium, qua late patet Eccleſia, offerendo. Cap. 1. 10, 11. *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat Altare meum gratuito? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum: Et munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus; & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: Quia magnum eſt nomen meum in Gentibus: dicit Dominus Exercituum.* Quod Vaticinium de Sacrificio Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, quod *Miſſam* appellari Eccleſiæ uſus obtinuit, antiqui Patres intellexerunt & expoſuerunt, *S. Juſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *S. Irenæus* Libro 4. Capite 32. *S. Joannes Chryſoſtomus* in Pſalmum 95. *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 35. *S. Cyrillus Alexandrinus* & *Theodoretus* in Præfatione, & in Cap. 1. *Malachiæ*. Legatur Diſſertatio noſtra 13. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 13. & 14. *De Sacrificio Miſſæ adverſus Albigenſes & Vvicleffiſtas in Lutheranis & Calviniſtis redivivos*, *inſcripta*.

V. Ad Chriſtum Jeſum etiam pertinet illud Malachiæ 3. 1. 2. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus Exercituum: Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans, & emundans argentum, & colabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes Sacrificia in juſtitia.* Primum Vaticinii iſtius comma de Joanne Baptiſta Chriſtus interpretatus eſt Matth. 11. 10. *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* S. Marcus Evangeliſta duo teſtimonia *Malachiæ* & *Iſaiæ* ſub unius Prophetæ ſermone contexens, ita Evangelium ſuum exorſus eſt; *Initium Evangelii Jeſu Chriſti, Filii Dei. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Hoc, licet verbis aliis, in *Malachia* legimus. Quod autem ſequitur: *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*, ab *Iſaia* Propheta dicitur. Statimque utrumque teſtimonium de quo dicatur exponens Evangeliſta: *Fuit*, inquit, *Joannes in deſerto, baptizans & prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Ita hunc nodum ſolvit *S. Hieronymus* Commentario in *Malachiam* & in Cap. 3. *S. Matthæi*, ubi tamen & aliam ſolutionem ſuggerit, nempe *Iſaiæ* nomen in *S. Marci* Textum hoc loco irrepſiſſe. *Cum teſtimonium*, inquit, *de Malachia Iſaiaque contextum ſit, quærit Porphyrius quo modo velut ab uno Iſaia exemplum putemus aſſumptum: Cui Eccleſiaſtici Viri pleniſſime reſponderunt. Nos autem nomen Iſaiæ putamus additum Scriptorum vitio, quod & in aliis locis probare poſſumus. Aut certe de diverſis teſtimoniis Scripturarum unum corpus effectum. Lege tertium decimum Pſalmum, & hoc idem reperies.* S. Irenæus Libro 3. Cap. 11. locum *S. Marci* proferens non legit, *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta*, ſed, *Quemadmodum dictum eſt in Prophetis*. Sic etiam legerunt *Euthymius* & *Theophylactus*. Unde Græca Exemplaria nonnulla ab antiquo habuiſſe ἐν τοῖς Προφήταις certum eſt. Idque confirmant variantes lectiones Græcæ Novi Teſtamenti ad finem Tomi ultimi Bibliorum Polyglottorum collectæ, & *Lucas Burgenſis* in Annotationibus. Latina tamen Editio concordat cum aliis Codicibus Græcis longe plurimis, & cum illo præſertim venerandæ vetuſtatis ex Græcia exportato, quod ex *S. Irenæi* Monaſterio Lugdunenſi flagrante civili bello direptum *Theodorus Beza* Calvinianæ Hæreſeos ſpes altera Cantabrigienſi Academiæ dono dedit: In eo enim legitur, γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ Προφήτῃ. His obiter annotatis, ad inſtitutum redeamus. Oraculum iſtud Malachiæ. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, ex Perſona Chriſti dictum eſt, quod Joan-

nem

rum miſerit in Deſertum Judææ prædicare Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Quod autem ſequitur: *Et ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum Dominator quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis*, de Chriſto Jeſu Dei Filio dictum eſt, qui tanquam *Magni Conſilii Angelus* miſſus eſt a Patre ad faciendum cum hominibus *fœdus novum, fœdus pacis, pactum ſempiternum*, ut loquuntur *Iſaias* Cap. 42. 6. *Jeremias* Cap. 31. 31. & *Ezechiel* Cap. 37. 26. Venit autem ad Templum ſanctum ſuum, cum *Tulerunt illum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini. Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus Sanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat a Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit in Spiritu in Templum. Et cum inducerent Puerum Jeſum Parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem Legis pro eo: Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei Salutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium Populorum: Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam Plebis tuæ Iſrael.* Vel, Templum ejus Eccleſia eſt ab ipſo fundata & conſtituta; Vel unuſquiſque credentium & Juſtorum, de quibus Apoſtolus ait 1. Cor. 3. Cap. *Neſcitis quod Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Vel Templi nomine humana Natura a Verbo Deo aſſumpta ſignificatur. Unde Chriſtus ipſe ad Judæos ait: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* Quod explanans Evangeliſta adjunxit: *Ille autem dicebat de Templo corporis ſui. Cum ergo reſurrexiſſet a mortuis, recordati ſunt Diſcipuli ejus quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem dixit Jeſus.* (Joannis 2. 19. 21. 22.) Non ſolum autem primum Chriſti adventum, ſed & ſecundum prædicit *Malachias* dicens: *Ecce venit, dicit Dominus Exercituum: Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum?* Tum quid geſturus ſit exponens, *Ipſe*, inquit, *quaſi ignis conflans*, &c. Quod S. Paulus 1. Cor. 3. Cap. explicat. *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Non tamen id tantum ſignificat Propheta, ſed purgationem etiam Spiritus Sancti, qua myſtice conflantur & renovantur Fideles. Unde S. Joannes Baptiſta de Chriſto ait: *Ipſe vos baptizavit in Spiritu Sancto, & igni.* (Matth. 3. 2.) Addit Propheta, *& tanquam herba fullonum.* Divina enim gratia tanquam herba quadam peccatorum ſordes eluit. Et ad Jeruſalem quidem *Jeremias* ait: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus.* Jeruſalem enim legalem herbam habuit, non gratiæ: Hoc autem loco propheticus ſermo Dominum nobis oſtendit tanquam opificem quemdam, ſordes peccatorum velut herba quapiam expurgantem, & velut igne quodam animas noſtras hac rubigine liberantem. Hoc vero etiam faciet Levitis in ſe credentibus. Quo ex numero *S. Barnabas* fuit, ut Actorum Hiſtoria docet, aliique complures, qui una cum ipſo crediderunt, eandemque ſalutem aſſecuti ſunt. Hos autem oblaturos ait Sacrificia in juſtitia, non legalia, ſed rationalia & incruenta. Unde ſubdit: *Et placebit Domino Sacrificium Juda & Jeruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Non enim hoc temporarium eſt, ſed æternum. Hæc *Theodoreti* commentatio eſt.

VI. Denique Chriſto Jeſu congruit illud Malachiæ 4. 2. *Orietur vobis timentibus Nomen meum Sol Juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* Ille nimirum eſt de quo *Zacharias* Joannis Baptiſtæ Pater ait: *Viſitavit nos Oriens ex alto.* Ille de quo *Iſaias* Cap. 60. *Surge, illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum.... Super te orietur Dominus.... Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Ille de quo Sanctus Joannes ait: *Erat Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Ille qui de ſe ipſo ait: *Ego ſum Lux Mundi.* Quibus concinit S. Joannes Apocalypſis 21. 23. *Et Civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Eundem vero *Juſtum* per antonomaſiam Prophetici & Apoſtolici Libri prædicant, & Daniel *Juſtitiam ſempiternam*. Ad utrumque Chriſti Jeſu adventum Oraculum iſtud *Malachiæ* referri poſſe *Theodoretus* docet. *Hæc*, inquit, *& in priorem Salvatoris noſtri adventum conveniunt, & ſecundum. Nam in priori quidem, velut Sol quiſpiam nobis exortus eſt, in caligine, & umbra mortis conſtitutis, atque a peccato nos liberans, juſtitiam impartitus eſt: & ſpiritualibus donis quaſi quibuſdam alis nos contegens, curationem animabus noſtris exhibuit. Et in ſecundo rurſus adventu his qui in hac vita vexantur, ex eorum voto, vel præter eorum votum apparens, juſte utpote juſtus judicabit, & promiſſa bona largietur. Et quemadmodum Sol ſenſibilis exoriens ſomno oppreſſos ad laborem excitat; Sic hic adveniens, longo ſomno; id eſt, morte conſtrictos excitat.*

ARTICULUS IV.

Epilogus eorum quæ de Prophetis dicta ſunt.

F*Auſtus Manichæus* aſſerere auſus eſt, Prophetas Hebræos neque quicquam de Chriſto prænuntiaviſſe: Neque ſi prænuntiarunt, eorum teſtimonia nobis prodeſſe: Neque illos ipſos ex eorumdem teſtimoniorum dignitate vixiſſe. Triplicem illam blaſphemiam *S. Auguſtinus* refellit Libris 12. & 13. *Contra Fauſtum*: Noſque tantum ducem ſecuti, triplicem Propoſitionem Manichæis illis erroribus opponimus.

PROPOSITIO I.

Hebræi Prophetæ Multa de Chriſto Jeſu prænuntiaverunt.

HÆc Propoſitio abunde probata manet ex iis quæ a me obſervata ſunt Diſſertatione 9. ſuperioris Voluminis, & Diſſertationibus 2. & 10. Voluminis iſtius, ubi de Prophetis ſingulis agens, eorum de Chriſto Jeſu Vaticinia annotavi, & vindicavi. Hanc tamen generalibus argumentis confirmo. Primum ex Chriſti ipſius teſtimonio petitur; Lucæ 24. *Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant.* Et infra: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertia die: & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Jeroſolyma.*

Confirmatur ex Cantico *Zachariæ* patris S. Joannis Baptiſtæ: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem Plebis ſuæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt Prophetarum ejus.*

Secundum argumentum petitur ex teſtimonio *S. Pauli* ad Romanos 1. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis Sanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem;* Idem Judæos Antiochiæ Piſidiæ his verbis compellabat, ut habetur Actuum 13. *Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum ſalutis hujus miſſum eſt.* Qui

enim habitabant Jeruſalem, & Principes ejus hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam cauſam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato ut interficerent eum. Cumque conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum de ligno, poſuerunt eum in monumento. Deus vero ſuſcitavit eum a mortuis tertia die... Et nos vobis annuntiamus eum, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: Quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris reſuſcitans Jeſum... Videte ergo ne ſuperveniat vobis quod
Habach. 1. *dictum eſt in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & diſperdimini: Quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis.* Idem ad Regem *Agrippam* Act. 26. *Auxilio adjutus Dei uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes, ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex Reſurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus eſt Populo, & Gentibus... Credis, Rex Agrippa, Prophetis? Scio quia credis. Agrippa autem ad Paulum; In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Ad eumdem Romæ in hoſpitium venerunt plurimi, *Quibus exponebat teſtificans Regnum Dei, ſuadenſque eis de Jeſu ex Lege Moyſi & Prophetis, a mane uſque ad veſperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant. Cumque invicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus Sanctus*
Iſai. 6. *locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens: Vade ad Populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis. Incraſſatum eſt enim cor Populi hujus.*

Tertium argumentum ſumitur ex teſtimonio *S. Petri* Epiſtola 2. Cap. 1. 19. *Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem: Cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Idem Actuum 3. *Deus autem quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic implevit. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra: Ut cum venerint tempora refrigerii a conſpectu Domini, & miſerit eum, qui prædicatus eſt vobis, Jeſum Chriſtum. Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os Sanctorum ſuorum a ſæculo Prophetarum... Et omnes Prophetæ a Samuel, & deinceps, qui locuti ſunt, annuntiaverunt dies iſtos. Vos eſtis filii Prophetarum, & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Idem Actuum 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per Nomen ejus omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.* Plenæ ſunt Evangelicæ & Apoſtolicæ Literæ Prophetarum teſtimoniis de Chriſto expoſitis: *Quæ*
Iſai. 53. *nec omnia commemorari poſſunt, quia nimium eſt, nec multa, quia longum eſt; nec pauca vellem, ne ſola exiſtimentur ab eis qui illa non legunt* (inquit *S. Auguſtinus* Libro 12. *Contra Fauſtum* Cap. 42.) *Quis jam quærat expoſitorem, dum legit, Velut ovis ad victimam ductus eſt: & omnia quæ illic multipliciter & evidenter dicuntur, Quia livore ejus ſanati ſumus: & peccata noſtra ipſe portavit? Quis non quaſi Evangelium cantari arbitretur: Foderunt manus meas, & pedes, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt me, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem? Quis niſi nimirum cæcus jam impleri non cernat, Commemorabuntur & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ patriæ Gentium... Quis unquam de Chriſto dictum dubitavit: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu,*
Baruch. 3. *ego hodie genui te: Poſtula a me, & dabo tibi Gentes*
37. *hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ? Quis alium intelligere permiſſus eſt ubi Jeremias*
Dan. 7. 9. *dicit, nimirum de Sapientia: Tradidit illam Jacob puero ſuo, & Iſraeli electo ſuo: Poſt hæc in terris viſa eſt, & cum hominibus converſata eſt? Quis non eumdem Salvatorem agnoſcat apud Danielem, cum Antiquo dierum offertur Filius hominis, & accipit Regnum ſine fine, ut ſerviant ei omnes Gentes? Jam vero ſi locum illum quem commemoravit Dominus ex ejuſdem Danielis Prophetia, Cum videritis abominationem* Dan. 9.
deſolationis quæ dicta eſt a Daniele, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat: & ſi ſupputatio etiam temporibus Hebdomadum illa numerus pertractetur, non ſolum Chriſtus, ſed etiam tempus reperitur, quo eum oportuit venire paſſurum. Quanquam & ſine computatione temporum manifeſtis rerum effectibus Judæos urgere ſolemus, cum quibus nobis, non utrum in Chriſto ſit ſalus noſtra, ſed utrum jam venerit, paſſuſque fuerit diſceptatio eſt: Convincuntur autem rebus ipſis aperiſſimis, non ſolum de fide omnium Gentium, quas ei ſervituras eadem cui cedere coguntur Scriptura prædixit, quæ ita clareſcit toto orbe terrarum, ut omnium tergiverſantium oculos feriat: Verum etiam de iis quæ in ipſa Judæorum Gente jam facta ſunt, quod Sacrarium everſum eſt, quod ceſſavit hoſtia & Sacerdos, & unctio priſtina, quæ omnia Daniel tunc prænuntiavit futura, quando unxi Sanctum Sanctorum liquido prophetavit. Cum igitur illa omnia jam facta ſint, exigitur etiam ab eis unctus Sanctus Sanctorum, & quid reſpondeant non inveniunt. Quomodo autem nobiſcum non de Chriſto, ſed tantum de adventu ejus diſceptarent, niſi bene noſſent eum in ſuis Libris prophetatum? Cur a Joanne Joan. 1.
quærunt, utrum ipſe ſit Chriſtus? Cur ipſi Domino 20.
dicunt, Quandiu animam noſtram tollis? Si tu es Chri- Joan. 10.
ſtus, dic nobis palam; Cur Petrus, & Andreas, & 24.
Philippus dicunt Nathanaeli, Invenimus Meſſiam, quod Joann. 1.
interpretatur Chriſtus: Niſi quia hoc nomen in illa 41.
Gente per illius literas & ſciebatur, & exſpectabatur? Nam nulla alia Gens Reges & Sacerdotes ſuos Chriſtos habuit & vocavit, quorum ſignificativam unctionem ceſſare fas non fuit, niſi cum ille veniſſet, qui in eis prænuntiabatur. Sic enim Judæi noverant illos Chriſtos ſuos, ut tamen unum ſpernerent, per quem omnes liberarentur: Sed excæcati occulta juſtitia Dei, dum ſolum ejus virtutem cogitant, infirmitatem, in qua pro nobis mortuus eſt, non intellexerunt. Hinc illa verba in Libro Sapientiæ de illis prædicta cognoſcimus: Morte turpiſſima condemnemus eum: Erit enim reſpectus ex ſermonibus illius. Si vere Filius Dei eſt, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Hæc cogitaverunt & erraverunt: Excæcavit enim illos malitia eorum. Quod etiam de iſtis veriſſime dici poteſt, qui in tanta multitudine teſtimoniorum, in tanta diſpoſitione prænunciatarum rerum, in tanta manifeſtatione completarum, adhuc dicunt Scripturis illis Chriſtum non eſſe prophetatum.

PROPOSITIO II.

Hebræorum Prophetarum teſtimonia utiliſſima ſunt ad probandam Chriſtianæ Religionis veritatem.

Libros Prophetarum divinos eſſe, evidentiſſimum eſt, cum ſolius Dei ſit certo & diſtincte præ-noſſe futura contingentia, & demum multis poſt ſæculis eventura: Ac proinde talia prædicere poſſe ne- Iſai. 41.
minem niſi Sancti Spiritus afflatu. *Annuntiate quæ* 23. & Cap.
ventura ſunt in futurum (inquit Iſaias,) *& ſcie-* 44. 7.
mus quod Dii eſtis vos. Apud eumdem ſic loquitur Deus: *Quis ſimilis mei? Vocet & annuntiet: & ordinem exponat mihi ex quo conſtitui Populum antiquum; ventura & quæ futura ſunt annuntient eis.* Hinc Moyſes *Deuteronomii* 18. 22. Pſeudoprophetam notis ſuis a vero Propheta diſcernens: *Quod in nomine Domini,* inquit, *Propheta ille prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit.* Hinc Tertullianus Apologetici Cap. 20. *Idoneum teſtimonium Divinitatis, veritas divinationis,* Hinc S. Hieronymus Commentario in Danielem: *Confiteantur Magi, confiteantur Arioli, & omnis ſcientia ſæcularis literatura, præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei, ex quo probatur Prophetas Dei Spiritu locutos, quia futura cecinerunt.* Id Ethnicis ipſis Philoſophis notum. Unde *Celſus* apud *Origenem* Libro 7. contra illum edito; *Si forte,* inquit, *divinus Spiritus ex*

Deo

Deo deſcendens, divina pronuntiat, nempe Spiritus hæc prædicans, is eſt, quo repleti viri antequi multa, eaque bona nuntiarunt, Seneca Suaſoria 4. *Quis eſt qui futurorum ſcientiam ſibi vindicet? Nova oportet ſortis ſit qui jubente Deo canat: Non eodem contentus ſit utero, quo imprudentes naſcimur. Quamdam imaginem Dei præferat, qui juſſa exhibeat Dei: Sic eſt.* Jamblicus Philoſophus Platonicus Libro *De Myſteriis* vim totam fatidicam ad unum Deum referendam eſſe ſæpius inculcat. *Vaticinium ipſum*, inquit, *nec ab arte, nec a natura, nec a naturalibus, vel animalibus rationibus motibusve efficitur, neque fit ullo modo, ſed utique ſempiternum eſt miſſum ad nos uſque divinitus, totaque poteſtas præſaga refertur ad Deos & omnis hujus auctoritas conſiſtit in eis atque inde traditur, diviniſque operibus ſignisve perficitur .... Cauſa afflatus fatidici eſt duntaxat ipſa Divinitas, quando ſcilicet a Diis deſcendunt ad nos lumina, ſpirituſque traduntur ab eis, adeſtque nobis dominatio, poteſtaſque illius abſoluta, comprehendens omnia quæ ſunt in nobis & exterminans penitus propriam nobis animadverſionem & motionem, proferenſque ſermones per hominem quidem, ſed cum ipſa cogitatione hominis, imo pronuntians ipſa per os furentis extra ſe poſiti: dum videlicet quæcunque ſunt in nobis, ſerviunt toto Numini, cedunt que ſoli dominanti aſtroni divino.* Porro Hebræorum Prophetæ multa prædixerunt futura, quæ ex naturalibus cauſis prævideri non poterant, & quæ diu poſt eorum mortem impleta ſunt. Ita Iſaias Cyrum nominavit, Imperiumque & miſam felicitatem illius prædixit centum quinquaginta annis antequam Cyrus naſceretur. Ita *Jeremias* Propheta Babylonicæ Captivitatis annos præciſe numeravit, priuſquam Judæi Babylonem abducti eſſent. Ita *Daniel* De Monarchiis Perſarum & Græcorum, de Succeſſoribus *Alexandri Magni*, & de *Antiocho* præſertim *Epiphane* qui Templum Dei violavit, clare admodum vaticinatus eſt. Sed quod præcipuum eſt, quæcunque nos docet Evangelium de Chriſti Jeſu Nativitate, naſcendique tempore, & loco, dignitatibus, officio, prædicatione, Miraculis, actis univerſis, Paſſione, Morte, Sepultura, Reſurrectione, triumphali Aſcenſione in cœlos: de prædicatione Evangelii, vocatione Gentium, legalium cæremoniarum abrogatione, Judaicæ Gentis deſolatione, cum ſingulis pene tam mirabilium eventorum circumſtantiis leguntur in Prophetarum Libris clare & aperte prædicta: Adeo ut Prophetarum Vaticinia cum Evangelica de Chriſto Hiſtoria conferenti mirus ac plane ſtupendus conſenſus ſtatim appareat. Hinc itaque demonſtratur & Prophetarum Libros eſſe divinos, quandoquidem continent prædictiones rerum, quæ tanto poſt temporis intervallo, contigerunt prout prædictæ fuerant: & Evangelicam quoque Hiſtoriam veram & divinam eſſe, quandoquidem Deus per Prophetas tot ante ſæculis ipſi teſtimonium perhibuit: Adeoque & Chriſtianam Religionem eſſe veram, quæ Chriſtum Jeſum verum Deum & hominem eſſe credit, quod Prophetæ clariſſime docuerunt, & omnia quæ in Libris Prophetarum, Apoſtolorum, & Evangeliſtarum de illo ſcripta ſunt, pro veris habet.

Quanquam vero horum Vaticiniorum pars aliqua aliis forte a Chriſto Jeſu accommodari queat; Pleraque ſunt quorum exitus in nemine alio quam in Jeſu oſtendi poteſt; & nemo alius eſt cui conveniant univerſa. Quo de argumento legendus *Origenes Libro 1. contra Celſum*, & *Euſebius* in Libris *Demonſtrationis Evangelicæ*. Idem Oratione *De Laudibus Conſtantini* Cap. 17. præclare ait: *Nunc vero cum cujus animus inſtar ſilicis obduruit, hujuſmodi interrogationibus convincere aggrediamur. Dic mihi, heus tu, & tandem aliquando vocem rationalem ede; non ex bruto pectore, ſed ex animo ratione & intellectu prædito fructum proferens. Dic, inquam, re apud te ipſum diu ante perpenſa; Quis ex omni ſapientum numero qui antea celebres extiterunt, Prophetarum oraculis perinde ac Servator noſter, apud Deo cariſſimam veterum Hebræorum Gentem tot ante ſæculis cognitus eſt & prædicatus? Qui quidem & natale ipſius ſolum, & adventus tempora, & vivendi rationem; Miracula item, ſermones, & præclara facinora animo percipientes, ſacris Voluminibus commendarunt. Aut quis ſcelera in ſe admiſſa, tam præſenti ultione unquam vindicavit, ut poſt impium facinus quod in ipſum fuerat admiſſum, ſtatim omnis Judæorum Natio occulta quadam vi exagitaretur, & Regia ipſorum Sedes ab ipſis fundamentis everteretur; ipſumque adeo Templum cum omnibus ornamentis ac donariis ſolo æquatum diſturbaretur. Quis futura tum de impiis illis hominibus, tum de Eccleſia ab ipſo per univerſum orbem condita cum multo ante prædixiſſet, ſingulorum operibus congruentia vaticinans, Prædictionum fidem rebus ipſis æque ac Servator noſter confirmavit?*

Oraculorum Propheticorum utilitatem, vimque ac efficaciam ad demonſtrandam veritatem Chriſtianæ Religionis, *S. Auguſtinus* exponit *Libro 13. contra Fauſtum Manichæum*, Cap. 6. & 7. *Si ergo*, inquit, *nec Scripturarum auctoritatis antiquitas, nec miraculorum poteſtas, nec mundi ſanitas, nec rationis veritas vos aſſerit. Abite confuſi, & redite confeſſi, ipſum eſſe Chriſtum omnium in ſe credentium Salvatorem; Cujus nomen & cujus Eccleſiam ita exhibent præſentia tempora, ſicut præterita nuntiarunt; Non per quemlibet de cavernoſis latebris procedentem, ſed quadam Gente, & quodam Regno ad hoc propagato & inſtituto, ut ibi de illo cuncta figuris prænotarentur quæ nunc expreſſa rebus agnoſcerentur; & ibi per Prophetas prædicta ſcriberentur, quæ nunc per Apoſtolos prædicata præſentarentur. Proinde conſtituite vobis aliquem catechizandum Gentilem, in quo Fauſtus deſeceſſe nos viſit, ubi non ridendus, ſed plangendus ipſe defecit. Si enim dixerimus homini gentili: Crede Chriſto, quia Deus eſt: & reſponderit; Unde credo? Prolataque auctoritate Prophetarum, eis ſe non credere dixerit, eo quod illi Hebræi ſint, ipſe Paganus: oſtendimus fidem Prophetarum ex iis quæ ventura cecinerunt, & veniſſe cernuntur. Credo enim quod eum non lateret, quantas a Regibus hujus ſæculi perſecutiones prius pertulerit Chriſtiana Religio; Aut ſi lateret, per ipſam Hiſtoriam Gentium, & Imperiales Leges litteris memoriæque mandatas, ei facile probaretur: Quod tum tanto ante prædictum in Propheta cognoſceret, dicente: „Ut quid fremuerunt Gentes, & Populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus.* [Ps. 2.] *Quod non de ipſo David fuiſſe dictum, in eodem ipſo Pſalmo facile apparet: Ibi enim dicitur etiam illud, quod homines quoslibet pertinaciſſimos ipſa rerum manifeſtatione confundit: „Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Quod Genti Judæorum, in qua regnavit David, non eſſe conceſſum: Chriſti autem nomine longe lateque omnes Gentes occupante, nemo dubitat eſſe completum. Crederet moveretur, cum hæc & alia multa ex Prophetis audiret, quæ perſequi longum eſt. Videret etiam ipſos Reges terræ Chriſti Imperio jam ſalubriter ſubjugatos, omneſque Gentes eidem ſervientes: & legeretur ei de Pſalmo tanto ante prædictum: Adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes Gentes ſervient ei: Totumque Pſalmum ipſum, qui figurate tanquam in Salomonem dicitur, ſi legere vellet, inveniret Chriſtum vere Regem pacificum. (Hoc enim Salomonis nomen interpretatur:) In quo cognoſceret completa omnia quæ ibi dicuntur, longe remotiſſima ab illo homine Salomone Rege Iſrael.* [Ps. 71.] [Ps. 44.] *Illum eundem Pſalmum, ubi Deus unctus a Deo dicitur, & utique Chriſtus ipſa unctione declaratur; Idemque Chriſtus Deus apertiſſime oſtenditur, cum Deus unctus inſinuatur; Si conſiderare vellet quæ ibi de Chriſto, quæ de ipſa Eccleſia dicta ſunt: Quæ ibi quidem prædicta legeret, in orbe autem terrarum, impleta conſpiceret: Videret quoque ipſa ſimulacra Gentium per Chriſti nomen ſic perire de orbe terrarum, idque ipſum a Prophetis prædictum eſſe diſceret: Audiret Jeremiam docentem: „Sic dicetis illis; Dii qui cœlum & terram non fecerunt, pereant a terra, & de ſub cœlo. Item alio loco cum eundem Prophetam dicentem audiret: „Domine fortitudo mea, & adjutorium meum, & refugium meum in die malorum, Ad te Gentes venient, ab extremo terræ, & dicent: Quam falſa poſſederunt Patres noſtri ſimulacra, & non eſt in eis utilitas! Si facit homo Deus, & ipſi non ſunt Dii. Propterea ecce ego*

[Jerem. 10. 11.] [Jerem. 16. 19.]

oſten-

„ *oſtendo illis in tempore illo, manum meam oſtendam „ illis & ſcient; & virtutem meam, quoniam ego „ Dominus. Hæc audiens de Scriptura Prophetica, & cernens univerſa terra, quid dicam quemadmodum moveretur ad fidem, quando & hoc rebus ipſis probamus, tum per Prophetiam ante tempora conſcriptam, & his temporibus impletam, corda fidelium ſic firmari cognoſcimus*: Ex his patet quam utilia ſint Prophetarum Oracula ad Chriſtianæ Religionis veritatem demonſtrandam.

Fruſtra vero hæc a Chriſtianis conficta Gentilis vel impius quivis homo obiiceret. Illius enim ſuſpicionis vanitatem arguunt Judæi Chriſtianorum hoſtes, & tamen Propheticorum Librorum aſſertores & vindices acerrimi: Quos maximum illud Chriſtianæ Religionis odium compellere non potuit ut Vaticinia illa tantopere ipſis adverſa, e Libris ſuis expungerent. *Per eorum quippe Codices* (inquit S. Auguſtinus) *probamus, non a nobis tamquam de rerum eventu commonitis iſta eſſe conſcripta, ſed olim in illo Regno prodita atque ſervata, nunc autem manifeſtata & impleta: In quibus & ea quæ ibi minus perſpicua ſunt, quia in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſæculorum obvenit, jam nunc illuſtrata ſolvuntur, & quæ umbris futurarum adhuc rerum opacabantur, jam factarum luce manifeſtantur.* Cum itaque ſuppoſita non ſint, ſed ab illis, quorum nomina præ ſe ferunt, edita Prophetarum Vaticinia, illoſque veraces probent Vaticiniorum illorum exitus, nemo cordatus illa contemnet, quæ, tanto ante, & tanto apparatu prævidendo & prænunciando commendari meruerunt; nec illos a quibus prævideri & prænunciari potuerunt. *Nullis enim prudentius credimus vel de præteritis, quæ olim facta ſunt, vel de futuris quæ nondum facta ſunt, quam eis qui nobis fidem verborum ſuorum tam multis tamque magnis, quæ ab eis prædicta jam facta ſunt, probaverunt.*

Fruſtra etiam aliquis obiiceret, Ethnicos Oracula ſua, Vates Sibyllas habuiſſe, quibus tamen Superſtitiones Ethnicæ approbari & confirmari non poſſunt: Adeoque inutiles etiam eſſe Prophetias ad Chriſtianæ Religionis demonſtrandam veritatem. Fruſtra, inquam, id obiiceretur, cum Oracula partim falſa, partim caſu vera fuerint, partim flexiloqua, obſcura, ambigua. Unde ipſorum vanitatem Ethnici ipſi Sapientes agnoverunt. Cicero Libro 2. *De Divinatione*, teſtatur *Chryſippum* Apollinis Oraculis totum Volumen impleviſſe, *partim falſis, partim caſu veris, ut fit in omni oratione ſæpiſſime; partim flexiloquis & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa ad ſortes referenda ſit, partim ambiguis, & quæ ad Dialecticum referenda ſint. Nam cum ſors illa edita eſt opulentiſſimo Regi Aſiæ*, CROESUS HALIM PENETRANS MAGNAM PERVERTET OPUM VIM: *Hoſtium vim ſe ſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam. Utrum igitur eorum accidiſſet, verum Oraculum fuiſſet. Cur autem hoc credam unquam editum Crœſo? Aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Crœſo, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim eſt qui credat, Apollinis ex Oraculo Pyrrho eſſe reſponſum?* AIO TE ÆACIDA ROMANOS VINCERE POSSE. *Primum Latine Apollo nunquam locutus eſt: Deinde iſta ſors inaudita Græcis eſt: Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo verſus facere deſierat. Poſtremo, quamquam ſemper fuit, ut apud Ennium eſt.*

——————— *Stolidum genus Æacidarum,*
Belli-potentes ſunt magis, quam ſapienti-potentes;

Tamen hanc amphiboliam verſus intelligere potuiſſet, VINCERE TE ROMANOS, *nihilo magis in ſe quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia quæ Crœſum decepit, vel Chryſippum potuiſſet fallere; Hæc vero ne Epicurum quidem. Sed quod caput eſt, cur iſto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra ætate, ſed jamdiu, jam ut nihil poſſit eſſe contemptius? Hoc loco cum urgentur, evanuiſſe ajunt vetuſtate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata Oracula ederet. De vino, aut ſalſamento putes loqui, quæ evaneſcunt vetuſtate: De vi loci agitur, neque ſolum naturali, ſed etiam divina: quæ quo tandem modo evanuit? Vetuſtate, inquies. Quæ vetuſtas eſt, quæ vim divinam conficere poſſit? Quid tam divinum autem quam afflatus e terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat, multo ante, ſed etiam numero verſuque pronunciet? Quando autem iſta vis evanuit? An poſtquam homines minus creduli eſſe cœperunt? Demoſthenes quidem, qui abhinc annos prope 300. fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id eſt, quaſi cum Philippo facere. Hoc autem eo ſpectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret: Quo licet exiſtimare, in aliis quoque Oraculis Delphicis, aliquid non ſinceri fuiſſe. Sed neſcio quomodo iſti Philoſophi, ſuperſtitioſi, & pene fanatici, quidvis malle videntur, quam ſe non ineptos. Evanuiſſe maluiſtis, & extinctum eſſe, quod ſi unquam fuiſſet, certe æternum eſſet, quam ea quæ non ſunt credenda, non credere.*

Oraculorum vanitatem Ethnicos pleroſque agnoviſſe docet *Origenes Lib. 7. contra Celſum*, & Prophetas Hebræorum Sancto Spiritu afflatos, cum fatidica vis in Vatibus Gentilium non fuerit opus divini Spiritus, ſed Dæmonis. „ Dico, *inquit*, de modo enumeratis Oraculis, poſſe nos ex auctoritate Ariſtotelis & Peripateticorum multa proferre, Pythiæ cæteriſque fidem abrogantia: Poſſe item ex Epicuro, ejuſque Sectatoribus tranſcribere quid de his ſentiant, oſtendereque quod ipſi Græci nihili pendeant Græciæ Oracula vel celebratiſſima. Sed faciamus non eſſe figmenta hominum, quæ feruntur de afflata Numine Pythia, cæteriſque id genus Vatibus: Videamus annon evinci poſſit, etiamſi maxime ſint Oracula, non conſequi neceſſario præeſſe illis Numen aliquod: ſed potius quoſdam malos Dæmones, & Spiritus infenſos humano generi, opponenteſque ſe animis ad Cœlum per virtutis viam ac veram pietatem tendentibus, ne redeant ad Deum. Certe de Pythia, quo non aliud manteum eſt celebrius, narratur Vatem illam Apollinis deſidere ſuper foramen Specus Caſtalii, & aſcendentem inde Spiritum per muliebre gremium recipere, quo repleta profert iſta præclara & divina, ut putantur, Oracula. Conſidera nunc, annon hoc ipſo abunde intelligatur Spiritus illius impuritas, non per cæcos meatus multo puriores muliebri gremio penetrantis in animam fatidicam, ſed per eos quos vir honeſtus non ſuſtineret aſpicere, nedum tangere: Idque non ſemel atque iterum, ſed quotieſcumque illa inflata Phœbo prophetare creditur. Quin & illud quod extra ſe rapta, velut Magicis artibus furiata, ipſa quid agat non intelligit, non eſt opus divini Spiritus. Oportebat enim ut quis divino Numine afflatus prius adjuvaretur, & perſpicacior eo maxime tempore divinitatem ſibi ineſſe ſentiret, quam reliqui ab Oraculo edocti quid ad meliorem & naturæ conſentaneam vitam conducat, ſeu quid proſit aut expediat. Nos ſane colligimus e Sacris Scripturis, quod Judæorum Prophetæ illuſtrati divino Spiritu, quatenus opus erat illuſtrari divinorum conſiliorum Interpretes, primi fruebantur adventu ad ſe Numinis; contactique animam (ut ita loquar) Sancto Spiritu, & hanc adipiſcebantur ſplendidiorem, & mentem perſpicaciorem: atque adeo corpus ipſum non amplius ſpiritu contumax, aut rectam vitæ rationem faſtidiens, nimirum emortuum (ſicut noſtri loquuntur) carnis concupiſcentiis. Perſuaſum eſt enim nobis, quod corporis opera, & cum Deo inimicitiæ, quæ ſapientiæ carnis ſuam debent originem, mortificantur per diviniorem Spiritum. Quod ſi Pythia extra ſe rapitur, dum fata canit; qualis exiſtimandus eſt ille Spiritus offundens menti ac rationi tenebras, cum ſit ſimilis huic Dæmonum generi, quod non pauci Chriſtiani eiiciunt ex obſeſſis corporibus?

De vanitate Oraculorum multis egit *Euſebius* Libro 5. *Præparationis Evangelicæ*, pluribuſque Capitibus oſtendit Græcorum Oracula reſponſorum ambiguitate multis exitium attuliſſe: Seriis honeſtiſque de rebus, & Deo dignis non reſpondiſſe: Vates illorum humano ſenſu, non divino afflatu rerum agendarum auctores fuiſſe: Multa imperite perſuaſiſſe: Poetas etiam eos, qui nihil ad honeſtioris vitæ ratio-

tionem contulerunt, ex vulgi opinione temere laudaſſe: Auctores illos fuiſſe ut Pugiles & Athletæ divinis honoribus colerentur. Ipſis etiam tyrannis adulari ſolitos: Iniquis patrocinatos fuiſſe: Juſſiſſe denique ut ligneæ lapideæ æreæ, aureæ ſtatuæ ſacrificiis ac ſtatis religionibus colerentur. Quæ omnia *Oenomai* Philoſophi teſtimonio, qui ſe ab *Apolline* deceptum conqueſtus eſt, & edito Libro vanitatem Oraculorum coarguit, *Euſebius* confirmat.

Porphyrius in hoc argumenti genere multum verſatus, ut qui Librum ſcripſit *De Philoſophia ex Oraculis petita*, Græcorum Oracula, Vateſque ſæpe mentiri fatetur. *Sed quoniam*, inquit, *accuratam & exquiſitam Aſtrorum motus, ac proinde futurorum ex iis pendentium cognitionem aſſequi non homines modo, ſed ne Dæmonum quidem plerique poſſunt; fit ut ii perſæpe multis de rebus conſulti mentiantur.* Mox ita ſubdit: *Et aerem quidem circumfuſum in cauſa eſſe ajunt, quamobrem falſa edantur Oracula, non autem præſentes Deos ſponte mendacium attexere. Sæpe itaque ſuiſum diſturon ſe eſſe pronuntiant. Harent iſti nihilominus, atque illos qui ſtultitia ſunt, vel invitos reſpondere cogunt. Apollo ſane cum ejuſmodi aliquando eſſet ambientis Cœli moleſtior difficiliorque tempeſtas, hunc in modum cecinit,*

Ne me ultra precibus urgeas, nam falſa profabor.
At nihil a nobis affingi, vel Oracula ipſa fidem faciunt, ſic enim evocatus e Diis quiſpiam reſpondit;
Non hodie licet effari, qui Siderum curſus,
Quas ſedes habeant: Vis quippe futura canendi
Nunc Aſtris conſtricta manet.

Tum ita concludit. *Qua nimirum ex cauſa Oraculorum ſæpe vanitas exiſtat oſtendit.* Legitur apud *Euſebium* Libro 6. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 5.

Plutarchus Libro *De Oraculis quæ defecerunt*, idem tractans argumentum hæc habet: *Præſidere autem Oraculis, non Deos, quos a terrenis locis decet expeditos eſſe, ſed Dæmones Deorum Miniſtros, haud male mihi dici poſſe videtur. At qui Empedoclis Verſibus abrupte ſumtis, hos Dæmones ſceleſtos, noxios, doloſoſque autumat ac poſtremo etiam velut homines morti ſubjiciat, hunc ego audacius ac magis barbare dicturum puto.* Quatuor docet *Plutarchus*: primum eos qui reſponſa dabant, Dæmones fuiſſe, non Deos. Secundo horum Neocoros & Sacerdotes, ab iiſdem arreptos, & furore afflatos, venalia Oracula reddere ſolitos. Tertio nihil illos veri prædicere; ſed de iis ipſis, quorum inſidere ſibi ſpiritum gloriantur, multa gravia & dura effari, non ſolum damna & dolos, ſed etiam interitus, quales homines patiuntur. Quarto, Verſus non furore ullo divino afflatuque novos edere, ſed ab *Empedoclis* Poematibus compilare.

Diogenianus quoque Deorum Oracula fundentium falſitatem redarguit. *Multa*, inquis, *rerum eventa fruſtrari eos qui Vates vocantur, teſtari poteſt omnis hominum vita, illique ipſi qui divinandi artem profitentur .... Nunc vero tantum hoc ſuperius dictis adjiciam, quod ſi quando verum dicunt in ſuis prædictionibus qui Vates appellantur, non ſcientia, ſed fortuita cauſa opus id fuerit. Neque enim propoſitum ſibi finem nunquam aſſequi, ſed non ſemper, nec ut plurimum, & citra ſcientiam, ſi quis aliquando aſſequatur, fortunæ opus appellandum cenſuimus, diſtinguentes ſingula nominibus attributas animi noſtri conceptiones.* Hunc *Diogeniani* locum deſcripſit *Theodoretus* Libro *De Curandis Græcorum Affectionibus*; Sermone 10. *De Oraculis*; ubi demonſtrata Oraculorum vanitate ex *Oenomao Cynico*, *Porphyrio*, *Plutarcho*, *Diogeniano*, ſubdit: *Nobis vero ſufficit eorum ipſorum teſtimonium, quod quidem veraciſſimum eſt. Oraculorumque falſitatem aperte convincit. Ante adventum quippe Salvatoris noſtri, quadam veluti nebula terram obtegente, infeſti hominibus maligni Dæmones, velut ſicarii quidam graſſatoreſque, inſidiis ac laqueis utebantur, omni rerum genere naturam humanam captantes. Poſtquam vero Lux veritatis exorta eſt, in fugam ſe dederunt univerſi, & ſua deſeruerunt Oracula. Itaque cum apparuiſſet, exclamarunt*: Sine, Quid nobis & tibi, Jeſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos. *Alii vero rurſus obteſtabantur eum, ne ipſos in abyſſum mitteret. Philippis autem Pythonis Spiritus, de Apoſtolis vociferando teſtatus eſt.* Hi „ homines ſervi ſunt Dei Altiſſimi, qui annuntiant „ vobis viam ſalutis. *Videntes itaque præconium veritatis per omnes terras diffundi, transfugarum Militum more, cum magnis atque horrendis facinoribus perpetratis, inſtare Regis præſentiam ſentirent, fugam arripuerunt, & vacua inſidiarum loca deſeruerunt. Univerſorum autem Rex illorum ſtationes funditus deſtruxit .... Cujus itaque modi fuerint Dæmonum veſtrorum Oracula, a veſtris Philoſophis accepiſtis. Qualia vero prædixerit Opifex Mundi Deus, & quam utilia, utrique hominum conducibilia ſint illa, & veritatis luce radiantia licebit, ei qui volet cognoſcere, ſi Divinas Literas evolverit.* Quædam deinde Prophetarum Oracula de everſione Idololatriæ, & Eccleſiæ dilatatione in exemplum adducens *Theodoretus*, & finem jam olim ſortita eſſe demonſtrans, ita concludit: *Prius quam finem conſequeretur Prophetia, non parum olim laboris erat, perſuadere illius ævi hominibus, eventura eſſe quæ prædicebantur. Nunc autem cum impleta videmus, quæ prædicta dudum olim fuerunt, & verbis res ipſas ſucceſſiſſe, nullus jam nobis eſt labor ad faciendam auribus fidem. Habent enim illa oculorum teſtimonium ſupervacuumque nobis eſt Herodoti dictum, Aures hominibus eſſe oculis infideliores: Oculi enim noſtri vident, quæ auditu aures accipiunt. Quando igitur & Prophetias paganius audiſtis, & rerum teſtimonia oculis inſpexiſtis, comparate, o Viri, Prophetarum prædictiones cum veſtris Oraculis & cum*
„ *Apoſtolo exclamate*; Quæ ſocietas luci ad tenebras?
„ Quæve conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars
„ fideli cum infideli? Quis conſenſus Templo Dei cum
„ Idolis? *Templa enim Dei ſunt Prophetarum thori: Idola vero, quæ Gentes adoravunt, ſurda & muta ſunt.*

Act. 16. 17.

2. Cor. 6.

Matth. 8. 27.

Sibyllarum Oracula, iis exceptis, quæ divini Spiritus afflatu de Chriſto ſuderunt, nec certis hominibus, nec temporibus erant adſtricta, & ambiguitate ſua atque obſcuritate ad fallendos homines compoſita videbantur, eaque vel falſæ Religioni ſuæ confirmandæ inutilia Ethnici ipſi judicarunt. Unus ſit inſtar omnium *Cicero* Libro 2. De Divinatione. *Quid vero*, inquit, *habet auctoritatis furor iſte, quem Divinum vocatis, ut quæ ſapiens non videat, ea videat inſanus, & is qui humanos ſenſus amiſerit, divinos aſſecutus ſit. Sybillæ Verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur: Quorum Interpres nuper falſa quadam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, Eum, quem revera Regem habemus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus. Hoc ſi eſt in Libris, in quem hominem, & in quod tempus eſt? Callide enim qui illa compoſuit perfecit ut quodcunque accidiſſet, prædictum videretur, hominum & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem Verſus alias in aliam rem accommodari poſſe viderentur .... Quamobrem Sibyllam quidem ſepoſitam & conditam habeamus, ut, id quod proditum eſt a Majoribus, injuſſu Senatus ne leguntur quidem Libri, valeantque ad deponendas potius, quam ad ſuſcipiendas Religiones.*

Denique ut S. *Auguſtinus* ait *Libro 13. contra Fauſtum* Cap. 15. *Sibylla, vel Sibyllæ, & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii Vates, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philoſophi Gentium, de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixiſſe ſeu dixiſſe perhibentur: Valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad illorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles Populos Idola & Dæmonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt. At illi Sancti Auctores noſtri cum Populum, tam Rempublicam, tale Regnum, imperante & adjuvante Deo propagaverunt atque rexerunt, ubi ſacrilegium eſſet, quod illic Religio fuit. Itaque ſi qui illic in cultum Simulacrorum & Dæmonum laberentur, aut pæna plectebantur ipſis ſuæ Reipublicæ Legibus, aut liberrime corripiebantur propheticis vocibus. Unus enim ab eiſdem colebatur Deus, qui fecit Cœlum & Terram, prophetico ſacro ritu, hoc eſt ſignificativo futurorum, qui ritus abolerentur, cum illa veniſſent, quæ per eum ſignificabantur eſſe ventura: Quandoquidem ipſum Regnum magnus quidem Propheta fuit, ubi Rex & Sacerdos magnus*

ſtat

Digitized by Google

ſtica ſignificatione augebantur. Quod non ante ipſis quoque Judæis ignorantibus, ac per hoc invitis ablatum eſt, niſi enim veniſſet ille gratia ſpirituali nactus Deus præ participibus ſuis: Ille Sanctus Sanctorum, idem verus Rex conſutienda nobis, & idem verus Sacerdos ſeipſum offerendo pro nobis. Quamobrem quantum diſtat de Chriſti adventu inter prædicationem Angelorum, & confeſſionem Dæmoniorum: Tantum inter auctoritatem Prophetarum, & curioſitatem Sacrilegorum.

Obiiciebat *Fauſtus Manichæus*: Enervis Fidei confeſſio eſt, in Chriſtum ſine teſte & argumento non credere. Quis enim vobis fidelior teſtis eſſe debet, quam Deus ipſe de Filio ſuo, qui non per Vatem, nec per Interpretem, ſed ultro cœlitus erumpente voce, *Hic eſt* (inquit) *Filius meus dilectus, ipſum audite?*

Reſpondet *S. Auguſtinus Libro 12. contra Fauſtum*, Capite 45. Vocis illius ab Æterno Patre e nube auditæ notitiam ſine homine teſte ad nos non perveniſſe, cum Apoſtolus dicat: *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo cre-*
Rom. 10. 14. *dent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Aut quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Sicut ſcriptum eſt, Quam ſpecioſi pedes evangelizantium bona!* Videtis (inquit *S. Auguſtinus*) quemadmodum prædicationem doctrinæ Apoſtolicæ propheticum teſtimonium comitetur. *Ut enim non contemnerentur, neque fabuloſa ducerentur, quæ Apoſtoli annuntiabant, demonſtrabantur hæc a Prophetis ante fuiſſe prædicta: Quia etſi atteſtabantur Miracula, non defuiſſent ſicut etiam nunc adhuc quidam muſſitant, qui magica potentia cuncta illa tribuerent, niſi talis eorum cogitatio conteſtatione prophetica vinceretur. Magicis enim artibus, longe antequam naſcerentur, Prophetas ſibi conſtituere, a quibus prænuntiarentur, nemo utique diceret ... Verum Diſciplina Catholica propterea ſimplici fide prius nutriri oportere docet Mentem Chriſtianam, ut eam capacem faciat ad intelligenda ſuperna & æterna. Sic etenim & Propheta di-*
Iſai. 7. *cit*: Niſi credideritis, non intelligetis. *At ea ipſa eſt ſimplex fides, qua credimus, antequam cognoſca-*
1. Cor. 3. 19. *mus* Supereminentem ſcientiam charitatis Chriſti, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei. *Non ſine cauſa diſpenſationem humilitatis ejus, qua humanitus natus & paſſus eſt, a Prophetis, per propheticam*
Rom. 1. 25. *Gentem, per propheticum Populum, per propheticum Re-*
Coloſſ. 2. 3. *gnum tanto ante prædictam: Niſi quia in illa ſtultitia quæ ſapientior eſt hominibus, & in illa infirmitate, quæ fortior eſt hominibus, magnum aliquid latet ad juſtificationem & glorificationem noſtram. Et ibi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, qui nulli aperiuntur, ſi ibi per maternam carnem trajectum cibum, id eſt per Apoſtolica & Prophetica ubera lacti alimenta contemſerit: & tanquam infantilem victum quaſi grandi ætate faſtidiens, prius in venena Hæreticorum quam in ſapientia cibum, cui ſe idoneum temere arbitratur, irruerit. Non ergo quod dicimus, Neceſſariam ſimplicem Fidem, contrarium eſt ei quod dicimus, ut Prophetis credatur, priuſquam purgata & roborata mente poſſit intelligi, Qui per Prophetas ſic loquebatur.*

PROPOSITIO III.

Hebræorum Propheta ex Vaticiniorum ſacrum dignitate, ſieque & ſancte vixerunt.

PRobatur primo ex Sacris Literis, quæ ipſorum ſanctitati teſtimonium perhibent, Eccleſiaſtici 48. 23. 24. *Purgavit eos in manu Iſaiæ ſancti Prophetæ.. .... Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris ſui, quam mandavit illi Iſaias Propheta magnus & fidelis in conſpectu Dei*. Cap. 49. 8. 9. 10. 11. 12. *Deſertas fecerunt vias ipſius in manu Jeremiæ. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris conſecratus eſt Propheta, evertere, & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renovare. Ezechiel qui vidit conſpectum gloriæ, quam oſtendit illi in curru Cherubim. Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre, benefacere illis qui oſtenderunt rectas vias. Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo: Nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis*. Lucæ 1. 70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui a ſæculo ſunt, Prophetarum ejus*. Lucæ 13. 28. *Cum videritis Abraham, & Iſaac & Jacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras*. Lucæ 11. 47. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem veſtri occiderunt illos ...... Propterea & Sapientia dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur: Ut inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt a conſtitutione Mundi a generatione iſta, a ſanguine Abel, uſque ad ſanguinem Zachariæ*, Epiſtolæ ad Hebræos 11. *Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis: Qui per fidem vicerunt Regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum .... Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: Quibus dignus non erat Mundus: In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ. Et hi omnes teſtimonio Fidei probati*. S. Petrus Epiſtola 2. Cap. 1. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Cap. 3. 2. *Ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum a Sanctis Prophetis*.

Probatur ſecundo ex *Origene* Libro 7. Contra Cel-
„ ſum. *Cæterum*, inquit, Judæorum Prophetæ, qui-
„ dam divinitus inſpirati prophetaverunt, hac ipſa
„ functione ſapientes redditi: Alii horum Oraculis
„ illuſtrati Animam ſimiles eorum facti ſunt electi
„ per divinam Providentiam, quibus crederentur San-
„ cti Spiritus eloquia, propter incomparabilem vitæ
„ integritatem, fortitudinem, libertatem, & contem-
„ ptum mortis periculorumque omnium. Tales enim
„ Verbum elegit Prophetas Dei Maximi, ad quos col-
„ lati ridiculi eſſent Antiſthenes rigidi, & Cratetes,
„ ac Diogenes. Namque propter veritatem & liber-
„ tatem in reprehendendis peccatis lapidati ſunt, diſ-
„ ſecti ſunt, tentati ſunt, occiſione gladii occubue-
„ runt. Oberrabant enim in ovinis & caprinis pel-
„ libus, deſtituti, afflicti, in deſertis errantes & mon-
„ tibus, & ſpeluncis cavernisque terræ, quibus indi-
„ gnus erat terrenus hic Mundus, ſemper contemplan-
„ tes inviſibilia Dei, nulloque ſenſu comprehenſibi-
„ lia, proinde ſemnitemna. Horum ſingulorum vitæ
„ mandatæ ſunt literis. Nobis impræſentiarum vel
„ Moſes ſufficit; hujus enim Prophetias Lex conti-
„ net: Vel Jeremias, cujus titulo extat Prophetia:
„ Vel Iſaias, qui per triennium nudus & diſcalcea-
„ tus ambulavit duriſſime victitans: Quin & Puero-
„ rum, Danielis, Sociorumque auſteram vitam con-
„ ſidera, aquæ potu contentorum, & leguminibus,
„ ab animatis in totum abſtinentium: Et ſuperiora
„ quoque tempora ſi potes, Noe prophetantem; I-
„ ſaacum filio bene precantem ritu prophetico; Ja-
„ cobum duodecim filiorum ſingulos invitantem, *Ve-
nite annuntiabo vobis quid futurum ſit diebus ultimis*.
„ Hi & innumeri alii Dei Prophetæ de Jeſu Chriſto
„ prædixerunt. Quæ quidem cauſa eſt ut nihili pen-
„ damus Pythia, Dodonæa, Claria, Branchidarum,
„ Ammoniſque oracula, & ſi qua celebrantur alia,
„ ſolaque miremur Judaica, videntes horum fortem,
„ conſtantem, honeſtamque vitam dignam fuiſſe, ut in
„ animis eorum miro quodam modo divinus Spiritus
„ vaticinaretur, qui cum Dæmonum divinationibus
„ nihil haberet ſimilitudinis.

Probatur tertio ex *Tertulliano* Apologetici Cap. 18.
„ ubi de Deo ſic loquitur: Viros enim juſtitia & in-
„ nocentia dignos Deum noſſe & oſtendere a primor-
„ dio in ſæculum emiſit Spiritu divino inundatos, quo
„ prædicarent Deum unicum eſſe, qui univerſa con-
„ diderit, qui hominem de limo ſtruxerit, qui ſæcu-
„ lum certis temporum diſpoſitionibus & exitibus or-
„ dinaverit, exinde qui ſigna Majeſtatis ſuæ judican-
„ tis ediderit per imbres, per ignes; qui demerendo
„ ſibi diſciplinas determinavit, quas ignoratis aut de-

ſeri-

Digitized by Google

» ſeritis, ſed obſervantibus præmia deſtinarit; qui producto ævo iſto judicaturus ſit ſuos cultores in vitæ æternæ retributionem, profanos in ignem æque perpetem & jugem, ſuſcitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recenſitis ad utriuſque meriti diſpunctionem . . . . Quos diximus Prædicatores, Prophetæ de officio præfandi vocantur. Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem Divinitatis edebant, in theſauris literarum manent, nec iſtæ nunc latent.

Probatur quarto ex *Sancto Auguſtino* Libro 12. *contra Fauſtum Manichæum*, Cap. 47. *Catholicis parvulis*, inquit, *antequam ſciant quæ ſit animæ humanæ perfecta juſtitia, & quantum interſit inter ipſam, cui ſuſpiratur, & iſtam qua hic vivitur, ſufficit de illis viris hoc exiſtimare, quod commendat Apoſtolica Doctrinæ* *Habacuc 2. 4.* » *ſanitas, quia* Juſtus ex fide vivit. *Rom. 1. 17.* Credidit autem Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad juſtitiam. Prævidens enim Scriptura, quia ex fide juſtificat *Gen. 15. 6.* Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, dicens: Quia in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. *Apoſtoli verba ſunt.* *Gal. 3. 8.* *Ad cujus tam claram, tamque omnibus notiſſimam vocem, ſi a veſtris fallaciſſimis ſomniis evigilaretis, ſequeremini veſtigia patris noſtri Abraham,* *Geneſ. 6. 5.* *& in ejus ſemine benediceremini cum omnibus Gentibus.* *Rom. 4. 11.* » Ipſe enim accepit, *ſicut dicit Apoſtolus*, ſignaculum Circumciſionis, ſignaculum Juſtitiæ ac Fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit Pater omnium credentium per præputium, ut deputetur & illis ad juſtitiam, ut ſit Pater Circumciſionis, non his ſolum qui ex Circumciſione ſunt, ſed & iis qui ſequuntur veſtigia, quæ eſt in præputio, Fidei patris noſtri Abraham. *Cujus ergo juſtitia Fidei nobis ad exemplum imitanda propoſita eſt, ut nos juſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum, intelligere debemus quemadmodum vixerit, non reprehendere: Ne ante per abortum labamur ex utero Matris Eccleſiæ, quam per ſtabilem conceptum formati perfectique naſcamur. Hoc Fauſto pro moribus Patriarcharum & Prophetarum ex voce parvulorum noſtrorum breviter reſponderim: Inter quos & me ipſum deputaverim, dum tamen non reprehendam vitam Sanctorum antiquorum, etiamſi non intelligam quam myſtice vixerint, quorum vitam nobis Apoſtoli laudabiliter Evangelio ſuo prædicarunt, ſicut illi ſua Prophetia futuros Apoſtolos prædixerunt,* *Iſai. 6. 3.* *ut clament ad ſe invicem duo Teſtamenta, ſicut duo Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

DISSERTATIO VII.

DE CÆTERIS LIBRIS SACRIS VI. MUNDI ÆTATE EDITIS.

ARTICULUS I.

De Libris III. & IV. Regum.

I. HAc Ætate in lucem prodierunt Libri tertius & quartus *Regum*, ab Hebræis & Chriſtianis omnibus ſemper pro Canonicis habiti. Ex variorum Prophetarum Commentariis, qui res ætatis ſuæ memoria dignas ſcriptis mandaverant, excerptos fuiſſe, admodum probabile eſt. *Oziæ* Regis Geſta ab *Iſaia* Propheta ſcripta fuiſſe docet Liber 2. *Paralipomenon*, Cap. 26. 2. *Reliqua autem ſermonum Oziæ priorum & noviſſimorum ſcripſit Iſaias filius Amos, Propheta.* Hiſtoriam *Joſaphat* Regis ſcripſit *Jehu* filius *Hanani*, ut ex eodem Libro diſcimus, Cap. 20. 34. *Reliqua autem Geſtorum Joſaphat priorum & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digeſſit in Libros Regum Iſrael.* Sic actorum diurnorum Commentarios vocat. Partem Geſtorum *Ezechiæ* in Prophetiæ ſuæ Libro ſcripſit *Iſaias* Capp. 37. 38. & 39. ex quibus Capita decimum-nonum & vigeſimum Libri quarti *Regum* ſunt deprompta. *Nathan*, *Semejas*, *Addo*, *Abias Silonites*, aliique Prophetæ, Hiſtoriam Regum ſui temporis in literas retulerant, ut conſtat ex Paralipomenon Lib. 2. 9. 29. *Reliqua autem operum Salomonis priorum & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ, & in Libris Abiæ Silonitis, in Viſione quoque Addo Videntis contra Jeroboam filium Nabat.* Cap. 12. 15. *Opera vero Roboam prima & noviſſima ſcripta ſunt in Libris Semeja Prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter expoſita.* Cap. 13. 22. *Reliqua autem ſermonum Abia, viarumque & operum ejus, ſcripta ſunt diligentiſſime in Libro Addo Prophetæ.* Ex iſtorum ergo & aliorum Prophetarum Commentariis, necnon ex *Libro Verborum dierum Regum Juda*, & *Libro Verborum dierum Regum Iſrael*, qui publici erant diurnorum Actorum Commentarii, excerpti fuere Libri tertius & quartus Regum. Quod *Theodoretus* confirmat in Præfatione Quæſtionum in Libros Regum. *Plurimi*, inquit, *fuerunt Prophetæ, quorum Libros quidem non invenimus, nomina autem didicimus ex Hiſtoria Paralipomenon. Horum unuſquiſque conſueverat ſcribere quæcumque contingebant fieri ſuo tempore . . . . Qui ergo Regnorum Libros ſcripſerunt, ex Scriptis illis accepta occaſione, poſt plurimum tempus ſcripſerunt. Quomodo enim fieri potuiſſet, ut is qui vixit cum Saule aut Davide, ea ſcriberet quæ facta ſunt tempore Ezechiæ & Joſiæ, & Nabuchodonoſoris bellicam expeditionem, & Hieroſolymorum obſidionem, & Populi captivitatem, & tranſmigrationem in Babylonem, & mortem Nabuchodonoſoris? Eſt ergo perſpicuum, quod unuſquiſque ex Prophetis ea conſcripſit quæ geſta ſunt ipſius temporibus. Alii autem quidam cum illa collegiſſent, compoſuerunt Librum Regnorum.*

II. Horum Librorum Auctor nonnullis *Jeremias*, aliis *Eſdras* videtur. Qui *Jeremiæ* tribuunt, eo nituntur argumento, quod ultimum Caput Libri quarti Regum cum poſtremo *Jeremiæ* Capite ita conveniat, ut alterum ex altero deſcriptum veriſimile ſit. Verum hujus infirmitas argumenti ex eo patet, quod poſtremum Caput *Jeremiæ* ipſius Libro ab alio quopiam Scriptore Sacro, ſive *Barucho* ejus Scriba, ſive *Eſdra*, ſubnexum ſit, non ab ipſo *Jeremia* ſcriptum. Quædam enim in eo narrantur, quæ a *Jeremia* ſuperioribus Capitibus jam narrata fuerant. Hujus vero Librum, eo quod nunc penultimum eſt, Capite concluſum, verba illa probant inſtar coronidis adſcripta: *Hucuſque verba Jeremiæ.* Qui tertium & quartum Libros Regum ab *Eſdra* ſcriptos cenſent, hac proferunt conjecturam, quod Libri tertii ſexto Capite Chaldaica Menſium nomina uſurpet, quod Auctorem indicat diu apud Chaldæos verſatum, & Chaldaico idiomati aſſuefactum. Addunt, ſæpe adhibitas in hoc Opere Hiſtorias Regum Juda & Iſrael, & Prophetarum Libros, indices eſſe aſſidui ſacrorum Librorum uſus, qualem *Eſdras* habuit. *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Libro 6. *Originum*, Cap. 2. *Jeremiæ* hos Libros tribuit. *Hunc Librum*, inquit, *Jeremias in unum Volumen coegit. Nam antea ſparſus erat per ſingulas Regum Hiſtorias.* Nulla certior opinio eſt, quam quæ incerti Auctoris hos Libros eſſe pronuntiat.

III. Libris tertio & quarto Regum fidem conciliavit Chriſtus Dominus *Lucæ* 4. 25. & ſeq. cum ait: *In veritate dico vobis, multæ Viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ ad Mulierem Viduam. Et multi Leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus.* Quæ 3. Regum Cap. 17. & 4. *Regum* Cap. 5. narrantur. Eorumdem Librorum auctoritatem confirmat *S. Paulus* Epiſtolæ ad *Romanos* Cap. 11. 2. 3. 4. *An neſcitis*, inquit, *in Elia quid dicit Scriptura? Quemadmodum interpellat Deum adverſus Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, Altaria tua ſuffoderunt; & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Quæ ex Libro 3. *Regum* Cap. 19. ſumpta ſunt.

Fruſtra vero Librorum iſtorum auctoritatem oppugnat Auctor *Theologo-Politicus* Cap. 9. argumento petito ex illorum diſcrepantia in computatione annorum Regum Juda & Iſraelis, & ex repugnantia Chronologiæ illorum cum Chronologia Paralipomenon. Vel enim diſcrepantia & repugnantia nulla eſt, ut data occaſione paſſim oſtendimus in Synopſi Hiſtoriæ V. Mundi Ætatis: Vel ſi quis ſit error in numeris, Librario-

rum oſcitantiæ, non Scriptorum Sacrorum incuriæ tribui debet.

ARTICULUS II.

De Libris Paralipomenon.

I. LIber *Paralipomenon*, inter Protocanonicos ſemper habitus, & Græca interpretatione a Septuaginta Senioribus donatus, apud Hebræos unus eſt, & *Dibre Hajamin*, id eſt, *Verba dierum*, vocatur: Apud nos in duos Libros diviſus eſt propter magnitudinem; quod nonnulli etiam in *Bruto*, *Ciceronis* Dialogo faciunt, ut eum in tres partes ſecent, cum unus a ſuo Auctore ſit editus (inquit *S. Hieronymus* in Præfatione ad *Domnionem* & *Rogatianum*.) Libri παραλειπομένων, id eſt, *Derelictorum* inſcribuntur, quod plura commemorent in Libris Regum prætermiſſa. *Omnis eruditio Scripturarum* (inquit S. Hieronymus) *in hoc continetur; & Hiſtoriæ, quæ vel prætermiſſæ ſunt in ſuis locis, vel perſtrictæ leviter, hic per quædam verborum compendia explicantur*. Et in Epiſtola ad *Paulinum* ait: *Paralipomenon Liber, id eſt, instrumenti Veteris* Ἐπιτομὴ *tantus ac talis eſt, ut abſque illo ſi quis ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat. Per ſingula quippe nomina juncturaſque verborum, & prætermiſſa in Regum Libris tanguntur Hiſtoriæ, & innumerabiles explicantur Evangelii Quæſtiones*. Hos Libros *Chronicon totius Divinæ Hiſtoriæ* jure meritoque poſſe appellari, ait in Prologo Galeato.

II. Libros *Paralipomenon Eſdræ* adſcribunt Hebræi. Ex actis diurnis, ex Prophetarum *Nathan*, *Addo*, *Ahia*, *Semeiæ*, *Jehu*, *Iſaiæ*, Commentariis, & ex Scripturæ Sacræ Libris antea compoſitis, collecti videntur. Poſt *Jeremiam* ſcriptos eſſe probat locus ille Libri 2. Cap. 35. 24. 25. ubi de *Joſia* Rege dicitur: *Et univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt eum, Jeremias maxime: Cujus omnes Cantores atque Cantatrices uſque in præſentem diem Lamentationes ſuper Joſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael: Ecce ſcriptum fertur in Lamentationibus*. Solutis jam Captivitate Babylonica Judæis compoſitos fuiſſe Paralipomenon Libros, probant hæc verba poſtremi Capitis Libri 2. *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, ſuſcitavit Dominus Spiritum Cyri Regis Perſarum: Qui juſſit prædicari in univerſo Regno ſuo, etiam per Scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia Regna terræ dedit mihi dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei Domum in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa: Quis ex vobis eſt in omni Populo ejus? Sit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat*. Quæ verba cum initio Libri *Eſdræ* repetantur, conjecturam ſubminiſtrant unum eſſe Operis utriuſque Auctorem, ſcilicet *Eſdram*, qui pro ſuo jure ad Hiſtoriarum ſuarum contexendam ſeriem verba ipſe ſua uſurpaverit. Qui mos Libros continuandi eſt antiquus; & a *Procopio* in fine Vandalicorum & Gotthicorum initio uſurpatus, ut *Grotius* obſervat. Hanc fulciunt conjecturam Genealogiarum & perſonarum ſimiles Catalogi novem primis *Paralipomenon* Capitibus, & 1. Eſdræ 2. 8. & 10. deſcripti.

Obiici poteſt, Libros *Paralipomenon* Captivitate Babylonica antiquiores probari ex Capite quinto Libri 2. ubi de Arca fœderis in Templum a *Salomone* illata dicitur Verſu 9. *Fuit itaque Arca ibi uſque in præſentem diem*. At Arca in Templo non fuit poſt ipſius Templi Excidium, & ad *Eſdræ* uſque tempora. Legimus enim 2. *Machabæorum* 2. 5. *Jeremiam* in ſpelunca Montis Nebo Arcam abſcondiſſe, cum Jeruſalem a Chaldæis diriperetur, & prædixiſſe locum fore ignotum, quoad Deus Populum ſuum congregaret.

Reſpondetur, Verba illa, quibus Arcæ in Templo depoſitæ fit mentio, ad aliquem ex Prophetis antiquioribus, qui diurnos Commentarios de rebus geſtis Regum Juda & Iſrael ſcripſerant, eſſe referenda. Horum enim temporibus Arca in Templo *Salomonis* religioſe ſervabatur. Hunc vero locum *Eſdras*, ſive quis alius Paralipomenon Auctor, Hiſtoriam ſuam ex antiquis illis Commentariis colligens, iiſdem verbis deſcripſit.

III. Divinam iſtorum Librorum auctoritatem fruſtra impugnat *Theologo-Politicus* Argutator ex nominum diſcrepantiis, quæ inter illos, & Libros *Geneſis*, *Numerorum*, & *Joſue* occurrunt, exempli gratia nominum Filiorum Benjaminis *Geneſis* 46. 21. *Numerorum* 26. 38. 1. *Paralipomenon* 8. 1. & Leviticarum Urbium in *Joſue* & in *Paralipomenis*. Nam etſi in nominibus propriis deſcribendis error forte obrepſerit, is in Librorum Sacrorum Auctores non eſt refundendus, ſed in Sacrorum Codicum Exſcriptores ſive Librarios, quorum incuria varias lectiones peperit, a Maſorethis annotatas. Plura etiam interdum uni eidemque homini fuere nomina. Urbium etiam appellationes lapſu temporis quandoque ſunt mutatæ. Quæ altera eſſe potuit hujuſce diſcrepantiæ ratio.

ARTICULUS III.

De Libris Eſdræ.

I. EſDræ Libri duo Canonici ſunt & Divini Hebræis pariter & Chriſtianis, omniumque Eccleſiarum perpetuo conſenſu recepti. Soli Anabaptiſtæ penitus eos repudiant. Libri prioris Auctor *Eſdras*, cujus inſcriptus eſt nomine, vulgo creditur. Idque omnino conſtat ex ſeptimo Capite, ubi poſtquam datas ad *Eſdram* ab *Artaxerxe* Rege literas retulit, ita de ſe loquitur Auctor, ut ſe ipſum *Eſdram* eſſe ſignificet. *Benedictus Dominus Deus Patrum noſtrorum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret Domum Domini, quæ eſt in Jeruſalem, & in me inclinavit miſericordiam ſuam coram Rege, & Conſiliatoribus ejus, & univerſis Principibus Regis potentibus. Et ego confortatus manu Domini Dei mei quæ erat in me, congregavi de Iſrael Principes qui aſcenderunt mecum*. Doctiſſimus præſul *Daniel Huetius* cenſet Scriptorem ſex priorum Capitum alium eſſe ab *Eſdra*, quod ille Hieroſolymis fuerit tempore *Darii Hyſtaſpis*, ut declarant hæc verba Capitis quinti Verſ. 4. *Ad quod reſpondimus eis, quæ eſſent nomina Auctorum ædificationis illius;* Eſdras vero Hieroſolyma venerit anno ſeptimo *Artaxerxis Longimani*. Verum argumentum iſtud non me movet ut Illuſtris *Huetii* opinioni ſubſcribam. Hieroſolymis enim fuiſſe *Eſdram Darii* tempore non probat iſte locus. Quod enim a Populo ſuo geſtum ac dictum erat, ab iiſque acceperat qui interfuerant, ipſe plurali verbo primæ perſonæ exprimere potuit: *Reſpondimus eis:* Hunc enim loquendi modum & exemplis, & uſu quotidiano confirmare licet.

Libri poſterioris Auctor eſt *Nehemias*, ut ex Capitis 1. Verſu 1. conſtat *Verba Nehemiæ filii Helchiæ*. 2. Machabæorum 2. 13. *Commentarii & deſcriptiones Nehemiæ* laudantur. *Nehemias* ipſe Mœnium Jeruſalem inſtaurator *Eccleſiaſtici* 49. 15. commendatur. Sub *Eſdræ* nomine plerumque laudatur *Nehemiæ* Liber & vocatur *Eſdræ* ſecundus. De quo non eſt intelligendus *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Libro 6. *Originum*, Cap. 2. ubi ſecundum Eſdræ Librum in Canone Hebræorum non haberi, ſed inter Apocryphos reiici docet. Loquitur enim cum Hebræis, apud quos *Eſdræ*, *Nehemiæque ſermones in unum Volumen coarctantur*, ut docet *S. Hieronymus* in Præfatione ad *Domnionem & Rogatianum*. Hinc *Iſidorus* ipſe ait, *Eſdræ* Libro *ſermones Eſdræ & Nehemiæ* contineri. Tertium itaque & quartum Librum *Eſdræ* nomine inſcriptum pariter conjungens, duos dumtaxat *Eſdræ* Libros diſtinxit, unum Canonicum, alterum Apocryphum.

II. Tractatus *Theologico-Politici* impius Auctor primum & ſecundum Librum *Eſdræ* longe poſt inſtauratum a *Juda Machabæo* Templi cultum ſcriptos contendit, & venerandis *Eſdræ* & *Nehemiæ* nominibus ſuppoſitos, eo nixus argumento, quod 2. *Eſdræ* Cap. 12. 2. & 22. mentio fiat *Jeddoæ* Pontificis, quem *Alexandro Magno* Hieroſolymam eunti obviam prodiiſſe narrat *Joſephus* Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 8. & *Darii*, ejus qui *Codomannus* vocatus eſt, quem profligavit *Alexander:* Capite tandem ultimo 28. mentio fiat *Sanaballat Horonitis*, qui *Manaſſis* fratris *Jeddoæ* Pontificis frater fuit, & a *Dario ad Alexandrum* defecit, ut refert Joſephus; qui tamen *Sanaballat Nehe-*

miam

miam Hieroſolymorum Mœnia inſtaurantem multo prius interpellaverat, ut legitur 2. *Eſdræ* Cap. 4. 1.

Reſpondet Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius*, Nehemiam puerum fuiſſe, cum in Judæam profectus eſt, ut qui Regi eſſet a poculis, quo miniſterio fere pueri fungebantur. Si tunc egerit annum ætatis decimum-ſextum, natum fuiſſe annos circiter centum triginta & unum, cum obiit *Darius*; quod neque mirum eſt, neque novum, ut multis exemplis probat *Scaliger*. Verum huic Reſponſioni ſubſcribere non poſſum. *Nehemias* enim inter eos numeratur Judæorum Proceres, qui anno primo *Cyri* Perſarum Regis cum *Zorobabele* Hieroſolymam aſcenderunt (1. *Eſdræ* Cap. 2. 2.) Quo tempore ſi vel ſexdecim annorum fuiſſe ponatur, natus fuerit annos ducentos & triginta circiter cum *Darius Codomanus* obiit, quod profecto incredibile eſt. Magis itaque mihi probatur aliorum Reſponſio, quæ & *Petavio* placuit Libro 12. *De Doctrina Temporum*, Cap. 25. ſcilicet *Pericopen* illam, quæ *Jeddoæ* Pontificis, & *Darii* meminit, non ab ipſo *Nehemia* ſcriptam, ſed ab alio quopiam adtexram. Id enim pleriſque aliis in Libris Scripturæ apparet eſſe factum; ut in fine Deuteronomii, quæ ad *Moſis* obitum ſpectant, ab alio utique Dei Spiritu afflato Scriptore ſunt adjecta. Quod idem & de Libris *Joſue*, *Tobiæ*, *Jeremiæ*, Viri eruditi exiſtimant. Quocirca in Catalogo illo Levitarum, & Sacerdotum, quem ad tempus ſuum perduxerat *Nehemias*, quidam Appendicem illam intexit. *Sanaballetos* vero duos diſtinguere oportet, unum *Nehemiæ & Artaxerxis Longimani*, alterum *Darii Codomani* & *Alexandri* æqualem, quos ambos perperam miſcuit *Joſephus*; & quod prioris erat, id poſteriori tribuit; nimirum affinitatem cum Pontificia familia. Niſi forte bis cum Samaritanis affinitatem junxiſſe Pontificiam illam domum putemus; primum *Nehemiæ*, *Artaxerxis Longimani* tempore, quempiam ex filiis *Jojadæ* Sanaballeti filiam duxiſſe; ob idque a *Nehemia* fuiſſe rejectum; poſtea *Manaſſem* Jeddoæ fratrem Sanaballeti minoris & prioris nepotis filiam itidem in Matrimonium habuiſſe.

ARTICULUS IV.

De Hiſtoria & Libro Judith.

I. CUm *Nabuchodonoſor* Rex Aſſyriorum *Arphaxad* Medorum Regem in Campo Magno Ragau, circa *Euphratem* & *Tigrim* debellaſſet, de Orbe toto ſuæ ditioni ſubiiciendo conſilium iniit. Quod ut exequeretur, *Holofernem* Militiæ ſuæ Principem creavit. Is ingenti cum Exercitu profectus, Syriæ, Meſopotamiæ, Syriæ Sobal, Libyæ, Ciliciæ, Apameæ, ac Idumææ Reges & Principes Nabuchodonoſoris Imperio ſubdidit, Civitates deſtruxit, excidit Lucos, evertit Idola, ut ſolus *Nabuchodonoſor* velut Numen ab omnibus adoraretur. Imminente Judæorum finibus *Holoferne*, illi timore & horrore concuſſi, Domini Dei Exercituum opem jejuniis & orationibus promereri ex *Eliachimi* Sacerdotis conſilio ſategerunt. Oppugnata Bethulia, ac præciſo aquæductu, cives de deditione cogitabant; vixque *Ozias* Princeps Populi ab ipſis obtinere potuit, ut ad reſiſtendum hoſti quinque ſaltem dierum ſpatio ſe compararent, auxilium a Deo expectantes. Id ubi didicit *Juditha* ex Tribu *Simeon*, Vidua *Manaſſis*, genere illuſtris, forma elegans, opibus potens, caſtitate & religione conſpicua, vacillantes Presbyteros objurgavit, eiſque ſuaſit ut Populum ad conſtantiam hortarentur, ac bono animo eſſe juberent. Interim illa Dei opem oratione & pœnitentia implorans de evertendo *Holoferne* conſilium iniit. Ad illius caſtra acceſſit magnifice ornata, & ſpe in Deum ſuæ pudicitiæ cuſtodem, Populique Iſraelitici propugnatorem egregie animata, Holoferni ſuæ formæ decore & illecebris capto, artibuſque deluſo, & nimia deinde compotatione ſopito ac ſtertenti caput abſcidit, ac Betuliam tulit, quo in muro ſuſpenſo, Judæi in Aſſyrios irruerunt, & eorum Exercitum funditus deleverunt.

Judith Deiparæ Virginis typus.

In *Juditha* Deiparæ Virginis typum Deus exhibuit, quæ ſpiritualem Holofernem ſalutis noſtræ hoſtem inſenſiſſimum profligat, & tartareas fugat legiones, quæ ab omni peccato immunis fuit, quæ præ omnibus mulieribus benedicta, cujus laudes Sancti Chriſtianique omnes celebrant. Cui longe excellentius quam *Judithæ* convenit quod Sancta illa Heroina de ſeipſa dixit: *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria ſua, in evaſione mea, & in liberatione veſtra.* *Judith 13. 20. & ſeq.* Cui meliori jure quam *Judithæ* ab omnibus univerſis Deum adorantibus dici debeat: *Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros .... Benedicta es tu filia a Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram .... Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum noſtrorum: Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum ... Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael. Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia Populi noſtri.* *Judith 15. 10.*

Libri Judith incertus Auctor.

II. Auctorem Libri *Judith* incertum cenſemus cum *S. Iſidoro Hiſpalenſi* Libro 6. *Originum*, Cap. 2. quamquam hunc *Eliachimo* Summo Pontifici nonnulli adſcribant. Chaldaico idiomate ſcriptus eſt, teſte *S. Hieronymo*, qui Latine illum reddidit. Ex Chaldaico item Exemplari Græca Verſio expreſſa eſt a Judæis Helleniſtis. Ex qua Verſione Latina quædam vetuſtior Hieronymiana videtur prodiiſſe, qua Latini Patres antiqui uſi ſunt; nec non Syriaca.

Duplex Quæſtio moveri poteſt circa *Judithæ* Hiſtoriam, prima de Hiſtoriæ ipſius veritate; altera de tempore.

PROPOSITIO I.

Quæ in Libro Judith narrantur, commentitia, meramque Parabolam aſſerere, impium, temerarium, & hæreticum eſt.

PRobatur Veterum teſtimoniis ab Apoſtolicis temporibus, qui *Juditham* ceu Heroinam Sanctiſſimam celebrarunt, & Chriſtianis Viduis in exemplum propoſuerunt; & ex Libro *Judith* ceu Sacra Scriptura teſtimonia deprompſerunt; tum etiam ex Eccleſiæ judicio, quæ ipſum Canonicum eſſe ac Divinum pronuntiavit.

Illud imprimis *S. Pauli* Epiſtolæ 1. *ad Corinthios* Cap. 10. 9. 10. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt: Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum, & perierunt ab Exterminatore:* Illud, inquam, ex Libro *Judith* 8. 24. 25. depromptum eſt, ubi legimus: *Illi autem qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra Dominum protulerunt, exterminati ſunt ab Exterminatore, & a ſerpentibus perierunt.* Oziæ verba ad Juditham, *Benedicta es tu filia a Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram*, Elizabetha Spiritu Sancto afflata imitata eſt, cum ad Virginem *Mariam* Chriſti Domini, ac Dei noſtri Matrem ait: *Benedicta tu inter Mulieres.*

S. Clemens Romanus in genuina ad *Corinthios* Epiſtola 1. *Multa*, inquit, *Mulieres gratia divina corroboratæ multa & virilia geſſerunt. Beata Judith, cum Urbs circumſeſſa eſſet rogavit Seniores ut ſibi liceret in alienigenarum caſtra exire; & periculo ſe obiiciens, propter amorem Patriæ, & Populi qui arcta obſidione cingebatur, egreſſa eſt, & tradidit Deus Holophernem in manus Mulieris.*

Clemens Alexandrinus Lib. 4. Stromatum pag. 521. *Judith quæ conſummata fuit in Mulieribus, cum eſſet Urbs circumſeſſa, precata Seniores, ingreditur quidem in caſtra alienigenarum, omne periculum contemnens pro Patria, ſeipſam tradens hoſtibus in fide Dei: Præmia autem fidei mox accipit, cum Mulier in hoſtem fidei ſe præclare geſſerit, & potita ſit capite Holophernis.*

Origenes Homilia 19. in Jeremiam, *Volo exemplum dare a Scriptura Juſti fœdera revocantis, ut oſtendam quomodo ille re ipſa prævaricationem invocavit. Judith* *Edit. Huet.*

fœdera ſanciverat cum Holoferne, ut tot diebus egreſſa ad orandum Deum, poſt totidem dies ſiſteret ſemetipſam cubili Holofernis. Pacta hæc admiſerat Holofernes, dimiſit Judith ad precandum foras extra caſtra. Quid facere debebat Judith? Servare ne pacta, vel ea prævaricari? Illa namque prævaricari quoad Holofernem, beatum erat in ordine ad Deum. Prævaricatura cum Holoferne pacta inita Judith, dixit: Prævaricationem invocabo, & invocavit prævaricationem, *Utinam & ego talis ſim ut dicam, Prævaricationem invocabo, & invocabo prævaricationem illam cum Serpente, illam cum Diabolo.* Et Tom. 3. in Joannem: *Verum*, inquit,
Judith 9. 2. *Solis profecto etiam eſt Deus; & ut inquit Judith, Patris ſui Simeon, atque etiam Hebræorum eſt Deus*, &c.

Tertullianus Libro *De Monogamia*, Cap. 17. *Habebunt plane Chriſto quod adlegent, ſpecioſam privilegium, carnis uſquequaque imbecillitatem. Sed hanc judicabunt jam non Iſaac monogamus pater noſter, nec Joannes aliquis Chriſti ſpado, nec Judith filia Merari, nec tot alia exempla Sanctorum. Solent Ethnici Judicus deſtinari. Exurget Regina Carthaginis*, &c.

S. Ambroſius Libro 3. *De Officiis*, Cap. 13. *Ecce tibi*
Judith 10. *Judith ſe offert mirabilis, quæ formidatum Populis virum Holophernem adiit, Aſſyriorum triumphali ſeptum caterva.... Quem primo formæ gratia & vultus decore perculit, deinde ſermonis circumſcripſit elegantia. Primus triumphus ejus fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hoſtis revexit. Secundus, quod femina de viro reportavit victoriam, fugavit Populos conſilio ſuo. Horruerunt Perſæ audaciam ejus.... Non expavit mortis periculum, ſed nec pudoris, quod eſt gravius bonis feminis: Non unius ictum carnificis, ſed nec totius Exercitus tela trepidavit. Stetit inter cuneos bellatorum femina, inter victricia arma ſecura mortis. Quantum ad molem ſpectat periculi, moritura proceſſit; Quantum ad fidem, dimicatura. Honeſtatem igitur ſecuta eſt Judith;*
Judith 2. *& dum eam ſequitur utilitatem invenit. Honeſtatis enim fuit prohibere, ne Populus Dei ſe Profanis dederet, ne Ritus patrios & Sacramenta proderet, ne ſacras Virgines, Viduas graves, pudicas Matronas barbaricæ ſubiiceret impuritati, ne obſidionem deditione ſolveret. Honeſtatis fuit, ſe malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo. Quanta honeſtatis auctoritas, ut conſilium de ſummis rebus femina ſibi vindicaret, nec Principibus Populi committeret? Quanta honeſtatis auctoritas, ut Deum adjutorem præſumeret? Quanta gratia ut inveniret?*

Et Libro *De Viduis* prolixum *Judithæ* adornat elogium. *Sed nec fortitudo*, inquit, *bonæ Viduæ deeſſe consuevit. Hæc enim vera eſt fortitudo, quæ naturæ uſum, ſexus infirmitatem mentis devotione tranſgreditur: Qualis in illa fuit, cui nomen Judith, quæ viros obſidione fractos, perculſos metu, tabidos fame, ſola potuit a colluvione revocare, ab hoſte defendere. Etenim, ut legimus, cum Holophernes ſucceſſu multorum terribilis præliorum, intra muros innumera virorum millia coegiſſet, armatis paventibus, & de extrema jam ſorte tractantibus, extra murum proceſſit, & illo præſtantior Exercitu, quem liberavit, & eo fortior, quem fugavit. Sed ut diſcas matura viduitatis affectum, ſeriem ipſam perſequere Scripturarum. A diebus enim viri ſui quibus ille defunctus eſt, veſtem jucunditatis depoſuit, mœroris aſſumpſit: per omnes dies intenta jejunio, Sabbatho tantum ſacrarumque temporibus Feriarum, non refectioni indulgens, ſed Religioni deferens. Diuturnis igitur mœ-*
Joan. 2. *roribus, & quotidianis roborata jejuniis Sancta Judith, quæ ſæculi oblectamenta non quæreret, periculi negligens mortiſque contemptu fortior, ut commentitium ſtrueret dolum, veſtem illam jucunditatis, quam vivente viro veſtire ſolebat, ſe induit: Quaſi placitura viro ſi patriam liberaret. Sed virum alium videbat, cui placere quærebat, illum utique de quo dictum eſt:* Poſt me Vir qui ante me factus eſt. *Et bene conjugales pugnatura reſumpſit ornatus, quia monimenta conjugii arma ſunt caſtitatis. Neque enim Vidua aliis aut placere poſſet, aut vincere. Quid cætera perſequamur, quod inter tot millia Hoſtium caſta remanſit? Quid ejus ſapientiam prædicemus, quod hujuſcemodi eſt commenta conſilium, ut dum Potentem elicit intemperantia, a ſe inferiores arceret, occaſionem pararet victoriæ, abſtinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reſervaret? Nec cibo enim, ut legimus, maculata, nec adulterio, non minus ſervata caſtitatis ex hoſtibus revexit trophæum, quam patriæ liberatæ. Quid ſobrietatem loquar? Temperantia enim virtus eſt feminarum. Inebriatis vino viris, & ſomno ſepultis abſtulit Vidua gladium, exercuit manum, Bellatoris abſcidit caput, per medias hoſtium acies intemerata proceſſit.... Haud difficile ebrios Exercitus animus ſobrietas & vincere potuit, & eludere. Nec dextera tantum hoc opus, ſed majora trophæa ſapientiæ. Nam manu ſolum Holophernem vicit, conſilio autem omnem hoſtium vicit Exercitum. Suſpenſo enim Holofernis capite, quod virorum non potuit excogitari conſilio, ſuorum erexit animos, hoſtium fregit, ſuos pudore excitans, hoſtes quoque terrore percellens, eoque caſi ſunt & fugati. Ita animus Viduæ temperantia atque ſobrietas non ſolum naturam ſuam vicit, ſed quod eſt amplius, fecit viros etiam fortiores. Nec his tamen elata ſucceſſibus, cui utique gaudere & exultare licebat jure victoriæ, viduitatis reliquit officium: ſed contemptis omnibus qui ejus Nuptias ambiebant, veſtem jucunditatis depoſuit, viduitatis reſumpſit: Nec triumphorum ſuorum amavit ornatus, illos exiſtimans eſſe meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hoſtium arma vincuntur.*

S. Hieronymus Epiſtola 10. *ad Furiam*, De Viduitate ſervanda. *Legimus* (inquit) *in Judith (ſi cui tamen placet Volumen recipere) Viduam confectam jejuniis, & habitu lugubri ſordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, ſed ſqualore corporis Sponſi quærebat adventum. Video armatam gladio manum, cruentam dexteram. Recognoſco caput Holophernis de mediis hoſtibus reportatum. Vincit viros femina, & caſtitas truncat libidinem; habituque repente mutato, ad victrices ſordes redit, omnibus ſæculi cultibus mundiores.* Librum quidem *Judith* nondum univerſalis Eccleſia in Canonem adſcripſerat *S. Hieronymi* temporibus, neque in antiquis Catalogis *Melitonis*, *Origenis*, *S. Athanaſii* in Epiſtola Feſtali, *S. Hilarii*, *S. Gregorii Nazianzeni*, *S. Cyrilli Hieroſolymitani*, Concilii Laodiceni, in Librorum Canonicorum numero recenſetur: Librum tamen ſacrum & divinum eſſe cenſebat Eccleſia, atque ut talem in ſacris conventibus Chriſtianorum legebat: Eo quidem nondum utebatur ad confirmanda Religionis noſtræ dogmata contra Hæreticos; ſed eum adhibebat ad mores Fidelium informandos. Id vult unum Præfatione in Libros Salomonis, ubi de Libris *Sapientiæ & Eccleſiaſtici* loquens, ait: *Sicut ergo Judith & Tobiæ, & Machabæorum Libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: Sic & hæc duo Volumina legat ad ædificationem Plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Et Præfatione in Librum Judith: *Apud Hebræos*, inquit, *Liber Judith inter Hagiographa legitur: Cujus Auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Chaldæo tamen ſermone conſcriptus, inter Hiſtorias computatur. Sed quia hunc Librum Synodus Nicæna in numero Sanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquievi poſtulationi veſtræ.... Accipite Judith viduam, caſtitatis exemplum & triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non ſolum feminis ſed & viris imitabilem dedit, qui caſtitatis ejus Remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut invictam omnibus hominibus vinceret, & inſuperabilem ſuperaret.*

Librum *Judith* ut Canonicum recipiebat Eccleſia Africana, ut conſtat ex *S. Auguſtino* eum in Canone Scripturarum contineri aſſerente, Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. & ex Concilio Carthaginenſi III. cui *S. Auguſtinus* aderat, Canone 47. Eundem ut Canonicum habebat Eccleſia Romana, ut conſtat ex Epiſtola *Innocentii I.* ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum. Hunc & *Gelaſius I.* cum Synodo Romana in Librorum Canonicorum Indice poſtea deſcripſit, veterem Eccleſiæ ſuæ traditionem ſecutus. Sermones *De Judith* inter Auguſtinianos olim 224. & 228. *De Tempore*, nunc 48. & 49. in Appendice, prætermitto, quod incerti ſint Auctoris & ineruditi.

Sanctus Fulgentius Epiſtola 2. ad *Gallam* data, Cap. 14. *Habes*, inquit, & *in Veteri & in Novo Teſtamento Sanctarum Viduarum quibus ædificeris, exempla. In Veteri Teſtamento Judith, Anna conſideretur in No-*
„ *vo...... De Judith ſcriptum eſt:* Et erat Judith Judith 8.
„ in domo ſua Vidua annis tribus & menſibus quatuor,

„ & ſe-

„ & fecit ſibi tabernaculum ſuper ſolarium domus
„ ſuæ, & impoſuit ſuper lumbos ſuos cilicium, &
„ erant ſuper eam veſtimenta viduitatis ſuæ, & je-
„ junabat *Judith* omnibus diebus viduitatis ſuæ. *At
ne quis illam Sanctam Viduam non devotione cordis,
ſed neceſſitate paupertatis exiſtimet jejunaſſe, audi quid*
„ *de ea in ſubſequentibus dicitur:* Et erat Judith bo-
„ na aſpectu, formoſa facie valde, & prudens cor-
„ de, & bona in intellectu, & erat honeſta valde.
„ Quia reliquerat ei Manaſſes vir ejus, filius Achi-
„ tob, filii Melchis, filii Eliab, filii Nathahel, filii
„ Surifada, filii Simeon, filii Iſrael, aurum & argen-
„ tum, ſervos & ancillas, & pecora, & prædia. *Ecce Vidua præclara natalibus, facultatibus dives, ætate juvenis, ſpecie mirabilis, divitias contempſit, divitias reſpuit, carnis incentiva calcavit, & induta virtute ex alto, non quæſivit ſecundo famulari connubio. Propterea teſtimonio tam præclari operis apparuit, quantum Deo dilecta ſit continentia vidualis. Denique cum Holophernes innumero Bethuliam obſediſſet Exercitu, & omnis Iſraelitarum virtus perturbata langueſceret; egreditur caſtitas oppugnatura laſciviam, & ad interitum ſuperbiæ humilitas ſancta procedit. Ille pugnabat armis, iſta jejuniis. Ille ebrietate, iſta oratione. Igitur, quod omnis Iſraelitarum Populus facere non potuit, Sancta Vidua caſtitatis virtute perfecit. Obtruncavit una Mulier tanti agminis Ducem, & inſperatam Dei Populo reddidit libertatem.*

Eccleſia in Concilio Tridentino congregata, Seſſione 4. Librum *Judith* in Sacrorum Librorum Indice recenſuit, omnibuſque Libris Canonicis, quorum ille unus eſt ſingillatim recenſitis, ſubdit: *Si quis autem Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit ..... Anathema ſit.*

Grotius refellitur. Ex his *Grotius* refellitur, qui totum quod Libro *Judith* narratur, meram parabolam eſſe docet, ac *Judith* eſſe Judaicam Gentem, Bethuliam eſſe Templum Dei, *Judithæ* gladium eſſe preces Sanctorum; *Nabuchodonoſorem* Diabolum ſignificare, Aſſyriam faſtum; *Holofernem* idem ſonare quod *Lictorem Serpentis.* Viduam fingi *Juditham*, ut Judæa omni auxilio deſtituta exprimatur. *Joachimum*, ſive Eliakimum *Deum ſurrecturum* ſignificare, quæ ſpes cum homines Deo conjungat, ideo Sacerdoti Summo id nominis tribui. Verum allegorica illa nominum interpretatio veritatem Hiſtoriæ non deſtruit. *Origenes* enim & alii Patres, ac Interpretes Scripturæ Sacræ plurimi & nomina & ſententias ipſas allegorice ſunt interpretati in iis etiam Libris, in quibus res geſtas, non meras parabolas narrari nemo diffitetur.

Grotio, aliiſque Heterodoxis, qui Hiſtoriam *Judith* Poeticum figmentum, & Tragœdiam appellare non verentur, *Joſephi* ſilentium non favet. Cum enim ſibi propoſuiſſet ea tantum in ſuis Antiquitatibus referre, quæ in Libris Canonicis Hebræorum habebantur, ut ipſe quidem profitetur in Procemio totius Operis, & Libro 10. Capite 11. mirum non eſt quod de *Judithæ* Hiſtoria ſiluerit, cum Liber *Judith* in Canonem Hebræorum, obſignatum priuſquam ſcriberetur, receptus non fuiſſet, nec Hebraice ſcriptus eſſet. Adde *Joſephum* Hiſtorias aliquas prætermiſiſſe, quas Canonicæ eſſe auctoritatis nemo Chriſtianus negaverit, ut *Jobi* Hiſtoriam, & Bethleemitarum Infantium cædem.

Nullius etiam ponderis eſt argumentum quod petitur ex Feſto annuo in memoriam heroici facinoris *Judithæ*, & victoriæ de *Holoferne* & Aſſyriis reportatæ, cujus nulla in Hebræorum Libris mentio extat. Potuit enim ſucceſſione temporis abrogari, ſi vere inſtitutum eſt. Quod in dubium revocari nolim, cum id doceat vulgata Editio Latina ex Chaldaico Textu a *S. Hieronymo* expreſſa, quamvis in Græca interpretatione poſtremus ille verſus ultimi Capitis non habeatur, qui Feſtivitatis hujuſce ab Hebræis in perpetuum tam celebris victoriæ monumentum inſtitutæ meminit: *Dies autem victoriæ hujus Feſtivitatis, ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore uſque in præſentem diem.*

Levis etiam eſt quæ ex Græcanicis locutionibus formatur objectio, ſcilicet capite 9. 2. ubi legimus in Græco, *οἳ ἔλυσαν μήτραν παρθένου εἰς μίασμα* *Qui ſolverunt uterum virginis ad pollutionem*, & Capite 16. 8. ubi *Titanum filii* commemorantur. Ex quibus *Grotius* colligit, Auctorem Libri *Judith* Scriptores Græcos legiſſe. Levis (inquam) hæc objectio eſt, cum hujuſmodi locutiones Interpretibus tribuendæ ſint, non Libri Auctori. Sic in Libro Job, Plejadis, Hyadum, Orionis, Arcturi, & Amaltheæ nomina, Græcæ certe originis, & Proverbiorum 26. 8. *Acervus Mercurii*, & *Alexandriæ* nomen in Prophetiis Jeremiæ, Ezechielis, & Nahum ſecundum Editionem Vulgatam, cum tamen longo poſt hos Prophetas tempore Alexandria condita ſit, Interpretibus, non Auctoribus iſtorum Librorum tranſcribuntur.

Antilogiam forte quis objiciet in *Judithæ* genealogia, quæ dicitur *Filia Merari, filii Idox, filii Joſeph, filii Oziæ, filii Elai, filii Jamnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben*, Nam ex Tribu *Ruben* & *Simeon* progenita eſſe *Juditha* non potuit. Præterea, ſexdecim tantum generationes hic recenſentur; cum tamen a Jacobo Iſraelitarum communi parente ad Captivitatem Babylonicam viginti-ſex numeret *S. Matthæus.*

Reſpondetur; Non omnes *Judithæ* Proavos hic recenſeri, uti nec omnes *Elcanæ* 1. Regum Cap. 1. Verſ. 1. nec *Saulis* Cap. 9. Verſ. 1. Satis enim fuit Sacris Hiſtoricis illorum genealogiam ad virum aliquem illuſtrem referre velut ſtirpis auctorem. *Ruben* autem ille in *Judithæ* genealogia recenſitus non eſt *Ruben* Patriarcha, filius *Jacob* primogenitus, (Huic enim filius nullus fuit, cui nomen fuerit *Simeon*) Sed vir aliquis illuſtris ex Tribu *Simeonis*, quem ſui generis Auctorem agnoſcit *Juditha* Cap. 9. 2. ita Deum invocans: *Domine Deus patris mei Simeon.* Denique in Græco Textu nulla mentio *Rubenis* eſt, ſed ejus loco habetur *υἱῶν Ἰσραήλ*, *Filii Iſrael*, quam lectionem approbat *S. Fulgentius* Epiſtola 2.

PROPOSITIO II.

Judithæ Hiſtoria poſt reditum Judæorum e Captivitate Babylonica contigit.

Circa tempus quo *Judithæ* contigit Hiſtoria diſſidium eſt inter Eruditos. *Bellarminus*, *Serarius*, *Salianus*, *Pererius*, Illuſtris *Huetius* &c. eam ad tempora *Manaſſis* Regis Juda referunt; Alii quorum potior videtur ſententia, eam contigiſſe cenſent poſt ſolutam Judæorum Captivitatem Babylonicam tempore *Xerxis* Regis Perſarum. Hujus ſententiæ momenta ſane graviſſima paucis expono.

Primum momentum petitur ex his quæ Cap. 5. leguntur de nupero Judæorum ex Captivitate reditu. *Nam & ante hos annos, cum receſſiſſent a via, quam dederat illis Deus ut ambularent in ea exterminati ſunt prœliis a multis Nationibus, & plurimi eorum captivi adducti ſunt. Nuper autem reverſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Jeruſalem, ubi ſunt Sancta eorum.* Quæ *Achioris* verba referri non poſſunt ad Captivitatem decem Tribuum ſub *Salmanaſare*, cum ex illa non redierint Iſraelitæ. Minus etiam commode referuntur ad diſperſionem ſub *Manaſſe* Regem factam; cum hæc univerſalis non fuerit, nec diuturna, propriaque hæc fuerit *Manaſſis* Regis, non Populi Captivitas, ut conſtat ex 2. *Paralipomenon* Cap. 33. Verſ. 2. De Judæorum ergo Captivitate Babylonica hæc intelligenda ſunt; adeoque *Judithæ* Hiſtoria poſt reditum e Captivitate Babylonica contigit.

Secundum momentum petitur ex ſtatu rerum Judaicarum quo tempore Bethulia a *Juditha* liberata eſt. Nulla enim Regis mentio in tota Hiſtoria occurrit; cujus tamen nomine, quamvis in vinculis Babylone detentus fuiſſet, publica res adminiſtrari debuiſſet. Jus omne penes Duces, Pontificem, & Sacerdotes erat. *Sacerdos Eliachim ſcripſit ad univerſos qui erant contra Eſdrelon ... Et univerſos per quos viæ tranſitus eſſe poterat, ut obtinerent aſcenſus Montium, per quos via eſſe poterat ad Jeruſalem, & illic cuſtodirent, ubi anguſtum*

iter

Digitized by Google

iter eſſe poterat inter Montes. Et fecerunt filii Iſrael ſecundum quod conſtituerat eis Sacerdos Domini Eliachim .... Tunc Eliachim Sacerdos Domini Magnus, circuivit omnem Iſrael. (Judith 4. 5. 6. 7. 11.) *Juditha* cum *Ozia* Principe Populi, & Presbyteris *Chabri* & *Charmi* conſilia communicat, ut Bethuliæ deditionem intra quinque dies, niſi adjutorium venerit, ſtatutam avertat. (Cap. 8.) *Miſit Ozias Nuntios per omnes Civitates & Regiones Iſrael*, ut fugientes Aſſyrios perſequerentur .... *Joacim autem Summus Pontifex de Jeruſalem venit in Bethuliam com univerſis Presbyteris ſuis, ut videret Judith.* (Cap. 15. 5. 9.) Hæc autem Judaicæ Reipublicæ forma temporibus Captivitatem Babylonicam proxime ſecutis magis convenit.

Tertium momentum Bethuliæ ſtatus ſubminiſtrat, quæ Civitas erat Tribus Zabulon, nec tamen ab illius Tribus hominibus aliiſve Iſraelitis incolebatur tempore Manaſſis, ſed a novis colonis, Chutæis nempe, & aliis quos Aſſaradon in Samariam, & alias decem Tribuum Civitates miſerat, cum veteres incolæ in Aſſyriam a *Salmanaſare* deportati fuiſſent.

Quartum momentum præbet nomen *Eliachimi* ſeu *Joacimi* Pontificis in Hiſtoria *Juditha* celebre. Is fuit filius *Jeſu*, filii *Joſedech*, qui Sacris Judaicis præerat poſt reditum ex Captivitate Babylonica. Jeſus enim Pontificatum geſſit ſub Cyro, Cambyſe, & Dario; *Joacim* ſive *Eliachim* ſub Xerxe; *Eliaſib* ſub Artaxerxe; ut colligitur ex 2. *Eſdræ* Capp. 12. & 13. & *Aggæi* 1. & 2. Nec vero dici poteſt *Eliachim* ſummum Sacerdotem *Ezechiæ* & *Manaſſis* temporibus vixiſſe, illum, cujus meminit Liber quartus *Regum*, Cap. 18. & *Iſaias* Cap. 22. Qui non ſolum tunicam & cingulum habuit (hoc eſt, poteſtatem Sacerdotalem) ſed quaſi pater fuit habitantibus Jeruſalem, & clavem Domus David geſſit, ut ipſo aperiente non eſſet qui clauderet, aut claudente qui aperiret, ut ait Propheta. Id, inquam, dici non poteſt; cum *Eliachim* ille Pontifex non fuerit, ſicut nec pater ipſius *Helcias*, ſed Præpoſitus Regiæ Domus: Imo nec Sacerdos fuiſſe videtur, vel ex Levitico genere, ſed Aulæ Princeps. Tunicæ autem & cinguli nomine veſtes Sacerdotales hic non ſignificantur, ſed omnia officia & ornamenta ſeu inſignia *Sobnæ*. Præterea, nullus *Eliachim* aut *Joachim* memoratur in Catalogo Pontificum qui Sacris Judaicis ante Captivitatem Babylonicam præfuerunt, quem ex publicis Tabulis *Joſephus* accurate deſcripſit Libro 10. *Antiquitatum*, Cap. 11. Et qui ibi nominatur *Helcias*, non *Ezechiæ* & *Manaſſis*, ſed *Joſiæ* tempore Summum Sacerdotium geſſit, ut habetur 4. *Regum* 23. 4. Nec ipſi ſucceſſit *Eliachim*, ſeu *Joacim*, ſed *Sareias*, teſte *Joſepho*.

Quintum momentum petitur ex pace quæ *Juditha* facinus & victoriam conſecuta eſt, de qua Capite ultimo Verſ. 30. dicitur: *In omni autem ſpatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem ejus annis multis.* Nam & ſub *Xerxe*, & ſub *Artaxerxe Longimano* ejus filio, pacatiſſima Judæorum Reſpublica fuit. Si vero ad *Manaſſis* tempora *Juditha* referatur Hiſtoria, non ita diuturna fuerit pax illa quam Iſraelitis procuravit. Nam ut demus viris quibuſdam Eruditis *Juditham* annorum fuiſſe circiter 64. cum ad *Holofernem* acceſſit; (quod tamen parum credibile eſt, habita ratione formæ ipſius, qua captus eſt *Holofernes*) ſequitur ipſam ſuperſtitem fuiſſe adhuc annis 41. hoc eſt, ad annum Mundi ter milleſimum trecenteſimum octogeſimum-nonum, a quo quinque tantum reſidui ſunt ad annum ter milleſimum trecenteſimum nonageſimum-quartum, quo a *Nechaone* Rege Ægypti *Joſias* percuſſus eſt. At quinque annos tantum non videntur ſignificare hæc verba: *Et poſt mortem ejus annis multis*, ſed multo plures. Hoc ratiocinium nititur ætate Judithæ, *quæ manſit in domo viri ſui annos centum quinque*; id eſt uſque ad centeſimum-quintum ætatis ſuæ (*Judith* 16. 28.) quam juvenem admodum fuiſſe oportet tempore Expeditionis *Holofernis*. Tres enim dumtaxat viduitatis annos numerabat: Nullos ſuſceperat ex Manaſſe viro ſuo liberos. Ea erat ætate, ut ſummam laudem ob ſervatam viduitatem promerita ſit, quæ anus ſexagenariæ non magna laus eſſet. Formæ erat tam egregiæ, tam elegantis, ut admirationem & amorem Principibus viris movere poſſet. Puella denique vocatur a *Vagao* Eunucho *Holofernis*.

Ita Chronologus Anonymus, in Bibliis apud Vitraeum Pariſiis editis anno 1662.

Euſebius in Chronico, & *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 26. *Juditha* Hiſtoriam ad *Cambyſis* tempora referunt, & hunc *Secundum Nabuchodonoſorem* dictum *Euſebius* teſtatur. Sed huic ſententiæ repugnat brevius *Cambyſis* Perſarum Regis, quam *Nabuchodonoſoris*, qui *Arphaxad* profligavit, Regnum. Hic enim anno duodecimo Regni ſui prælium commiſit cum *Arphaxad*, & anno 13. miſit *Holofernem* cum ingenti Exercitu, ut omnia Regna ſibi ſubjiceret. At *Cambyſes* ſeptem dumtaxat annos, & menſes quinque regnavit, ut teſtatur *Herodotus* Libro 3. Noſtræ tamen ſententiæ non leve pondus addit *Euſebii* & *S. Auguſtini* auctoritas, quatenus *Juditha* Hiſtoriam poſt reditum Judæorum ex Captivitate Babylonica contigiſſe cenſent. *Severus Sulpitius* Lib. 2. *Hiſtoriæ Sacræ* Judithæ heroicum facinus *poſt Captivitatem* contigiſſe ſcribit ſub *Artaxerxe Ocho*, filio *Mnemonis*, qui a Judæis *Nabuchodonoſor* appellatus ſit *ob impatientiam & pariles in eorum Gentem conatus*: Conjecturamque ſuam inde veriſimilem reddit quod idem *Ochus* in ſæcularibus Hiſtoriis *natura immitis, cupiduſque bellorum* fuiſſe tradatur. *Nam & arma finitimis intulit, & Ægyptum, quæ ante multos annos deſciverat, bello recuperavit. Quo tempore etiam Sacra eorum, & Apim in Deum receptum irriſiſſe traditur: Quod poſtea Bagoas Spado ejus, Natione Ægyptius, indignatus, contumeliam Gentis morte Regis ultus eſt. Meminit autem hujus Bagoa Hiſtoria Divina. Nam cum Holofernes juſſu Regis, adverſus Judæos duxerat Exercitum, Bagoam in iiſdem caſtris fuiſſe memoravit.* In Libro Judith Holofernis Eunuchus *Vagao* nuncupatur.

Objiciunt contrariæ ſententiæ Vindices, *Ecbatana* condita fuiſſe a *Dejoce* Rege Medorum, teſte *Herodoto*: Ac proinde *Arphaxad*, cui tribuitur iſtius Urbis ædificatio, (*Judith* 1.) eumdem eſſe cum *Dejoce* coævo *Manaſſi* Regi Juda.

Reſpondetur, *Arphaxad* Echatana a fundamentis non condidiſſe, ſed a *Dejoce* olim condita novis muris & ædificiis munivisse, auxiſſe, ornaſſe ut ex Græco Textu colligitur ἐν ταῖς ἡμέραις Ἀρφαξὰδ, ὃς ἐβασίλευσε Μήδων ἐν Ἐκβατάνοις, καὶ ᾠκοδόμησεν ἐπ᾽ Ἐκβατάνων καὶ κύκλῳ τείχη ἐκ λίθων λελαξευμένων. *In diebus Arphaxad qui regnavit ſuper Medos in Ecbatanis, & ædificavit ſuper Ecbatana, & in circuitu muros ex lapidibus ſectis.* Ideo autem hanc Civitatem munivit, auxitque, ut Regnum ſuum firmaret adverſus *Nabuchodonoſorem*, illicque vires ſuas omnes colligeret. *Arphaxad* autem & *Nabuchodonoſor* Præfectos fuiſſe *Xerxis* aut Reges vectigales, veri ſimillimum eſt: Hunc Aſſyriis, illum Medis ſub eo imperaſſe: Et adverſus *Xerxem* rebellaſſe, cum *Leonides* Rex Lacedæmoniorum ejus Exercitum ad Thermopilas fudiſſet, & in pugna Salaminia partem Claſſis maximam amiſiſſet. Id conjicere licet ex his *Juſtini* verbis Libro 3. *Xerxes Rex Perſarum, terror antea Gentium, bello in Græcia infeliciter geſto, etiam ſuis contemptui eſſe cœpit. Quippe Artabanus Præfectus ejus, deficiente quotidie Regis Majeſtate, in ſpem Regni adductus eſt.* Forſan *Arphaxad*, cujus Liber *Judith* meminit, ipſe eſt *Artabanus*. Ut ut eſt *Arphaxad* Rex Medorum *Xerxis* tributarius, jugum ejus hac etiam occaſione videtur excuſſiſſe. *Nabuchodonoſor* Rex Aſſyriorum *Xerxi* pariter vectigalis, qui regnabat in Ninive poſt everſionem reſtaurata, Regium nomen ac poteſtatem abſolutam uſurpavit, poſtquam *Arphaxad* in Campo magno *Ragau* debellaſſet. Hic *Nabuchodonoſor*, vel ex ſtirpe Magni *Nabuchodonoſoris* oriundus: vel ita appellatus, quod non Aſſyriis tantum, ſed & Babyloniis imperaret, ac utrumque Regnum uſurpaſſet: Hic, inquam debellatis Medis, de toto Orbe ditioni ſuæ ſubjiciendo conſilium iniit. Conſcripto eum in finem ingenti validoque Exercitu, *Holofernem* Perſam genere nuiverſis copiis ſuis præfecit, & adverſus Occidentis Regna miſit. Defecerat dubio procul a *Xerxe* Holofernes, multoſque Perſas ſecum traxerat: Medi a *Nabuchodonoſore* ſubacti in ejus etiam Militia conſcripti erant: Adeoque ex Medis & Perſis conflatus erat *Holofernis* Exercitus, ut ipſo cæſo merito potuerit *Juditha* de ſeipſa in tertia perſona canere: *Horruerunt Perſæ conſtantiam ejus, & Medi audaciam ejus.*

Judith, 16. 12.

Obji-

Obiiciunt ſecundo : *Nabuchodonoſor* Rex Aſſyriorum, de quo *Juditha* Liber, regnabat in Ninive. At poſt Captivitatem Babylonicam Ninive diruta jacebat. Eam quippe everterat *Nabuchodonoſor* Magnus Rex Chaldæorum.

Judith 1. Reſpondetur; Everſam quidem a *Nabuchodonoſore* Ninivem, ſed Perſarum permittentibus Regibus inſtauratam probabiliter exiſtimari, ob Urbis nobilitatem & antiquitatem; ſicut contigit Babyloni, Hieroſolymis, Antiochiæ, aliiſque Civitatibus ira victorum ſimiliter dirutis ac vaſtatis.

Judith 5. Obiiciunt tertio, *Holofernes* Principes *Moab* & Duces *Ammon* interrogavit quæ eſſet Gens Judaica. *Dicite mihi*, inquit, *quis ſit Populus iſte qui Montana obſidet : Aut quæ, & quales, & quantæ ſint Civitates eorum : Quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multitudo eorum : Vel quis Rex Militiæ illorum : Et quare præ omnibus qui habitant in Oriente iſti contempſerunt nos, & non exierunt obviam nobis, ut ſuſciperent nos cum pace*. At poſt ſolutam Captivitatem non fuiſſet hujuſmodi quæſtioni locus, cum Judæi tot annis apud Aſſyrios & Chaldæos captivi illis ignoti eſſe non poſſent.

Reſpondetur, Hanc Objectionem in adverſarios facile retorqueri: Cum enim Rex Babyloniæ Legatos ad *Ezechiam* Regem *Manaſſis* patrem miſiſſet, ac *Manaſſes* ipſe captivus abductus fuiſſet Babylonem, non ignoraſſent Babylonii tempore *Manaſſis* quænam eſſet Gens Judaica. Hoc itaque argumento eſt Hiſtoriam *Juditha* multis annis poſt ſolutam Captivitatem contigiſſe.

ARTICULUS V.

De Hiſtoria & Libro Eſther.

I. *ASſuerus* Rex Perſarum anno Imperii ſui tertio, ad oſtentandam gloriam Regni ſui, potentiam, opes, magnificentiam, Suſis Regia Urbe Principibus & Satrapis Provinciarum ſuarum per dies centum & octoginta ſplendidum exhibuit convivium: Quod excepit ſeptiduanum aliud omni Populo Suſano paratum. Septimo convivii die, Rex vino aliquantulum incaleſcens, ut uxoris pulchritudinem Principibus & Populis oſtentaret, præter mores Perſarum, *Vvaſthi* Reginam vocavit, & venire recuſantem conſilio *Mamuchani* unius e ſeptem Perſidis & Mediæ Primariis ſapientia & legum peritia præſtantibus, repudiatam Regno abdicavit, promulgata lege ut quiſquis vir dominus eſſet domi ſuæ. Habito deinde puellarum forma præſtantium delectu, ut ei grata inveniretur uxor, in earum numerum adſcita eſt *Ediſſa* Hebræa, quæ & *Eſther* vocabatur, *Abihailis* Benjaminitæ filia, *Mardochai* ex fratre neptis. Anno Regni *Aſſueri* ſeptimo, *Eſther* introducta ad eum eſt, ab eoque præ reliquis mulieribus adamata, & Regina creata loco *Vvaſthi*. Interim *Aman* Aulicorum potentiſſimus, Regique acceptiſſimus, *Mardochæo* Judæo, *Eſtheræ*, quæ genus ſuum ac patriam diſſimulabat, patruo infenſus, quod eum adorare nollet, illius, totiuſque Judaicæ Gentis exitium meditabatur. Anno Regni Aſſueri duodecimo, Menſe Niſan, Edictum de Judæis per omnes Regni Provincias internecione delendis ab *Aſſuero* impetravit. Quo intellecto, *Mardochæus*, *Eſther*, Judæique univerſi pro ſalute ſua, cum fletibus & jejuniis Deo ſubmiſſe ſupplicaverunt. Poſt triduum orationis & jejunii, *Eſther* adiit Regem magnifico apparatu, ab eoque benigne accepta, ipſum, & *Aman* ad convivium invitavit. Interim *Aman* ſuperbia elatus, & odio actus impotenti in *Mardochæum*, crucem ipſi paravit. *Aſſuerus* fugiente per noctem ſomno Annales relegens, Eunuchorum duorum conjurationem in necem ſuam a *Mardochæo* revelatam didicit: Quem ob acceptum ab eo tam inſigne beneficium, publice Regiis honoribus affici juſſit, idque ab *Aman* illius & Judæorum hoſte profeſſo: qui deinde ab *Eſthera* Regina accuſatus, in crucem *Mardochæo* paratam actus eſt. Menſis tertii Siban die vigeſima-tertia, Suſis propoſita, & in Provincias centum-viginti-ſeptem per Curſores miſſa ſunt Edicta, ut Judæis die decima-tertia Menſis Adar, ad eorum excidium ab *Aman*, prius conſtituta, ubique liceret armis ſe defendere, omneſque inimicos vim tentantes occidere. Qua die illuceſcente, conjuratos in perniciem ſuam quingentos homines Suſis ceciderunt, in Provinciis vero ſeptuaginta quinque millia. Altera vindictæ die Judæis, qui Suſis morabantur, a Rege conceſſa, trecentos adhuc homines trucidarunt, & decem filios *Aman* in patibulis ſuſpenderunt. In memoriam vero perennem liberationis Populi Judaici ab excidio quod decreverat *Aman*, diem feſtum quotannis celebrandum decima-quarta, & decima-quinta die Menſis Adar, *Mardochæus* & Regina *Eſther* conſtituerunt, quem appellavere *Phurim* ſive *Sortium*, quia *Aman* ſortes miſerat in urnam, ut quo die & quo menſe gens Judæorum excindenda eſſet, decernerent. Hæc Hiſtoriæ ſumma, quæ Libro *Eſther* ſcripta eſt. *Eſther* typus fuit inſignis Deiparæ Virginis Mariæ, & Eccleſiæ. Unde *S. Hieronymus* Epiſtola ad *Paulinum* ait : *Eſther in Eccleſiæ typo, Populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, & diem celebrem mittit in poſteros*.

Summa Libri Eſther.

Eſther B. Virginis & eccleſiæ typus.

II. Hunc Librum Canonicum eſſe Judæi pariter & Chriſtiani agnoſcunt, ut mirum ſit in Librorum Canonicorum Indice prætermiſſum a *Melitone* apud *Euſebium* Libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 26. ab Auctore Synopſeos Scripturæ Sacræ apud *Sanctum Athanaſium*, & a *S. Gregorio Nazianzeno* in Carmine de Scripturis. De ſeptem poſterioribus dumtaxat Capitibus controverſia eſt. Hæc enim Hebræi non agnoſcunt, quod in Hebraico Exemplari deſiderentur. *Sixtus Senenſis* Lib. 1. & 8. *Bibliothecæ Sanctæ* ſeptem illa Capita tanquam aſcititia & apocrypha negligi ab Eccleſia Catholica, ſcribere non eſt veritus: & Interpretes multa huic Libro addidiſſe vel ex *Joſepho*, vel ex quopiam alio, vel etiam ſumto, ut in Scholis mos eſt, narrationis themate, multa ex ſuo ingenio admiſcuiſſe. *Grotius* hæc, ut vocat, *Eſtheris Additamenta* cenſet eſſe Rhetorica exercitia piorum Helleniſtarum, qui ornandis veris Hiſtoriis ea ſcripſere quæ illis temporibus probabiliter fieri, dici, aut ſcribi potuerant. Hæc Libris addita aut injecta, quia nihil mali continebant, auctoritatem cum tempore accepiſſe. Hæc Additamenta videri Opus Proſelyti. Hanc opinionem mox refellemus.

Liber Eſther Canonicus.

III. Liber *Eſther* Hebraice ſcriptus eſt. Ejus Auctor incertus. Illum *Eſdræ* adſcribunt *S. Epiphanius* Libro *De Ponderibus & Menſuris*, Cap. 4. *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 36. *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Lib. 6. *Originum*, Cap. 2. *Euſebius* Chron. Lib. 2. *Eſdra* recentiorem cenſet. *Pſeudo-Philo* tribuit *Joachimo* Summo Pontifici. *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, & ex Hebræis *Aben-Ezra*, & alii *Mardochæo*; Quorum opinatio his verbis nititur, Eſther 9. 20. 23. 26. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Judæos .... Susceperuntque Judæi in ſolemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandaverat .... Et cuncta quæ geſta ſunt, Epiſtolæ, id eſt, Libri hujus volumine continentur*. Et Cap. 12. 4. *Sed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit*. Alii *Mardochæum* ſimul & *Eſther* Libri hujus Auctores faciunt, idque colligunt ex his verbis noni Capitis ex Verſione 70. Interpretum expreſſis, *Et ſcripſerunt Eſther Regina, Aminadabi filia, & Mardochæus Judæus, quæ fecerunt*. Idemque confirmant ex verbis, quæ illud ipſum Caput claudunt in Editione Vulgata, quibus narratur, Judæos omnia quæ ad ſe ſcripſerant *Eſther* & *Mardochæus* obſervanda ſuſcepiſſe, & *omnia, quæ Libri hujus, qui vocatur Eſther, Hiſtoria continentur*. Verum de Epiſtolis dumtaxat ab *Eſther* & *Mardochæo* ſcriptis hæc intelligenda ſunt, quibus *Phurim* ſolemnia obſervari a Judæis univerſis præcipiebant in gratiarum actionem tanti beneficii Judaicæ Genti a Deo collati, ut conſtat ex ejuſdem Capitis ſerie. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Judæos, qui in omnibus Regis Provinciis morabantur, tam in vicino poſitis, quam procul, ut quartam-decimam & quintam-decimam diem Menſis Adar pro Feſtis ſuſciperent, & revertente ſemper anno, ſolemni celebrarent honore : Quia in ipſis diebus ſe ulti ſunt Judæi de inimicis ſuis ... Susceperuntque Judæi in*

Liber Eſther Auctor incertus.

ſo-

Digitized by Google

ſolemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardocheus literis facienda mandaverat.... Scripſeruntque Eſther Regina, filia Abihal, & Mardochæus Judæus etiam ſecundam Epiſtolam, ut omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum. Et miſerunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti-ſeptem Provinciis Regis Aſſueri verſabantur, ut haberent pacem, & ſuſciperent veritatem, obſervantes Dies Sortium, & ſuo tempore cum gaudio celebrarent; ſicut conſtituerant Mardochæus & Eſther, & illi obſervanda ſuſceperunt a ſe, & ſemine ſuo jejunia, & clamores, & Sortium dies, & omnia, quæ Libri hujus, qui vocatur Eſther, Hiſtoria continentur. Certe narrare hoc in Libro non potuit *Mardochæus*, ſe Librum ſcripſiſſe, ad Judæos miſiſſe, hunc illos ſuſcepiſſe, & quæcumque eo mandabantur obſervare cœpiſſe. Librum enim ſcriptum eſſe oportuit antequam mitteretur ad Judæos, ab iis ſuſciperetur, & tradita in eo præcepta obſervarentur, multo etiam magis antequam illa miſſio, ſuſceptio, & obſervatio ſcriberentur. Cum itaque hæc in Libro *Eſther* ſcripta ſint, colligitur Epiſtolas *Mardochæi* & *Eſther* alias fuiſſe ab hoc Libro. Alii Synagogæ Magnæ Opus eſſe volunt. Ita Talmudiſtæ *Baba Bathra* Cap. 1. & Illuſtris *Huetius Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione* 4. p. 174. & 175. Ego vero in re tam incerta ſuffragium ſuſpendere conſultius exiſtimo.

IV. Quo tempore Hiſtoria *Eſther* contigerit, quiſve fuerit *Aſſuerus* ejus conjux, Quæſtio eſt multum diſceptata. *Joſephus* Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 6. *Artaxerxem Longimanum* conjugem *Eſtheris* fuiſſe cenſet; quam opinionem *Severi Sulpitii*, & *Nicephori Conſtantinopolitani* ſuffragio confirmatam ſequuntur *Cajetanus*, *Bellarminus*, *Salianus*, *Petavius*, & alii. Hebræi in *Seder Olam* Cap. 29. Maritum Eſtheris *Cambyſem* fuiſſe ſtatuunt, qui 1. *Eſdræ* Cap. 4. 6. 7. *Aſſuerus* & *Artaxerxes* appellatur. Idem cenſent Vatablus & Genebrardus. Quidam *Artaxerxem Mnemonem*, & *Sixtus Senenſis*, & *Canus*, *Euſebii* & Venerabilis *Bedæ* auctoritate freti. Quidam *Artaxerxem Ochum*, ut *Serarius*, & *Gordonus*. Nonnulli *Darium Hyſtaſpis*, ut *R. Aben-Ezra*, *Nicolaus De Lyra*, *Cornelius a Lapide*, *Uſſerius*, & alii. Nonnulli *Xerxem*, ut *Scaliger*, *Calviſius*, &c. Ex tam variis opinionibus, quæ nobis maxime placeat exponemus.

PROPOSITIO I.

Hiſtoriam Eſther commentitiam ac fictitiam eſſe Anabaptiſtæ ac Lutherani quidam impie aſſerunt: Septem poſtrema Capita Libri Eſther Sixtus Senenſis, Grotius, & alii, velut Aſcititia & apocrypha perperam & inconſulto rejiciunt.

PRobatur prima pars ex Hebræorum Canone, in quo Liber *Eſther* locum habuit. Item ex ſolemnibus *Phurim* diebus, quos a Judæis per multa ſæcula religioſe obſervatos conſtat ex 2. *Machabæorum* 15. 37. & ex *Codice Theodoſiano L. Judæos, Tit. De Judæis*. Nemo autem ſanæ mentis ſibi perſuaſerit Feſtis hujus religionem & anniverſariam celebritatem ex figmento, aut Tragicomedia originem habuiſſe. Tertio ex Græca Editione 7. Seniorum, qui eos dumtaxat Libros interpretati ſunt, quos Hebræi in Canone habebant. Quarto ex *Joſepho* qui Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 6. hanc Hiſtoriam inſeruit, cum tamen profeſſus ſit non ſemel ſe ea dumtaxat narraturum, vel narraſſe, quæ in Sacris Hebræorum Libris habentur. Quinto ex Traditione, & Eccleſiæ judicio, quæ hunc Librum ſemper ut Canonicum habuit; ut conſtat ex Sacrorum Librorum Canone deſcripto ab *Origene* in Expoſitione Pſalmi 1. apud *Euſebium* Lib. 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 25. *S. Cyrillo Hieroſolymitano*, *S. Epiphanio* Libro *De Menſuris & Ponderibus*, Cap. 28. *S. Joanne Damaſceno* Lib. 4. *De Fide Orthodoxa*, Cap. 18. ab Eccleſiæ etiam Latinæ Patribus, Summis Pontificibus, & Conciliis, ſcilicet *S. Hilario* Præfatione in Pſalmos, *S. Hieronymo* in Prologo Galeato, Epiſtola ad Paulinum, & Præfat. in Librum Eſther, *S. Auguſtino* Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. a Concilio Laodiceno Canone ultimo, Carthaginenſi III. Canone 47. *Innocentio* 1. Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum, *Gelaſio* I. in Synodo Romana, &c. tandemque ab *Eugenio* I. in Decreto pro Inſtructione Armenorum, & a Sacra Synodo Tridentina Seſſione quarta.

Probatur ſecunda pars Propoſitionis. Vetera Concilia, & Patres omnes, cum Græci, tum Latini, qui Librum *Eſther* in Sacrarum Scripturarum Canone recenſent, eo de Volumine loquuntur, quo tum ipſi, tum Eccleſia univerſa illorum temporibus utebatur. Porro legebat Eccleſia Libros Sacros juxta Editionem, quam *S. Hieronymus* paſſim vocat *Vulgatam*, *quæ Græcorum Lingua & Literis continetur*. At Editio Græca 70. Interpretum ſeptem poſtrema Capita habet eaque ex Hebræo illos eſſe interpretatos probat ſumma ipſorum in vertendo fides: Igitur & olim in Hebraico Exemplari fuerunt ſeptem illa poſtrema capita, & Eccleſia ſemper illa pro Canonicis habuit.

Confirmatur ex *Origene Epiſtola ad Julium Africanum*, Editionis Rodolphi Weſthenii. *In multis aliis*, inquit, *Sanctis Libris invenimus, ut alicubi quidem plura apud nos extarent, quam apud Hebreos; alicubi vero pauciora. Exempli gratia, cum non omnia poſſint ſimul comprehendi, pauca exponemus: Videlicet ex Libro Eſthera, ubi nec preces Mardochæi, nec Eſtheræ (quæ legentem ædificare poſſunt) apud Hebræos habentur. Sed nec Epiſtola, vel Ammani de deletione Judaicæ Gentis ſcripta, vel Mardochæi ſub nomine Artaxerxis, eundem Populum a morte abſolvens.* Sed apud 70. *Interpretes*, & *Theodotionem*, quorum Exemplaribus utebatur, inveniri docet. Hæc autem ex Hebraicis Exemplaribus expreſſerant. Idem Tom. 2. in Joannem ex Cap. 14. hujus Libri nonnulla proferens, ait: *Quin Mardochæus etiam in Libro Eſther juxta Septuaginta, non exiſtentes vocat inimicos Iſrael dicens: Ne tradideris Sceptrum tuum Domine non exiſtentibus.* Eundem locum profert *S. Baſilius* Lib. 2. contra Eunomium, p. 57. *Et ſapientiſſima Eſther: Non tradas Domine Sceptrum tuum iis qui non ſunt.*

Confirmatur ſecundo ex *S. Joanne Chryſoſtomo* Homilia 3. ad Populum Antiochenum ex Cap. 14. Libri *Eſther* teſtimonium adhibente: *Fuit quædam mulier Hebræa, Eſther erat ipſi nomen: Hæc Eſther univerſum Judæorum Populum internecione delendum ſic eripuit. Poſtquam Perſarum Rex omnes paſſim Judæos interimi juſſit, & nullus erat qui contra iram illius obſiſtere poſſet; ſplendidiorem veſtitum exuta mulier, & ſacco amicta, & cinere ſubſtrato, divinæ clementiæ ſupplicabat, ut ſecum ad Regem ingrederetur, & talia „ orans verba ad ipſum dabat:* Grata Domine fac verba mea, & da ſermonem ornatum in os meum. *Hæc & pro Magiſtro nos nunc Deum oremus. Si enim Mulier pro Judæis ſupplicans barbaricum cohibere furorem potuit: Multo magis Doctor noſter pro tali Civitate, & cum tanta Eccleſia ſupplicans, benigniſſimum & mitiſſimum hunc Regem flectere poterit.*

Confirmatur tertio ex *S. Auguſtino* Epiſtola olim 199. nunc 262. ad *Ecdiciam* ex eodem Capite 14. Libri *Eſther* teſtimonium proferente; *Nempe*, inquit, *apud Patres, Eſther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo ſubdita, marito Regi alienigenæ non eumdem ſecum colenti Deum, tamen ſubjecta ſerviebat quæ cum in extremo periculo, non ſuo tantum, ſed etiam Genti ſuæ, qui tunc erat Populus Dei, Domino proſterneretur orando, in ipſa oratione ſua dixit, Ita ſibi eſſe ornatum Regium, ſicut pannum menſtrualem; & ita orantem confeſtim exaudivit, qui cordis inſpector eam verum dicere ſcivit.* Laudat eumdem locum *Enarratione in Pſalmum* 51.

Præterea Concilium Tridentinum Libros omnes quos Decreto ſuo complectitur, ſuſcipiendos eſſe decernit ut Canonicos, cum omnibus ſuis partibus 51. *prout in Eccleſia legi ſolent, & in Vulgata Latina Editione habentur*. In Vulgata autem Editione Latina extant ſeptem poſtrema Libri *Eſther* Capita, & ex iis in Sacris Officiis, Miſſarumque ſolemniis Lectiones canuntur. Agnoſcit igitur Eccleſia ſeptem illa poſtrema Capita Canonicæ eſſe Auctoritatis.

Denique Literis *Artaxerxis*, quæ 13. & 16. Capitibus

bus habentur, fidem facit *Joſephus* eaſdem referens Lib. 11. *Antiquitatum*, Cap. 6.

Obiicitur, Poſtrema illa Capita cum prioribus non cohærere, & cum illis pugnare: Capite enim ſecundo narrantur duorum Eunuchorum inſidiæ *Aſſuero* ſtructæ anno ejus ſeptimo, nec pro earum revelatione remuneratus dicitur *Mardochæus*. At Capp. undecimo & duodecimo, conjuratio illa duorum Eunuchorum ad annum ſecundum *Artaxerxis* refertur, & data narrantur *Mardochæo* pro delatione munera Capp. 3. 1. 10. 8. 3. 9. 24. *Aman* dicitur fuiſſe *de ſtirpe Agag*, adeoque Amalecithes. At Cap. 16. *Aman* dicitur *animo & gente Macedo, & Regnum Perſarum voluiſſe transferre ad Macedonas*, cum tamen Perſis parum noti fuerint Macedones *Eſtheris* tempore. Et Cap. 12. *Bugæus* dicitur, cujus vocabuli ignota pene ſignificatio eſt.

Reſpondetur, Narrationem inſidiarum, quæ Capit. 12. habetur, ad initium Libri ſpectare, ubi per anticipationem referuntur, & rurſus ſuo loco, nimirum ſecundo Capite. Id conſtat ex Editione Græca, quæ ex Hebræo Exemplari dubio procul expreſſa eſt, & ex Annotatione *S. Hieronymi*. Structæ ſunt autem illæ inſidiæ anno ſeptimo *Aſſueri*. Nam quod initio Capitis undecimi legitur, *Anno ſecundo, Regnante Artaxerxe Maximo*, notat dumtaxat tempus quo *Mardochæi* ſomnium contigit, non vero tempus inſidiarum, de quibus agitur Cap. 12. *Anno ſecundo*, inquit, *regnante Artaxerxe Maximo, prima die Menſis Niſan, vidit ſomnium Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Cis de Tribu Benjamin, homo Judæus, qui habitabat in Urbe Suſis, vir magnus, & inter primos Aulæ Regiæ*. Quamvis autem ſtatim remuneratus non fuerit *Mardochæus* ob Eunuchorum delationem, munera tamen accepit, poſtquam Rex id beneficii & obſequii revocavit in memoriam Hiſtoriæ & Annalium lectione. Vel pro meritis remuneratus non fuerat, quamvis exiguum quoddam munus accepiſſet.

Quod autem *Aman* dicatur *animo & gente Macedo*, Cap. 12. Auctori Sacro minime tribuendum eſt, ſed *Lyſimacho* veteri Interpreti Græco, de quo dicitur initio undecimi Capitis: *Anno quarto, regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt Doſitheus, qui ſe Sacerdotem & Levitici generis ferebat, & Ptolemæus filius ejus, hanc Epiſtolam Phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolemæi filium in Hieruſalem*. Hic autem Verſionem ſuam adornans paulo ante *Ptolemæi Philadelphi* tempora, cum Perſæ odio vehementi adverſus Macedonas flagrarent, *Amanem* pro Amalecitha *Macedonem* dixit, ut indignationem augeret. Septuaginta autem Interpretes Verſionem hanc *Lyſimachi* magna ex parte ſuam feciſſe veriſimile eſt, unde & Macedonem ipſi vocarunt. Et certe *Macedo animo & gente* eſſe potuit, quod proximi ejus parentes Macedones eſſent, aut Græci, (qui Macedonum nomine, nobilioris ſcilicet Græcorum partis, hic forte ſignificantur) quamvis ſtirpis ejus origo & caput eſſet Agag Rex Amalecitharum. Cum autem patria Macedo ſeu Græcus eſſet, in ſuſpicionem venit apud *Artaxerxem* in illum iratum, quod Regnum ad Macedones ſeu Græcos transferre vellet. Quod autem *Bugæus* dicatur Cap. 12. mendum antiquum eſſe crediderim, ac virorum Eruditorum approbo conjecturam, qui pro Βυγαῖος legendum ſuſpicantur Ἀγαγαῖος Ita *Druſius* & Illuſtris *Huetius*. Complutenſis Editio habet ἰγαῖος Alii *Amen* e ſtirpe *Agag* cujuſdam Macedonis aut Græci fuiſſe cenſent, non e ſtirpe *Agag* Amalecitharum Regis. Unde nec Hebraicus Textus, nec ulla Verſio *Agag*, e cujus ſtirpe ortus eſt *Aman*, Amalecitham vocat. Et hæc etiam probabilis admodum reſponſio eſt.

Obiicitur ſecundo *S. Hieronymi* teſtimonium Præfatione in Librum *Eſther*, quem ſecuti *Hugo Cardinalis*, *Nicolaus De Lyra*, *Dionyſius Carthuſianus*, & *Sixtus Senenſis*, poſtrema ſeptem Capita Libri *Eſther* Canonica eſſe negant. Ita S. Hieronymus, *Librum Eſther variis Tranſlatoribus conſtat eſſe vitiatum: Quem ego de archivis Hebræorum revelans, verbum e verbo expreſſius tranſtuli. Quem Librum Editio Vulgata, laciniſis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterat, & audiri, ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis, ſumpto themate excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit*.

Reſpondetur, *S. Hieronymum* ex Hebræorum magis ſententia quam ſua ita locutum, ut ſtudium laboremque ſuum commendaret, ac ſuæ ex Hebræo Verſionis utilitatem demonſtraret. Cæterum in Commentario Epiſtolæ ad Galatas Cap. 1. ipſum laudare velut Scripturæ Canonicæ teſtimonium Verſum illum undecimum Capitis decimi-quarti Libri Eſther: *Ne tradas Domine Sceptrum tuum his qui non ſunt*. Quem locum & *Origenes*, & *S. Baſilius* antea laudaverant; & *S. Joannes Chryſoſtomus* teſtimonium ex eodem Capite depromſerat; quod & *S. Auguſtinus* fecit. Et ſi ex propria mente *S. Hieronymus* poſtrema illa Capita fuiſſe ab Interpretibus aſſuta dixiſſet, privatæ ipſius opinioni (quamvis nobis ſit imprimis venerandum *S. Hieronymi* nomen) Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem jure merito opponeremus, quæ Libros omnes Scripturæ Sacræ prout in Septuaginta Interpretum Vulgata olim Editione habentur, Canonicos habuit ab Apoſtolorum temporibus: & in Concilio Tridentino Seſſione 4. Libris Canonicis recenſitis, illos omnes Anathemate configit. *Qui Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperint*. Fruſtra vero *Sixtus* noſter *Senenſis* hoc Synodi Tridentinæ judicium alienum in ſenſum detorquet, ut a temeritatis nota ſe liberet: Canonem illum intelligendum eſſe reſpondens *de veris ac germanis partibus, quæ ad Librorum integritatem ſpectant, non autem de laceris quibuſdam Appendicibus, & pannoſis Additamentis, a quovis incognito Auctore temere appoſitis, & utcumque inſutis, qualia ſunt hujuſmodi Capitula*. De illis enim partibus Tridentinus [Lib. 1. Bibliot. Sanct. p. 27. & 28.] iſte Canon intelligitur, de quibus movebatur ab Hæreticis controverſia, alioqui Decretum inutile fuiſſet ac ſupervacaneum; cum admitti totum non poſſit abſque partibus ipſum componentibus. Præterea, ſi legitima eſſet *Sixti Senenſis* exceptio, via Hæreticis aperiretur ad reiicienda, quæ vellent, Sacrorum Librorum Capita. Tertio, Concilium diris devovet eos, qui Libros integros non receperint, cum omnibus ſuis partibus, *prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt*. At animadvertere debuerat *Sixtus Senenſis*, ex Capite 13. Libri *Eſther* in Eccleſia legi Feria 4. poſt Dominicam 2. Quadrageſimæ, & in Miſſa contra Paganos, & ex Cap. 14. Dominica 16. poſt Pentecoſten. Unde *Rupertus* Libro 18. *De victoria Verbi Dei*, Cap. 12. *Sacer*, inquit, *Eccleſiæ chorus per ſingulos annos ſtatutis diebus clamat ad Dominum in perſona illorum*, (ſcilicet Judæorum) *Everte cor ejus in odium repugnantium nobis: Nos autem libera in manu tua*. Quod ex Cap. 14. 13. 14. ſumtum eſt. Et Lib. 12. *De Divinis Officiis*, Cap. 25. *Eſther*, inquit, *pro temperantia ponitur, quæ repudiata ob arrogantiam Vaſthi Regina, in Regnum ſubrogatur. Nam ipſius temperantiæ hoc indicium eſt ſpeciale, quod Leonem illum, de quo ipſe ad Dominum dicit*: Et da mihi gratiam in conſpectu Leonis, *id eſt, Aſſueri Regis; in manſuetudinem convertit, ejuſque Edictum inſtinctu Aman intemperantiſſime ſuperbientis, & genus Judæorum perdere cupientis, in conſolutionem ſuæ ſtirpis tranſtulit*. Verſus porro quem laudat, decimus-tertius eſt Capitis decimi-quarti.

Mirum eſt quod *Sixtus Senenſis* ad hæc non attenderit. Mirum etiam quod ſuæ oppoſitionis Auctorem *Origenem* laudaverit, ſcribens: *Origenes quoque in Epiſtola ad Julium Africanum hæc eadem Additamenta explodit*: Cum e contrario illa, quæ ipſe vocat Additamenta Libri *Eſther*, ut canonica vindicet *Origenes* in probationibus noſtræ Propoſitionis laudatus.

PROPOSITIO II.

Eſtheris Hiſtoria probabilius refertur ad tempora Darii Hyſtaſpis: Iſque videtur Aſſuerus illius Maritus.

PRopoſitionis hujuſce veritatem probant characteres quibus *Aſſuerum* deſcribit Liber *Eſtheris*; hi enim *Dario Hyſtaſpis* apprime conveniunt 1. *Aſſuerus regnavit ſuper centum vigintiſeptem Provincias, & tertio anno Imperii ſui fecit grande convivium cunctis Prin-*

ciſtibus & Pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe. (Eſther 1.) Idem vero dicitur de *Dario Hyſtaſpis*, Lib. 3. *Eſdræ*, Cap. 3. qui etſi Canonicus non ſit, æqualis certe auctoritatis eſt ac Hiſtoria Gentium, ubi Scripturæ Sacræ non repugnat. *Rex Darius*, inquit, *fecit cœnam magnam omnibus vernaculis ſuis, & omnibus Magiſtratibus Mediæ & Perſidis, & omnibus Purpuratis, & Prætoribus, & Conſulibus, & Præfectis ſub illo ab India uſque Æthiopiam centum viginti-ſeptem Provinciis*. 2. Aſſuerus Eſtheris Indis imperavit. *Darius Hyſtaſpis* Indos ſubegit, teſte *Herodoto* Lib. 4. Capite 44. 3. *Suſan Civitas Regni* Aſſueri fuiſſe *exordium* dicitur (*Eſther* 1.) Hanc vero Urbem ab ipſo *Dario* conditam affirmat *Plinius* Lib. 6. Cap. 27. vel potius Regiarum Ædium magnificentia amplificatam, teſte *Æliano* Lib. 13. *De Animalibus*, Cap. 59. Ibique & domicilium, & pecuniarum ſuarum theſauros eum habuiſſe, docet *Herodotus* Libr. 5. Cap. 49. *Aſſuerus*, ſive Artaxerxes Eſtheris *Rex Magnus* appellatur (*Eſther* 14. 1.) *Darius Hyſtaſpis* Rex Magnus vocatur ab *Herodoto* ibidem: *Suſa*, inquit, *ubi Rex Magnus domicilium habet, atque hic pecuniarum theſauri ſunt. Hanc vos Urbem ſi animoſe ceperitis, jam cum Jove de divitiis licet certetis*. 4. Aſſuerus primum *Vaſthi*, deinde illa repudiata *Eſtherem* uxorem duxit, quæ Hebræis *Hadaſſa* dicitur (*Ediſſam* Vulgatus Interpres vocat) *Vaſthi* primaria Darii uxor eſt *Athoſſa* Cyri filia, quæ *Cambyſi* primum, deinde *Smerdi Mago* nupſerat. Hanc in *Matrimonium Darius* recepit, Regalibus Nuptiis Regnum firmaturus, ut non tam in extraneum tranſlatum, quam in *Cyri* familiam reverſum videretur, ut referunt *Herodotus* Lib. 3. Cap. 48. & Libro 7. Capite 2. & *Juſtinus* ex *Trogo* Lib. 1. Cap. 10. *Eſther* vero ſive *Hadaſſa*, ea eſt, quam *Artyſtonam Virginem* vocat *Herodotus*, quam *Darium* ex uxoribus maxime adamaſſe, ejuſque ſtatuam cum talari ex auro tunica affinxiſſe, narrat Libro 3. Cap. 88. & Lib. 7. Cap. 69. *Artyſtonam* equidem ſororem *Athoſſæ*, & *Cyri* filiam ſtatuit *Herodotus*, quod *Eſtheri* non convenit. Sed vel Perſicas Genealogias *Herodotus* minus perſpectas habuit, vel ipſi Perſæ per invidiam genus *Eſtheris* diſſimularunt, ac *Cyri* filiam eſſe commenti ſunt, cum ipſa *Mardochæo* patruo ſuo jubente, patriam genuſque ſuum ſtatim non indicaverit, ut dicitur Libri *Heſter*, Cap. 2. 20. Quinto, *Aſſuerus* Eſtheris *ſibi omnem terram & cunctas Maris Inſulas fecit tributarias*, (Eſther 10. 1.) quod *Dario* convenit, quem Inſulas Ægæi Maris Phœnicum Claſſe ſubegiſſe narrat *Thucidides* Lib. 1. Hiſtoriæ, & Inſulis dominatum eſſe *Plato* in *Menexeno* confirmat. Id vero nec ad *Xerxis* tempora referri poteſt, qui Inſulas illas ſtatim poſt Bellum Græcanicum, & ante annum Regni duodecimum amiſit: Nec ad aliquem alium poſteriorum Regum, quorum nullus has Inſulas habuit ſub poteſtate, præter *Clazomenas* (quas eo tempore parvam inſulam fuiſſe, ex *Thucidide* Lib. 8. diſcimus) & *Cyprum*, ut conſtat ex *Antalcidea* Pacis formula, apud *Xenophontem* Lib. 5. *Hellenicon*. Aſſuerus igitur Eſtheris non alius fuit a *Dario Hyſtaſpis*. Quem etiam ob novam impoſitionem tributi κάπηλον ideſt, *Cauponem*, vel Inſtitorem a Perſis dictum, cum ſub *Cyro* & *Cambyſe* nihil adhuc eſſet circa tributa inſtitutum, ſed munera tantum afferri ſolerent, narrat *Herodotus* Lib. 3. Cap. 89. Quod etiam confirmat *Strabo* Lib. 15. & *Polyenus* Lib. 7. *Stratagematum*: ſcribens, *Darius primus tributa Gentibus impoſuit. Verum ne moleſte ferrent, non ipſe exegit, ſed Satrapas conſtituere juſſit. Quibus ingentia tributa deſcribentibus, ipſe dimidiam partem ſubditis remiſit. Qui libentibus animis dimidium ſependerunt, quaſi magno jam beneficio a Rege affecti*. Sexto, *Aſſuerus Eſtheris* Maritus traditum ſibi & conſervatum ab Optimo Maximo Judæorum Deo Regnum profitetur; (*Eſther* Cap. 16. 15. 16.) *Nos autem a peſſimo mortalium Judæos neci deſtinatos in nulla penitus culpa reperimus, ſed e contrario juſtis utentes Legibus, & filios Altiſſimi & Maximi ſemperque viventis Dei, cujus beneficio & Patribus noſtris, & nobis Regnum eſt traditum, & uſque hodie cuſtoditur*. Id vero optime convenit cum voto quod *Darius* adhuc privatus Regi Cœli dicitur nuncupaſſe de Hieroſolymis & Templo inſtaurandis. quod ipſi in memoriam revocavit *Zorobabel* in magnifico illo convivio quo Imperii ſui Proceres excepit, ut refertur 3. *Eſdræ* Cap. 3. & a *Joſepho* Lib. 11. *Antiquitatum*, Cap. 4. Quod etiam convenit cum Edicto *Darii* de Templi inſtauratione, cujus meminit Liber primus *Eſdræ*, Cap. 6.

Confirmatur Propoſitio noſtra adverſarum confutatione ſententiarum. *Aſſuerum* Maritum *Eſtheris* non eſſe *Cambyſem*, inde probatur, quod *Cambyſes* alieno fuerit a Judæis animo; & Hieroſolymitani Templi fabricam, permittente & favente *Cyro* cœptam, prohibuerit, ut narratur 1. *Eſdræ* Cap. 4. *Aſſuerus* vero *Eſtheris* benevolentiam & beneficentiam ſingularem erga Judæorum Gentem teſtatus ſit.

Aſſuerum Eſtheri non fuiſſe *Xerxem*, inde probatur, quod *Ameſtri* uxori *Xerxis*, quam *Eſtherem* ipſam eſſe pronunciat *Scaliger*, non conveniant *Eſtheris* characteres. *Ameſtris* enim pater *Otanes* ab Herodoto, a Cteſia *Onophas* dicitur, quem in Bello Græcanico Perſici agminis Ducem *Xerxes* conſtituit. At pater *Eſtheris* Judæus fuit, & *Aſſuero* ignotus, apud quem alias genus ac patriam *Eſther* diſſimulare aliquandiu non potuiſſet. Præterea *Eſtherem* ſanctiſſimam, & modeſtiſſimam feminam fuiſſe ejus Hiſtoria teſtatur. At *Ameſtris* impotens & crudelis fuit; cujus barbarum & immane facinus in *Maſiſtis* conjugem editum narrat *Herodotus* Lib. 9. quam cum a *Xerxe* deditam in poteſtatem accepiſſet, mammillas ei abſcidit, & eas canibus abjecit: Tum naſo, auribus, labiis, & lingua mutilatam, domum remiſit. Atque bis ſeptem illuſtrium Perſarum liberos vivos defodit ad referendam pro ſe gratiam Deo, qui ſub terra eſſe fertur (inquit idem *Herodotus* Cap. 114.)

Aſſuerum Eſtheris non fuiſſe *Artaxerxem Longimanum*, quatuor maxime probant; primum, quod *Aſſuerus* initio Regni ſui centum viginti-ſeptem Provinciis dominaretur; non ita *Artaxerxes Longimanus*, ſiquidem *Xerxes* ejus pater plurimas amiſerat. Secundum, quod *Mardochæus* patruus *Eſtheris* fuerit unus ex deportatis a *Nabuchodonoſor* cum *Jechonia* Rege, ut teſtatur Scriptura (*Eſther* Capit. 2. 6.) Cujus ætas ſi ad *Artaxerxis Longimani* Imperium producatur, ipſum tunc centum & quinquaginta circiter annorum fuiſſe oportuerit. Quod etſi de *Mardochæo* incredibile non eſſet, ac verum eſſet quod de illo ſcribit *Philo Annianus*, ipſum decem & octo annis ætatem *Iſaaci* ſuperaſſe; de *Eſthere* tamen incredibile eſt, & Scripturæ Sacræ repugnat quod annorum pene ſeptuaginta eſſet, cum *Aſſuero* nupſit, quod tamen aſſerere neceſſe eſſet, ſi *Mardochæus* ejus patruus tam provectæ fuiſſet ætatis. Tertium momentum eſt, quod anno vigeſimo Imperii *Artaxerxis Longimani* miſſus ſit *Nehemias* ad ædificandam Jeruſalem: At miſſus non eſt regnante *Aſſuero Eſtheris* marito. Incredibile enim eſt, quod finitimi Hieroſolymorum Populi, qui Perſis parebant, tam hoſtiliter Judæos inſectati fuiſſent, illoſque ab Urbis ædificatione prohibere aggreſſi eſſent, cum Reginam eſſe Judæam noſſent, & *Mardochæum* Regiæ Domus Præfectum gente pariter Judæum, præſertim cum cædis hoſtium Judaici nominis ab *Aſſuero* & *Eſthere* imperatæ recens eſſet memoria. Ad hæc, *Nehemias* Reginæ vel *Mardochæi* patrocinium adhibuiſſet, ut obtineret Edictum de inſtauranda Jeruſalem, non per ſe Regem adiiſſet. Quartum denique momentum eſt ſilentium *Eſdræ* & *Nehemiæ*. Si enim *Eſtheris* Hiſtoria regnante *Artaxerxe Longimano* contigiſſet, vero ſimillimum eſt eos *Eſtheris* mentionem aliquam ſuis in Libris facturos.

Aſſuerum Eſtheris non fuiſſe *Artaxerxem Memorem*, nec *Artaxerxem Ochum*, ex eo probatur, quod eorum temporibus nec *Mardochæi*, nec *Eſtheris* ætas conveniat: nec in centum viginti-ſeptem Provincias dominatio: nec tributa cunctis Maris Inſulis impoſita. Neque etiam *Vaſti* & *Eſtheri* aliud cum *Artaxerxis Memoris* uxoribus *Statyra* & *Athoſſa* commune eſt, quarum neutra paſſa eſt repudium, *Statyra* veneno ſublata cum ſummo Regis mœrore; *Athoſſa* ante initum Regnum ducta. Sed palmare argumentum quo refelluntur Auctores *Eſtheris* Hiſtoriam ad Regum iſtorum tempora referentes, inde petitur, quod Hebræi in ſuo Canone eos Libros non recenſeant, qui poſt *Artaxerxis Longimani* tempora conſcripti ſunt. Librorum enim Sacrorum Canonem *Eſdras* condidit. cujus vita ultra Regis illius tempora producta non eſt. Qua de re *Jo*-

ſe-

ſephus Libro 1. contra *Apionem* ſcribit: *A morte Moyſis uſque ad Artaxerxem Perſarum Regem, qui fuit poſt Xerxem, Prophetæ ſuorum temporum res geſtas conſcripſerunt in tredecim Libris. Reliqui vero quatuor Hymnos in Deum, & vitæ humanæ præcepta noſcuntur continere. Ab Artaxerxe vero uſque ad noſtrum tempus ſingula quidem conſcripta, non tamen prioribus ſimili fide ſunt habita, eo quod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum.* Et *Euſebius* in Chronico ad annum *Artaxerxis Longimani* 32. in quo *Nehemia* deſinit Hiſtoria: *Huc uſque*, inquit, *Hebræorum Divinæ Scripturæ Annales temporum continent. Ea vero quæ poſt hæc apud eos geſta ſunt, exhibemus de Libro Machabæorum, & Joſephi, & Africani Scriptis; qui deinceps univerſam Hiſtoriam uſque ad Romana tempora proſecuti ſunt.* Cum itaque Liber *Eſther* Judæorum Canoni ſemper adſcriptus fuerit; hujus Libri Hiſtoria nec ad *Artaxerxis Memoris*, nec ad *Artaxerxis Ochi* tempora referri poteſt.

Objicitur, *Artaxerxem* Eſtheris maritum ex Perſarum Regibus genus traxiſſe, *Eſther* 16. 16. At *Darius* filius fuit *Hyſtaſpis* Principis, non Regis.

Reſpondetur, *Hyſtaſpem* a Regibus oriundum fuiſſe. Illum enim *Arſamis* filium, *Achæmenis*, a quo *Cyrus* Rex paternum genus duxit, abnepotem aſſerit *Herodotus* Libro 1. Cap. 209. & *Juſtinus* ex *Trogo Pompejo* Lib. 1. Cap. 10. *Præter formam*, inquit, *virtutemque hoc Imperio dignam, etiam cognatio Dario juncta cum priſtinis Regibus fuit*. Dicere ergo potuit de Judæorum Deo Altiſſimo, Maximo, & ſemper vivente loquens: *Cujus beneficio & Patribus noſtris, & nobis Regnum eſt traditum, & uſque hodie cuſtoditur.*

ARTICULUS VI.

De Libro Sapientiæ.

QUæſtiones duæ circa hunc Librum diſceptandæ ſunt. Prima de illius auctoritate, altera de ejus Auctore. Circa primam, *Lutherus*, *Calvinus*, & Anabaptiſtæ Librum Sapientiæ ut Apocryphum rejiciunt. Imo & ante Concilium Tridentinum Catholici quidam Theologi canonicam huic Libro ademerunt aliqua ex parte auctoritatem; inter alios *Cajetanus* noſter Cardinalis in fine Commentariorum in Librum *Eſther*, ubi ſtatuit Librum aliquem bifariam Canonicum dici poſſe; aut quia regula Fidei eſt, & ad confirmanda Fidei dogmata valet illius auctoritas; aut quia ad Mores componendos, & ad Fidelium ædificationem plurimum valet. Hoc quidem modo Sapientiæ Librum eſſe Canonicum, non priori. Auctorem quod ſpectat, plerique Veterum *Salomoni*, quidam *Philoni Judæo* illum tribuerunt. Quidam *Jeſu* filio *Syrach*, ut *S. Auguſtinus* Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap 8. Quam tamen ſententiam emendavit in Retractationibus, Lib. 2. Cap. 7. Alii Opus Hebræi hominis eſſe cenſent, complexum hortamenta ad Sapientiam, qualia *Salomon* Rex ſapientiſſimus dictare potuiſſet. Vixiſſe vero Auctorem poſt tempora *Eſdræ*, ante tempora *Simeonis* Pontificis, ideoque præponi Libro *Siracidæ*. Ita *Grotius*, Annotationibus in hunc Librum.

PROPOSITIO I.

Liber Sapientiæ Sacer eſt & Canonicus, taliſque ſemper habitus eſt a majori Eccleſiarum parte, qualis nunc ab Eccleſia univerſa: Quamvis quædam olim Eccleſiæ illum in Canone non ſcripſerint.

PRimam Propoſitionis partem probat Sententiarum iſtius Libri uſurpatio a Novi Teſtamenti Scriptoribus. Quod enim Sapientiæ 3. 7. ſcriptum eſt: *Fulgebunt Juſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*; S. Matthæus in Evangelium ſuum derivavit; Cap. 13. 43. *Tunc Juſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum*. Quod Sapientiæ 3. 8. de Juſtis ſcriptum eſt, *Judicabunt Nationes*, S. Paulus expreſſit 1. ad Corinthios 6. 2. *An neſcitis quoniam Sancti de hoc Mundo judicabunt?* Quod Sapientiæ 4. 10. legitur: *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt*, S. Paulus ad Hebræos Cap. 11. 5. uſurpavit: *Fide*, inquit, *Enoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus: Ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo*. Quod hujus Libri Cap. 7. 26. de Sapientia ſcriptum eſt, *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius*, S. Paulus mutuatus eſt 2. ad Corinthios 4. 4. ſcribens: *Ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei*. Et ad Coloſſenſes 1. 15. *Qui eſt Imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Et ad Hebræos 1. 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus*. Quod Sapientiæ 13. 1. legitur, *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum Qui eſt, neque operibus attendentes, agnoverunt quis eſſet Artifex*: Hanc *S. Paulo* ſententiam ſuppeditavit Epiſtolæ ad Romanos 1. 20. *Inviſibilia enim ipſius a creatura Mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles*, &c. Quod Sapientiæ 15. 7. habetur, *Sed & figulus mollem terram premens laborioſe fingit ad uſus noſtros unumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimiliter quæ his ſunt contraria: Horum autem vaſorum quis ſit uſus judex eſt figulus*: Id S. Paulus Epiſtolæ ad Romanos Cap. 9. 21. his verbis expreſſit, *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Illud ejuſdem Apoſtoli ad Romanos 11. 34. *Quis cognovit ſenſum Domini? Aut quis Conſiliarius ejus fuit?* ex illo Sapientiæ 9. 13. derivatum eſt: *Quis enim homo poterit ſcire conſilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Quod habet Apoſtolus ad Epheſios 6. *Propterea accipite armaturam Dei .... Induti loricam juſtitiæ ... In omnibus ſumentes ſcutum Fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite: & gladium Spiritus quod eſt Verbum Dei*: Id ſumptum eſt ex Sapientiæ V. 18. 19. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem; acuet autem duram iram in lanceam.*

Idem probatur ex antiquis Eccleſiæ Patribus, qui Sapientiæ Librum ut Sacrum & Canonicum laudant; & ex eo velut ex Sacra Scriptura teſtimonia depromunt. *S. Clemens* Epiſtola 1. ad Corinthios, hunc locum ex Sapientiæ 11. 22. uſurpat: *Quis dicet ipſi, Quid feciſti? Aut quis reſiſtet robori potentiæ ejus?* *Sap.* 8.

Sanctus Dionyſius Lib. *De Divinis Nominibus*, Cap. 4. laudat illud *in Divinarum Scripturarum Inſtitutionibus* de Sapientia dictum, *Amator factus ſum formæ illius*.

Sanctus Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone profert illud Sapientiæ 2. 12. *Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris.*

Origenes *Libro 7. in Epiſtolam ad Romanos*: Hoc, „ *inquit*, & Sapientia per Salomonem dicebat, Quia „ corruptibile corpus aggravat animam, & deprimit „ terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. *Quod habetur Sapientiæ 9. 15.*

Tertullianus *Lib.* De Præſcriptione Hæreticorum, „ *Cap.* 7. Noſtra, *inquit*, inſtitutio de Porticu Salo„ monis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſim„ plicitate cordis eſſe quærendum. *Quod habetur Sapientiæ* 1. 1. Sentite de Domino in bonitate, & in ſim„ plicitate cordis quærite illum.

„ S. Cyprianus *Lib. De Mortalitate*: Sed & per Sa„ lomonem docet Spiritus Sanctus, eos qui Deo pla„ ceant, maturius iſthinc eximi, & citius liberari; ne „ dum in iſto Mundo diutius immorantur, Mundi con„ tactibus polluantur. Raptus eſt, inquit, ne mali„ tia mutaret intellectum illius: Placita enim erat Deo „ anima ejus: propter hoc properavit educere eum de „ medio iniquitatis. *Quod legitur Sapientiæ* 4. 2. 14. „ Idem *Libro* 1. De Exhortatione Martyrii, *Cap.* 1. „ *ex hoc Libro probat Idola non eſſe Deos, nec elementa vice Deorum colenda eſſe*. Item in Sapientia Sa„ lomonis: Omnia Idola Nationum æſtimaverunt,

„ Deos, quibus neque oculorum uſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere; cum ſit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior eſt autem ipſe iis quos colit, quoniam ipſe quidem vixit, illi autem nunquam. *Quæ Sapientiæ* 15. 15. 16. 17. *leguntur*. Item apud Salomonem de elementis: Neque opera attendentes, agnoverunt quis eſſet Artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimaverunt, ſciant quanto iis Dominus ſit ſpecioſior: Aut ſi virtutes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit, fortior eſt illis. *Quæ leguntur Sapientiæ* 13. 1. 2. 3. *Et Libro* 2. *Teſtimoniorum adverſus Judæos*, Cap. 14. Quod *JESUS-CHRISTUS* ſit Juſtus, quem Judæi occiſuri eſſent; in Sapientia Salomonis: Circumveniamus Juſtum, quoniam inſuavis eſt nobis; & contrarius eſt operibus noſtris, & exprobrat nobis peccata Legis. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & Filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductione cogitationum noſtrarum, gravis eſt nobis etiam ad videndum: Quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & mutatæ ſunt viæ illius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & continet ſe a viis noſtris, tanquam ab immunditiis, & præfert noviſſima Juſtorum, & gloriatur Patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ ventura ſunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: Excœcavit enim illos malitia ipſorum, & neſcierunt Sacramenta Dei. *Quæ leguntur Sapientiæ Cap.* 2. *Alia ex eodem Libro profert Lib.* 3. *Teſtimoniorum ad* Quirinum, Cap. 15. 16. 56. 59. 66.

Ex Libro Sapientiæ quaſi Sacro & Divinæ auctoritatis multa profert *Euſebius* in Libris *Præparationis Evangelicæ* & ſub nomine *Salomonis* laudat Libro 7. Cap. 12. Libro 9. Cap. 7. Lib. 11. Cap. 14. Lib. 13. Cap. 13.

Concilium Sardicenſe in Epiſtola Synodica apud *Theodoretum* Lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 8. Filium Dei Conditorem atque Opificem eſſe Angelorum & Archangelorum, Mundique totius ac generis humani, probat ex Sapientiæ 7. 21. *Ait enim Scriptura*, inquit, *Omnium artifex Sapientia docuit me*.

Sanctus Baſilius Lib. 5. contra *Eunomium*, probat Spiritum Sanctum Deum eſſe ac Dominum, non ſervum, aut creaturam, ex Sapientiæ 1. 7. *Spiritus enim eſt*,
P. 125. inquit, *qui adimplevit cuncta, ſecundum quod ſcriptum eſt: Spiritus enim Domini adimplevit orbem, Salomon*
P. 130. *inquit*. Profert etiam illud ex Sapientiæ 1. 4. *In ma-*
Sap. 1. 7. *lignam animam non introibit Sapientia*. Epiſt. 141. *Qui Spiritum Sanctum creaturam eſſe dicit, determinatam ipſius naturam inducit. Quomodo ergo ſtabit illud, Spiritus Domini replevit orbem?*

Sanctus Hilarius Enarratione in Pſalmum 127. *Ut cognoſcamus*, inquit, *quid ſibi uxoris nuncupatione intelligi oporteat: Contuendum eſt quid & alibi ſub hoc eodem uxoris nomine tractetur a Salomone ita*: Quia „ quæſivi Sapientiam Sponſam accipere mihi ipſi. *Et quia qui Sponſam requirit, divitem quærit, hujus Sponſæ ſuæ opes memorat, dicens*: „ Honeſtatem glorificat, convictum habens Dei, & omnium Dominus dilexit eam. Et ſi multam quis cognitionem deſiderat; novit & quæ a principio ſunt, & quæ futura ſunt conſpicit. *Ergo uxorem virilem noſſe debemus, eam nempe quam ſibi Salomon Sponſam optavit aſſumere. De qua rurſum ait*: „ Judicavi igitur hanc adducere ad convivendum mecum: & amator factus ſum pulchritudinis ejus: *Hæc igitur tanquam uxor aſſumta Sapientia virilis eſt, perficiens omnia, & ipſi ſubdens, & in labore utilium operum valida. Ipſa Deo placita, & per doctrinam ejus digna & præteritorum ſcientia & futurorum cognitione perfecta*. Hæc autem profert ex Sapientiæ, C. 8. 2. 3. & 9.

Sanctus Epiphanius Hæreſi 76. quæ eſt Anomœorum, p. 94. Sic *Aetium* compellat: *Etenim ſi a Spiritu Sancto genitus eſſes, facere te illud oportebat, ut Sacris omnibus Codicibus pervolutis, a Geneſi ad Eſtheris tempora, qui ſunt ſeptem & viginti Libri Teſtamenti Veteris & 22. numerantur: Tum Sacroſanctis quatuor Evangeliis, & S. Pauli 14. Epiſtolis, necnon & Apoſtolorum Actis, quæ vel ſuperiora illis tempora, vel poſteriora continent: Catholicis item Epiſtolis Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ, Apocalypſi Joannis, Sapientiæ quoque Libris, hoc eſt, Salomonis filii Sirach, omnibus denique Scripturæ Libris percurſis, temetipſum damnares; quod ejuſmodi nomen* (Ingeniti) *de quo nulla ſit uſquam mentio, nobis afferre non dubitaveris*.

Optatus Milevitanus Lib. 4. *Et illud quod in Salo-* „ *mone Propheta lectum eſſe dixiſti*: Filios adulterorum inconſummatos, & ſpuria vitulamina altas radices dare non poſſe... *Hoc de Hæreticis dictum eſt, apud quos ſunt Sacramentorum falſa connubia; & in quorum thoris iniquitas invenitur; Ubi in exterminium Fidei corrupta ſunt ſemina*. Quæ profert *Optatus*, habentur Sapientiæ 3. 16. ubi legimus: *Filii autem adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur*. Et Capite 4. 3. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas*.

Sanctus Ambroſius Enarratione in Pſalmum 1. *Sa-* „ *pientia quoque dicit: Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcat Sapientia, & facile videtur ab iis qui diligunt illam, & invenitur ab iis qui quærunt illam*. Quæ quidem habentur Sapientiæ 6. 12. 13. Et Sermone 8. in Pſalmum 118. *Denique Juſtitiæ adſcribit Scriptura Divina veniam peccatorum, ſecun-* „ *dum illud quod hodie lectum eſt*. Benedictum lignum quod fit per Juſtitiam: Maledictum autem lignum quod fit per manus hominum. *Superius ad Crucem Domini retulit; poſterius ad errorem Gentilium, qui ligna venerantur*. Hæc habentur Sapientiæ 14. 7. 8. u legimus: *Benedictum eſt enim lignum per quod fit Juſtitia. Per manus autem quod fit Idolum, maledictum eſt*. Idem Libro *De Paradiſo*, Capite 1. ſub nomine *Salomonis* laudat illud Sapientiæ 7. 2. 5. 26. *Eſt enim ſplendor lucis æternæ, & emanatio omnipotentis gloriæ*. Idem Libro 2. *De Abraham*, Cap. 8. *Salomon qui Sapientiam poposcit, & accepit a Domino Deo noſtro*: „ Ipſe mihi, *inquit*, dedit eorum quæ ſunt ſcientiam veram; ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutem elementorum, initium & conſummationem, & medietatem omnium rerum, & diviſiones temporum, & anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias herbarum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſcondita & improviſa. *Sed hæc nulli niſi perfecto ſuppetunt*. Hæc autem habentur Sapientiæ 7. 17. & ſequentibus. Idem Libro 3. *De Spiritu Sancto*, Cap. 19. *Auctoritatem requirunt ut lectione doceamus, quia non peccavit Spiritus Sanctus, ſicut de Filio lectum eſt, Quia peccatum non fecit. Et hoc accipiant Scripturarum au-* „ *ctoritate nos docere. Scriptum eſt enim*: Quia in Sapientia eſt Spiritus intelligentiæ, Sanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, bene mobilis, diſertus, immaculatus. *Immaculatum dicit Scriptura: Nunquid mentita eſt de Filio ut de Spiritu credas eſſe mentitam? Dixit enim Propheta in eodem loco de Sapientia, Quia nihil maculoſum in illam incurrit. Ipſa immaculata eſt, & immaculatus ejus eſt Spiritus. Ergo ſi peccatum non habet Spiritus, Deus eſt*. Et Cap. 23. *Quid autem dicam, quia ſicut Pater & Filius, ita etiam Spiritus immaculatus eſt & omnipotens, quia Græce παντοδύναμον παντεπίσκοπον Salomon dixit, eo quod omnipotens & ſpeculator ſit omnium, ſicut lectum eſſe in Libro Sapientiæ ſupra eſt demonſtratum. Ergo & Spiritus in honore eſt, & in majeſtate*. Ex eodem Libro ſub nomine *Salomonis* teſtimonium profert Libro *De Incarnationis Dominicæ Myſterio*, Capite ultimo.

Concilium Carthaginenſe III. Canone 47. & *Innocentius* I. in Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum *Libros quinque Salomonis*, ſive *Sapientiales quinque* in Sacrarum Scripturarum Canone recenſent. Quo numero *Sapientiæ* & *Eccleſiaſtici* Libros comprehendi manifeſtum eſt.

San-

Sanctus Auguſtinus Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. *Illi duo Libri*, inquit, *unus qui Sapientiæ, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur: Nam Jeſus Sirach eos conſcripſiſſe conſtantiſſime perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt*. Et Lib. 17. *De Civitate Dei*, Cap. 20. ubi Libros *Sapientiæ & Eccleſiaſtici* Salomonis non eſſe præmiſit, ſubdit: *Eos tamen in auctoritatem, maxime Occidentalis antiquitus recepit Eccleſia: Quorum in uno, qui appellatur Sapientia Salomonis, Paſſio Chriſti apertiſſime prophetatur. Impii quippe interfectores ejus commemorantur dicentes*, Circumveniamus Juſtum, quo-
„ niam inſuavis eſt nobis, & contrarius eſt operibus
„ noſtris, & improperat nobis peccata Legis, & in-
„ famat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit
„ ſcientiam Dei ſe habere, & Filium Dei ſe nomi-
„ nat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum
„ noſtrarum. Gravis eſt nobis etiam ad videndum,
„ quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ
„ viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab il-
„ lo, & abſtinet ſe a viis noſtris quaſi ab immundi-
„ tiis: Præfert noviſſima Juſtorum, & gloriatur Pa-
„ trem Deum ſe habere. Videamus ergo ſi ſermones
„ illius veri ſunt & tentemus quæ ventura ſunt illi,
„ & ſciemus quæ erunt noviſſima ejus. Si enim Ju-
„ ſtus eſt Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit
„ eum de manu contrariorum. Contumelia & tor-
„ mento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam
„ illius, & probemus patientiam ipſius. Morte turpiſ-
„ ſima condemnemus illum; Erit enim ei reſpectus
„ ex ſermonibus illius. Hæc cogitaverunt, & errave-
„ runt: Excæcavit enim illos malitia ipſorum. *In Eccleſiaſtico autem fides Gentium futura prædicitur*.

Ex Libro *De Prædeſtinatione Sanctorum*, Cap. 16. *Scripſit Librum De Mortalitate Cyprianus, multis ac pene omnibus, qui Eccleſiaſticas Literas amant, laudabiliter notum.... Ubi & illud teſtimonium ponit de Libro Sapientiæ*, Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. *Quod a me quoque poſitum, fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis, tanquam non de Libro Canonico adhibitum: Quaſi & excepta Libri hujus atteſtatione res ipſa non clara ſit quam volumus hinc doceri*... Et infra: *Quæ cum ita ſint, non debuit repudiari ſententia Libri Sapientiæ qui meruit in Eccleſia Chriſti de gradu Lectorum Eccleſiæ Chriſti tam longa annoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis, ab Epiſcopis uſque ad extremos Laicos fideles, Pœnitentes, Cathechumenos cum veneratione Divinæ Auctoritatis audiri.... Sed qui ſententiis Tractatorum inſtrui volunt, oportet ut iſtum Librum Sapientiæ ubi legitur*, Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, *omnibus Tractatoribus anteponant: Quoniam ſibi eum antepoſuerunt etiam temporibus proximis Apoſtolorum egregii Tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere, niſi divinum teſtimonium crediderunt... Nec ideo Liber Sapientiæ, qui tanta numeroſitate annorum legi meruit in Eccleſia Chriſti, in quo & hoc legitur, pati debet injuriam: Quoniam reſiſtit eis qui pro meritis hominum falluntur, ut veniant contra Dei manifeſtiſſimam gratiam, quæ maxime apparet in parvulis. Quorum cum alii baptizati, alii non baptizati vitæ hujus terminum ſumunt, ſatis indicant miſericordiam & judicium: Miſericordiam quidem gratuitam, judicium debitum*.

Librum Sapientiæ inter Canonicos pariter numerat *Gelaſius I.* Pontifex maximus in Synodo Romana. Ipſum pariter ut ſacrum agnoſcunt Auctor Libri *De Prædictionibus & Promiſſionibus Dei*, apud *S. Proſperum* P. 2. Cap. 9. & alii ſequentium ſæculorum Patres, quos Tridentina Synodus ſecuta eſt in Sacrorum Librorum Indice. Ex his omnibus momentis ac teſtimoniis auctoritas divina Libri Sapientiæ approbatur, eumque talem ſemper habitum eſſe a majori Eccleſiarum parte, ut Sacrum nempe & Canonicum qualis nunc ab Eccleſia habetur univerſa.

Probatur pars altera Propoſitionis, ſcilicet quod quædam olim Eccleſiæ Sapientiæ Librum in Canone non conſcripſerint. Ipſum enim in Sacrorum Librorum Indice prætermittunt *Melito* in Epiſtola ad *Oneſimum*, & *Origenes* in Pſalmum 51. ab *Euſebio* Lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 28. & Lib. 6. Cap. 25. laudati, Laodicena Synodus, & *Canones* qui *Apoſtolici* inſcribuntur, *S. Athanaſius* in Epiſtola Feſtali, *Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach, Eſther, Judith, & Tobiam* recenſet inter *Libros non Canone quidem probatos, ſed Veterum auctoritate illis qui pietatis elementis imbuendi eſſent propoſitos*. S. Gregorius Nazianzenus & S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Sapientiæ Librum etiam omittunt in ſuis Librorum Canonicorum Catalogis. Auctor Synopſeos Scripturæ Sacræ inter Opera *S. Athanaſii*, recenſitis Libris Canonicis Veteris Teſtamenti viginti duobus, ſubdit: *Præter iſtos autem ſunt adhuc alii ejuſdem Veteris Inſtrumenti Libri non Canonici, qui Catechumenis tantum leguntur; Sapientia Salomonis... Sapientia Jeſu filii Sirach*. De Libris Canonicis primi ordinis, qui ſcilicet in Eſdrino Canone conſcripti ſunt, & ab omnibus Eccleſiis ſemper pro Canonicis habiti, hunc Auctorem intelligendum, conſtat, ex iis quæ inferius ſubdit, de Libro Sapientiæ ſingulatim agens: *Sapientia Salomonis*, inquit, *vocatur hic Liber. Nam & hunc a Salomone ſcriptum eſſe dicunt. Continet autem & doctrinam juſtitiæ, & inſtructionem cum depravatorum tum integrorum virorum, ad hæc & Prophetiam de Chriſto*. Et verus *Athanaſius* Oratione contra Gentes hunc Librum ut Divinam Scripturam laudat. *Cum* inquit, *profectus eſſet in Ægyptum Adrianus, defunctum ibi voluptatis ſuæ Miniſtrum Antinoum publico Edicto ſtatuit ut ſacrificiis colerent. Qua quidem re ut ipſe etiam a funere pueri ſe amatorem oſtendit, ita recens refutandæ Idololatriæ documentum de ſe præbuit, declaravitque eam non alia de cauſa ab hominibus inſtitu- Sap. 14.
tam eſſe, quam deſiderio eorum qui figmentis repræſentantur, quemadmodum Sapientia Dei teſtatur*: ORIGO FORNICATIONIS IDOLORUM ADINVENTIO EST. Quo ex loco refellitur præſertim *Calvinus*, qui ex Capitis 14. *Sapientiæ* Verſu 15. divinam hujus Libri auctoritatem impugnat, Idola jam fuiſſe in uſu objiciens priuſquam iſta in conſecrandis Mortuorum imaginibus Religio invaluiſſet: Adeoque falſo dici, *Acerbo enim luctu dolens pater cito ſibi rapti filii fecit imaginem*. Hanc tamen originem Idolorum tradit in Libris antiquitatum *Diophantus Lacedæmonius*, allata *Syrophanis Ægyptii* Hiſtoria. Docet id *Fulgentius* Mythologicorum primo. Non longe abit illud Tullii 2. De Natura Deorum: *Qui tota die precabantur & immolabant, ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati*. Alii quidem originem Idolorum dicunt a Populorum ſtudio in mortuos Reges; qua de re legendus *Lactantius* Lib. 1. Cap. 15. Sed & iſtud *Calvini* aſſertionem evertit. Et potuit aliis in locis alia eſſe rei ejuſdem origo, ut *Grotius* obſervat.

Dictum Sapientiæ locum ut Divinum Oraculum pariter laudat *Euſebius Cæſarienſis Lib.* 1. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 9. *Sunt*, inquit, *hæc ab hominibus excogitata commenta, vel potius turpis ac flagitiis perditæ vitæ artes, id quod illius etiam Divini Oraculi fide comprobatur*, INITIUM FORNICATIONIS EXQUISITIO IDOLORUM.

S. Epiphanius Libro *De Ponderibus & Menſuris*, p. 162. Libros *Sapientiæ & Eccleſiaſtici* extra Scripturarum Canonicarum ordinem recenſet. *Ita*, inquit, *duo & viginti Libri pro literarum Hebraicarum numero cenſentur. Quod enim ad duos illos attinet, qui verſibus diſtincti ſunt, Salomonis videlicet Sapientiam, quæ Panaretus inſcribitur, & Jeſu Filii Sirach Librum Jeſu nepotis, qui Sapientiæ Librum Hebraice ſcripſit, quem nepos ejus Jeſus Græce reddidit; tametſi utiles ac fructuoſi illi ſint, in Scripturarum numerum nequaquam referri ſolent. Unde nec in Teſtamenti Arca collocati ſunt*. Quod tamen de Canone Hebræorum, aut de Canone ab omnibus Eccleſiis univerſim recepto intelligendum, oſtendit locus alter *S. Epiphanii* in Probationibus primæ partis Propoſitionis noſtræ allatus.

S. Hieronymus Præfatione in Libros Salomonis teſtatur libros *Sapientiæ* & *Eccleſiaſtici* in Eccleſia quidem legi, ſed tamen inter Canonicas Scripturas non recipi, quod de Scripturis Canonicis primi ordinis & de Eccleſia univerſa temporibus *S. Hieronymi* intelligendum eſt, quamvis plures & majoris auctoritatis Eccleſiæ, præſertim Romana, illos ſemper ut Canonicos habuerint. *Fertur*, inquit, *& Panaretos Jeſu filii Sirach Liber, & alius Pſeudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inſcribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi; non Eccleſiaſticum ut apud Latinos, ſed Parabolas prænota-*

notatum, cui juncti erant Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum: Ut ſimilitudinem Salomonis non ſolum Librorum numero, ſed etiam materiarum genere coaquaret. Secundus apud Hebraos nuſquam eſt, quin & ipſe ſtylus Gracam eloquentiam redolet: & nonnulli Scriptorum Veterum hunc eſſe Judai Philonis affirmant. Sicut ergo Judith, & Tobia & Machabaorum Libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: Sic & hac duo Volumina legat ad adificationem Plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum Dogmatum confirmandam.

S. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 6. *Originum*, Cap. 2. *S. Hieronymi* verba uſurpat. *Liber Sapientia*, inquit, *apud Hebraos nuſquam eſt, unde & ipſe titulus Gracam magis eloquentiam redolet. Hunc Judai Philonis eſſe affirmant: Qui proinde Sapientia nominantur, quia in eo Chriſti adventus, qui eſt Sapientia Patris, & Paſſio ejus evidenter exprimitur.* At Lib. 1. *De Officiis*
Sap. 10. *Eccleſiaſticis*, Capit. 12. ait: *Librum Sapientia Salomon ſcripſiſſe probatur illis, quibus ibi legitur,* Tu me, *inquit,* elegiſti Regem in Populo tuo, & dixiſti ædificare Templum in nomine ſancto tuo, & in civitate habitationis tuæ. *Hoc Opus Hebrai (ut quidam Sapientum meminit) inter Canonicas Scripturas recipiebant, ſed poſtquam comprehendentes Chriſtum interfecerunt, memorantes in eodem Libro tam evidentiſſima de Chriſto teſtimonia, quibus dicitur:* Dixerunt inter ſe impii, „ Comprehendamus Juſtum, quoniam, inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & promittit „ ſcientiam Dei ſe habere, & Filium Dei ſe nominat. „ *Et infra*. Si verus eſt Filius Dei, ſuſcipiet illum, „ & liberabit de manu contrariorum. *Ac deinde:* Ut „ ſciamus reverentiam ejus & probemus patientiam „ ipſius, morte turpiſſima condemnemus eum: *Collatione facta, ne noſtri eis pro tam aperto ſacrilegio derogarent, Prophetis Voluminibus reſciderunt, legendumque ſuis prohibuerunt.*

S. Joannes Damaſcenus Libri 4. *De Fide Orthodoxa*, Cap. 18. Quod *De Scriptura Sacra* inſcribitur Libris Canonicis enumeratis, ſubdit: *Paranetus autem, hoc eſt, Sapientia Salomonis, & Sapientia Jeſu (quam a Sirachi patre Hebraica lingua editam ipſius nepos ac Sirachi filius poſtea in Gracam convertit) tametſi aliqui praclari & elegantes Libri ſint, non tamen aliis adnumerantur, neque in Arca ſiti erant.*

PROPOSITIO II.

Liber Sapientia neque Salomonis, neque Jeſu Sirachidis, nec Philonis Judai, ſed Auctoris incerti fœtus eſt.

PRima pars Propoſitionis iis omnibus Veterum teſtimoniis approbatur, quibus Diſſertatione 4. in Hiſtoriam Sacram Quintæ Mundi ætatis probavi *Salomonem* tres duntaxat Libros Canonicos ſcripſiſſe, ſcilicet *Proverbia*, & *Eccleſiaſten*, & *Cantica Canticorum*. Hanc Diſſertationem lege, ne hic eadem repetere cogamur. Idem probat Canon Hebræorum, in quem hic Liber adſcriptus non fuit, adſcribendus utique, ſi *Eſdra* tempore fuiſſet editus, & *Salomonis* exiſtimatus. Tertio ſententias habet ex Scriptoribus Sacris Salomone recentioribus acceptas: Illud enim Sapientiæ 3. 14. *Spado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima: Dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in Templo Dei acceptiſſima:* derivatum eſt ex *Iſaia* Cap. 56. 4. *Quia hac dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbata mea & elegerint qua ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Illud Sapientiæ 9. 13. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* ex illo *Iſaia* 40. 13. deſumptum eſt. *Quis adjuvit Spiritum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit, & oſtendit illi?* Non aliter Idolorum fabricatio & cultus, Sapientiæ 13. 2. & 14. 8. & deridentur, ac *Jeremia* 10. 3. 4. 5.

Pars altera Propoſitionis *S. Auguſtini* teſtimonio probatur, qui Lib. 2. *Retractationum*, Cap. 7. emendavit quod Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. dixerat, *Jeſum Sirach* ſcripſiſſe Librum Sapientiæ. *In ſecundo ſane Libro*, inquit, *de Auctore Libri quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipſum, ſicut Eccleſiaſticum Jeſus Sirach ſcripſerit, non ita conſtare, ſicut a me dictum eſt, poſtea didici, & omnino probabilius comperi non eſſe hunc ejus Libri Auctorem.*

Tertia pars Propoſitionis probatur, quod ſcilicet *Sapientia Liber* non ſit fœtus *Philonis Judei*. 1. Quia veriſimile non eſt quod vir in Judaiſmo pertinax Judæorum impios in Chriſtum conatus tam accurate, tam diſerte, tam graviter deſcripſerit, ac leguntur *Sapientia* 2. Secundo quod *Philo* Propheta non fuerit, neque Chriſti Paſſionem futuram deſcribere potuerit, qui poſt illius Aſcenſionem floruit. Tertio, quod a Chriſto & ab Apoſtolis iſtius Libri ſententiæ laudatæ ſint, multo ante *Philonem*, qui ſub *Cajo* Imperatore floruit, & ad eum ſuæ Gentis nomine Legationem obiit. Quarto, quod nec *Euſebius*, nec *S. Hieronymus* Operum *Philonis* indicem texentes, hunc ipſi Librum tribuant. Fruſtra autem ad *Philonem Seniorem* refertur, Auctorem Libri *De Hieroſolymis*, cujus fragmenta leguntur apud *Euſebium* Lib. 9. *Praparationis Evangelica*, Cap. 20. & 24. Hunc enim *Philonem* Judæum non fuiſſe, ſed Græcum, *Joſephus Lib.* 1. *Contra Apionem* teſtatur, qui alius non videtur a *Philone* illo *Byblio*, qui *Sanchuniatonis* Opera ex Phœnicum idiomate Græcam in Linguam converſa vulgavit, ut refert *Euſebius* Lib. 1. *Praparationis Evangelica*, Cap. 9.

Librum ergo Sapientiæ Auctoris incerti fœtum eſſe, probabilius eſt, ſecundum *S. Auguſtinum* in *Speculo*.

Obiicitur, *Salomoni* convenire hæc verba Sapientiæ 8. & 9. *Diſponam Populos, & Nationes mihi erunt ſubdita: Timebunt me audientes Reges horrendi . . . Adii Dominum, & deprecatus ſum illum . . . Deum Patrum meorum . . . . Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam . . . . Tu elegiſti me Regem Populo tuo, & Judicem filiorum tuorum, & filiarum: & dixiſti me adificare Templum in Monte Sancto tuo, & in Civitate habitationis tua Altare.* Ex quibus videtur probari hunc Librum eſſe *Salomonis*.

Reſpondetur, Id quidem nomine *Salomonis* ſcriptum eſſe ab Auctore qui *Salomonis* perſonam induit, ac loquentem induxit, ut in Dialogis fieri ſolet; ejuſque ſententias plurimas Libro ſuo inſeruit, non tamen ſcriptum ab ipſo *Salomone*.

Obiiciunt *Sixtus Senenſis*, & alii nonnulli; hæc *Euſebii* verba Lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, Cap. 22. ſecundum Verſionem Rufini: *Hegeſippus, & Irenaus, & omnis Antiquorum chorus, Librum qui adtitulatur Sapientia Salomonis eſſe dixerunt, ſicut & Proverbia*. Igitur Sapientiæ Liber *Salomonem* Auctorem habuit.

Reſpondetur, Malam *Rufini* Verſionem Viros Eruditos feſelliſſe. Sic habet Græcus Textus. *ὁ μόνος δὲ αὐτὸς ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ ὁ πᾶς τῶν ἀρχαίων χορὸς, πανάρετον σοφίαν τὰς Σαλωμῶνος παροιμίας ἐκάλουν.* Quæ ita vertit Valeſius: *Non ſolum autem ipſe, Sed etiam Irenaus, & omnes Antiqui, Proverbia Salomonis vocare ſolent Sapientiam omnium virtutum pracepta continentem.* Proverbia itaque, non Sapientiæ Librum ab Antiquis tribui *Salomoni* ſcripſit *Euſebius*.

Obiicitur, Hujus Libri titulum in Græca Interpretatione, & Syriaca, & Arabica *Salomonis* nomen præferre: Magnam etiam Veterum partem illum *Sapientiam Salomonis* appellare, ſcilicet Origenem, Tertullianum, S. Cyprianum, S. Baſilium, S. Epiphanium, Optatum Milevitanum, S. Ambroſium, Concilium Carthaginenſe III. Innocentium I. quorum teſtimonia inter Probationes primæ Propoſitionis prolata ſunt.

Reſpondetur, Hunc Librum vocari *Sapientiam Salomonis* propter eloquii & argumenti ſimilitudinem, & quod multas *Salomonis* ſententias contineat. Hæc *S. Auguſtini* Reſponſio eſt Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. *Illi*, inquit, *duo Libri, unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur.* Et in *Speculo*, collectis ex Libris Prophetarum ſententiis, ſubdit: *Iſta de Libris poſuimus, quos & Judai Canonicos habent, in quibus eorum invenimus aliqua, qua huic operi convenirent. Sed non ſunt omittendi & hi, quos quidem*

dem ante Salvatoris adventum conſtat eſſe conſcriptos, ſed eos non receptos a Judæis, recipit tamen ejuſdem Salvatoris Eccleſia. In his ſane duo qui Salomonis appellantur, propter quamdam, ſicut exiſtimo, eloquii ſimilitudinem. Nam Salomonis non eſſe, nihil dubitant quique doctiores. Nec tamen ejus qui Sapientia dicitur, quiſnam ſit Auctor apparet. Et Lib. 17. *De Civitate Dei*, Cap. 20. de Salomone ſic loquitur: *Propheta*ſ*ſe etiam ipſe reperitur in ſuis Libris, qui tres recepti ſunt in Auctoritatem Canonicam, Proverbia, Eccleſiaſtes, & Canticum Canticorum. Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquii nonnullam ſimilitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit conſuetudo: Non autem eſſe ipſius, non dubitant doctiores.*

ARTICULUS VII.

De Libro Eccleſiaſtici.

DE Auctoritate Libri *Eccleſiaſtici*, tum de illius Auctore breviter agendum eſt, & duplex Quæſtio totidem Propoſitionibus ſolvenda.

PROPOSITIO I.

Divina eſt Libri Eccleſiaſtici Auctoritas, quem olim pars Eccleſiarum maxima in Canonem retulit, ac tandem Eccleſia univerſa ut Canonicum ſuſcepit.

PRopoſitionis iſtius veritas probatur primo ex Novi Teſtamenti Scriptoribus, qui nonnullas ex Libro Eccleſiaſtici ſententias deprompſerunt. Illud Chriſti oraculum Joannis 14. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*; ſimile eſt illis ex Eccleſiaſtici Cap. 11. 18. 19. 21. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius; & qui diligunt illum, conſervabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius... Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius.* Item illud Chriſti Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; germanum eſt illius Eccleſiaſtici 15. 16. *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te.* Illud Lucæ 12. 19. 20. *Dicam animæ meæ; Anima, habens multa bona poſita in annos plurimos: Requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: Quæ autem paraſti, cujus erunt?* derivatum eſt ex illis Eccleſiaſtici 11. 18. 19. *Eſt qui locupletatur parce agendo, & hæc eſt pars mercedis illius in eo quod dicit: Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus, & neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur.* Illud Chriſti apud S. Lucam Cap. 16. 9. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; exprimere videtur illud Eccleſiaſtici 29. 15. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Quod ſcribit *S. Paulus* 1. ad Timotheum 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*; prodiit ex illo Eccleſiaſtici 11. 10. *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.*

Probatur ſecundo teſtimoniis Patrum cum Græcorum, tum Latinorum. Prodit imprimis *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Pædagogi*, Cap. 8. *Hic*, inquit, *exoriuntur aliqui, qui dicunt, non eſſe bonum Dominum, propter virgam, & minas & timorem, neque Scripturam audientes, quæ ſic dicit:* ET QUI TIMET DOMINUM CONVERTETUR AD COR SUUM. Quod habetur Eccleſiaſtici 21. 7. Idem Lib. 7. Stromatum, Pag. 763. *Sequentes autem Scripturas, confirmemus quod dictum eſt. Sapientia, inquit Salomon, inſufflavit ſuos filios. Non enim iis qui ſunt in doctrina ſingularis, faſtum & arrogantiam ingeneravit Dominus, ſed in veritate habere fiduciam, & eſſe magnificum in cognitione, quæ traditur per Scripturas, efficit contemptorem eorum quæ trahunt ad peccatum. Quod ſignificat dictio inſufflavit, quæ docet magnificentiam Sapientiæ, quæ implantatur iis qui ſunt per doctrinam filii.* Scilicet Eccleſiaſtici 4. 12. ubi legimus, *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat*; Clemens Alexandrinus legit, ἡ σοφία ἀνεφύσησεν τὰ ἑαυτῆς τέκνα, *Sapientia inſufflavit ſuos filios.* Quæ lectio non longe abeſt ab ea quam in Græco Textu habemus, ἀνύψωσε *exaltat.*

Origenes Homilia 9. in Ezechielem: *Quid enim ait Scriptura? Quid ſuperbit terra & cinis? Et in vita ejus projecit interanea ejus.* Habetur Eccleſiaſtici 10. 9. 10.

S. Athanaſius Lib. de Virginitate: *Non cœnabis cum fœminis ſuperbis, neque habebis mulierem arrogantem tibi familiarem. Ait enim Sacra Scriptura: Qui attingit picem, inquinabitur, & qui communicat ſuperbo, ſimilis illi efficietur.* Quod Eccleſiaſtici 13. 1. ſcriptum eſt.

S. Cyrillus Alexandrinus Homilia Epheſi habita, priuſquam a Comite comprehenderetur, quæ legitur inter Acta Concilii Epheſini, Actione 6. *Omne itaque bonum patientia nobis ſuppeditat atque conciliat; via eſt ad probationem, ſpeique futuræ vitæ nutrix. At quibus rationibus comparetur, id Divina nos Scriptura edocet: Fili* [*inquit*] *accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem; dirige cor tuum, & conſtans eſto.* Quod Eccleſiaſtici Cap. 2. 1. 2. ſcriptum eſt.

S. Iſidorus Peluſiota Epiſtola 106. ad *Timotheum* Lectorem. *Tibi, qui prudenter interrogas, reſpondere neceſſe eſt: Loquere enim, inquit Scriptura, in aures audientium.* Spectat illud Eccleſiaſtici 25. 12. *Beatus ..... qui enarrat juſtitiam auri audienti.*

Euſebius Cæſarienſis Lib. 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 8. *Ac mulier quidem, inquit Scriptura, viro per omnia deterior eſt.* Reſpexit ad illud Eccleſiaſtici 42. 13. 14. *A muliere iniquitas viri. Melior eſt enim iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

Eccleſiæ Palæſtinæ traditio.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 6. laudat illud Eccleſiaſtici 3. 13. *Gloria hominis ex honore patris ſui.* Et Verſ. 22. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.*

S. Baſilius in Caput 8. Iſaiæ Prophetæ: *Ait enim Scriptura: Cum conſummaverit homo, tunc incipiet: & cum quieverit, tunc deficiet.* Quod Eccleſiaſtici 18. 6. ſcriptum eſt.

Traditio Eccleſiarum Cappadociæ.

Et in regulis brevioribus, Interrogatione 104. *Neceſſario omni in re memoria tenere Antiſtes debet quid dicant Divinæ Literæ: Cum conſilio fac omnia.* Scilicet Eccleſiaſtici 32. 24. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.*

S. Gregorius Nyſſenus Homilia 3. in *Eccleſiaſten* uſurpat illud Eccleſiaſtici 40. *Vinum lætificat cor.* Et illud Capitis 20. 30. *Qui operatur terram ſuam, inaltabit acervum frugum: & qui operatur juſtitiam, ipſe exaltabitur.*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 1. Contra Julianum. *Duc tu quoque precibus tuis, patri ſermone, ſulci ſpiritu. Benedictio enim patris firmat domos filiorum.* Quod ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 3. 2.

S. Joannes Chryſoſtomus Homilia 15. ad Populum Antiochenum. *Timor nil aliud eſt, quam murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis: Etenim multa nobis munitione opus eſt, quia multæ ſunt undique inſidiæ, ſicut ipſe Salomon rurſum ſic admonens dicebat: Agnoſce quod in medio laqueorum tranſis, & ſuper propugnacula urbium ambulas.* Sumptum eſt ex Eccleſiaſtici 9. 20. *In medio laqueorum ingrederis, & ſuper dolentium arma ambulabis.* Idem Homilia 13. ad eumdem Populum: *Et hoc quidem Sapiens innuens dicebat; Omne animal amat ſuum ſimile, & homo proximum ſuum.* Quod habetur Eccleſiaſtici 13. 19. Idem Homilia 6. De Fato & Providentia: *Opportune igitur hoc loco commemorari poteſt illud Sapientis: Quis miſerebitur ejus qui incantat, ſi a ſerpente mordeatur, & omnium qui ſe beſtiis admovent?* Habetur Eccleſiaſtici 12. 13.

Traditio Eccleſiæ Antiochenæ, & aliarum Orientis Eccleſiarum.

S. Epiphanius in Ancorato Cap. 12. *Etenim cum nos Scriptura reprehendat his verbis: Quæ præcepta tibi ſunt, hæc cogita; neque arcanis & occultis tibi opus eſt: & altiora te ne quæſieris, ac profundiora te ne inquiras; utrumnam Spiritum Sanctum dicemus curioſitate potius, quam quod hoc illi natura conveniat, Dei profunda ſcrutari?* Habetur Eccleſiaſtici 3. 22. 13.

Jo-

Joannes Maxentius in Præfatione Dialogi contra Neſtorianos: *Neceſſe eſt uſque ad effuſionem ſanguinis pro veritate certare: Præſertim cum Scriptura Divina moneat & dicat: Ne confundaris loqui verbum pro anima tua, & pro veritate certa uſque ad mortem*. Quod legitur Eccleſiaſtici 4. 24. 32.

S. Ephrem Syrus Lib. adverſus improbas Mulieres: *Nulla malitia cum mulieris nequitia eſt conferenda: Sicut etiam de hoc mihi perhibet teſtimonium Sapiens, ubi dicit: Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris*. Quod Eccleſiaſtici 25. 22. 23. ſcriptum eſt.

Anaſtaſius Antiochenus Lib. 9. in Hexaemeron: *Si adjutrix eſt mulier, quomodo dicit Scriptura, Quod vinum & mulieres ſeparant a Deo?* Habetur Eccleſiaſtici 19. 2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt Sapientes.*

S. Joannes Damaſcenus Oratione 1. De Dormitione Deiparæ: *Quamvis omnibus Dei ſervis, quorum mors beata ducitur, ab ipſo vitæ fine iſtud comparetur ut Deo grata eorum vita jam in tuto ſit, eoque nomine mors ipſorum fauſta ac felix habeatur (Mors enim eos perfecit beatoſque oſtendit; id videlicet ipſis afferens, ut in eorum virtutem nulla jam mutatio cadat, juxta illud Scripturæ oraculum*, Ante mortem neminem beatum dicas) *Minime tamen hoc in te uſurpabimus*. Quod Eccleſiaſtici 11. 30. ſcriptum eſt, *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*.

Traditio Eccleſiæ Africanæ.

Eccleſiæ Occidentalis Traditionem repræſentat *Tertullianus* Lib. *De Exhortatione Caſtitatis*, Cap. 12. *Itaque*, inquit, *cum ex præceptis ejus* (ſcilicet Dei) *didicerimus, quid velit, & quid nolit; tamen nobis eſt voluntas & arbitrium eligendi alterum; ſicut ſcri-„ptum eſt*, Ecce poſui ante bonum & malum: Guſtaſti enim de arbore agnitionis. *Et ideo non debemus quod noſtro expoſitum eſt arbitrio in Dei referre voluntatem, quos vult ipſe & velle, qui malum non vult*. Quod teſtimonium profert ex Capite 15. 18. *Eccleſiaſtici* depromptum eſt, ubi ſic legimus: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: Quod placuerit ei, dabitur illi.*

S. Cyprianus Epiſtola 65. ad Rogatianum: *Sed & Salomon in Spiritu Sancto conſtitutus teſtatur & docet quæ ſit ſacerdotalis auctoritas & poteſtas, dicens: Ex tota anima tua time Deum, & Sacerdotes ejus ſanctifica. Et iterum; Honora Deum ex tota anima tua & honorifica Sacerdotes ejus*. Quæ habentur *Eccleſiaſtici* 7. 31. 33. Et Libro De Opere & Eleemoſynis: *Loquitur in Scripturis Divinis Spiritus Sanctus & dicit .... Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum*. Habetur Eccleſiaſtici 3. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*. Ibidem *Apud Salomonem* (inquit) *legimus: conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Habetur Eccleſiaſtici 29. 15.

Optatus Milevitanus, Lib. 3. Contra Parmenianum. *Deinde ſic ſcriptum eſt: Quemadmodum aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum?* (Eccleſiaſtici 3. 33.) Et infra: *Denique ait, Sapientes te non docuerunt ſapientiam ſuam, quia illud a Salomone diſcere noluiſti, quod ait, Abſconde panem in ſinu pauperis, & ipſe pro te rogabit*. (Eccleſiaſtici 29.15.)

S. Auguſtinus Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. *illi duo Libri, unus qui Sapientia, & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur .... Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt*. Et Lib. 17. *De Civitate Dei*, Cap. 20. de iiſdem Libris ſic loquitur: *Eos in auctoritatem, maxime Occidentalis, antiquitus recepit Eccleſia*. Et Libro contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas ad Oroſium: *Ne præciti ſuſpicione in fabulas ſacrilegas irruamus, clamat Scriptura „ Divina*. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne „ ſcrutatus fueris; ſed quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita ſemper, *ut magis in iſtis temeraria præſumptio, quam cauta ignorantia culpanda videatur*.

Eccleſiaſtici 3. 21.

Tota Eccleſia Africana in Concilio Carthaginenſi 3. Canone 47. *Libros quinque Salomonis* inter *Canonicas Scripturas* numerat. Qui numerus *Eccleſiaſticum* continet, *Salomonis de quadam ſimilitudine* nuncupatum, ut ait *S. Auguſtinus*.

S. Fulgentius Lib. 1. *De Remiſſione Peccatorum*, Cap. 12. *Pro criminibus gemunt, & poſt gemitum ad crimina redeunt. De talibus in Libro Eccleſiaſtico Scri-„ ptura Divina ſic loquitur*: Qui baptizatur a mor-„ tuo, & iterum tangit illum, quid proficit lava-„ tio ejus? Sic homo qui jejunat pro peccatis ſuis, „ & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando „ ſe? Orationem ejus quis exaudiet? *Rectiſſime igitur dicit Deus homini, Si converſus fueris, & ingemueris, ſalvus eris*.

Eccleſiaſtici 34. 30.

S. Ambroſius Libro *De bono Mortis*, Cap. 8. *Illud quoque egregium, quod ait Scriptura*: Ante mortem non laudaveris quemquam. *Unuſquiſque enim in noviſſimis ſuis cognoſcitur, & in filiis ſuis æſtimatur, ſi bene filios ſuos inſtituit, & diſciplinis competentibus erudivit*. Quod profert teſtimonium, habetur Eccleſiaſtici 11. 30. Et Lib. 4. *De Fide*, Cap. 4. *Dicimus itaque poteſtatis eſſe quod nos filios Dei fecit, proprietatis autem generationem eſſe Oracula Divina declarant. Dicit enim Sapientia Dei*: Ex ore Altiſſimi providi: *Hoc eſt, non coacta, ſed libera; non poteſtati obnoxia, ſed nata generationis arcano, privilegio dominationis, & jure poteſtatis*. Habetur Eccleſiaſtici 24. 5. *Ego ex ore Altiſſimi provìdi; primogenita ante omnem creaturam*.

Traditio Eccleſiæ Italicæ & Romanæ.

S. Hieronymus Epiſtola 34. ad Julianum: *Divina Scriptura loquitur: Muſica in luctu intempeſtiva narratio*. Habetur Eccleſiaſtici 22. 6.

S. Paulinus, ſeu alius paris antiquitatis Auctor Epiſtolæ ad *Celantiam* Matronam inter *Sancti Hieronymi* Opera 14. *Vetus Scriptura celebrata ſententia eſt: Eſſe pudorem, quo gloria inveniatur & gratia; & eſſe rurſus pudorem, qui ſoleat parere peccatum*. Quod habetur Eccleſiaſtici 4. 25. *Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam*.

Innocentius I. Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum, *in Canone Sanctarum Scripturarum* recenſet *Libros quinque Salomonis*: Quo numero *Sapientiam*, & *Eccleſiaſticum* comprehendi minime dubium eſt.

S. Leo Sermone 91. qui octavus eſt *De Jejunio ſeptimi* Menſis: *Omnis divinorum eruditio præceptorum hoc maxime agit apud corda credentium, ut amor pravus recto amore ſuperetur, & delectatione juſtitiæ peccandi cupiditas deſtruatur, dicente Scriptura*: Poſt con-„ cupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tua aver-„ tere. *Cum autem ſint in animis hominum multæ bonæ concupiſcentiæ, & laudabiles voluntates, quid eſt quod jubetur, ut noſtris non conſentiamus affectibus: Niſi quod ab illa concupiſcentia prohibemur, & ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex nobis eſt, & ideo mala pronunciatur, quia noſtra eſſe convincitur? Ad diſtinctionem igitur concupiſcentiarum quæ ſunt ex Deo, bene homini dictum eſt: Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Habetur Eccleſiaſtici 18. 30.

Gelaſius I. cum Synodo Romana Librum *Eccleſiaſtici* recenſet in ordine Librorum Veteris Teſtamenti.

S. Maximus Taurinenſis Epiſcopus Homilia 1. De „ Eleemoſynis: *Dicit Scriptura Divina*. Sicut aqua „ extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. *Magna plane & cunctis ambienda ſententia*. Habetur Eccleſiaſtici 3. 33.

S. Hilarius in Pſalmum 140. *In eo Libro qui nobiſcum Salomonis inſcribitur, apud Græcos autem atque Hebræos Sapientia Sirach habetur, ita monemur: ECCE circumvalla poſſeſſionem tuam ſpinis, argentum & aurum tuum conſtitue, & ori tuo fac oſtium, & ſeram, & verbis tuis jugum & menſuram*. Habetur Eccleſiaſtici 28. 28. 29. his verbis: *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia & ſeras. Aurum tuum & argentum tuum conſla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos*.

Traditio Eccleſiæ Gallicanæ.

Caſſianus Collatione 2. Cap. 13. *Divitiæ ſenum non ſunt canitie capitis, sed induſtria juventutis ac præteritorum laborum ſtipendiis metiendæ*. Quæ enim non congregaſti, *inquit*, in juventute, quomodo invenies in ſenectute tua? *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata*. Sententia quam laudat *Caſſianus*, habetur Eccleſiaſtici 14. 5.

Et Collatione 6. Capite 16. *Quicquid per diligentiam vel acquiritur vel tenetur, poteſt etiam per negligentiam deperire, ideoque dicitur, Ne beatifices homi-*

nem

non ante exitum ſuum. (Eccleſiaſtici 11. 30.)

Julianus Pomerius Lib. 1. *De vita Contemplativa*, Cap. 8. *Ait in Eccleſiaſtico Spiritus Sanctus* : Eſt cor„ reptio mendax in ira contumelioſi, & eſt judicium „ quod non eſt bonum. *Utique contumelioſi hominis & ſuperbi correptio, quæ dicitur mendax, ſuperbia eſt, non alicujus humilitatis judicium, & ideo non eſt bonum. Quid potuit evidentius, quid apertius dici, quam ut contumelioſum diceret mendaciter arguentem?* Habetur Eccleſiaſtici 19. 28.

Salvianus Lib. 3. Ad Eccleſiam Catholicam : *Fili, inquit Scriptura ſancta, ſi habes, benefac tecum, & Deo bonas oblationes offer*. Habetur Eccleſiaſtici 14. 2.

Eccleſia Germanica Traditio. Gallicana ſimul & Germanica Eccleſia in Concilio Francofordienſi congregata, in Epiſtola Synodica : *Altera res eſt, quare generationem Filii Dei vel æternam de Patre, vel temporalem de Matre, quiſquam hominum audeat inveſtigare, dicente Scriptura : Altiora te ne quæſieris*. Quod habetur Eccleſiaſtici 3. 22.

Traditio Eccleſiæ Hiſpanicæ. Eccleſia Hiſpanica in Concilio Toletano VIII. Canone 9. *Detecta eſt ingluvies horrenda voracium, quæ dum fræno parſimoniæ non adſtringitur, Religioni con„ traire cenſetur. Nam dicente Scriptura* : Qui ſper„ nit minima, paulatim decidet in maxima, *illi tanto edacitatis improba ſumtu graſſantur, ut cæleſtia & pene ſumma contemnere videantur*. Habetur Eccleſiaſtici 19. 1.

Sententia & Fides Eccleſiæ univerſæ. Concilium Epheſinum in Epiſtola Synodica ad Synodum Pamphyliæ, quæ Actione 7. habetur : *Cum divinitus inſpirata Scriptura dicat* : Sine conſilio nihil facias ; *eos in primis qui ſacro aliquo in Munere verſari volunt, magna diligentia, omnique ſtudio in id incumbere oportet, ut in omnibus rebus adminiſtrandis agendiſque ſumma adhibeatur conſideratio*.

Œcumenica denique Synodus Tridentina Seſſione 4. in Sacrorum Librorum Indice *Eccleſiaſticum* adſcripſit.

Obiicitur, Librum *Eccleſiaſtici* in Scripturarum Canonicarum Indice non adſcribi a *Melitone* Sardenſium Epiſcopo in Epiſtola ad *Oneſimum*, ab *Origene* in Expoſitione Pſalmi 1. a *S. Athanaſio* in Epiſtola Feſtali, & ab Auctore Synopſeos Scripturæ Sacræ ſub ejus nomine editæ ; a *S. Gregorio Nazianzeno* in Carmine ad Seleucum, a *S. Cyrillo* Hieroſolymitano, a *S. Epiphanio* Lib. De Menſuris & Ponderibus, a *S. Joanne Damaſceno* Lib. 4. De Fide Orthodoxa ; a Concilio Laodiceno, Canone ultimo ; a *S. Hilario* Præfatione in Pſalmos ; a *S. Hieronymo* Præfatione in Libros *Salomonis*, ubi teſtatur Eccleſiam hunc Librum legere *ad ædificationem Plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam* ; a *Rufino* tandem in Expoſitione Symboli, ubi cum Libros enumeraſſet, *Quos Patres intra Canonem concluſerunt, ex quibus Fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt* ; addit : *Sciendum tamen eſt quod & alii Libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici a Majoribus appellati ſunt : Ut eſt Sapientia Salomonis, & alia Sapientia, quæ dicitur Jeſu filii Sirach : Qui Liber apud Latinos hoc ipſo generali vocabulo* ECCLESIASTICUS *appellatur ; quo vocabulo non Auctor Libelli, ſed Scripturæ qualitas cognominata eſt*.

Reſpondetur, Ex his ſolum confici Librum *Eccleſiaſtici* in primo Canone non contineri, quia nec Hebræi illum ut Canonicum habuerunt, quod obſignato jam Canone ſit editus, & de illo a nonnullis Veterum dubitatum eſt : At in ſecundo ordine Librorum Canonicorum habetur ; ſiquidem longe plures & majoris auctoritatis Eccleſiæ illum ab Apoſtolorum temporibus ut Sacrum & Divinum receperunt, & Eccleſia univerſa illum Canonicum declaravit. Ad hæc, Patres ipſi, qui in Librorum Canonicorum Indicem illum prætermiſerunt, illius tamen teſtimonia ut Libri Sacri & Spiritu Sancto auctore conſcripti laudare non dubitarunt, ſcilicet Origenes, S. Cyrillus Hieroſolymitanus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Epiphanius, S. Hieronymus, Sanctus Joannes Damaſcenus, ut ex probationibus liquet.

PROPOSITIO II.

Auctor Eccleſiaſtici fuit Jeſus filius Sirach.

PRobatur primo ex *Eccleſiaſtici*, Cap. 50. 29. *Doctrinam ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in Codice iſto Jeſus filius Sirach Hieroſolymita, qui renovavit ſapientiam in corde ſuo*. Et Cap. 51. 1. *Oratio Jeſu filii Sirach*. Ejuſdem namque eſt Oratio iſta, cujus reliquum Opus.

Probatur ſecundo ex Prologo, qui tametſi non ſit Auctoris Sacri, ſed Interpretis, ipſius nepotis, magni tamen momenti ad faciendam hac de re fidem eſt. *Avus meus Jeſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis Legis & Prophetarum, & aliorum Librorum, qui nobis a parentibus noſtris traditi ſunt : Voluit & ipſe ſcribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent : Ut deſiderantes diſcere, & illorum periti facti, magis magiſque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam.... In octavo & trigeſimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis Regis, poſtquam perveni in Ægyptum ; & cum multum temporis ibi fuiſſem, inveni ibi Libros relictos non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & neceſſarium putavi & ipſe addere aliquam diligentiam & laborem interpretandi Librum iſtum*.

Probatur tertio ex *Euſebio* in Chronico. *Judæorum*, inquit, *Pontifex Maximus Simon Oniæ filius clarus habetur : Sub quo Jeſus filius Sirach Sapientiæ Librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simonis in eo fecit mentionem*.

Probatur quarto ex *S. Hieronymo* in caput 9. Danielis. *Poſt Oniam*, inquit, *præfuit Judæis Pontifex Eleazarus. Quo tempore Septuaginta Interpretes Scripturas Sanctas Alexandriæ dicuntur in Græcum vertiſſe ſermonem : Poſt quem alter Onias, cui ſucceſſit Simon : Quo regente Populum, Jeſus filius Sirach ſcripſit Librum, qui Græce πανάρετος appellatur, & a pleriſque Salomonis falſo dicitur*.

Porro *Jeſum Sirachidem* eundem eſſe cum *Ben-Sira* minime crediderim, propter diſcrepantiam nominis, ætatis, & Operis. Vixit enim *Ben-Sira* Jeremiæ temporibus, cujus per matrem nepos fuiſſe dicitur. *Ben-Sira*, nepos *Joſephus Uzielides* : Nepos Jeſu Sirachidis, *Jeſus* Junior pariter *Sirachides* appellatus. *Ben-Syra* tandem Proverbia diverſa ſunt ab *Eccleſiaſtici* Sententiis.

Obiicitur, Eccleſiaſticum a nonnullis Veterum *Salomoni* tribui, ut a *Sanctis Cypriano & Hilario*, Concilio Carthaginenſi III. *Innocentio I.*

Reſpondetur, Ab aliis numero pluribus tribui *Jeſu Sirachidi*, qui & ſe Auctorem illius prodit, & a Nepote Libri Interprete teſtimonium habet. Præterea dici Salomonis *ob eloquii ſimilitudinem*, ut loquitur *S. Auguſtinus*, & quia plurimas ex Proverbiis *Salomonis* & *Eccleſiaſte* Sententias *Sirachides* in Librum ſuum congeſſit, ut oſtendunt *Druſius* Lib. 1. *Obſervationum*, Cap. 18. & Doctiſſimus *Huetius* Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione 4. p. 201. Unde ab Auctore Synopſeos adſcriptæ *S. Athanaſio* ὁ πάνυ τοῦ Σολομῶντος, *Salomonis aſſecla* Libri hujus Scriptor *Jeſus Sirach* nominatur. Cæterum hunc non eſſe fœtum *Salomonis* ex eo confirmatur, quod *Salomonis* ipſius, *Eliæ*, *Eliſæi*, *Ezechiæ*, *Iſaiæ*, *Joſiæ*, *Jeremiæ*, *Ezechielis*, *duodecim Prophetarum*, *Zorobabelis*, *Jeſu filii Joſedech*, & *Simonis Oniæ* filii Sacerdotis Magni Laudes celebret Capitibus 47. 48. 49. & 50.

ARTICULUS VIII.

REs Aſſamonæorum præclare geſtas duobus Machabæorum Libris, ad memoriam poſteritatis ſempiternam Spiritus Sanctus conſecravit. Primus Liber Hebraice ſcriptus diu ſuperfuit, huncque ſe vidiſſe teſtatur *S. Hieronymus* in Prologo Galeato. Hinc prodierunt Græca & Latina Interpretatio, quæ ad nos uſque pervenere. Libri hujus prioris Auctorem *Quis Librorum Machabæorum Auctor.*

Digitized by Google

Joannem Hyrcanum Simonis filium, quidam fuiſſe conjiciunt, quem diuturno potitum Imperio ac Pontificatu, & futurorum quoque præſcium fuiſſe, narrat *Joſephus* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 18. Alii a ſingulis Machabæis Ducibus rerum ſuorum tempore geſtarum ſcriptos Commentarios augurantur, ex quibus unum Volumen *Joannes Hyrcanus* compilaverit. Alii conſultius cum *Rabano Mauro* Libro 3. *De Univerſo*, & *Sancto Iſidoro Hiſpalenſi* Lib. 1. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Librum 1. *Machabæorum* ignoti Auctoris eſſe cenſent. De ſecundo idem cenſendum, qui Græce ſcriptus eſt. Nec obſtat, quod *S. Hieronymus* Dialogo 2. contra Pelagianos dicat, *Joſephus Machabæorum Scriptor Hiſtoriæ frangi & regi poſſe dixit perturbationes animi, non eradicari*. Non enim loquitur *S. Hieronymus* de Sacra Hiſtoria, quam prior, Machabaicus complectitur, ſed de Libello prorſus diverſo, qui inter Opera *Joſephi* legitur, inſcripto, *De Machabæis, ſive De Imperio Rationis*. De quo *Euſebius* Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 10. ubi de *Joſephi* Operibus agit: *Eſt & aliud*, inquit, *non ignobile Opuſculum ab eodem elaboratum De Ratione ſummo Imperio prædita. Quod quidem a nonnullis Machabaicum inſcriptum eſt, eo quod certamina contineat Hebræorum quorumdam, qui, ut in Machabæorum Libris proditum eſt, pro divini Numinis cultu fortiter propugnarunt*. Nec obſtat etiam *Honorii Auguſtodunenſis* teſtimonium, qui *Philoni Judæo* ſecundum Machabæorum Librum adſcribit. Nam ſtyli character a *Philonis* ſtylo diſcrepat, nec ſimilis argumenti Librum inter Opera Philonis *Euſebius* & *S. Hieronymus* commemorant. *Judæ* cuidam *Eſſæo* Machabaicum ſecundum tribuit *Serarius* Præloquio 2. in *Machab.* & in Cap. 1. & 2. Lib. 2. verbis illis Capitis ſecundi fretus: *Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & ſunt apud nos*. Conjecturam ſuam firmat ex eo quod magna fuerit *Judæ Eſſæi* inter Ægyptios Judæos auctoritas, & quod vaticinandi etiam facultate floruerit, teſte *Joſepho* Libro 13. *Antiquitatum*, Cap. 19. & Libro 1. *De Bello Judaico*, Cap. 3. *Rupertum* denique hujus Auctorem ſententiæ laudat *Serarius*. Verum locus ille ſecundi Machabæorum Capitis ab eo laudatus ad *Judam Eſſæum* non pertinet, ſed ad *Judam Machabæum*; Nec tamen eum hunc Librum ſcripſiſſe ſignificat, ſed Commentarios duntaxat, Libroſque per bellorum motus diſſipatos recollegiſſe, & in publica Bibliotheca repoſuiſſe, ſicut olim fecerat Nehemias. *Inſerebantur autem*, inquit, *in Deſcriptionibus & Commentariis Nehemiæ hæc eadem; & ut conſtruens Bibliothecam, congregavit de Regionibus Libros, & Prophetarum, & David, & Epiſtolas Regum, & de donariis. Similiter & Judas ea quæ deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & ſunt apud nos. Si ergo deſideratis hæc, mittite qui perferant vobis*. Ex Hiſtoria *Jaſonis Cyrenæi* compilatus eſt ſecundus Liber Machabæorum, ut ex ſecundo Capite perſpectum eſt. *De Juda vero Machabæo*, inquit, *& fratribus ejus, & de Templi Magni purificatione, & de Aræ Dedicatione; ſed & de prœliis quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem; & de illuminationibus, quæ de Cœlo factæ ſunt ad eos, qui pro Judæis fortiter fecerunt, ita ut univerſam Regionem, cum pauci eſſent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent, & famoſiſſimum in toto orbe Templum recuperarent, & Civitatem liberarent, & Leges, quæ abolitæ erant, reſtituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis; itemque ab Jaſone Cyrenæo quinque Libris comprehenſa tentavimus nos uno Volumine breviare*. Vocula illa, *Itemque*, in Vulgata Editione Latina redundat, ut ex illius cum Græco Textu collatione compertum eſt. Pergit Auctor: *Conſiderantes enim multitudinem Librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes Hiſtoriarum, propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut eſſet animi oblectatio: Studioſis vero ut facilius poſſint memoriæ commendare: Omnibus autem legentibus utilitas conferatur*. Et paulo poſt: *Libenter laborem ſuſtinemus, veritatem quidem de ſingulis Auctoribus concedentes, ipſi autem ſecundum datam formam brevitati ſtudentes*. Non ſolum autem compilatus eſt Liber ſecundus Machabæorum ex *Jaſonis Cyrenæi* Hiſtoria, ſed etiam ex priori Machabaico, aliiſque monumentis ex Hieroſolymitano Tabulario depromptis. Inde enim prodiderunt Epiſtolæ duæ Cap. 1. deſcriptæ, prior Populi Hieroſolymitani ad Judæos in Ægypto degentes, altera Populi ejuſdem, Senatus, & Judæ, ad *Ariſtobulum* & eoſdem Judæos Ægypti incolas. Prima eos ad diem Scenopegiæ Menſis Casleu, ſecunda ad diem Ignis celebrandum adhortatur.

PROPOSITIO I.

Libri Machabæorum primus & ſecundus incerti ſunt Auctoris.

Cum enim nec a *Joanne Hyrcano*, nec a *Joſepho*, nec a *Philone Judæo*, nec a *Juda Eſſæo* ſcriptos fuiſſe probetur, nec aliunde appareat quis fuerit horum Librorum Scriptor; incerti eſſe Auctoris cenſendi ſunt, ut cenſet *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Lib. 1. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. 10. *Judith & Tobiam*, inquit, *ſive Machabæorum Libros, qui Auctores ſcripſerint, minime conſtat*. Idem & iiſdem pene verbis aſſerit *Rabanus* Lib. 5. *De Univerſo*, Cap. 2.

Jam de Librorum Machabaicorum auctoritate breviter agendum eſt.

PROPOSITIO II.

Quamvis Libri Machabæorum olim a quibuſdam Eccleſiis in Canonem relati non eſſent, jure tamen ab Eccleſia tandem univerſa ut Canonici & divini recepti ſunt.

Prima pars inde probatur, quod in Librorum Canonicorum Indicibus a *Melitone*, *Origene*, *Concilio Laodiceno*, *S. Athanaſio* in Epiſtola Feſtali, Auctore Synopſeos eidem adſcriptæ, *S. Cyrillo Hieroſolymitano*, *S. Hilario*, *S. Gregorio Nazianzeno*, *S. Hieronymo*, *S. Joanne Damaſceno* adornatis Machabæorum Libri prætermittantur. 2. Quod *Euſebius* in Chronico ipſos Libris Canonicis opponat. Ubi enim meminit *Eſdræ* & *Nehemiæ* Olympiade 86. ſubdit: *Huculque Divina Scriptura Hebræorum Annales temporum continent. Ea vero quæ poſt hæc apud eos geſta ſunt exhibeo de Libro Machabæorum, & Joſephi, & Africani Scriptis: Qui deinceps univerſam Hiſtoriam uſque ad Romana tempora proſecuti ſunt*. 3. Quod *S. Hieronymus* eos ab Eccleſia ſui temporis non recipi teſtetur, Præfatione in Libros Salomonis. *Machabæorum*, inquit, *Libros legit quidem Eccleſia; ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit*. 4. Quod *S. Gregorius* Libro 19. *Moralium*, Cap. 13. ex Libro 1. Machabæorum teſtimonium proferens, præmittat: *Non inordinate agimus, ſi ex Libris, licet non Canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis, teſtimonium proferamus*.

Secunda pars probatur Veterum teſtimonio, qui ex Libris Machabæorum ceu Sacris & Divinis teſtimonia laudarunt. Canonem ultimum ex iis quis Apoſtolis ſunt adſcripti, prætermitto, tres Machabæorum Libros in numero Canonicorum recenſentem, cum tamen duos duntaxat Eccleſia receperit.

Origenes, quamvis alios in Librorum Canonicorum Indice Libros iſtos prætermittat, & extra illorum cenſum eſſe aſſerat, ipſos tamen ut genuinos Divinæ Scripturæ Libros laudat Libro 2. *Periarchon*, Cap. 1. *Ut autem*, inquit, *ex Scripturarum auctoritate hæc ita ſe habere doceamus, audi quomodo Machabæorum Libris, ubi Mater ſeptem Martyrum unum ex filiis cohortatur ad toleranda tormenta, ait ei*: ROGO *te fili, reſpice cœlum & Terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & videns hoc ſcito, quia Deus hæc omnia, cum non eſſent, fecit*. Et in Cap. 5. Epiſtolæ ad Romanos, Valentinianorum errorem redarguens, qui neminem in Veteri lege pro Deo mortem oppetere auſum effutiebant, exemplo matris & ſeptem filiorum

rum ex Libris Machabæorum deprompto refellit : *Sed quid agent*, inquit, *quia invenimus & in Lege Martyres multos? Legant Machabæorum Libros, ubi cum omni inſtantia Beata Mater cum ſeptem filiis Martyrium ſuſcepit, quique non ſolum martyrium patienter excipiunt, verum, & contumelias ingerunt in Tyrannum; & videant ſi verum eſt quod dicunt, quia vix pro juſto quis moritur.* Niſi ſecum ipſo pugnaverit *Origenes*, dicendum eſt illum Præfatione in Pſalmos Hebræorum Canonem ſecutum, locis autem mox laudatis ex propria ſententia, & Eccleſiæ Traditione locutum.

Tertullianus Libro *adverſus Judæos*, Cap. 4. Obſervationem Sabbati temporariam fuiſſe probat ex Libris Machabæorum. *Nam & temporibus Machabæorum Sabbatis pugnando fortiter fecerunt, & hoſtes allophylos expugnaverunt, Legemque paternam ad priſtinum vitæ ſtatum pugnando Sabbatis revocaverunt. Nec putem aliam Legem eos defendiſſe, niſi in qua de die Sabbatorum meminerant eſſe præſcriptum. Unde manifeſtum eſt ad tempus & præſentis cauſa neceſſitatem hujuſmodi præcepta valuiſſe, & non ad perpetui temporis obſervationem hujuſmodi Legem eis Deum ante dediſſe.*

S. Cyprianus Libro *De Exhortatione Martyrii*, Cap. 11. teſtimonia ex Machabæorum Libris uſurpat. *Quid vero*, inquit, *in Machabæis ſeptem fratres & natalium pariter & virtutum ſorte conſimiles ſeptenarium numerum Sacramento perfectæ conſummationis implentes? .... Quæ vero ediderunt confeſſionum præconia, quam præclara, quam magna documenta fidei præbuerunt? Rex Antiochus infeſtus, immo in Antiocho Antichriſtus expreſſus, ora Martyrum glorioſa, & ſpiritu confeſſionis invicta contagio ſuillæ carnis maculare quærebat, & cum flagellis graviter verberaſſet, ac nihil promovere potuiſſet, ſartagines juſſit igniri; quibus ignitis & accenſis, eum qui primus locutus fuerat, & magis Regem virtutis & fidei conſtantia provocaverat, admoveri præcepit & frigi, producta & exſecta prius lingua, quæ confeſſa Deum fuerat; quod Martyri glorioſius contigit: Lingua enim quæ confeſſa Deum fuerat, prior ad Deum debuit ipſa proficiſci. Poſt in ſecundo excogitatis acrioribus pœnis, antequam cætera membra torqueret, cutem capitis capillis detraxit, odio ſcilicet Chriſti. Nam cum caput viri Chriſtus ſit, & caput Chriſti Deus; qui caput laniabat in Martyre, Deum & Chriſtum perſequebatur in capite. At ille in Martyrio ſuo fidens, & reſurrectionis ſibi præmium de Dei remuneratione promittens, exclamavit & dixit:*
„ Tu quidem impotens ex hac præſenti vita nos per-
„ dis, ſed Mundi Rex defunctos nos pro ſuis legi-
„ bus in æternam vitæ reſurrectionem ſuſcitabit. *Tertius linguam poſtulatus cito protulit: Nam pœnam linguæ exſecandæ jam didicerat a fratre contemnere; manus quoque amputandas conſtanter extendit; multum beatus genere iſto ſupplicii, cui contigit extenſis ad pœnam manibus paſſionis dominicæ inſtar imitari. Necnon & quartus pari virtute tormenta contemnens, & ad retundendum Regem cœleſti voce reſpondens, excla-*
„ *mavit & dixit:* Potius eſt ab hominibus morti
„ datos expectare ſpem a Deo iterum ab eo ſuſci-
„ tandos in vitam æternam: Tibi enim Reſurrectio
„ ad vitam non erit. *Quintus præter quod carnificinam Regis, & duros varioſque cruciatus fidei vigore calcabat, ad præſcientiam quoque & notitiam futurorum Spiritu divinitatis animatus prophetavit Regi, in-*
„ *dignationem Dei & ultionem velociter ſecuturam.* Po-
„ teſtatem, *inquit*, inter homines habens; cum ſis
„ corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare
„ genus noſtrum a Deo derelictum eſſe. Suſtine &
„ vide magnam poteſtatem ejus, qualiter te & ſe-
„ men tuum torquebit .... *In ſexto vero non virtus ſola, ſed & humilitas prædicanda eſt, nihil ſibi Martyrem vindicaſſe, nec confeſſionis ſuæ honorem ſuperbis vocibus ventilaſſe, peccatis potius ſuis adſcripſiſſe, quod perſecutionem a Rege pateretur; Deo vero dediſſe quod poſtmodum vindicaretur. Docuit eſſe Martyres verecundos, de ultione fidere, & nihil in paſſione ja-*
„ *ctare.* Noli, *inquit*, fruſtra errare: Nos enim pro-
„ pter noſmetipſos hæc patimur peccantes in Deum
„ noſtrum. Tu autem ne te exiſtimes impune futu-
„ rum aggreſſus pugnare cum Deo. *Admirabilis quoque Mater, quæ nec ſexus infirmitate, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos ſpectavit libenter, nec pœnas illas pignorum, ſed glorias computavit, tam grande Martyrium Deo præbens virtute oculorum ſuorum, quam præbuerant filii ejus tormentis & paſſione membrorum. Cum ſex punitis & occiſis ſupereſſet unus ex fratribus, cui Rex divitias & potentatus, & multa pollicebatur, ut crudelitas ejus ac feritas vel unius ſubacti ſolatio frueretur, & peteret at ad filium decipiendum ſecum deprecaretur & Mater; deprecata eſt illa, ſed ut decebat Martyrum Matrem, ut decebat Legis & Dei memorem, ut decebat filios ſuos non delicate, ſed fortiter diligentem. Deprecata eſt enim, ſed ut Deum confiteretur: Deprecata eſt ne a fratribus ſuis frater in conſortio laudis & gloriæ ſepararetur. Tunc ſe ſeptem filiorum computans Matrem, ſi ſibi contingeret filios ſeptem Deo potius peperiſſe, non ſæculo. Armans itaque eum & corroborans, & feliciore tunc*
„ *partu filium generans:* Fili, *inquit*, miſerere mei,
„ quæ te in utero menſibus novem portavi, & lac
„ triennio dedi & alui, & in ætatem iſtam perdu-
„ xi. Oro fili, aſpicias in cœlum & terram, &
„ omnibus quæ in eis ſunt aſpectis, intelligas quia ex
„ nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Ita-
„ que fili, ne timeas carnificem iſtum, ſed dignus
„ fratribus effectus, excipias mortem, ut in illa miſe-
„ ratione cum fratribus tuis te recipiam. *Magna laus Matris in exhortatione virtutis: ſed major in Dei timore & in fidei veritate, quod nihil ſibi aut filio de ſex Martyrum honore promiſit, nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis ſalutem. Perſuaſit potius participem paſſionis fieri, ut in judicii die poſſet cum fratribus inveniri. Poſt hæc liberis ſuis commoritur & Mater: Neque enim aliud jam decebat, quam at quæ Martyres pepererat & fecerat, in conſortio illis gloriæ jungeretur, & quos ad Deum præmiſerat, ipſa quoque ſequeretur. Ac ne quis vel Libelli, vel alicujus rei oblata ſibi occaſione qua fallat, amplectatur decipientium malum munus; nec Eleazarus tacendus eſt, qui cum ſibi a Miniſtris Regis offerretur facultas, ut accepta carne qua liceret ſibi veſci, ad circumveniendum Regem ſimularet ſe illa edere quæ de ſacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur; conſentire ad hanc fallaciam noluit, dicens: Nec ætati ſuæ, nec nobilitati convenire id fingere, quo cæteri ſcandalizarentur, & in errorem inducerentur, exiſtimantes Eleazarum nonaginta annos natum ad Alienigenarum morem, relicta & prodita Dei Lege tranſiſſe: Nec tanti eſſe lucrari brevia vitæ momenta, ut offenſo Deo incurreret æterna ſupplicia. At ille excruciatus diu, & in extremo jam conſtitutus, cum inter verbera & tormen-*
„ *ta moreretur, ingemiſcens ait:* Domine qui ſanctam
„ habes ſcientiam, manifeſtum eſt, quia cum poſſem
„ a morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolle-
„ ro flagellis vapulans; animo autem propter tui i-
„ pſius metum libenter hæc patior. *Sincera prorſus fides & virtus integra ac ſatis pura, non Regem Antiochum cogitaſſe, ſed Deum judicem.* Hæc ex Machabæorum Libro 2. Cap. 6. & 7. profert *S. Cyprianus* eo in Libro, quod ad Chriſti milites roborandos *de Divinis Scripturis hortamenta* complectitur. Quo credentium fidem *divina lectione* ſe firmaturum præfatur; quo propoſitis titulis, quos quis & noſſe debeat & tenere, *Capitula Dominica* ſubnectit, & quod propoſuerat, *divinæ lectionis auctoritate* ſolidat; quo ſubtractis humani ſermonis ambagibus, ſtatuit *ponere ſola illa quæ Deus loquitur, quibus ſervos ſuos ad Martyrium Chriſtus hortatur; & præcepta ipſa divina velut arma pugnantibus ſuggerere.* Libros ergo Machabæorum non minus Canonicos exiſtimavit *S. Cyprianus* quam reliquos Veteris Novique Teſtamenti Libros, ex quibus ſua illa ad Martyrium hortamenta compoſuit.

Idem Libro 3. *Teſtimoniorum ad Quirinum*, Cap. 15. quo ex Scripturis probat homines a Deo tentari ut probentur, ait: *De hoc ipſo in Machabæis; Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & deputatum eſt ei ad juſtitiam?* Quod habetur 1. *Machabæorum* 2. 52. Item Cap. 4. quo probat, In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit, *De hoc ipſo*, inquit in Machabæis, *juſtum eſt ſubditum Deo eſſe, & mortalem non paria Deo ſentire. Item illic e.*

Et verba viri peccatoris ne timueritis : Quia gloria e- jus in ſtercora erit & vermes. Hodie extolletur, & cras non invenietur : Quoniam converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit. Et Cap. 53. quo probat fidem noſtram ſimplicem eſſe debere : *Item in Machabæis : Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum.* At Liber ille 3. Sancti Cypriani ad *Quirinum* capitula dumtaxat continet *de Scripturis ſanctis* excerpta, *Præcepta Dominica, & Magiſteria divina*. Libros itaque Machabæorum Scripturarum Sanctarum partem eſſe ſenſit; & hæc erat proculdubio Africanæ Eccleſiæ ſententia. Idem Epiſt. 55. ad *Cornelium* Papam, Libros Machabæorum, ex quibus teſtimonium depromit, *Scripturam Divinam* appellat.

Lucifer Calaritanus Libro *De non parcendo in Deum delinquentibus*, ubi *Conſtantium* ſic alloquitur : *Videamus quid etiam tempore, quo contyrannus tuus Antiochus perſecutor noſtræ Religionis extitit, fecerint hi, qui meminerant præter Deum neminem timendum. Sed prius eſt cognoſcas, quæ ille, cui tu ſimilis es, ſcripſerit. Sic etenim poteris intelligere illos Dei ſervos, quorum nos cupimus inveniri participes, reſtitiſſe Antiochi ſacrilegio, ſicut & tibi nos Deo propitio reſiſtimus. Loquitur Sacra Scriptura dicens in Machabæorum pri-*
1. Machab.1. *mo Libro : Et ſcripſit Rex omni Regno ſuo, ut eſſet univerſus populus unus, & relinqueret unuſquiſque legitima ſua*, &c.

Egeſippus non primus ille Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ parens, *Juſtini Martyris* & *Athenagoræ* æqualis, ſed recentior alter, qui poſt *Conſtantini Magni* tempora floruit, in Prologo Librorum De Excidio Hieroſolymitano : *Machabæorum*, inquit, *res geſtas propheticus ſermo paucis abſolvit.*

Quintus Julius Hilario Scriptor quarti ſæculi in *Libello De Mundi Duratione*, Regum Perſarum annos recenſens : *Darius*, inquit, *regnavit annis ſex. Hunc interfecit Alexander Magnus Macedo, a cujus tempore Hiſtoria Machabæorum Græcorum annos divino narratione percurrit.*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione 22. Machabæorum laudes celebrat; vulgoque laudatur ejus teſtimonium pro Canonica Librorum Machabaicorum Auctoritate; ſed totam illam Orationem diligentius legenti compertum eſt, illum ex Machabæorum Libris nullum omnino locum proferre, & ne ipſos quidem nominare, ſed librum dumtaxat Joſephi De Imperatrice Ratione. *Enimvero*, inquit, *quinam hi fuerunt, & unde ex qua primum inſtitutione atque doctrina in eam virtutis & gloriæ magnitudinem evaſerint . . . . Studioſis ac diligentibus viris perſpicue Liber ille declarabit, qui Rationem animi perturbationibus imperare docet, in ejuſque arbitrio eſſe, ut in utramvis partem, hoc eſt, vel ad virtutem vel ad vitium propendeamus. Nam libelli illius Auctor, tum pleraque alia teſtimonia, tum horum quoque dimicationes ad hujus argumenti confirmationem attulit.* Locus hic fuiſſet remittendi Lectorem ad Libros Machabæorum, aut aliqua ex illis teſtimonia proferendi. Quod cum non præſtiterit, & alias Scripturæ Sacræ Libros recenſens in Carmine ad *Seleucum*, Machabaicos omittat, primam potius Propoſitionis noſtræ partem, quam poſteriorem iſtam confirmat. *S. Joannes Chryſoſtomus* Homilia *De ſeptem Machabæis* ipſorum pariter laudes celebrat, ſed Librorum Machabaicorum divinam Auctoritatem diſerte non adſtruit.

S. Ambroſius Lib. 2. *De Jacob & Vita Beata*, Capitibus 10. 11. & 12. *Eleazari* & ſeptem fratrum Machabæorum glorioſa certamina prædicat, eorum Hiſtoriam ex Libris Machabæorum depromptam eloquentiæ ſuæ luminibus illuſtrat, iſtorumque Librorum verba identidem uſurpat. Unde *Caſſiodorus* Senator Libro *De Inſtitutione Divinarum Literarum*, Cap. 6. ait : *Nam & S. Ambroſius in Libro Patriarcharum, ubi de perſona Joſeph ipſe loquitur, ſecundum Librum Machabæorum exempli cauſa commemorat. Cujus maximam partem ad demonſtrandam tolerantiam, eloquentia ſua dulciſſimo liquore patefecit.* Legendus idem *S. Ambroſius* Lib. 1. *De Officiis*, Capp. 40. & 41. Et Lib. 3. Cap. 29. *Hoc ſolo*, inquit, *Viduarum nomine (ſicut in Libris Machabæorum legimus) commendatum Templo omne ſervatum eſt. Nam cum indicium factum eſſet pecuniarum, quas in Templo Hieroſolymis maximas reperiri poſſe Simon nefarius Antiocho Regi prodidit, miſſus in Jeruſalem Heliodorus ad Templum venit, & Summo Sacerdoti aperuit indicii invidiam, & adventus ſui cauſam. Tunc Sacerdos depoſita eſſe dixit viduarum victualia & pupillorum; quædam autem Tobiæ viri ſancti, eaque demonſtravit. Argenti talenta quadringenta erant, auri vero ducenta. Quæ cum Heliodorus ereptum ire vellet, & Regis vendicare commodis, Sacerdotes ante Altare jactaverunt ſe, induti Sacerdotales ſtolas, & Deum vivum qui de depoſitis legem dederat, flentes invocabant, cuſtodem ſe præceptorum præſtaret ſuorum. Vultus vero & color Summi Sacerdotis immutatus, declarabat dolorem animi, & mentis intentæ ſolicitudinem. Flebant omnes, quod in contemptum locus venturus foret, ſi nec in Dei Templo tuta fides ſervaretur, cuſtodia : Accinctæque Mulieres pectus, & clauſæ Virgines pulſabant januas*, &c. Quæ 1. *Machabæorum* Cap.3. ſcripta ſunt.

S. Hieronymus ex propria ſententia loquens Libro 5. Commentariorum in *Iſaiam*, ad Cap. 23. *Quamquam*, inquit, *plerique noſtrorum, & maxime Machabæorum principium, Cethim, Italiæ, Macedoniæque inſulas arbitrentur. Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander Rex Macedonum egreſſus ſit de Terra Cethim*: Id autem habetur 1. *Machabæorum* Cap. 1. *Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de Terra Cethim.* Ex iiſdem Libris teſtimonia profert Commentariis in Caput 7. & 9. *Eccleſiaſtis*, & in Caput 8. *Danielis*.

S. Auguſtinus Lib. *De Cura gerenda pro Mortuis*, Cap. 1. preces & Sacrificium Defunctis prodeſſe probat ex Libris Machabæorum. *In Machabæorum Libris*, inquit, *legimus oblatum pro Mortuis Sacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis Veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio Mortuorum.* Ab eodem Lib. 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. in Canone Scripturarum numerantur *Machabæorum Libri duo*. Et Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 36. *Ab hoc tempore*, inquit, *apud Judæos reſtituto Templo, non Reges ſed Principes fuerunt uſque ad Ariſtobulum : Quorum ſupputatio temporum non in Scripturis Sanctis, quæ Canonicæ appellantur, ſed in aliis invenitur, in quibus ſunt & Machabæorum Libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet, propter quorumdam Martyrum paſſiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Chriſtus veniſſet in carnem, uſque ad mortem pro Dei Lege certaverunt, & mala graviſſima atque horribilia pertulerunt.* Libro denique primo *Contra Gaudentium Donatiſtam*, Cap. 31. *Et hanc quidem Scripturam*, inquit, *quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi ſicut Legem, & Prophetas, & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet tanquam*
„ *teſtibus ſuis, dicens :* Oportebat impleri omnia quæ Luca 24.
„ ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis, & Pſalmis de
„ me: *Sed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legatur vel audiatur, maxime propter illos Machabæos, qui pro Dei Lege ſicut veri Martyres a perſecutoribus tam indigna atque horrenda paſſi ſunt, ut etiam hinc Populus Chriſtianus adverteret, Quoniam non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, pro quibus paſſus eſt Chriſtus : Si tanta patientiſſime pertulerunt pro Lege quam dedit Deus per famulum hominibus illis, pro quibus nondum tradiderat Filium.*

Concilium Carthaginenſe III. Canone 47. & *Innocentius I.* in Epiſtola ad *Exuperium* Toloſanum Epiſcopum *Libros duos Machabæorum* in Sacrarum Scripturarum Canone recenſet. *Gelaſius I.* in Synodo Romana Librum unum dumtaxat *Machabæorum* in Librorum Canonicorum Indice deſcribit, ſicut & unum Librum Eſdræ : Sed in quibuſdam, melioris utique notæ Manuſcriptis legitur, *Machabæorum Libri duo*. Caſſiodorus Senator Libro *De Inſtitutione Divinarum Literarum*, Cap. 6. duos *Machabæorum* Libros pariter ut Divinos & Canonicos agnoſcit. *Bellator* Preſbyter *Caſſiodori* amicus, & *Rabanus Maurus*, Machabæorum Libros velut Scripturæ Sacræ partem Commentariis illuſtrarunt. *S. Iſidorus Hiſpalenſis* Libro 6. Originum : *Machabæorum Libros*, inquit, *licet*

He-

bræi inter Apocrypha ſeparent : Eccleſia tamen Chriſti inter Divinos Libros & honorat & prædicat. Tandem Eccleſia univerſa in Concilio Tridentino congregata, in Sacrorum & Canonicorum Librorum Indice Libros duos *Machabæorum* conſcripſit, nobiliſſimarum Eccleſiarum, & Romanæ in primis cæterarum Matris & Magiſtræ Traditionem ab Apoſtolicis temporibus illibatam ſecuta. Qua in re Decretum ſuum ad præclaram illam *S. Auguſtini* Regulam conformavit Libro 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 8. *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quam plurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſane illæ ſint, quæ Apoſtolicas Sedes habere, & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt : In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioreſque accipiunt, eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile invenire non poſſit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto*. Hanc certe regulam S. ipſe *Auguſtinus* ſecutus eſt, cum Scripturarum Canonem ibidem repræſentavit hunc in modum : *Totus autem Canon Scripturarum, in quo iſtam conſiderationem verſandam dicimus, his Libris continetur : Quinque Moyſeos, id eſt, Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, & uno Libro Jeſu Nave, uno Judicum, uno Libello qui appellatur Ruth qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon non conſequentibus, ſed quaſi a latere adjunctis ſimulque pergentibus. Hæc eſt Hiſtoria, quæ ſibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquam ex diverſo ordine, quæ neque huic ordini, neque inter ſe connectuntur, ſicut eſt Job, & Tobias, & Eſther; & Judith, & MACHABÆORUM LIBRI DUO, & Eſdræ duo.... Deinde Prophetæ, in quibus David unus Liber Pſalmorum; & Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica Canticorum, & Eccleſiaſtes. Nam illi duo Libri, unus qui Sapientia & alius qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur.... Qui quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt. Reliqui ſunt eorum Libri, qui proprie Prophetiæ appellantur, duodecim Prophetarum Libri ſinguli, qui connexi ſibimet, quoniam numquam ſejuncti ſunt, pro uno habentur; quorum Prophetarum nomina ſunt hæc, Oſee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ ſunt Majorum Voluminum, Iſaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor Libris, Teſtamenti Veteris terminatur auctoritas : Novi autem, quatuor Libris Evangelii, ſecundum Matthæum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Joannem : Quatuordecim Epiſtolis Pauli Apoſtoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galathas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes duabus, ad Coloſſenſes, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri duabus; tribus Joannis; una Judæ & una Jacobi; Actibus Apoſtolorum Libro uno; & Apocalypſis Joannis Libro uno. In his omnibus Libris timentes Deum, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei.*

Obiicitur primo contra Librorum Machabaicorum auctoritatem diſſonantia Libri ſecundi a primo in Chronologia. Nam in priore Libro Cap. 6. 16. obitus *Antiochi Epiphanis* confertur in annum Græcorum centeſimum quadrageſimumnonum. At Libro 2. Cap. 11. *Antiochi Eupatoris* ejus filii literæ extant datæ poſt patris obitum anno centeſimo quadrageſimo-octavo. Rurſus Lib. 1. Cap. 6. 20. Judas Hieroſolymitanam Arcem obſidet anno centeſimo quinquageſimo Græcorum : Sed qui in Arce Gentiles erant, ad Regem confugerunt *Antiochi Epiphanis* filium *Eupatorem*; qui in Judæam veniens cum *Juda* pugnavit : moxque pacem cum eo compoſuit. At Libro 2. Cap. 13. 1. anno centeſimo quadrageſimo-nono *Eupator* in Judæam impreſſionem fecit, ac cætera perfecit quæ Libro priore referuntur. Præterea, Libro 1. Cap. 7. *Demetrius* Seleuci filius anno centeſimo quinquageſimo primo Roma profectus venit in Syriam, & *Antiochum* ac *Lyſiam* interemit, ad eumque venit impius *Alcimus :* At Libro 2. Cap. 14. 4. id anno centeſimo quinquageſimo contigiſſe dicitur.

Reſpondetur, Utriuſque Libri diverſos Auctores, diverſam etiam epocham & numerandi rationem ſecutos eſſe, nullatenus tamen pugnantem. Quod ut planum fiat, ſupponendum eſt, Æram Regni Græcorum non ſtatim ab *Alexandri* obitu incipere, ſed anno poſt undecimo, cum *Seleucus Nicanor* regnare cœpit. Unde hæc *Æra Seleucidarum* eſt appellata, *Æram Chilkarnaim* Arabes vocant, ſive Cornigeri, id eſt, *Alexandri Magni*, qui *Jovis Ammonis* ſeu Cornigeri filium ſe eſſe gloriabatur. Hebræi vero in ſuo Kalendario *Æram Contractuum* nominant, forte quod in obſignandis contractibus ſoleret uſurpari. Hanc Æram triplicem pro triplici initio faciunt *Scaliger*, *Uſſerius*, aliique Chronologi inſignes. Primam appellant *Judaicam*, quæ a Niſan ſeu verno menſe incipit. Et hæc numerandi ratio ab Auctore Libri 1. Machabæorum uſurpata eſt. Secunda *Antiochena* ſeu *Alexandrea* vocatur, quæ ab Autumno ſubſequente & Menſe Tiſri ducit initium : A quo etiam annos *Dilkarnaim* ab Arabibus, & *Contractuum* a Judæis numerari docent *Petavius* Lib. 10. *De Doctrina Temporum*, & *Uſſerius* in Annalibus. Hac Æra Libri 2. Machabæorum Auctor uſus eſt. Unde anni prioris Libri ſex menſium intervallo initia poſterioris antevertunt. Tertiam addunt Æram, quam vocant *Chaldæorum*, cujus a vere ſequenti repetunt exordium; quæ anno integro poſterior eſt Judaica, ſex vero Menſibus Antiochena. Hanc autem in Principum Reſcriptis uſurpatam cenſet *Uſſerius*. Hujus exemplum Capit. 11. Lib. 2. *Machabæorum* haberi volunt. Quod autem anni Græcorum in Libro primo a Niſan incipiant, in ſecundo autem a Tiſri recte colligit *Scaliger* ex Libri 1. *Machabæorum* Cap. 7. 1. ubi anno Græcorum centeſimo quinquageſimo-primo *Demetrius* Roma fugit : Eodem anno, Adar 13. die *Bacchides* victus eſt, *Verſic.* 43. 49. Niſan ſequens inchoat annum centeſimum quinquageſimum ſecundum Græcorum. Nam Capit. 9. 3. in menſe primo anni centeſimi quinquageſimi-ſecundi Græcorum, Urbs obſeſſa dicitur. Primus ergo menſis eſt Niſan. Quippe & Cap. 16. 14. menſis undecimus appellatur Schebat. Item *Alexander* Antiochi nobilis filius Ptolemaidem occupat anno centeſimo ſexageſimo Græcorum. Libro 1. *Machabæorum* 10. 1. Eodem anno centeſimo ſexageſimo, in die ſolemni Scenopegiæ *Jonathas* Pontificatu accepto ſtola ſancta indutus eſt, *Verſ.* 21. Nulla igitur Anni mutatio in Tiſri facta. Tertio, *Jonatha* interfecto hyemis tempore, cum multum minxiſſet (Libro 1. Cap. 13. 22. & 23.) *Simon* Sacerdotio ſummo potitus eſt anno centeſimo ſeptuageſimo (*Verſ.* 41.) Poſtea menſe ſecundo, id eſt, Iiar numeratus eſt annus centeſimus ſeptuageſimus primus (*Verſic.* 51.) Cœpit ergo annus centeſimus ſeptuageſimus primus a Niſan, Libri itaque prioris epocha incipit a Niſan, ſecundi a Tiſri; & prior illa ſemeſtri ſpatio poſteriorem antevertit, ut fuſius demonſtrat *Petavius* Libro 11. *De Doctrina Temporum*, Cap. 43. Quamobrem nulla repugnantia eſt primum inter ſecundumque Librum, quamvis primus numeret annum centeſimum quadrageſimum-nonum Regni Græcorum, ubi ſecundus numerat centeſimum quadrageſimum-octavum, & ſic de aliis.

Obiicit *Scaliger*, Pacem ab *Antiocho Eupatore* cum Judæis, initam anno Græcorum prioris Epochæ centeſimo quinquageſimo a Niſan; poſterioris vero centeſimo quinquageſimo a Tiſri. Nam poſt Scenopegiam fœdus iniiſſe videtur. (*Libro* 1. *Cap.* 6.) Et hic Annus Sabbaticus erat, ut conſtat ex Verſu 49. At Lib. 2. Cap. 11. 31. & 33. id factum notatur anno centeſimo quadrageſimo-octavo, qui in neutra Æra ſeu a Niſan, ſeu a Tiſri deducta Sabbaticus eſſe potuit.

Reſpondet Eruditus *Petavius*, bis ab *Antiocho* & *Lyſia* pacem cum Judæis eſſe compoſitam. De priori agi Libro 2. *Machabæorum*, Cap. 11. De poſteriori Libro 1. Cap. 6. & Libri 2. Cap. 13. 23. Prior a

Ly-

Lyſia facta eſt abſente *Antiocho Eupatore*. Cum enim *Lyſias* inſigni prælio a Judæis ſuperatus eſſet, ſoperſtite *Antiocho Epiphane*, qui hac audita clade vehementer commotus in morbum incidit, tunc ipſe *Lyſias* de pace cum Judæis agere cœpit. Id teſtatur Epiſtola quam ad illos ſcripſit Cap. 11. Libri 2. quæ data dicitur anno centeſimo quadrageſimo-octavo, menſis Dioſcori, die 24. *Lyſias* audito *Antiochi Epiphanis* obitu, *Antiochum Eupatorem* ejus filium, alumnumque ſuum, in imperium evexit, qui in Syria tum erat: A quo & duas Epiſtolas expreſſit, quibus Judæos in integrum reſtitui juberet. Prior ad Lyſiam ipſum; poſterior ad Judæos data legitur. (*Libro* 2. *Cap.* 11.) Cum Epiſtolas iſtas ſcribebat *Eupator*, nondum *Lyſias* erat in Comitatu. Itaque Cap. 12. 1, profectus ad Regem poſtea dicitur. *His factis pactionibus pergebat ad Regem*. Poſt primum illud fœdus pacemque a *Lyſia* factam, a Rege *Eupatore* confirmatam, *Judas Machabæus* multa ſtrenue geſſit in Syria quæ Libro 2. Cap. 12. narrantur, & anno integro peracta ſunt, nempe centeſimo quadrageſimo-nono prioris Æræ, quo cum poſterioris Æræ anni centeſimi quadrageſimi-octavi ſex menſes; totidemque de anno centeſimo quadrageſimo-nono decurrunt: Donec anno ineunte centeſimo quinquageſimo prioris epochæ, labente vero poſterioris adhuc centeſimo quadrageſimo nono *Judas* Arcem obſedit. (*Lib.* 1. *Cap.* 6. 20.) Sed *Antiochus Eupator* cum *Lyſia* ſupervenit, quo cum *Judas* pugnavit. Tandem cum *Lyſias* audiſſet *Philippum* adventare, Auctor Regi fuit, ut obſidione Urbis relicta, cum Judæis paciſceretur (*Lib.* 1. *Cap.* 20. 55.) Id contigit anno centeſimo quinquageſimo prioris Æræ, poſterioris exeunte centeſimo quadrageſimo-nono vel ineunte centeſimo quinquageſimo. Sabbatico exeunte, vel eo, qui proxime Sabbaticum ſecutus eſt, ineunte. Ex quibus certiſſime conſtat, pacem illam quæ Capite ſexto Libri 1. inita dicitur, eademque cum ea eſt, quæ Capite 13. Libri ſecundi deſcribitur, diverſam a priore fuiſſe, quam Libri ſecundi Caput undecimum commemorat.

Obiicitur ſecundo: *Judas Machabæus* occiſus dicitur anno centeſimo quinquageſimo ſecundo Regni Græcorum (Lib. 1. *Machabæorum*, Cap. 9.) At octo & triginta poſt annos ſuperſtes erat. Scripſit enim una cum Senatu Judæorum Epiſtolam ad *Ariſtobolum* anno centeſimo octogeſimo-octavo Regni Græcorum. (Lib. 2. *Machabæorum*, Cap. 1. 10.)

Reſpondetur, Hanc temporis notam *Anno centeſimo octogeſimo-octavo Regni Græcorum*, ad primam Epiſtolam pertinere, quam Hieroſolymitani Judæi ad Judæos per Ægyptum diſperſos ſcripſerunt, non ad ſecundam quam Populus, Senatus, & *Judas* ad *Ariſtobulum* Magiſtrum Ptolemæi Regis dedere. Dies enim & annus quo data eſt Epiſtola, in fine potius quam exordio conſignari ſolet.

Reſpondent alii cum *Serario*, *Judam* cujus nomine datur Epiſtola, alium eſſe a Machabæo, ſcilicet *Ariſtobulum* Joannis Hyrcani Pontificis Maximi primogenitum, qui *Judas* etiam appellatus eſt, *Joſepho* teſte Lib. 20. *Antiquitatum*, Cap. 8. In Senatu autem primas facile tenebat, maximaque apud omnes gratia & auctoritate valebat, poſt inſignem præſertim victoriam, qua *Antiochi* a Parthis interempti filium *Antiochum Cyzicenum* in Samariæ obſidione profligavit, ut refert *Joſephus* Libro 3. Capit. 18. Quamquam & in alterum *Judam*, quem vocat *Eſſeum*, ſapientia, & futurorum prænotione celebrem, cujus meminit *Joſephus* Lib. 13. Cap. 19. *Serarius* magis propendeat.

Reſpondent præterea, Mentionem quidem hic fieri duarum Epiſtolarum, quarum una (*Verſ.* 9.) ſcripta fuerit anno centeſimo ſexageſimo-nono, altera centeſimo octogeſimo-octavo Regni Græcorum; unam tamen dumtaxat iſti capiti inſertam eſſe, nimirum eam quæ anno centeſimo octogeſimo-octavo ſcripta eſt. Id ex Græco Textu confirmant. Cum enim *Verſ.* 7. dictum eſſet *Scripſimus vobis*, additur in Textu, *Verſ.* 9. Καὶ νῦν ἵνα ἄγητε τὰς ἡμέρας τῆς σκηνοπηγίας τῦ Χασλεῦ μηνὸς ἔτους ἑκατοστοῦ ὀγδοηκοστοῦ καὶ ὀγδόου οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις, καὶ οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ. *Et nunc ut agatis dies Scenopegiæ menſis Casleu. Anno centeſimo octogeſimo-octavo, qui ſunt Hieroſolymis, & qui in Judæa.* Quaſi diceret, Scripſimus vobis alias ut ſolemnia illa celebraretis, & nunc iterum ſcribimus; ſed pro iſta voce *ſcribimus*, ſalutationem repetunt.

Obiicitur tertio, Purgationem Templi a *Juda Machabæo* factam notari ante mortem *Antiochi*, ſcilicet vigeſima quinta die menſis noni anni centeſimi quadrageſimi-octavi (1. *Machabæorum* 4. 52.) Ac poſt *Antiochi* mortem factam referri 2. *Machabæorum* Cap. 10.

Reſpondetur, Poſteriori loco factam non dici purgationem Templi poſt mortem *Antiochi*, quamvis recapitulationis figura, quæ Scripturæ Sacræ ſolemnis eſt, narrata ejus morte deſcribatur. Auctor ſcilicet omnia, quæ *Antiochum Epiphanem* ſpectabant, uno tenore abſolvere voluit. Cap. 9. Purgationis deinde ac Dedicationis Templi celebritatem Cap. 10. deſcripſit. Qua demum narrata ſubjunxit Verſ. 9. *Et Antiochi quidem, qui appellatus eſt nobilis, vitæ exceſſus ita ſe habuit. Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio, quæ geſta ſunt narrabimus.* Qua tranſitione oſtendit *Antiochi* obitum proxime iis qui deinceps narrantur, conjungendum, & poſt Encænia contigiſſe, quamvis iſtius Solemnitatis Hiſtoria interpoſita ſit. Facta autem dicitur hæc celebritas Verſ. 5. *poſt biennium*, non a morte *Antiochi*, ſed ab ipſius Templi profanatione. Quod & Capite 4. Libri 1. 54. ſignificatur: *Secundum tempus & ſecundum diem in qua contaminaverunt illud Gentes in ipſa renovatum eſt.*

Obiicitur quarto, Libri utriuſque diſſenſus circa mortem *Antiochi Epiphanis*. Libro enim primo Cap. 6. narratur, ipſum ab Elymaide nobiliſſima Perſidis Civitate repulſum, veniſſe in Babylonem; ubi audita ſuorum in Judæa clade, præ triſtitia in languorem incidit, & mortuus eſt. At Libro 2. Cap. 1. ſcriptum eſt, Ipſum in Perſide cecidiſſe in Templo Nanææ. *Nam cum in Perſide eſſet Dux ipſe, & cum ipſo immenſus Exercitus, cecidit in Templo Naneæ; etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici ejus, & ut acciperet pecunias multas dotis nomine. Cumque propoſuiſſent eas Sacerdotes Naneæ, & ipſe cum paucis ingreſſus eſſet intra ambitum fani, clauſerunt Templum cum intraſſet Antiochus; Apertoque occulto aditu Templi, mittentes lapides percuſſerunt Ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & Capitibus amputatis foras projecerunt.* Capite vero nono habetur ipſum e Perſepoli turpiter fugatum, cum veniſſet circa Ecbatanam, & res a *Nicanore*, & *Timotheo* Ducibus ſuis infeliciter geſtas, ac Exercitus cladem accepiſſet, ira in Judæos percitum, juſſiſſe agitari currum ſuum, & cum iter ſine intermiſſione ageret, Judæorum excidium meditatus, a Deo percuſſum inſanabili & inviſibili plaga. Diris ſcilicet viſcerum torminibus vexatum, de curru cecidiſſe, colliſiſque totius corporis membris, & ſcaturientibus undequaque vermibus, tabida carne & fœtorem graviſſimum exhalante, impiam animam efflaviſſe.

Reſpondetur, Hæc facile conciliari. Antiochus ſcilicet cum Templum Ælymaide in Perſide diripere tentaſſet, repulſam paſſus, cum majori deinde Militum numero Perſepolim rediit, ut Templi illius theſauris frueretur. Dolo autem admiſſus in Templum cum exiguo comitatu, per occultum aditum Templi ægre evaſit lapidibus percuſſus: Comites vero ipſius maxima ex parte cæſi ſunt, & capitibus amputatis extra Templum projecti (2. *Machabæorum* 1.) Mox civibus ad arma concurrentibus, reliquus Exercitus profligatus eſt, *Lib.* 2. 9. Hinc percuſſus dicitur in Templo *Naneæ* cecidiſſe, *Lib.* 2. *Cap.* 1. 13. 16. Sic enim Scripturæ phraſi & communi loquendi modo *percuſſus*, ac *cecidiſſe* dicitur non ſolum qui interiit, ſed qui fuſus ac debellatus eſt, *Geneſis* 14. 10. 17. *Joſue* 7. 5. *Danielis* 11. 30. & ex *S. Hieronymo* in eum locum. Dum autem fugeret *Antiochus* conceptum de re infeliciter in Perſide geſta mœrorem auxit vehementer acceptus nuntius cladis *Nicanori* ac *Timotheo* Ducibus ejus, atque Exercitui in Judæa illatæ. Hinc furore percitus, currum ſuum agitari juſſit, *Sine intermiſſione agens iter, cœleſti eum judicio perurgente, eo*

quod

quod ita ſuperbe locutus eſt ſe venturum Jeroſolymam & congeriem ſepulcri Judæorum eam facturum. Sed qui univerſa conſpicit Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum inſanabili plaga. Ut enim finivit hunc ipſum ſermonem, apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta .... Super hoc autem ſuperbia repletus, ignem ſpirans animo in Judæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & gravi corporis colliſione membra vexari. Iſque qui ſibi videbatur etiam fluctibus, Maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & Montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans: Ita ut de corpore Impii vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius ac fœtore Exercitus gravaretur. (2. Machabæorum, Cap. 9.) Is autem caſus ipſi contigit non longe ab Ecbatana Mediæ Metropoli, cum in Babyloniam reverteretur, obiitque peregre in Montibus. (2. *Machabæorum* 9. 3. 28. collato cum 1. *Machabæorum* 6. 13.) Lege quæ diximus in Synopſi Hiſtoriæ hujus Ætatis *Cap.* 1. *Art.* 3. Num. 16.

Obiicitur quinto, Librorum Machabaicorum Hiſtoriam, cum Græcorum Hiſtoria pugnare. Libri ſcilicet primi Cap. 1. & Cap. 6. 2. *Alexander* dicitur *primus regnaſſe in Græcia*, cum tamen Reges plurimos ante ipſum in Græcia regnaſſe conſtet ex Græcorum Hiſtoricis. Secundo, dicitur *Alexandrum* morti proximum pueros ſuos vocaſſe, qui cum eo erant nutriti a juventute, *& diviſiſſe illis Regnum ſuum, cum adhuc viveret* (Verſu 7.) Quod poſt ejus mortem factum teſtantur *Juſtinus* Libro 12. *Diodorus Siculus* Libro 17. *Q. Curtius* 10. Tertio, *Antiochus Illuſtris* regnaſſe dicitur *Anno centeſimo trigeſimo-ſeptimo Regni Græcorum*. (Verſ. 2.) At regnaſſe anno centeſimo quinquageſimo-tertio fidem facit *Euſebius*, & ab origine Imperii Græcorum uſque ad *Antiochi* exordium anni tres & quinquaginta ſupra centum numerandi ſunt. Quarto de Romanis dicitur 1. Machabæorum 8. 16. *Et committunt uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt uni, & non eſt invidia neque zelus inter eos*. At duos Conſules quotannis Romæ creatos, penes quos ſumma Reipublicæ poteſtas eſſet, Romana teſtatur Hiſtoria.

Ad primum Caput Objectionis reſpondetur, de *Alexandro* dici quod primus in Græcia regnaverit, non quod nulli ante ipſum in variis Græciæ regionibus regia auctoritate & nomine dominati ſint; ſed quod ipſe debellato *Dario*, everſa Perſarum Monarchia, & condito Græcorum Imperio, in tota qua late patebat Græcia regnaverit.

Ad ſecundum Caput Objectionis reſpondetur, vel *Alexandrum* mortui proximum teſtamentum condidiſſe, quo poſt ejus mortem reſerato facta eſt Provinciarum diviſio ex ſuprema ipſius voluntate; vel hujuſmodi partitionis poteſtatem *Perdiccæ* ab *Alexandro* factam, cui moriens annulum tradiderat. Unde etſi *non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus eſſe videbatur*, inquit, *Juſtinus* Lib. 13. Cap. 4. conſentiuntque *Diodorus Siculus* Lib. 18. *Q. Curtius* Lib. 10. Cap. 13. *Arrianus* in *Photii* Bibliotheca Codice 92. *Dexippus* ibidem, Cod. 82. & alii Hiſtorici. Quod autem a *Perdicca* poſt *Alexandri* mortem ejus voluntate factum eſt, ab eo vivente factum vere dici potuit. Sed vanam famam non fuiſſe, quæ de Provinciarum diſtributione *Alexandri* teſtamento facta vulgata eſt, quamvis *Q. Curtius* repugnet, alii tamen Auctores optimæ notæ tradiderunt, ut ipſemet refert loco mox laudato: *Credidere quidam teſtamento Alexandri diſtributas eſſe Provincias: ſed famam ejus rei, quamquam ab Auctoribus tradita eſt, vanam fuiſſe comperimus*. At *Q. Curtio* Diodorum Siculum opponimus, qui Libro 20. Bibliothecæ teſtatur, *Alexandrum* Teſtamentum de toto Regno Rhodi depoſuiſſe. *Alexander ſane, quorum memoria celebratur omnium potentiſſimus, hanc Urbem præ cæteris coluerat maxime, ita quidem, ut Teſtamentum de toto Regno illic deponeret*. Sed etſi Machabæorum Hiſtoria cum profanis Hiſtoriis non conveniret, ex ipſis tamen dijudicanda non eſſet, ſed illæ potius ex ipſa. Major quippe eſt Scripturæ Sacræ veritas, quam cujuslibet humanæ Hiſtoriæ auctoritas.

Ad tertium Objectionis Caput reſpondetur cum doctiſſimo Cardinali *Bellarmino*, Libri primi Machabæorum Auctorem Græcorum Regnum ab *Alexandro* non numerare, ſed a *Seleuco Nicanore*, qui regnavit in Syria poſt annos undecim ab *Alexandri* morte. Quibus ſi addas annos quinque ex quo *Alexander* debellato *Dario* & everſa Monarchia Perſarum totius Græciæ Imperium obtinuit, conficitur numerus annorum ſexdecim, quibus minor erat ſupputatio Monarchiæ Græcorum juxta rationes Hebraicas. Igitur quod juxta Annales Græcos *Antiochus* regnaſſe dicatur anno centeſimo quinquageſimo-tertio, & juxta Scripturarum 1. *Machab.* 1. anno centeſimo trigeſimo-ſeptimo Regni Græcorum, verborum dumtaxat, non ſenſuum diſſenſio eſt.

Ad quartum Objectionis Caput reſpondetur: Tametſi duo Conſules apud Romanos crearentur, ipſos tamen alternis imperaſſe; cujus rei argumentum eſt infelix pugnæ Cannenſis exitus, illius Conſulis temeritati adſcriptus, penes quem eo die Imperium erat. Idque a prima Conſularis Dignitatis origine inſtitutum eſt, ut ex *T. Livio* Lib. 2. colligitur. *Omnia jura*, inquit, *omnia inſignia primi Conſules tenuere. Id modo cautum eſt, ne ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur*.

Obiicitur ſexto, In Libris Machabæorum narrationes quaſdam apocryphas fabuliſque ſimillimas contineri: Nempe quod *Jeremias* Tabernaculum, & Arcam fœderis in ſpelunca Montis Nebo abdiderit, dum a Chaldæis Hieroſolyma vaſtaretur, Templumque diriperetur & incenderetur: & quod hæc relevanda & reſtituenda prædixerit poſtquam Populus e Captivitate reverſus eſſet (2. Machab.) 2. *Inveniatur autem in Deſcriptionibus Jeremiæ Prophetæ, quod juſſit eos ignem accipere qui tranſmigrabant, ut ſignificatum eſt, & ut mandavit tranſmigratis. Erat autem in ipſa Scriptura, quomodo Tabernaculum & Arcam juſſit Propheta divino reſponſo ad ſe facto comitari ſecum, uſquequo exiit in Montem in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem. Et veniens ibi Jeremias invenit locum ſpeluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit. Et acceſſerunt quidam ſimul, qui ſequebantur, ut notarent ſibi locum, & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem Populi, & propitius fiat: & tunc Dominus oſtendet hæc*. Quæ fabuloſa eſſe inde apparet, 1. Quod *Jeremias* ante vaſtitatem Hieroſolymis a Chaldæis illatam in carcere concluſus eſſet, ut conſtat ex *Jeremiæ* Cap. 37. & 38. 2. Quod *Nabuzardan* Princeps Exercitus Babylonici ſuccenderit Domum Domini, & Domum Regis, & domos Jeruſalem, omnemque domum combuſſerit, & Templi columnas, baſes, Mare Æneum, vaſa aurea, argentea, ærea, Babylonem tranſtulerit, ut habetur 4. *Regum* Cap. 25. adeoque incredibile ſit licuiſſe *Jeremiæ* Tabernaculum & Arcam abſcondere. 3. Quod poſt reditum e Captivitate Tabernaculum & Arcam nuſquam comparuerint, nec ulla eorum mentio fiat in Libris *Eſdræ*, aut Prophetarum qui poſt reditum e Captivitate floruerunt, vel in Judæorum Hiſtoria. Cum enim in Sancta Sanctorum ingreſſus eſt *Pompejus*, quid in Templo viderit, *Joſephus* deſcribit Lib. 14. *Antiquitatum*, Cap. 8. & ſpolia quæ *Titus* abſtulit in Templi expilatione & excidio enumerat Lib. 7. *De Bello Judaico*, Cap. 17. & 19. Tabernaculi & Arcæ non meminit. Imo tunc in Sancto Sanctorum nihil omnino fuiſſe docet Lib. 6. Cap. 6.

Reſpondetur: Tempore quidem *Sedekiæ* in carcerem detruſum fuiſſe *Jeremiam*, ac *Joachin* tempore, cum Hieroſolymam ſecundo venit Nabuchodonoſor (4. *Regum* 24.) liberum fuiſſe; ejuſque ſuaſu ipſum *Joachin* ſe *Nabuchodonoſori* dediſſe, ut ex *Jeremiæ* 27. & 29. colligitur. Unde ante ſecundam illam Chaldæorum irruptionem *Jeremias* Tabernaculum & Arcam in Montem transferre, & abſcondere potuit. Id etiam præſtare valuit *Sedekiæ* Regis tempore, poſt occupatam a Chaldæis Hieroſolymam, antequam Templum incenderetur. Libertate enim donatus eſt *Jere-*

miam

mias a *Nabuzardane* Magiſtro Militiæ Babyloniorum, apud quem gratia plurimum valuit. (*Jeremiæ* 38. & 39.) Veriſimile igitur eſt ipſum Tabernaculum, & Arcam, & Altare thymiamatis a communi direptione & incendio ſervaſſe, & abſcondiſſe ne a Gentibus violarentur. Quod autem prædixit *Jeremias*, ignotum fore locum quo hæc recondita ſunt, donec congreget Deus congregationem Populi, impletum eſt *Jeremia* vivente, quoad ignorationem loci, & *Dario Hyſtaſpis* regnante, quoad revelationem. Nec Argumentum inficiale ex ſilentio *Eſdræ*, *Nehemiæ*, poſteriorum Prophetarum, ipſiuſque *Joſephi* petitum, contrarium evincit. Probabile etiam eſt, Vaticinium illud *Jeremiæ*, quoad ſecundam partem, ad Tabernaculum antiquum & Arcam typicam non referri, neque ad congregationem Populi ſub *Dario Hyſtaſpis*, ſed ad Arcam veram, verumque ſpiritualis thymiamatis Altare, ſcilicet Chriſtum, & ſpirituale Tabernaculum, ſcilicet Eccleſiam, in plenitudine temporum, vel in fine Mundi revelanda, Gentibus in unitatem fidei congregatis, vel Judaico Populo *Enochi* & *Eliæ* prædicatione ante ſecundum Chriſti Adventum congregando, ut Judæi Tabernaculo, Arca fœderis, & Altari thymiamatis conſpectis, ad Chriſtum & Eccleſiam his typis olim adumbratam facilius convertantur. In primo Chriſti Adventu hoc Vaticinium impletum cenſet *S. Ambroſius* Libro 3. *De Officiis*, Cap. 14. locum illum 2. *Machab.* 2. tractans. *Veniens autem Jeremias in locum, invenit Domum in modum ſpeluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incenſi intulit illuc, & obſtruxit oſtium. Quod cum ibi, qui ſimul venerant, curioſius perſcrutarentur, ut notarent ſibi locum, nequaquam comprehendere atque invenire potuerunt. Ut autem cognovit Jeremias quod affectaſſent, dixit: Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem Populi, & propitius fiat. Tunc Deus oſtendet hæc, & apparebit Majeſtas Domini. Congregationem Populi tenemus, propitiationem Domini Dei noſtri agnoſcimus, quam Propitiator in ſua operatus eſt Paſſione. Arbitror quod nec ignem iſtum poſſumus ignorare, cum legerimus, Quia baptizat Dominus in Spiritu Sancto & igni, ſicut in Evangelio dixit Joannes.* Eodem modo hunc locum interpretatur *Rupertus* Abbas Lib. 10. *De Victoria Verbi Dei*, Capit. 21. *Animalis*, inquit, *Judæus, cujus circumciſio non in ſpiritu, ſed in ſola carne conſiſtit, hoc putat Jeremiam dixiſſe, quod Judæorum, qui in omnes Gentes captivi ducti ſunt, Congregatio debeat fieri, neſcio quo tempore, Templumque illud cum Civitate reſtitui, cum tali nube apparente, qualis erat ubi Moyſes Legem accepit, & qualis ubi Salomon ædificatum Templum Magno Deo dedicavit. Nos autem poſt illud tempus, quo hæc ſcripta ſunt, poſt victorioſa prælia Machabæorum, nullam ſcimus Populi Dei congregationem, præter illam quam idem Spiritus, qui loquebatur in Prophetis, nobis in Evangeliſta Joanne* Joan.11. 51. 52.
„ *depromit*: Quia Jeſus moriturus erat pro Gente,
„ & non tantum pro Gente, ſed ut filios Dei, qui
„ erant diſperſi, congregaret in unum. *Tunc utique apparuit gloria Dei, gloria filii Dei cum Reſurrectione mortuorum effulgentis: Et ex tunc eſt nubes, ſicut manifeſtabatur Moyſi, ut Legem accepit, & ſicut fuit Nubes, ubi Salomon Templum Domini ædificavit. Nubes, inquam, ex tunc eſt ſimiliter, ſcilicet. cæcitas Judæorum, cujus in prodigium facta ſunt illa Nubes. Uſque ad illud tempus ignotum erit, ait Jeremias, ubi ſit Tabernaculum, & Arca, & Altare incenſi: Id eſt, non cognoſcetur a Populis vel Gentibus, quorum vel qualium Exemplaria cæleſtium illa fuerunt.*

Obiicitur ſeptimo, falſum eſſe quod 2. *Machab.* 1. 19. 20. ſcriptum eſt, Judæos captivos fuiſſe in Perſide: *Nam cum in Perſidem ducerentur Patres noſtri*, &c. *Et placuit Deo ut mitteretur Nehemias a Rege Perſidis*. At Judæi in Babyloniam deportati fuerunt, non in Perſidem.

Reſpondetur, Judæos, cum ſub Regibus Perſarum viverent, Perſidem appellare ſolitos Regiones omnes trans Euphratem, Chaldæam, Parthiam, Mediam; quod & aliis Auctoribus ſolemne eſt, *Lucano* Lib. 3. *Mamertino* Panegyrico ad Julianum, *S. Joanni Chryſoſtomo* Homilia 6. in *Matthæum*.

Obiicitur octavo, Libri ſecundi Machabæorum Auctorem veniam petere; quod a Scriptore Spiritu Sancto afflato alienum eſt. Cap. ultimo: *Ego quoque in his finem faciam ſermonis. Et ſiquidem bene, & ut Hiſtoria competit, hoc & ipſe velim: Si autem minus digne, concedendum eſt mihi. Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam contrarium eſt, alternis autem uti, delectabile: ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.*

Reſpondetur, Auctorem hujus Libri veniam non petere errorum quos in Hiſtoria vel Dogmatibus admiſerit, ſed ſtyli qui ſimplicior & humilior, orationis quæ minus elegans nonnullis videri poſſet. Sic *S. Paulus* 2. ad Corinthios 11. 6. *Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*. Nec tamen revera ſermone imperitus erat, ſed talis aliquibus videbatur.

Obiicitur nono, His in Libris quædam contra Fidem & bonos mores haberi. Nam Cap. 12. Libri 2. orationes & Sacrificia pro his qui in lethalis peccati ſtatu obierant, approbantur. Dicitur enim *Judam* miſiſſe Hieroſolymam offerri pro peccatis Militum, qui in prælio ceciderant, Sacrificium: De quibus ibidem ſcriptum eſt: *Invenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donariis Idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, a quibus Lex prohibet Judæos: Omnibus ergo manifeſtum factum eſt ob hanc cauſam eos corruiſſe.*

Præterea, Cap. 14. ejuſdem Libri laudatur *Raziæ* facinus, qui hoſtibus domui ſuæ imminentibus, & ignem admovere volentibus, gladio ſibi mortem intulit: *Eligens nobiliter mori, potius quam ſubditus fieri peccatoribus, & contra natales ſuos indignis injuriis agi. Sed cum per feſtinationem incerto ictu plagam dediſſet, & turbæ intra hoſtium irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit ſemetipſum viriliter in turbas*, &c. Quamobrem Machabæorum Scripturam *ſobrie legendam* monet *S. Auguſtinus* Lib. 1. *Contra Gaudentium*.

Reſpondetur ad primum Caput Objectionis, *Judam Machabæum* pie exiſtimaſſe Milites illos peccatum ſuum ante pugnam pœnitentia & contritione expiaſſe, illiuſque veniam a Deo obtinuiſſe, ita tamen ut temporalis forte pœna in Purgatorio luenda maneret. Pleroſque etiam venaliter duntaxat peccaſſe, quod ſola prædæ aviditate, nulla in ſuperſtitionem & idololatriam propenſione donaria illa Idolorum abſtuliſſent. Ideoque preces & Sacrificia pro ipſis pie ac religioſe offerri juſſit Machabæus Heros, exiſtimans Deum ipſorum peccatum pœna temporali caſtigaſſe, ut in æternum parceret: Conſiderans etiam quod hi: *Qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam*. Luc.24.

Ad ſecundum caput Objectionis reſpondetur, *Raziæ* facinus Libro 2. Machabæorum referri, non approbari, non laudari, quamvis *Razias* ob continentiam in Judaiſmo, aliaſque egregias dotes commendetur. *S. Auguſtinum* Circumcellionibus Donatiſtis reſpondentem, qui *Raziæ* exemplo abutebantur, nuſquam repoſuiſſe (quod certe facillimum fuiſſet, ſi dubia fuiſſet apud ipſum & Africanam Eccleſiam hujus Libri auctoritas) *Raziæ* Hiſtoriam ex Libro Apocripho deſumtam, ab Eccleſia reiici. Forte etiam Spiritus Sancti peculiari motu *Raziam* ſeipſum occidiſſe, quemadmodum de *Samſone* idem *S. Auguſtinus* cenſet, ac de Sanctis Virginibus, quæ ut inſectatores pudicitiæ ſuæ vitarent, in rapturum atque necaturum ſe flumen projecerunt. Hinc *Razias* inteſtina ſua proiiciens in hoſtes: *Invocati Dominatorem vitæ ac ſpiritus, ut hæc illi iterum redderet: Atque ita vita defunctus eſt*. Poſteriorem iſtam reſponſionem *Franciſcus Victoria* Relatione *De Homicidio*, & *Serarius* Commentario in Machabæorum Libros amplectuntur. Mihi vero prior magis placet, *S. Auguſtini* auctoritate fulta Libro 1. *Contra Gaudentium*, Cap. 31. *Proinde*, inquit, *etiam ſenior ille Razias, quem ſibi iſti exemplis ſui ſceleris deſtituti, de Machabæorum Libris tanquam imitandum ſe inveniſſe gloriantur, hoc facere debuit quod in eiſdem Literis leguntur ſeptem illi fratres etiam exhortante Matre feciſſe, ut comprehenſus, & a Lege Domini ſui non averſus, omne quod ei applicitum eſſet, acciperet, & in dolore ſuſtineret, & in humilitate ſua patien-* L. c. 2.

tiam

tiam haberet : Quocirca humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non plane ſapientiæ, ſed inſipientiæ dedit exemplum, non Chriſti Martyribus, ſed Donati Circumcellionibus imitandum .... At enim Sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus eſt Razias. Quomodo laudatus ? Quia fuit amator Civitatis. Hoc potuit & carnaliter, Civitatis videlicet illius terrenæ Jeruſalem, quæ ſervit cum filiis ſuis, non autem illius quæ ſurſum, libera Matris noſtræ. Laudatus eſt, quia continentiam ſervavit in Judaiſmo: Et hæc ſibi in comparatione Juſtitiæ Chriſtianæ damna & ſtercora fuiſſe dicit Apoſtolus. Laudatus eſt, quia Pater Judæorum appellabatur : Hoc magis eſt unde & illi tanquam homini ſurrepſit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet, quam hoſtibus ſubjici. Dictum eſt quod elegerit nobiliter mori : Melius vellet humiliter, ſic enim utiliter. Illis autem verbis Hiſtoria Gentium laudare conſuevit, ſed viros forte hujus ſæculi, non Martyres Chriſti. Dictum eſt quod ſe viriliter de muro præcipitavit in turbas; nec nos dicimus eum hoc feciſſe muliebriter; Quamquam vos qui multum exemplo iſto profeciſtis, etiam feminas veſtras hoc facere docuiſtis. Sed fatemur hoc etiam ipſas non facere muliebriter, ſed viriliter, non tamen ſalubriter, quia non fideliter. Ad extremum, quod invocaſſe dictus eſt Dominatorem vitæ ac ſpiritus ut hæc illi iterum redderet, id eſt, vitam & ſpiritum, nec tunc aliquid popoſcit, quo boni diſcernuntur a malis. Reddet enim hæc Deus, & his qui male egerunt, non in reſurrectione vitæ, ſed in reſurrectione Judicii æterni. Laudatus eſt itaque iſte Razias amator Civitatis, ut valde bene audiens, id eſt bonæ famæ, quia Pater Judæorum appellatus eſt, & quod continentiam tenuerit in Judaiſmo. Iſtam vero ejus mortem mirabiliorem quam prudentiorem narravit, quemadmodum facta eſſet, non tanquam facienda eſſet, Scriptura laudavit. Noſtrum eſt autem, ſicut Apoſtolus admonet, omnia probare, quæ bona ſunt tenere, ab omni ſpecie mala nos abſtinere. Et hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi ſicut Legem, & Prophetas, & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet tanquam teſtibus ſuis, dicens :
Luc. 24. „ Oportebat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege „ & Prophetis, & in Pſalmis de me : *Sed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobrie legatur vel audiatur, maxime propter illos Machabæos, qui pro Dei Lege ſicut veri Martyres a Perſecutoribus tam indigna atque horrenda perpeſſi ſunt ..... Quamquam & iſte Razias habeat quod legentibus proſit, non ſolum ut mens exerceatur recte judicando quod legit. Verum etiam ut animus humanus, imo animus Chriſtianus adverteret, quanta ferenda ſint ab inimicis ardore charitatis, cum a ſeipſo iſte timore humilitatis tanta pertulerit. Sed ardor charitatis de ſublimitate deſcendit gratiæ divinæ, timor autem humilitatis ex amore accidit laudis humanæ : Et ideo ille certat per patientiam, hic autem peccat per impatientiam. Non itaque debemus quicquid in Scripturis etiam Dei teſtimonio laudatos homines feciſſe legerimus, conſentiendo approbare; ſed conſiderando diſcernere, adhibentes judicium non ſane noſtræ auctoritatis, ſed Scripturarum Divinarum atque Sanctarum: Quæ nos nec illorum hominum, quibus illic bonum atque præclarum teſtimonium perhibetur, omnia imitari vel laudare facta permittit, ſi quæ non recte ab eis facta ſunt, vel huic jam tempori non conveniunt. Sed de iis quæ tunc fuerant recta, nunc non ſunt, quid opus eſt aliquid in hac Quæſtione diſcutere, cum hoc unde agitur, ut ſibi quis inferat mortem, maxime cui conceditur, vel potius qui compellitur vivere, in eis ſit factis, quæ nec poterant unquam recta eſſe, nec potuerunt. Proinde quomodolibet accipiatur a vobis hujus Raziæ vita laudata, non habet mors ejus laudatricem Sapientiam, quia non habet dignam Dei famulis patientiam. Potiuſque huic vox illa Sapientiæ quæ non*
Eccleſ. 2. *laudis, ſed deteſtationis eſt, competit, Væ iis qui perdiderunt ſuſtinentiam.* Et Epiſtola 204. alias 61. ad *Dulcitium* ſcripta ; *De iſto Razio ſeniore,* inquit, *quem ſumma exemplorum inopia coarctari, ſe Machabæorum Libris, quaſi ad auctoritatem ſceleris, quo ſeipſos perdunt, perſcrutatis omnibus Eccleſiaſticis Auctoritatibus, vix aliquando ſe inveniſſe gloriantur, adhuc eis nunquam reſpondiſſe me recolo. Sed quod tuæ charitati & prudentibus quibuſque ſufficiat ad iſtos redarguendos; ſi ad vitam Chriſtianorum de Judæa Gente atque illis literis parati ſunt omnium factorum exempla transferre, tunc & hoc transferant. Si autem illic ſunt plurima eorum quoque hominum, qui literarum illarum veritate laudati ſunt, vel huic jam tempori non convenientia, vel etiam illo tempore non recte facta, tale etiam hoc eſt, quod in ſeipſum Razius iſte commiſit : Qui cum eſſet apud ſuos Nobilis, & multum in Judaiſmo profeciſſet (quæ ſibi in comparatione Juſtitiæ Chriſtianæ damna, & ſtercora fuiſſe dicit Apoſtolus,) & propter hoc idem Razius Judæorum Pater appellaretur ; quid mirum eſt ſi tanquam homini elato ſuperba ſubrepſit, ut mallet manu propria perimi, quam poſt illam in ſuorum aſpectibus celſitudinem, ſuſtinere indignam in hoſtium manibus ſervitutem ? Solent in literis Gentilium iſta laudari. In his autem Machabæorum Libris quamvis homo ipſe fuerit laudatus, factum tamen ejus narratum eſt, non laudatum, & judicandum potius quam imitandum, quaſi ante oculos conſtitutum, non ſane noſtro judicio judicandum, quod nos quoque ut homines habere poſſemus, ſed judicio doctrinæ ſobriæ, quæ ipſis quoque Libris Veteribus clara* Eccli. 2. 4. *eſt. Longe quippe fuit iſte Razius a verbis illis, ubi legitur :* „ Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, „ & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patien„ tiam habe. *Non ergo fuit iſte vir eligendæ mortis ſapiens, ſed ferendæ humilitatis impatiens. Scriptum eſt quod voluerit* nobiliter & viriliter mori, *ſed nunquid ideo ſapienter ?* Nobiliter *ſcilicet, ne libertatem ſui generis captivus amitteret :* Viriliter *autem, quod tantas vires animi haberet, quibus idoneus eſſet ut ſeipſo perimeret ; quod gladio cum implere non poſſet, de muro ſe præcipitem dedit, & ſic adhuc vivens, abruptam cucurrit ad petram, atque ibi jam exanguis, inteſtina ſua produxit, quæ utraque manu diſſipata ſpargebat in Populum, ac poſtea deſeſſus occubuit. Magna hæc ſunt, nec tamen bona. Non enim bonum eſt omne quod magnum eſt ; quoniam ſunt magna etiam mala. Deus dixit :* Innocentem & Juſtum ne occidas. *Si ergo iſte* Exod. 23. 7. *innocens & juſtus non fuit, cur proponitur imitandus ? Si autem innocens & juſtus fuit, quare interfector innocentis & juſti, id eſt, ipſius Raziæ, inſuper putatur eſſe laudandus ?*

Obiicitur decimo, Fieri non poſſe ut qui Libri olim Canonici non fuerunt, id eſt, ſingulari Spiritus Sancti afflatu conſcripti, poſtea Canonici fiant. Fieri etiam non poſſe, ut qui olim pro Canonicis & Divinis habiti non fuerunt ab Eccleſia, poſtea pro Canonicis & Divinis habeantur : Novæ ſiquidem Revelationes Eccleſiæ non fiunt. At Machabæorum Libri olim Canonici non fuerunt, nec pro Canonicis & Divinis habiti ſunt ab Eccleſia, ut conſtat ex Catalogis Librorum Canonicorum conſcriptis a Melitone Sardenſi, Origene, Concilio Laodiceno, S. Cyrillo Hieroſolymitano, S. Hilario, S. Gregorio Nazianzeno, S. Hieronymo, S. Joanne Damaſceno, &c. In numerum itaque Librorum Canonicorum a Synodo Tridentina immerito relati ſunt. Idem argumentum de aliis Libris in Hebræorum Canone non conſcriptis, *Tobiæ* ſcilicet, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici* inſtrui poteſt.

Reſpondetur, Libros quidem qui pro Canonicis & Divinis olim habiti non fuerunt ab Eccleſiis celeberrimis, ab Eccleſiæ cum Græcæ tum Latinæ Doctoribus numero & auctoritate præcipuis, a Conciliis frequentiſſimis, & magnæ etiam auctoritatis, non poſſe poſtmodum pro Canonicis haberi. Sic Librum 3. & 4. *Eſdræ*, & Librum *Paſtoris*, etſi a nonnullis Veterum in Scripturarum Canone recenſitos, aut Scripturæ nomine laudatos, nulla Synodus pro Canonicis habendos, & a Fidelibus univerſis recipiendos decernere poteſt. At Libros qui ab aliquibus duntaxat Eccleſiis in Canonem olim admiſſi non fuere, aut ab aliquibus Patribus, ex Hebræorum magis quam ex propria ſententia loquentibus, inter Canonicos Divinæ Scripturæ Codices non fuere numerati ; verumtamen ab Eccleſiis celeberrimis, ac Patribus pluribus, gravioribus, ex propria ſententia, & Eccleſiarum ſuarum Traditione loquentibus, pro Canonicis & Divinis habiti fuere, & ut tales ad Catholicorum Dogmatum confirmationem laudati ſunt, poſſe ab Eccleſia univerſa tandem in-

eamdem ſententiam conſpirante, & a Synodo Œcumenica cum Spiritu Sancto judicante, in Sacrorum Librorum Canonem referri. Nec ideo Librum aliquem ex non Canonico fieri Canonicum, ſed qui ſemper Canonicus fuit ac Divinus, nec tamen ab omnibus Eccleſiis particularibus, aut omnibus Doctoribus antiquis pro Canonico ac Divino agnitus, ac receptus, Eccleſiæ univerſæ judicio ut Canonicum agnoſci, recipi, declarari. Nec propterea novas revelationes credendorum Eccleſiæ fieri conceſſerim, ſed novas dumtaxat explicationes, declarationes ac definitiones dogmatum quæ Apoſtolis a Chriſto & Spiritu Sancto revelata ſunt, & eorum ſucceſſoribus continua ſucceſſione tradita, quamvis non perfecte planeque primis Eccleſiæ ſæculis explicata. Sic *imitatur animarum Religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos evolvant & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multum intereſt inter pueritiæ florem & ſenectutis maturitatem: ſed iidem ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes; ut quamvis unius ejuſdemque hominis ſtatus habituſque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque perſona ſit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipſa ſunt, tamen quot parvulorum artus, tot virorum; & ſi qua illa ſunt, quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in ſeminis ratione proferta ſunt, ut nihil novum poſtea proferatur in ſenibus, quod non in pueris jam ante latitaverat .... Ita etiam Chriſtianæ Religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, ut annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat. Et univerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectum ſit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam definitionis ſuſtineat varietatem*. Verba ſunt *Vincentii Lirinenſis* Commonitorio 1. Cap. 29. *Quodcumque igitur in hac Eccleſia Dei agricultura, fide Patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſervetur; hoc idem floreat & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt etenim ut priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas eſt ut commutentur; nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, diſtinctionem: Sed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem*. Verba ſunt ejuſdem *Vincentii Lirinenſis* Cap. 30. *Chriſti ergo Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat aliena; ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, ut vetera fideliter ſapienterque tractando, ſi qua illa ſunt antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat; ſi qua jam expreſſa & enucleata, conſolidet, firmet; ſi qua jam definita & confirmata, cuſtodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum Decretis eniſa eſt, niſi ut quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur: Quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur: Quod antea ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur? Hoc, inquam, ſemper, neque quicquam præterea, Hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum Decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut quod prius a Majoribus ſola Traditione ſuſceperat, hoc idem poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret; magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum Fidei ſenſum novæ appellationis proprietate ſignando*. Hæc Vincentius Lirinenſis. Ex quibus conſtat Eccleſiam univerſam in Sancta Œcumenica Synodo Tridentina congregatam, Libros Machabæorum abſque nova revelatione in Librorum Sacrorum Canonem jure merito retuliſſe; quia continua Traditione, quamvis non perfecte planeque antiquitus explicata, ut Canonici & Divini habiti fuerant.

In Catalogis quidem antiquiſſimis Librorum Canonicorum non recenſentur; ſed obſervandum eſt, vel Catalogos illos Veterum non eſſe uſquequaque accuratos, & inter ſe plane conſentientes, cum Libros prætermittant, qui Synagogæ & Eccleſiæ Chriſtianæ judicio, Catholicorum & Heterodoxorum conſenſu, ſemper habiti ſunt ut Canonici; vel eos admittant qui ſemper habiti ſunt ut Apocryphi. Sic Librum *Eſther* in Catalogis ſuis omittunt *Melito*, *S. Athanaſius* in Epiſtola Feſtali, & Auctor Synopſeos Scripturæ Sacræ ſub ejus nomine editæ, *Sanctus Gregorius Nazianzenus*, *Leontius*, *Nicephorus Conſtantinopolitanus*. Canones Apoſtolorum per *Clementem* inter Novi Teſtamenti Scripturas numerat *S. Joannes Damaſcenus*. Vel ipſimet Patres qui Machabæorum Libros, alioſque Canoni Hebræorum non adſcriptos in Catalogis ſuis omittunt, aut etiam in Apocryphorum claſſem amandant, eos tamen ut Canonicos, ut Sacros, ut Divinos, aut a Spiritu Sancto dictatos laudant, ex iiſque teſtimonia proferunt in Operibus ſuis, opportunitate data, ad Catholicorum Dogmatum confirmationem: Quod argumento eſt, illos ex Hebræorum ſententia in ſuis Catalogis illos omiſiſſe, ex propria autem opinione, & Eccleſiæ Traditione illos ut Canonicos & Divinos habuiſſe & laudaſſe. Ab aliis præterea Patribus coævis, aut ſupparibus, in Librorum Canonicorum numero ſunt recenſiti. Ab aliis denique Eccleſiis majoris auctoritatis, a Romana ſcilicet, cui Apoſtoli Petrus & Paulus totam doctrinam cum ſanguine profuderant, & in qua ſemper ſervata eſt Apoſtolica Traditio, quæque reliquarum totius orbis Eccleſiarum Mater eſt & Magiſtra; necnon ab Africana, aliiſque Romanæ ejuſdem Fidei conteſſeratione conjunctis; & a Synodis frequentiſſimis, in Librorum Canonicorum Indice ſunt conſcripti, ut conſtat ex Synodo Carthaginenſi III. Africanæ totius Eccleſiæ Plenaria, ex *Innocentio I.* Pontifice Maximo, ex Synodo Romana ſub *Gelaſio I.* & aliis. Quamobrem Eccleſia in Synodo Tridentina congregata, Machabæorum Libros, alioſque Hebræorum Canoni non adſcriptos, *Tobiæ* ſcilicet, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtici*, afflante Spiritu Sancto, & Traditionem, atque Revelationem temporibus Apoſtolicis factam explicante, in Canonem Sacrorum Librorum merito retulit. Neque id ab Eccleſia recte factum diffitebitur, quiſquis illam indeficientis judicii privilegio in finiendis Fidei controverſiis, Catholiciſque Dogmatibus conſtituendis a Chriſto donatam agnoſcet, ut agnoſcere tenentur univerſi, qui Chriſtiano & Catholico nomine gloriantur.

DISSERTATIO VIII.

DE VERSIONE LXX.

INTERPRETUM.

AN VERA SIT QUÆ DE ILLA Verſione circumfertur Hiſtoria? Quo tempore facta ſit? An Libros 5. Legis, dumtaxat, an totam Veteris Teſtamenti Scripturam, quæ tunc apud Judæos habebatur, interpretati ſint?

I. DE Auctoritate Verſionis Septuaginta Interpretum, ejuſque cum Hebraico Textu comparatione impræſentiarum non diſſeram, cum poſt *Morinum*, *Voſſium*, *Uſſerium*, *Waltonum*, hoc argumentum quantum ſatis eſt tractaverim Diſſertatione 11. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi II. Alias dumtaxat Quæſtiones obiter ibi delibatas, hic attingam.

II. Quod ſpectat Verſionis illius Hiſtoriam; *Ptolemæum* Ægypti Regem præclari hujus Operis promotorem fuiſſe memoriæ proditum eſt, ſuggerente *Demetrio Phalereo*, Bibliothecæ ipſius Curatore. Miſſam a Rege honorificam Legationem Hieroſolymam ad *Eleazarum* Judæorum Pontificem, cum ampliſſimis muneribus: Viginti ſupra centum millia Judæorum in Ægypto captivorum libertate donata ut gentem demereretur. *Eleazarum* excepta, quo par erat honore, Ægyptii Regis Legatione, convocato Seniorum

Con-

Digitized by Google

Concilio, viros ſeptuaginta duos, ſex ex ſingulis Tribubus, ſapientia, doctrina, & rerum uſu præſtantes ad Regem allegaſſe, cum Sacrorum Librorum Exemplari in membranis exquiſitis, Hebraica Lingua, aureis literis exarato. Regem lætitia incredibili affectum, illos per ſeptem dies convivio recreaſſe, ac propoſitis Quæſtionibus Ethnicis & Politicis, ipſorum ſapientiæ periculum feciſſe. Deinde talentis tribus viritim donatos in Inſulam Pharum ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtantem duci juſſiſſe, ac Regiis Ædibus excipi procul ab omni tumultu remotis, ubi Verſionem illam duorum & ſeptuaginta dierum intervallo abſolverunt. Ea peracta, Regem convocatis Judæorum Sacerdotibus, Primoribus, ac Populo, qui libertate donati ſponte in Ægypto remanſerant, novam illam Interpretationem legi juſſiſſe, illamque omnium ſuffragio fuiſſe comprobatam. Libros in Regia Bibliotheca repoſitos ac religioſe ſervatos Principibus tamen Synagogæ Judaicæ licentiam datam, ut Exemplaria in ſuum uſum deſcriberent. Dimiſſos ſubinde Seniores in patriam, cum ampliſſimis muneribus ad *Eleazarum* Pontificem perferendis. In *Ariſtææ* Libro ea de re conſcripto hæc uberius deſcripta, necnon a *Joſepho* Libro duodecimo *Antiquitatum*, Cap. 2. Hanc tamen narrationem meram eſſe fabulam nonnulli cenſent eruditionis nomine recentiores inter conſpicui. Suppoſititium quippe eſſe *Ariſtææ* Libellum, & ad ſermonem commentitium quales ſunt quos hodie *Romanos*, id eſt, fabuloſas Hiſtorias, appellamus, quam ad genuinam rei geſtæ Hiſtoriam magis accedere. Univerſa ſiquidem Libri illius oratio ita compoſita eſt, ut a Judæo quondam Helleniſta gentis ſuæ amantiſſimo inſtructa fuiſſe videatur. Hiſtoriæ enim illius Scriptorem, pro innata genti ſuæ conſuetudine grandia ubique loqui, neque etiam parcere Miraculis, ut cum *Theopompum* mente captum, *Theodecten* Tragicum Poetam viſu orbatum memorat, quod ex Moſaicis Libris quædam in ſcripta ſua transferre tentaſſent. Hæc ingenium Judaicum redolere, quod confingendis Miraculis ſemper idoneum fuit. Hanc fabulam deductam ex Capite 24. *Exodi*, ubi legimus *Moyſem*, *Aaronem*, & 70. Seniores aſcendiſſe ad Deum: & quia pro his verbis quæ habentur in Latina Editione Vulgata Verſ. 2. *Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſrael miſit manum ſuam*, Helleniſtæ in Græca Verſione legerunt, *Et electorum Iſrael neque unus diſſenſit*; inde numerum Interpretum, & quæ de illorum mira conſenſione narrantur, originem ducere ſuſpicatur *Heinſius* in *Ariſtarcho Sacro*. Addunt, Opus illud quod 70. Senioribus tribuitur a Judæis quibuſdam Alexandrinis potius quam Hieroſolymitanis confectum fuiſſe; nonnullas ſiquidem voces Ægyptias adhuc retinet, quales ſunt *Abrech*, *Remphan*, & alias. Quia vero res erat magni momenti, illud Synedrii Magni auctoritate ſuſceptum ac comprobatum fuiſſe: Unde poſtea factum eſſe conjiciunt, ut Translatio illa nomen 72. Seniorum tulerit. Denique formulam eſſe loquendi Judæis ſolemnem, qua res omnes, quæ alicujus momenti eſſe ipſis videntur, Septuaginta illis Senatoribus tribuant, ut plus ejuſmodi rebus accedat auctoritatis.

III. Quod ſpectat Verſionis hujus tempus, illam ſub *Ptolemæo Lagi* filio factam ſcribunt *S. Irenæus* Libro 3. *Adverſus Hæreſes*, Cap. 25. *Clemens Alexandrinus* Lib. 1. *Stromatum*, Pag. 341. *Anatolius* in Computo Paſchali, *Theodoretus* Præfatione in Pſalmos. Sub *Ptolemæo Philadelpho* adornatam aſſerunt *Ariſtobulus*, *Joſephus*, *Tertullianus*, *Euſebius*, *S. Cyrillus Hieroſolymitanus*, *S. Epiphanius*, *S. Hieronymus* hujus Verſionis hiſtoriam ex *Ariſtæa* & *Joſepho* repetens, & *S. Auguſtinus*; & hæc eſt communis opinio cum Judæorum, tum Scriptorum Eccleſiaſticorum.

IV. Quod demum ſpectat Libros a Septuaginta Interpretibus tranſlatos, diſceptatur an quinque tantum Libros Moyſis, an Prophetas etiam, & Hagiographa verterint. Priori ſententiæ favere videntur *Ariſtæas* & *Joſephus*. Pro qua & *S. Hieronymus* laudatur. Alii Libros omnes quos Judæi habebant in Canone, ab iis tranſlatos aſſerunt, præeuntibus S. Juſtino, S. Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Euſebio, Theodoreto, Olympiodoro, &c.

PROPOSITIO I.

Quamvis Ariſtææ Libellus, De Legis Divinæ ex Hebraica Lingua in Græcum Tranſlatione per LXX. Interpretes, ſuppoſititius videatur: Criticæ intemperantioris pruriginem eſſe arbitror, negare Verſionem illam a LXX. Interpretibus divino conſilio adornatam.

V. PRima pars Propoſitionis, quod ſcilicet *Ariſtææ* Libellus ſit ſuppoſititius, probatur ex multiplici capite. Primo, quod Epiſtolæ *Demetrii* ad Regem, Regis ad Pontificem, Pontificis ad Regem, illi Libello inſertæ, unius ejuſdemque hominis ſtylum referant. Secundo, quod pro illis Epiſtolis quæ in Libello *Ariſtææ* nomine vulgato, & apud *Joſephum* & *Euſebium* habentur, duæ aliæ & ſtylo, & verbis, & ſententiis diſſimillimæ a *S. Epiphanio* proferantur Libro *De Ponderibus & Menſuris*. Tertio, Epiſtola *Demetrii Phalerei* ad *Ptolemæum Philadelphum* falſitatem ſuam ſatis prodit, ut obſervat *Valeſius* in Notis ad Librum 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *Euſebii*, Pag. 95. In ea quippe laudatur *Hecathæus Abderites*, ejuſque teſtimonium tanquam vetuſti Scriptoris adducitur; cum tamen conſtet eum *Demetrio Phalereo* haud quaquam antiquiorem eſſe. Vixit enim *Hecathæus* ille ſub *Alexandri Magni* Succeſſoribus, ut teſtantur *Suidas*, aliique. *Joſephus* Libro 1. *Contra Apionem* ait, *Hecathæum Abderitam* cum *Ptolemæo Lagi* filio familiariter eſſe verſatum. Æquales igitur fuerunt *Hecathæus* & *Demetrius Phalereus*. Adde quod Epiſtola illa *Demetrii Phalerei*, quam adducit *Ariſtæas*, plane inſulſa eſt & barbaris vocibus plena; cum tamen conſtet *Demetrium*, utpote Athenienſem, eloquentiſſimum fuiſſe. Quarto, idem *Ariſtæas* Heptaſtadii meminit: Quod tamen poſt *Philadelphi* tempora a Regibus Ægypti ædificatum eſt, ut notat idem *Valeſius* in Commentariis ad *Ammianum Marcellinum*. Quinto, narratur in illo Ariſtææ Libello, ut perlecta ſunt Volumina Legis a 70. Senioribus in Græcam Linguam tranſlata, adſtantes & Sacerdotes & Seniores, Gubernatoreſque Civitatis, & Principes multitudinis conclamaſſe: *Quoniam recte, ſancte, & per omnia accurate perfecta eſt iſta Interpretatio, par eſt ut per omnia ſic iſta permaneant, nec ulla fiat immutatio*. Verum ſi tunc fuiſſent Alexandriæ viri tam Græcæ quam Hebraicæ Linguæ adeo periti, ut ex ſola Græcæ Verſionis lectione de ejus bonitate, ac perfecta cum Hebræo Textu conſenſione judicare potuiſſent, cur Rex eorum opera uſus non eſſet? Cur Septuaginta Interpretes ab *Eleazaro* Pontifice delectos advocare Hieroſolymis neceſſe fuiſſet? Quis vero credat Judæos Helleniſtas in rebus Hebraicis mediocriter verſatos rectam de nova Librorum Sacrorum Interpretatione ſententiam ex ſola illius lectione ferre potuiſſe; cum hodiernis temporibus vel ii qui ſunt in utraque Lingua exercitatiſſimi illud polliceri non auſint? Denique Libelli iſtius Auctor parum credibilia fore præſentiens quæ ſcripſerat, Lectorum animos occupare conatur, ne ſuam narrationem velut fabulam rejiciant. *Exiſtimo autem* (inquit) *fore ut iis omnibus qui hæc ſunt lecturi, videantur ea ſupra fidem eſſe: Sed profecto non licet aliquid narrare falſi de illis quæ excepta & annotata ſunt: Nefas etiam eſt præterire aliquid in hujuſmodi rebus, ſed hæc ut ſunt acta, ita ea expoſui, ut evitarem omnem errorem.... Propterea ſtudui ſermonis illius veritatem ab illis accipere, qui ſingula quæ fiunt in Regiis negotiis & conviviis ſolent excipere & annotare*. Hæc autem omnia ſuppoſititium eſſe *Ariſtææ* Libellum plane perſuadent.

VI. Pars altera Propoſitionis probatur teſtimoniis *Joſephi* Libro 12. *Antiquitatum*, Capite 2. & *Philonis Judæi* Libro 2. *De Vita Moſis*, qui licet ex *Ariſtææ* Libello pleraque hauſerint, nihilominus in ſuæ Gentis Hiſtoria haud ita rudes fuere, ut Verſionem a Septuaginta Senioribus factam aſſeruiſſent, niſi communis hæc fuiſſet Judæorum perſuaſio, Majorumque Traditio; atque ex publicis etiam Monumentis Hiſtoriæ ſubſtantiam didiciſſent; cujus circumſtantias ab Helleniſta Judæo, qui Libellum ſub *Ariſtææ* nomine edidit, confictas, non ſatis expenderunt, ſed Libris ſuis abſque criterio inſeruerunt. Idem confirmatur ex

Digitized by Google

Veteribus Eccleſiæ Patribus, qui Verſionem Græcam a Septuaginta Senioribus ſingulari Dei Providentia, nec abſque Miraculo factam crediderunt & ſcriptis prodiderunt; quos in Antiquitatis notitia duces ſequi malim, quam Recentiores quoſdam, qui conjecturis inanibus antiquam traditionem, ſeu opinionem in Eccleſia ab Apoſtolicis temporibus receptam impugnant, ut Criticæ eruditionis famam aucupentur.

S. Juſtinus Martyr in Cohortatione ad Græcos, Pag. 13. *Quod ſi quis aſſeveret Moyſis quoque & aliorum Prophetarum Scripta Græcis edita eſſe literis; ex Hiſtoriarum externarum lectione is diſcet, Ægypti Regem Ptolemæum Bibliothecam Alexandriæ inſtituiſſe, & undecumque Libris comportatis complevisse: Eundemque ubi cognoviſſet antiquos Libros Hebræorum conſcriptos literis diligenter aſſervari, cognoſcere ea Scripta volentem, Septuaginta Sapientibus viris Græcæ ſimul & Hebraicæ Linguæ peritis, vertendorum interpretatione eorum Librorum laborem demandaſſe, ab ipſis uſque Hieroſolymis accitis. Atque ut illi extra omnem turbam conſtituti primo quoque tempore interpretationem abſolverent, non in urbe ipſa, ſed ſeptem ab ea ſtadiis, ubi Pharos extructa eſt, pari cum Interpretibus numero domunculas extrui præcepiſſe, ut ſigillatim pro ſe quiſque interpretationem perficeret: Illa quoque cura, qui operam eis dare juſſi fuerant, mandata, uti omnibus quidem modis ipſis inſervirent, a congreſſu autem illos mutuo prohiberent; quo exquiſita interpretationis veritas ex ipſorum etiam conſenſu cognoſci poſſet. Et cognito Septuaginta iſtos viros non ſolum eadem ſententia, verum etiam eiſdem eſſe verbis in Tranſlatione uſos, & ne una quidem dictione alium ab alio diſſenſiſſe, admiratione attonitum, cum divina virtute Interpretationem abſolutam eſſe credentem; tum quovis honore dignos illos, ut Dei amantes, & viciſſim Deo caros viros judicantem, cum muneribus multis in patriam ſuam redire juſſiſſe: Ac Libros, ita ut par erat, exoſculatum eſſe, & Deo conſecratos in Bibliotheca ibi repoſuiſſe. Hæc vobis, Viri Græci, non ut fabulam, neque ut confictam Hiſtoriam renunciamus: Sed qui ipſi Alexandriæ fuerimus: & veſtigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus; Ab incolis, qui res patrias a Majoribus per manus ſibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus: Quæ ex aliis quoque aliqua ex parte intelligere poteſtis, & potiſſimum ex eis qui iſta Scriptis ſuis inſeruerunt, ſapientibus & ſpectatis viris Philone & Joſepho, & pluribus aliis.* Ejuſdem verſionis ab Hieroſolymitanis Interpretibus ſub *Ptolemæo* Ægypti Rege factæ meminit Apologia 2. Sed inſignis eſt eo loci Anachroniſmus, cum legationem a *Ptolemæo* ad *Herodem* Judæorum Regem miſſam ſcribit, miſſoſque ab eodem *Herode* Libros Hebraicos, & Interpretes.

S. Irenæus Libro 3. *Adverſus Hæreſes*, Cap. 25. quem locum laudat *Euſebius* Libro 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 8. *Prius quam Romani Imperium ſuum confirmaſſent, cum Macedones adhuc Aſiam obtinerent, Ptolemæus Lagi filius Bibliothecam quam Alexandriæ extruxerat, omnium Gentium Libris quotquot lectu digni eſſent, exornare contendens, petiit ab Hieroſolymitanis, ut ipſorum Scripturas Græco ſermone interpretatas acciperet. At illi [erant enim tunc Macedonibus obnoxii] quos habebant Sacrarum Literarum & utriuſque linguæ peritiſſimos Septuaginta Seniores ad Ptolemæum miſerunt, ejus deſiderio ſatisfacturos. Ptolemæus, cum ſingulorum ſeorſum periculum facere vellet, veritus ne forte ex compacto veritatem Scripturæ interpretatione ſua occultarent, ſemotos ab invicem eandem omnino Scripturam interpretari juſſit: Idque in omnibus præſtitit Libris. Poſt hæc, cum omnes ſimul conveniſſent apud Ptolemæum, ac Verſiones ſuas inter ſe contuliſſent, & Deus glorificatus eſt, & Scripturas vere divinas eſſe compertum eſt. Quippe omnes cuncta a capite ad calcem iiſdem dictionibus ac vocabulis expreſſerant; adeo ut ipſi qui aderant Gentiles, afflatu divino converſas eſſe Scripturas cognoſcerent. Neque vero mirandum eſt id a Deo præſtitum fuiſſe, cum in Captivitate Populi, quæ ſub Nabuchodonoſore contigit, corruptis Scripturis, ac poſt ſeptuaginta demum annos regreſſis in patriam Judæis Artaxerxis Perſarum Regis temporibus, Eſdram Sacerdotem de Tribu Levi afflatu ſuo Deus impulerit, ut omnes veterum Prophetarum Libros denuo componeret, Legemque miniſterio Moyſis latam Populo reſtitueret.*

Tertullianus Apologetici Cap. 18. *Ptolemæorum eruditiſſimus, quem Philadelphum ſupernominant, & omnis literaturæ ſagaciſſimus, cum ſtudio Bibliothecarum Piſiſtratum, opinor, æmularetur, inter cætera memoriarum quibus aut vetuſtas, aut curioſitas aliqua ad famam patrocinabatur, ex ſuggeſtu Demetrii Phalerei Grammaticorum probatiſſimi, cui præfecturam mandaverat, Libros a Judæis quoque poſtulavit, proprias atque vernaculas literas, quas ſoli habebant. Ex ipſis enim & ad ipſos ſemper Prophetæ peroraverant, ſcilicet ad domeſticam Dei Gentem ex Patrum gratia. Hebræi retro, qui nunc Judæi. Igitur & litera Hebræa, & eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo a Judæis ſubſcriptum eſt, ſeptuaginta & duobus Interpretibus indultis, quos Menedemus quoque Philoſophus providentiæ vindex de ſententiæ communione ſuſpexit. Affirmavit hæc vobis etiam Ariſtæus. Ita in Græcum ſtylum ex aperto Monumenta reliquit. Hodie apud Serapeum Ptolemæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraicis Literis exhibentur.*

Clemens Alexandrinus Libro 1. *Stromatum*, Pag. 342. *Verſas autem fuiſſe Scripturas & Legis & Prophetarum ex Hebræo ſermone in Linguam Græcam ajunt tempore Ptolemæi Lagi filii, aut ut dicunt nonnulli, tempore ejus qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad eam rem contuliſſet diligentiam Demetrius Phalereus, & ut verterentur vehementer procuraſſet. Nam cum adhuc Aſiam obtinerent Macedones, Rex magno ſtudio contendens eam, quæ Alexandriæ in ejus poteſtate erat, Bibliothecam omnibus Scripturis exornare voluit ut Hieroſolymitani quoque eas quæ apud ſe erant Prophetias in ſermonem Græcum interpretarentur. Illi autem, ut qui adhuc obedirent Macedonibus, ex iis qui apud ſe erant probatiſſimi & maximæ exiſtimationis, Scripturarum peritos, & Græcæ Linguæ ſcientes Septuaginta Seniores delectos ad eum miſerunt cum Libris Divinis. Cum autem unuſquiſque ſigillatim ex ſua propria interpretatus eſſet Prophetia, conſpirarunt omnes ſimul collatæ Interpretationes & ſententiis & dictionibus. Dei enim erat voluntas, quæ id ad Græcorum aures conſulto comparaverat. Neque vero ab inſpiratione Dei erat alienum, qui Prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret Prophetiam.*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 4. *Lege Sacras Scripturas, nempe viginti duos Veteris Teſtamenti Libros; quæ a Septuaginta duobus Interpretibus tranſlata ſunt. Alexandro enim Macedonum Rege defuncto & Regno ejus in quatuor Principatus diviſo, in Babyloniam, Macedoniam, Aſiam, & Ægyptum; unus ex his qui in Ægypto regnabat Ptolemæus Philadelphus, cum eſſet literarum ſtudioſiſſimus Rex, & undequaque Libros congregaret, a Demetrio Phalereo Bibliothecæ Præfecto, de Legis & Prophetarum Divinis Libris audiens, & longe melius eſſe judicans non coacte a nolentibus Libros conſequi, ſed donis placare homines, & amicitiam eorum ſibi conciliare, quo poſſet optatis potiri ..... Eleazaro tum apud Judæos Summo Sacerdoti, plurima dona miſit in Templum, quod hic extat Hieroſolymorum, & ſex viros ſecundum duodecim Tribus Iſrael, ad ſe Interpretes mitti poſtulavit. Et ut Divinæ Legis eſſe hos Libros experientia diſceret, & ne ii qui fuerant ad illum miſſi mutuo conſpirarent, proſpiciens in Inſula Pharo, quæ eſt prope Alexandriam, ſingulis Interpretibus ſingulas domos diſtribuit, & unicuique ut ſeparatim omnes Scripturas interpretarentur, mandavit. Qui cum in ſeptuaginta duobus diebus negotium id perfeciſſent, ſimul omnium interpretationes, ex diverſis domibus prodeuntes, protulerunt. Collatis autem ſimul non ſolum in ſenſibus, verum etiam in verbis conſonas invenit. Non facundia & apparatu ſophiſmatum humanorum factum id fuerat, ſed ex Spiritu Sancto divinarum rerum interpretatio facta eſt.*

Euſebius Cæſarienſis Libro 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 1. *Cum felix illud tempus inſtaret, quo ſalutaris hujus Servatoris noſtri doctrina lux ſub Romanis Imperatoribus in cunctos ſe ſe homines longe lateque diffunderet: Adeoque præcipua tum quædam ratio poſtularet, ut quæ de ipſo extarent Oracula necnon Hebræorum illorum Vita, ac religioſæ diſciplinæ Leges, quos longe Deus ipſe cariſſimos habuiſſet, cum tot ex ſæculorum intervallo patrii ſermonis integumentis clau-*

ſa

ſa latuiſſent, cæteris tandem aliquando Nationibus, quæ poſtmodum in cognitionis divinæ communionem vocandæ erant, omnibus paterent: Deus ille omnium bonorum auctor, divinæ ſcientiæ vi futurum intuitus, ſingulari egit providentia, ut quæ de venturo paulo poſt humani generis Servatore, eodemque ſanctioris ergo unum prepotentem Deum Religionis omnibus ſub Sole Gentibus Doctore futuro, prædicta jam olim eſſent, ea demum accurata explicatione patefacta, & publicis in Bibliothecis collocata cunctorum in lucem venirent, immiſſa hac Ptolemæo Regi mente divinitus: Nimirum ut quædam quaſi penus eſſet, unde illa poſtmodum in Populorum omnium uſum fructumque promerentur. Enim vero quorum alter nulla nobis unquam a Judæis, ſuorum nobis Oraculorum cognitionem invidentibus copia fieret, eorum divino conſilio proviſam interpretationem accepimus, atque ab illis ipſis, qui plurimum apud eos cum prudentia, tum gentilitiarum quoque literarum ſcientia præſtabant, elaboratam. Atque hæc teſtatur Ariſtæus, vir cum eruditus in primis, tum etiam is qui rebus Ptolemæi ſecundi, cognomento Philadelphi, tempore geſtis interfuit. Eo enim regnante, imo id agente præterea ſtudioſe, ſacra Judæorum Monimenta Græce tranſlata ſunt, & Alexandrinis in Bibliothecis repoſita.

S. Hilarius in Pſalmum 2. *Mediis Legis temporibus, priuſquam unigenitus Dei Filius ante ſæcula manens Deus, Verbum homo naſceretur, poſcente Rege Ptolemæo 70. Seniores Libros Veteris Teſtamenti ex Hebræis Literis in Græcum tranſtulerunt.*

S. Epiphanius Libro *De Menſuris & Ponderibus* Septuaginta Interpretum Verſione divino conſilio nec abſque miraculo factam pariter agnoſcit, quamvis in circumſtantiis hujus Hiſtoriæ enarrandis ab aliis diſſideat. LXX. *Interpretes*, inquit, *ſicubi manca ac defecta erat oratio, nonnullis adjectis, plurimum et lucis attulerunt: Ut illos non ſine Spiritus Sancti afflatus ad ſcribendum acceſſiſſe, credibile ſit. Siquidem quæ neceſſaria non erant, iiſdem verbis repetere noluerunt. Quoties vero in Græcum tranſlata ſententia claudicare videbatur, tum nonnihil adjecerunt. Qua in re admiratione potius, quam reprehenſione digni ſunt, adeoque collaudandi, cum illud omne divino quodam conſilio ab illis eſſe factum prudens quiſque non dubitet. Duo enim ac Septuaginta viri in Pharo Inſula, quæ Terra ſuperior dicitur, e regione Urbis Alexandrinæ, in ſex & triginta cellulis, bini ſcilicet in ſingulis a primo diluculo ad veſperam concluſi ſunt. Sub veſperam porro triginta ſex ſcaphis ad Ptolemæi Philadelphi Palatium advecti, ad ejus epulas adhibebantur. Tum in triginta ſex cubiculis, bini ſcilicet in ſingulis dormiebant, ne capita conferre poſſent; ſed ſincere ac fideliter interpretarentur. Ptolemæus enim ille triginta ſex, quas dixi, cellulas in illa Inſula condidit, eaſdemque duplices: quibus ſingula paria concluſit cum duobus famulis, cibi parandi ac miniſtrandi gratia, una cum Notariis. In his cellulis nullas parietibus feneſtras impreſſit; ſed e tecto superne illas aperuit, quas anaphotidas nominant. Hoc illi modo a primo diluculo ad veſperam obſeratis foribus incluſi ſacras Literas tranſtulerunt. Unicuique porro Interpretum pari Liber attribuebatur unus. Exempli cauſa Geneſeos Volumen uni committebatur: Exodus alteri: Leviticus alii. Atque ita deinceps cæteri. Ita ſeptem & viginti Scripturæ ac Veteris Teſtamenti Libri, qui ad duos & viginti pro literarum Hebraicarum numero rediguntur, Græcum in ſermonem converſi ſunt.... Abſolutis omnibus, Rex in ſublimi Solio conſedit: Ad quem triginta ſex Lectores cum totidem Exemplaribus adducti ſunt, cum altero qui Hebraicum Archetypum tenebat. Cum igitur unus e Lectoribus recitaret, cæteri diligenter attenderent, nihil varietatis eſt ac diſcriminis repertum. Ac ſingulare tum accidit divinæ potentiæ Miraculum, quod narratione dignum eſt. Nam illi omnes Interpretes Divini Spiritus afflatu præditi ut ſic inter ſe illa in ſolitudine conſenſerant, ubicumque nonnihil additum eſſet, id ab omnibus communiter eſſet adjunctum: ubi vero detractum, id ex æquo ſuſtuliſſent omnes. Cæterum quicquid ab illis ademptum eſt, id inutile eſt, quicquid vero relictum, neceſſarium eſt.*

S. Joannes Chryſoſtomus Homilia 4. in Geneſim. *Omnes divini Libri Veteris Teſtamenti Hebræorum Lingua ab initio ſunt compoſiti, & in hoc nobiſcum conſentiunt omnes. Et non ante multos annos adventus Chriſti, Rex quidam Ptolemæus in conquirendis Libris admodum ſtudioſus, operæ pretium putavit, ut & hos Libros colligeret, eoque de cauſa quoſdam Judæorum Hieroſolymitanorum vocavit, qui eos in Græcam Linguam verterent. Factum eſt hoc divinæ diſpenſationis Opus, ut non ſolum Hebraicæ Linguæ periti, ſed & omnes qui totum orbem inhabitant, ex eis utilitatem perciperent. Eſt & rarum Miraculum, quod vir, qui Judaica non curabat, hoc fecit, ſed Idololatriæ deditus, & religioni damnatæ multum favens.*

S. Auguſtinus Libro 2. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. 14. de variis Editionibus Scripturæ Sacræ ſic loquitur: *Latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeantur, in quibus Septuaginta Interpretum, quod ad vetus Teſtamentum attinet, excellit auctoritas: Qui jam per omnes peritiores Eccleſias tanta præſentia Sancti Spiritus interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui ſi, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati cum interpretati eſſent, nihil in alicujus eorum Codice inventum eſt, quod non iiſdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris, quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret, nec ſic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot Seniorum Doctorumque conſenſum adſpirare oportet aut decet. Quamobrem etiamſi quid aliter in Hebræis Exemplaribus invenitur quam iſti poſuerunt, cedendum eſſe arbitror divinæ diſpenſationi quæ per eos facta eſt, ut Libri, quos Gens Judæa cæteris Populis, vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus miniſtra Regis Ptolemæi poteſtate tanto ante proderentur. Itaque fieri poteſt ut ſic illi interpretati ſint, quemadmodum congruere Gentibus ille qui eos agebat, & qui unum os omnibus fecerat, Spiritus Sanctus judicavit.*

Et Libro 18. *De Civitate Dei*, Cap. 42. *Has Sacras Literas etiam unus Ptolomæorum Regum Ægypti noſſe ſtuduit & habere. Nam poſt Alexandri Macedonis, qui etiam Magnus cognominatus eſt, mirificentiſſimam minimeque diuturnam potentiam, qua univerſam Aſiam, imo pene totum orbem, partim vi & armis, partim terrore ſubegerat, quando inter cætera Orientis etiam Judæam ingreſſus obtinuit; eo mortuo Comites ejus cum Regnum illud ampliſſimum non pacifice inter ſe poſſeſſuri diviſiſſent, ſed potius diſſipaſſent, bellis omnia vaſtaturi, Ptolemæos Reges habere cœpit Ægyptus quorum primus Lagi filius multos ex Judæa captivos in Ægyptum tranſtulit. Huic autem ſuccedens alius Ptolemæus, qui eſt appellatus Philadelphus, omnes quos ille adduxerat ſubjugatos, liberos redire permiſit; inſuper & dona regia in Templum Dei miſit, petivitque ab Eleazaro tunc Pontifice, dari ſibi Scripturas, quas profecto audierat fama prædicante divinas: & ideo concupiverat habere in Bibliotheca, quam nobiliſſimam fecerat. Has ei cum idem Pontifex miſiſſet Hebræas, poſt etiam ille Interpretes poſtulavit; & dati ſunt Septuaginta duo, de ſingulis duodecim Tribubus ſeni homines, Linguæ utriuſque Doctiſſimi, Hebrææ ſcilicet atque Græcæ, quorum Interpretatio ut Septuaginta vocetur, jam obtinuit conſuetudo. Traditur ſane tam mirabilem ac ſtupendum, planeque divinum in eorum verbis fuiſſe conſenſum, ut cum ad hoc Opus ſeparatim ſinguli ſederint (ita enim eorum fidem Ptolemæo placuit explorare,) in nullo verbo quod idem ſignificaret & tantumdem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero diſcreparet: Sed tanquam unus eſſet interpres, ita quod omnes interpretati ſunt, unum erat: Quoniam re vera Spiritus erat in omnibus. Et ideo tam mirabile Dei munus acceperant, ut illarum Scripturarum, non tanquam humanarum, ſed ſicut erant, tanquam divinarum, etiam iſto modo commendaretur auctoritas, credituris quandoque Gentibus profutura, quod jam videmus effectum.*

Obiicitur, Patrum pleroſque poſt *Pſeudo-Ariſtæum* aſſerere ſenos Interpretes ex ſingulis duodecim Tribubus ab *Eleazaro* Pontifice miſſos ad *Ptolemæum*, qui Græcam Scripturarum Sacrarum Verſionem adornarent; quod certe merum commentum eſt: Siquidem tunc temporis aliæ in Judæa Tribus non erant, præ-

ter

Digitized by Google

ter Judam & Benjamin, ac partem Leviticæ Tribus, decem reliquis olim a *Salmanazare* in Mediam deportatis. Præterea Patres illos in Hiſtoriæ relatione variare, quoſdam aſſerere Septuaginta Seniores Verſionem ſuam adornaſſe ſingulos in ſingulis cellulis, quoſdam binos in ſingulis. Domunculas illas fictitias eſſe. Unde *S. Hieronymus*, Præfatione in Pentateuchum: *Neſcio*, inquit, *Quis primus Auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit*.

Reſpondetur, Hiſtoriæ ſubſtantiam ſalvam eſſe, quamvis circumſtantiæ quædam dubiæ ac incertæ ſint. Septuaginta Interpretes divinæ Legis & utriuſque Linguæ peritos Græcam Scripturarum Sacrarum Verſionem adornaſſe, non ſolum *Joſephus*, *Philo*, cæterique Judæi, ſed & Eccleſiæ Patres perſuaſum habuerunt, eaque fuit Eccleſiæ, quæ hanc Verſionem ab Apoſtolicis temporibus per multa ſæcula ſecuta eſt, ſententia. An vero ſex e ſingulis Tribubus, vel Septuaginta duo ex Juda, Benjamin & Levi promiſcue; an ſinguli vel bini in ſingulis cellulis; an ſeparatim vel mutua collatione, id non ita certum. Præterea, falſo ſupponit, *Scaliger* ita generalem fuiſſe decem Tribuum deportationem, ut nullæ ex ipſis reliquiæ in terra Iſrael permanſerint. Scripturæ Sacræ auctoritate refellitur, quæ de Simeonitis refert, eos tempore *Ezechiæ* Regis novas terras occupaſſe, incolas internecione deleviſſe, paſcua eorum gregibus ſuis ſumſiſſe: Item quingentos eorum cecidiſſe reliquias Amalecitharum 1. Paralipomenon 4. 24. 38. & ſeq. *Filii Simeon: Namuel & Jamin Jarib, Zara, Saul, Sellam filius ejus, &c. Iſti ſunt nominati Principes in cognationibus ſuis, & in domo affinitatum ſuarum multiplicati ſunt vehementer.... Hi ergo venerunt, quos ſupra deſcripſimus nominatim, in diebus Ezechiæ Regis Juda, & percuſſerunt tabernacula eorum, & habitatores qui inventi fuerant ibi, & deleverunt eos uſque in præſentem diem, habitaveruntque pro eis quoniam uberrimas paſcuas ibidem repererunt. De Filiis quoque Simeon abierunt in Montem Seir viri quingenti, habentes Principes Phaltiam, & Naariam, & Raphaiam, & Oziel filios Jeſi: & percuſſerunt reliquias quæ evadere potuerant, Amalecitharum, & habitaverunt ibi pro eis uſque ad diem hanc.* Quo tempore ergo ſcripti ſunt Libri *Paralipomenon*. poſt reditum ſcilicet ex Captivitate Babylonica, Simeonitæ plurimi terram illam incolebant. Præterea, *Joſias* Ezechiæ pronepos, multis annis poſt Aſſyriacam deportationem, Urbes Manaſſis, Simeonis, Ephraim, Nephtalitarum, maximam partem vaſtatas, ab inſtrumentis Idololatriæ repurgavit, & ab earum Tribuum reliquiis ſacrum tributum exegit, pro iiſque Deum conſuluit, ut refertur 2. *Paralipomenon* 34. 6. 9. 21. Soluta Captivitate Babylonica multos ex decem Tribubus cum Judæis in patriam rediiſſe, Scriptura Sacra docet. *Cyrus* omnibus qui de Populo Dei erant per totum Regnum ſuum facultatem dedit redeundi. 1. Eſdræ 1. 3. *Quis eſt in vobis de univerſo Populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem quæ eſt in Judæa.* Per univerſum autem Populum Dei non duæ dumtaxat Tribus Judæ & Benjamin, cum permixtis Levitis, ſed univerſus Iſrael intelligendus eſt. Ex poteſtate ſibi facta aſcenderunt *Viri Populi Iſrael unuſquiſque in Civitatem ſuam*, ut habetur 1. *Eſdræ* 2. 1. 3. Præterea, Galilæam, Decapolim, plurimoſque Imperii Iſraelitici tractus a Populo Dei inſeſſos fuiſſe, Novi Teſtamenti docet Hiſtoria. At Judæ & Benjaminis Tribus omnes illos tractus replere non potuerunt. Ac præterea unumquemque in Civitate ſua habitaſſe, non alienas occupaſſe, *Eſdras* auctor eſt. Galilææ autem priſci incolæ fuere Iſſacharitæ, Zabulonitæ, Nephtalitæ, Aſeritæ, partim etiam Danitæ. Iden *Matthæi* 4. 15. regio illa Terra Zabulonis & terra Nephtali vocatur. *Lucæ* etiam Cap. 2. 36. *Anna Propheteſſa, filia Phanuel, de Tribu Aſer* dicitur, Ad hæc 1. *Eſdræ* Cap. 6. narratur Iſraelitas, Sacerdotes, Levitas, & reliquos filios tranſmigrationis Dedicationem Domus Dei cum gaudio celebraſſe, & præter multas alias hoſtias obtuliſſe *Hircos caprarum pro peccato totius Iſrael duodecim, juxta numerum Tribuum Iſrael*. Et Cap. 8. 35. *Sed & qui venerant de Captivitate filii tranſmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni Populo Iſrael, hircos pro peccato duodecim*. Ea Sacrificia pro iis oblata fuiſſe qui Templum frequentaturi erant, minime dubium eſt. Unde colligitur non ſolum Juda & Benjamin, ſed ex cæteris decem Tribubus aliquos Templi conſortes fuiſſe, partemque ſuam in illius Dedicatione habuiſſe. Denique *Joſephus* Libro 11. *Antiquitatum*, Cap. 5. aliquos ex decem Tribubus Iſraelis cum Judæis in patriam rediiſſe teſtatur. *Eſdras*, inquit, *literis acceptis*, quibus in patriam redeundi poteſtas a rege Perſarum facta fuerat, *advocata Judæorum concione qui apud Babylonem degebant, & perlecta Epiſtola, ipſam quidem retinuit: Exemplar vero ejus in Mediam ad omnes ſuæ Gentis homines tranſmiſit. Qui cognita Regis erga Deum pietate, & erga Eſdram benevolentia, omnes vehementer ſunt lætati: Multi vero ex eis aſſumptis ſuis facultatibus Babylonem venerunt, cupientes reverti Hieroſolyma*.

An vero in ſingulis cellulis ſeparati, an ſimul congregati, & ex communi collatione Libros Sacros verterint Sepcuaginta Seniores, ad Hiſtoriæ ſubſtantiam (ut dixi) non pertinet. Qui cellulas velut figmentum explodit *S. Hieronymus*, Hiſtoriam ipſam Verſionis 70. Interpretum admittit, ſicut & cæteri Patres. Auctoritati *S. Hieronymi* cellulas reiicientis ex ſolo *Pſeudo-Ariſteæ* Libello, & aliunde Verſionem 70. Interpretum nimium deprimentis ut ſuam ab æmulorum obtrectationibus vindicet, nulla ratio eſt cur poſtponamus auctoritatem *S. Juſtini Martyris*, *S. Irenæi*, *Clementis Alexandrini*, *S. Cyrilli Hieroſolymitani*, *S. Epiphanii*, *S. Auguſtini*, qui cellulis ſuffragantur, & ab invicem ſcjunctos, nulla habita inter ſe collatione, admirabilem illam Verſionem perfeciſſe cenſent. Qua de re legi poteſt Quæſtio 2. Diſſertationis noſtræ 11. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi 2.

Obiicitur ſecundo, Translationem hanc Alexandrinam adeo Judæos Ieroſolymitanos execratos fuiſſe, ut ſolemne jejunium & angariam inſtituerint 8. die *Thebeth* propter Legem in profanum ſermonem converſam, & ex illa, ut ipſi putant, Alexandrinorum audacia tridui tenebras per univerſum orbem incubuiſſe fabulentur. Omnia autem jejunia inſtituta ſunt propter divinam iram ſedandam, aut incendia, aut aliquam calamitatem, & caſus adverſos, & cædes piorum hominum. Cum itaque 8. Diem *Thebeth* propter Legis Translationem temporibus *Ptolemæi* factam ſolemni jejunio dicaverint, falſum eſt quod Septuaginta Senioribus ab *Eleazaro* Pontifice hæc provincia demandata ſit. Propter hanc Interpretationem nunquam inter Hebræos & Helleniſtas bene convenit: Et quamvis quidem ex utroque Judæorum genere nomen Chriſto dediſſent, & ex illo Chriſtianæ charitatis vinculo eorum animos coaleſcere, ſimultates veteres ſopiri decuerat, tamen fieri non potuit quin inter Helleniſtas & Hebræos ſecundum priſcam conſuetudinem diſſenſiones orirentur. Actorum 6. 1.

Reſpondetur, hanc Græcæ Translationis invidiam *Joſephi* ſæculo recentiorem extitiſſe. Cum enim Chriſtianum nomen paulatim excitari Judæi cernerent, ſeque a Chriſtianis ſuis ipſis Literis, quas Græce legerent omnes, convinci ac redargui; ægre primum communionem illam ferre cœperunt, tum Septuaginta Seniorum Editionem elevare ac execrari. Hinc Rabbinorum quorumdam de triduanis tenebris ob Legem Græce translatam fabula. Hinc Jejunium 8. die Menſis *Thebeth* Kalendariis adſcriptum: Cum tamen *Maimonides* Jejunia Gentis ſuæ enarrans, iſtius non meminerit: Cum gratiſſimam accidiſſe Pontifici Judæiſque *Ptolemæi* poſtulationem *Joſephus* teſtetur: Cum denique *Philo* Lib. 2. *De Vita Moſis* referat, ſingulis annis in Inſula *Pharo* ſolemnem celebritatem renovatam in gratiarum actionem pro admirabilis illius Translationis beneficio. Nec prætermittendum, quod *R. Azaria* ad finem Capitis 8. *Imre Binah*, *R. Gedalias* fol. 24. *Catenæ Cabbaliſticæ*, iſtius Jejunii *Thebeth* originem aliunde arceſſant, ex eo nimirum quod 70. Seniores hac provincia Græcæ Verſionis adornandæ ſuſcepta ſolemne Jejunium & publicas orationes indixerint, ne Judæis male verteret *Ptolemæi* Regis conſilium; vel ut Deus illorum ſtudio & Verſioni proſperum exitum largiretur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Verſio LXX. Interpretum extremis Ptolemai Lagi temporibus, & Philadelphi cum Patre regnantis initiis, adornata eſt.

HÆc unica via eſt oppoſitas conciliandi ſententias. Illam enim Verſionem ad *Philadelphi* tempora referunt *Joſephus* Lib. 2. *Antiquitatum*, Cap. 2. *Ariſtobulus Judæus*, (apud *Euſebium* Lib. 13. *Præparationis Evangelicæ*, Capite 12.) ad *Ptolemæum Philometorem* ſcribens: *Regis Ptolemæi cognomento Philadelphi, Avi tui tempore, qui omnes hoc in genere ſtudio & magnificentia ſuperavit, integram eorum quæ noſtras ad Leges pertinebant, omnium interpretationem, præcipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera elaborarunt.* Ad hoc accedunt *Tertullianus* Apologetici Cap. 18. *Euſebius* Libro 8. Præparationis Evangelicæ, *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi 4. *S. Epiphanius* Libro de Menſuris & Ponderibus, *S. Hieronymus* Præfatione in Pentateuchum, *S. Auguſtinus* Libro 18. *De Civitate Dei*, Capite 42. Illam vero ad *Ptolemæi Lagi* tempora *S. Irenæus* refert Libro 3. Adverſus Hæreſes, Cap. 25. *Clemens Alexandrinus* Libro 1. Stromatum quoſdam *Ptolemæi Lagi*, alios *Ptolemæi Philadelphi* tempore Verſionem illam factam aſſerere, teſtis eſt. *Theodoretus* Præfatione in Pſalmos, Verſionem Septuaginta Seniorum factam ait *Ptolemæi, qui poſt Alexandrum in Ægypto regnavit, temporibus*. Quæ certe verba *Ptolemæum Lagum* notant. *Anatolius* in Computo Paſchali Verſionem illam Septuaginta Seniorum, tam ſub *Ptolemæo Lagi* filio, quam ſub ejus ſucceſſore *Philadelpho* factam eſſe docet. Cum itaque *Philadelphus* biennio circiter una cum patre regnaverit, ab eo in conſortium Regni adſcitus; ad ea tempora, quibus *Ptolemæus Philadelphus* regnavit cum patre, Verſio illa probabilius refertur. Ita conciliantur diſſidentes Veterum ſententiæ, quorum alii ſub *Ptolemæo Lagi*, alii ſub *Philadelpho* factam memorant. Id niſi aſſeratur, irreconciliabile diſſidium erit Veterum illorum Patrum, qui Verſionem ſub *Ptolemæo Philadelpho* adornatam prodiderunt, non ſolum cum aliis mox laudatis, ſed etiam cum profanæ Hiſtoriæ Scriptoribus. Nam *Demetrius Phalereus* magna quidem in gratia fuit apud *Ptolemæum Lagidem*, ſed *Philadelpho* maxime inviſus fuit, quia *Ptolemæo Lagidi* ſuggeſſerat ut filios ex *Eurydice* ſuſceptos Regni ſucceſſores diceret, poſthabito *Philadelpho* ex *Berenice* genito. Unde *Philadelphus* poſt mortem patris *Demetrium Phalereum* in exilium amandavit, ubi cum tædio ſolitudinis animum deſpondere inciperet, aſpidis ſeu fortuito incurrentis, ſeu ſponte admotæ morſu interiit, ut teſtatur *Hermippus*, apud *Diogenem Laertium*, in ejus Vita. Verſio igitur Septuaginta Interpretum eo ſuggerente & procurante facta, neceſſario referenda eſt ad extrema *Ptolemæi Lagi* tempora, & initia *Philadelphi*, biennio circiter cum Patre regnantis. Tunc enim *Philadelphus* patris reverentia odium ſuum in *Demetrium* patri gratiſſimum diſſimulaverit, ejuſque ſtudio & opera uſus fuerit in Bibliotheca ſua inſtruenda, Librorumque Hebræis Sacrorum procuranda Verſione.

PROPOSITIO III.

Septuaginta Interpretes non ſolum quinque Libros Moyſis, ſed Libros omnes Scripturæ Hebraice ſcriptos, & in Canonem Judæorum relatos, in Græcam linguam tranſtulerunt.

HAnc Propoſitionem Veterum teſtimonia probant ſuperius laudata, ſcilicet *S. Juſtini* Martyris in Cohortatione ad Græcos, & Apologia 2. *S. Irenæi* Libro 3. Adverſus Hæreſes Cap. 25. *Tertulliani* Apologetici Cap. 18. *Clementis Alexandrini* Libro 1. Stromatum, *S. Cyrilli Hieroſolymitani* Catheche ſi 4. *Euſebii Cæſarienſis* Lib. 8. *Præparationis Evangelicæ*, Cap. 1. *S. Hilarii* Commentario in Pſalmum 2. *S. Epiphanii* Libro de Menſuris & Ponderibus, *S. Joannis Chryſoſtomi* Homilia 4. in Geneſim, *S. Auguſtini* Libro 2. De Doctrina Chriſtiana, Cap. 14. & Lib. 18. De Civitate Dei, Cap. 42. & aliorum. Præterea veriſimile non eſt, *Ptolemæum* & *Demetrium Phalereum*, qui Prophetarum plurimorum Vaticinia, & Sacras Hiſtorias apud Judæos aſſervari inaudiverant, Sacra hæc Monumenta pari curioſitate ac ſtudio non conquiſiviſſe; ac eorum Verſionem non procuraſſe, ad Regiæ Bibliothecæ ornamentum. Tertio, Apoſtoli Prophetarum teſtimonia ſecundum Græcam Verſionem protulerunt in Libris Novi Teſtamenti; eaque Judæi Helleniſtæ utebantur. At nullam aliam præ manibus habebant, antequam Aquila, Symmachus, Theodotio, & Quintæ, Sextæque Editionis Auctores Anonymi Scripturas Sacras vertiſſent. Denique Chriſtiani ex Gentibus converſi, & Eccleſia univerſa pluribus ſæculis non alia Verſione Scripturæ Sacræ uſa eſt quam Græca illa, quam ſeptuaginta interpretum eſſe exiſtimavit; aut Verſionibus ex illa expreſſis, apud eas Gentes quibus Græcum Idioma vernaculum non erat: Et Scripturam Sacram ſecundum illam Verſionem ab Apoſtolorum ætate uſque in hanc diem legit Eccleſia Græca, nec alia ſe uti Verſione putat quam 70. Interpretum, quoad Libros Eſdrino Canone comprehenſos.

Obiicitur *Joſephi* teſtimonium in Procemio *Judaicarum Antiquitatum*, & Libro 12. Cap. 2. ac Libro 2. contra Apionem, *Legem ſolam* a Septuaginta Interpretibus *Ptolemæo* traditam aſſerentis. Id confirmat *S. Hieronymus* in Procemio Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim. *Accedit ad hoc quoque*, inquit, *quod Joſephus, qui Septuaginta Interpretum proponit Hiſtoriam, quinque tantum ab eis Libros Moyſi tranſlatos refert: Quos nos quoque confitemur pluſquam cæteros cum Hebraicis conſonare.* Et in Cap. 5. Ezechielis: *Quanquam*, inquit, *& Ariſtæus, & Joſephus, & omnis Schola Judæorum, quinque tantum Libros Moyſi a Septuaginta tranſlatos aſſerunt.* In Caput denique 2. Michææ Prophetæ: *Interpretatio Septuaginta* (*ſi tamen Septuaginta eſt; Joſephus enim ſcribit, & Hebræi tradunt, quinque tantum Libros Legis Moyſi ab eis tranſlatos, & Ptolemæo Regi contraditos*) *tantum diſcordat in præſenti loco ab Hebraica veritate, ut nec Capita poſſimus ex æquo ponere, nec eorum ſimul ſententias explicare.*

Reſpondetur, Quod etſi *Joſephus* ſolam Legem a Septuaginta Interpretibus tranſlatam aſſerat, probabilior nihilominus eſt Veterum Patrum ſententia, qui totam Scripturam ipſos interpretatos fuiſſe docent; neque huic opinioni contrarius eſt *S. Hieronymus*, Joſephi opinionem locis laudatis referens potius quam adſtruens. Nam Pſalterium ſecundum Editionem Septuaginta Romæ emendavit, & ſecundum eamdem Libros Salomonis correxit, & in Commentariis quæ ſcripſit in Prophetas, Verſionis illius ſæpe meminit, eamque exponit. Præfatione in Pſalterium ait: *Pſalterium Romæ dudum poſitus emendaram: Et juxta Septuaginta Interpretes, licet curſim, magna tamen ex parte correxeram.* Et Præfatione in Libros Salomonis: *Si cui ſane Septuaginta Interpretum magis Editio placet, habet eam a nobis olim emendatam. Neque enim nova ſic cudimus, ut vetera deſtruamus.* Præfatione in Iſaiam: *Unde conicio noluiſſe tunc temporis 70. Interpretes Fidei ſuæ ſacramenta perſpicue Ethnicis prodere; ne ſanctum canibus, & margaritas porcis darent: Quæ cum hanc Editionem legeritis, ab illis animadvertetis abſcondita.... Hoc a faſtidioſis lectoribus precor, ut quomodo Græci poſt Septuaginta Tranſlatores Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem legunt, vel ob ſtudium doctrinæ ſuæ, vel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: Sic & iſti ſaltem unum poſt priores habere dignentur Interpretem.* Ex Lib. 2. Adverſus Rufinum: *Univerſi Tractatus mei horum teſtimoniis texti ſunt: Commentarii in 12. Prophetas meam & Septuaginta Editionem edixerunt.* Hebræi vero plerique omnes, præter *Joſephum*, cenſent Septuaginta Interpretes totam Scripturam vertiſſe, Gentiſque ſuæ Sapientes Legis nomine, quam a 70. Senioribus tranſlatam ajunt, Vetus omne Teſtamentum intellexiſſe. Ita *R. Ghedalias* in Catena Cabbalæ, & *R. Azarias* Libri *Imre Binah*, id eſt, *Sermonum Intelligentiæ*,

Cap.

Digitized by Google

Cap. 7. Et certe antiqui Rabbini in Talmude Tractatus *Sanhedrim*, Cap. 2. Mortuorum Reſurrectionem ex *Iſaiæ* Capite 55. Verſ. 8. Pſalmo 84. Verſu quinto demonſtrant, deinde inſerunt: *Hinc Reſurrectio mortuorum ex Lege probata eſt*. Idem ex *Daniele* alii Rabbini ibidem, & ex aliis locis in *Miſchna* ejuſdem Capitis. Et in Tractatu *Sophirim* Cap. 1. *Opus quinque Seniorum qui ſcripſerunt Ptolemæo Regi Legem Græce*. Quinque Seniorum mentione ad quinque Verſiones Græcas alludunt, *Aquilæ*, *Symmachi*, *Theodotionis*, *Quintam & Sextam* ab Anonymis Auctoribus elaboratas. Poſtea enim Septuaginta duorum Seniorum convocationem a *Ptolemæo* factam, & Verſionem ab iis adornatam narrant. At *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, & alii duo Interpretes Anonymi, non Pentateuchum tantum, ſed omnes Libros Sacros verterant. Legis igitur nomine univerſam Scripturam intelligunt. Quanquam ſtupenda eſt Rabbinorum illorum imperitia & *ἀνεπιστημοσύνη*, qui Verſiones quinque in unam confuderunt, & perverſo temporum ordine ad *Ptolemæum* retulere, quæ quadringentis aut quingentis poſt ipſum annis facta ſunt. Præterea, tradunt Hebræi in eodem Tractatu *Sophrim*, 70. Seniores ſcripſiſſe Legem Ptolemæo *ſeparatim*, & tredecim in ea mutaſſe. Porro ſi Legem ſeparatim & ab aliis libris diviſim obtulerunt *Ptolemæo*, inde colligitur ipſos reliquos Libros Veteris Teſtamenti pariter tranſtuliſſe. *Joſephus* ipſe Lib. 2. *Contra Apionem*, Legis nomine totam Sripturam intellexiſſe videtur, ubi de *Ptolemæo Philadelpho* ſic loquitur: *Deſideravit agnoſcere noſtras Leges, & Sacrarum Scripturarum Volumina concupivit, miſitque rogans deſtinari viros, qui ei interpretarentur Legem*. Denique Chriſtus & Apoſtoli Legis nomine non Pentateuchum ſolum, ſed Pſalmos etiam & Prophetas ſignificarunt. Joannis 10. 34. *Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, quia Ego dixi: Dii eſtis*. Quod ex Pſalmo 81. 6. Sumptum eſt. Et Joannis 15. 25. *Sed ut adimpleatur ſermo, qui in Lege eorum ſcriptus eſt, Quia odio habuerunt me gratis*. Quod Pſalmo 24. 19. legitur. Et 1. ad Corinthios 14. *In Lege ſcriptum eſt: quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar Populo huic: Et nec ſic exaudient me, dicit Dominus*. Quod habetur Iſaiæ 28. 2.

DISSERTATIO IX.

DE GENERE HERODIS.

PROPOSITIO UNICA.

Herodes Idumæus fuit, & Alienigena reſpectu Judæorum.

PRobatur primo ex *Joſepho* Libro 14. *Antiquitatum*, Cap. 2. ubi de *Antipatro* Herodis patre ita ſcribit: *Amicus quidam Hyrcani Idumæus, nomine Antipater, vir pecunioſus, natura factioſus & induſtrius, infenſus erat Ariſtobulo, eo quod ipſe ſtuderet Hyrcani partibus: Quamvis Nicolaus Damaſcenus hujus genus deducat a Primatibus Judæorum, qui in Judæam venerunt ex Babylonia. Sed hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii, quem fortuna ad Judæorum Regnum evexit*. Et Cap. 27. *Antigonus ita reſpondebat verſo ſermone ad Silonem ac Romanos Milites, Iniquum eos facere, qui Herodis Regnum adſtruant, homini privato & Idumæo, hoc eſt, Semijudæo, cum id more Gentis debeatur ſucceſſioni generis. Nam ſi offenſi quod ipſe a Parthis Regnum accepiſſet, ideo velint hoc auferre, non deeſſe multos ex eo genere, qui legitime poſſit id accipere, nihil de Populo Romano male meriti; & Sacerdotes inſuper, quos iniquum ſit privari debitis honoribus*. Idem Capite 28. *Adminiſtratio autem rerum pervenit ad Herodem Antipatri filium, plebejo natum genere, & ſubjecto Regibus*. Libro tandem primo *De Bello Judaico*, Capite 5. de Antipatro Herodis patre ſcribit: *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate ac opibus Gentis ſuæ Princeps*.

Probatur ſecundo Propoſitio contra *Scaligerum* & *Caſaubonum* Veterum Patrum auctoritate, qui *Herodem* alienigenam & allophylum ſummo conſenſu pronuntiant, quamvis alii Aſcalonitam, alii Idumæum fuiſſe ſentiant.

Euſebius Libro 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 6. *Julii Africani* ea de re ſententiam refert, ſuamque ipſe exponit. *Per idem tempus*, inquit, *cum Herodes primus ex alienigenis Judaicæ Gentis Regnum obtineret, completa eſſe videbatur Moſis prædictio, quæ ſic habet: Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femore ejus, donec veniat cui repoſitum eſt. Quem etiam expectationem Gentium fore confirmat. Quippe etiam ſuis effectu pendebat prædictio, quamdiu ſub domeſticis Principibus Judæis agere licebat: Qui quidem a Moſe initio ducto ad uſque Auguſti tempora permanſerunt: Cujus Principatu primus ex alienigenis Herodes Regnum Judææ a Romanis adeptus eſt: Cum ut a Joſepho quidem traditum eſt, paterno genere Idumæus, Arabs materno eſſet. Ut autem ſcribit Africanus non ignobilis & ipſe Scriptor, qui de illo accuratius ſcripſerunt, Antipatri filium fuiſſe tradunt: Huic vero Herodem quemdam Aſcalonitam, unum ex numero ſervorum Templi Apollinis, quod Aſcalone eſt, patrem fuiſſe. Antipater cum admodum puer a Latronibus Idumæis captus fuiſſet, cum iiſdem diutius vixit, eo quod Pater pro redemptione ipſius pretium ſolvere præ inopia non valeret. Moribus igitur inſtitutiſque eorum innutritus, tandem in notitiam Hyrcani Judæorum Sacerdotis amicitiamque pervenit. Hujus filius fuit Herodes is, qui Servatoris temporibus vixit.*

Origenes Homilia 17. in Geneſim: *Conſtat uſque ad Nativitatem Chriſti non deceſſe Principes ex genere Juda, nec Duces de femoribus ejus, uſque ad Herodem Regem; qui ſecundum Hiſtoriæ fidem, quam Joſephus ſcribit, alienigena fuiſſe, & per ambitionem in Regnum Judæorum dicitur irrepſiſſe.*

S. Epiphanius Hæreſi 20. quæ eſt *Herodianorum*, Herodis genus ab *Aſcalone* cum *Africano* repetit, & tamen Idumæum dictum obſervat, quod eum Antipater in Idumæa genuiſſet: *Herodes Antipatri cujuſdam Aſcalonitæ, atque Apollinis Æditui filius fuit. Cujus inſuper Antipatri parens Herodes nomine filius Antipæ fuit. Antipater ab Idumæis captus, & in Idumæa degens, Herodem ſuſcepit, qua in regione diu admodum in ſervitute vixit: Quod eum Herodes pater ob inopiam redimere non poſſet. Tandem a Popularibus collatitia pecunia una cum Herode filio liberatus, poſtliminio in patriam revertitur. Quam ob cauſam ab aliis Idumæus, ab aliis Aſcalonita fuiſſe proditus eſt. Poſtea, cum ad Demetrii familiaritatem perveniſſet, in Judæa procurationem obtinuit. Tum etiam notus Auguſto Imperatori fuit. Atque ex illa procuratione Proſelytum ſe faciens una cum Herode filio circumciſus eſt, ad quem Judæorum Regnum pervenit.... Quamobrem quod ex alienigena ille Gente regnare cœperat, cum hactenus a Juda & Davide Regnum, atque ex Judæ ſtirpe Principes & Patriarchæ perſtitiſſent; quod inquam, Imperium in externum hominem translatum fuerat, idoneum illis viſum eſt erroris argumentum, ut Herodem eſſe Chriſtum arbitrarentur, quod ex illo Scripturæ loco conſequens videbatur.* Non deſinet Princeps e Juda, donec venerit cui reſervatum eſt. *Ut eo ſenſu ſit accipiendus, quaſi Herodi reſervatum eſſet.... Porro iſte de Judæ genere non eſt, ac ne omnino quidem Iſraelitice Gentis.*

Demetrium poſuit, ſe pro Hyrcano videtur: Epiphanius.

Geneſ.

S. Ambroſius Libro 3. in *Lucam* eadem pene tradit. *Fertur ab his, qui ſive argumentati, ſive ſimpliciter docentes, ſive vere adſtruentes tradiderunt nobis, quia Idumæi latrones Aſcalonem Palaſtinæ Urbem ingreſſi, de fano Apollinis quod vicinum muris erat, Antipatrum Herodis cujuſdam Hieroduli filium inter alios abduxere captivum, quem pater redimere propter paupertatem nequivit. Is igitur imbutus diſciplinis & myſteriis Judæorum, Hyrcano Judææ Regi amicitia copulatur, quem pro ſe ad Pompejum Hyrcanus Legatum direxit; qua Legationis fructu potitus eſt, per eam gratiam partem Regni affectavit. Occiſo autem Antipatro propter felicitatis invidiam, filius ejus Herodes poſtea ſub Antonio Senatuſconſulto Judæis regnare præceptus eſt. Cujus Herodes filius, & alii Tetrarchæ. Quod ideo ex Græcorum Hiſtoriis putavimus transferendum, ut ela-*

rat

Digitized by Google

trat Herodem nullo affinem generi Judæorum, Regnum adulterina fraude quæſiviſſe. Denique conſcius ignobilitatis ſuæ, ne qua poſteris ſuis vel de præſcripto veteri quæſtio moveretur, Scripturas eorum incendit, exiſtimans quod ſi indicia de publico ſuſtuliſſet, nullis aliis teſtimoniis clarere poſſet, quin de Patriarcharum vel Proſelytorum veterum genere dimanaret. Sed ut pleraque cura humana ſunt, cognitioni hoc & indagini veritatis præjudicare non potuit. Et Lib. *De Benedictionibus Patriarcharum*, Cap. 4. *Per Herodem adulterata ſucceſſio prærogativam dignitatis amiſit. Etenim quia verum Regem negaverunt, falſos habere cœperunt.*

S. Hieronymus Commentario in Cap. 3. Oſee. *Ergo poſtquam defecit Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus & Herodes alienigena & Proſelytus ſuſcepit Imperium, intelligimus veniſſe cui Regnum repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio Gentium.*

S. Auguſtinus Lib. 18. *De Civitate Dei*, Cap. 45. *Deinde poſt paucos annos etiam Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante natus eſt Chriſtus. Jam enim venerat plenitudo temporis ſignificata* „ *prophetico ſpiritu per os Patriarchæ Jacob, ubi ait*, Non „ deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femori„ bus ejus, donec veniat cui repoſitum eſt, & ip„ ſe erit expectatio Gentium. *Non ergo defuit Judæorum Princeps ex Judæis, uſque ad iſtum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam Regem. Tempus ergo jam erat, ut veniret ille cui repoſitum erat, quod Novo promiſſum eſt Teſtamento, ut ipſe eſſet expectatio Gentium.* Et Libro 12. *Contra Fauſtum Manichæum*, Cap. 47. *Sunt literæ certiſſimæ, Hiſtoria ipſorum quoque Judæorum, quibus oſtenditur, primum Alienigenam Regem fuiſſe in Gente Judæorum, quo tempore natus Chriſtus eſt. Ita non defuit Rex de ſemine Juda, donec venirent quæ repoſita erant.*

S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 7. *Glaphyrorum in Geneſim*, benedictionem Juda explicans: *Regnarunt Judæi, & ex ſanguine Iſraelis fuerunt ipſi Duces, donec Herodes, Antipatri filius, genere Palæſtinus, qui Tetrarcha cognominatus eſt, acquiſivit ſibi Regnum, ſub quo & ipſe natus eſt Chriſtus, expectatio Gentium.*

Theodoretus Dialogo 1. *Herodes alienigena, qui paterna quidem origine Aſcalonites fuit, materna vero Idumæus.*

Patres quidem laudati a *Joſepho* in eo diſſentiunt, quod *Herodem* Aſcalonitam dicant: ille vero Idumæum; ſed tamen in eo conveniunt, quod alienigenam aſſerant, hoc eſt, non ex Iſraelitica ſtirpe, ſed peregrina procreatum.

Obiiciunt *Scaliger* & *Caſaubonus*, Herodem alienigenam dici non debuiſſe, ſi Idumæus fuerit, cum Idumæi integro fere ſæculo ante Regnum *Herodis* facti ſint Judæi, ut narrat *Joſephus* Libro 13. Cap. 17. Nam qui renuntiaſſent proprio Gentis Idumææ Deo (*Coze* ipſi nominabant, teſte *Joſepho* Lib. 15. Cap. 2.) qui Ritus prioris Idololatriæ antiquaſſent, Circumciſionem & univerſum veri Dei cultum admiſiſſent, ut ibi teſtatur *Joſephus*, cur non cenſerentur Judæi? Cum præſertim a prima origine fratres Judæorum eſſent. Deuteron. 23. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt*; propago nempe filii Abraham. Præterea, *Joſephus* Libro 20. Cap. 6. *Herodem* genere Judæum dicit. Referens enim contentionem ortam Cæſareæ inter Syros & Judæos, ait: *Apud Cæſaream quoque inter Judæos habitatores & Syros de pari jure Civitatis rixa exorta eſt. Nam Judæi potiore conditione volebant eſſe, quod Urbis ejus conditor Herodes Rex fuerit Judæus genere. Id Syri non inficiabantur quidem, ſed ajebant, Urbem Turrim Stratonis dictam a principio, quo tempore nullum Judæum habitaſſe inibi.* Idem Libro 15. Capite 14. Concionem *Herodis* ad Proceres Judæos refert, quos ita compellat: Ἄνδρες ὁμόφυλοι, Viri Tribules. Denique *Nicolaus Damaſcenus*, qui certe genus & ſtemma *Herodis* noverat, ipſi nempe familiaris, illum genere Judæum eſſe ſcripſit: Et *Strabo* 16. *Herodem* vocat *Judæorum ἐγχώριον*, hoc eſt, *indigenam ſeu vernaculum*.

Reſpondetur, Etſi Idumæi ex quo *Joannes Hyrcanus* Judæorum Pontifex Rexque ipſos edomuit, Circumciſione accepta ad Judæos aggregati ſint, non tamen proprie Judæum fuiſſe *Herodem* unde colligitur, id eſt, ab Iſrael ſive Jacobo Patriarcha originem traxiſſe, ſive (ut loquitur Apoſtolus) *Judæum ex Judæis*: ſed Proſelytum dumtaxat, & Religione Judæum, non genere. Porro etſi Idumæi Judæorum fratres appellati ſint, utpote ex *Abrahamo* per *Eſau* progeniti, quia tamen Gens alia fuerunt a Judaica, diverſoſque Principes, diverſos etiam Ritus & Inſtituta olim habuerunt, *Alienigenæ* in Scriptura Sacra vocantur. Pſalmo 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum; Mihi alienigenæ amici facti ſunt.* Judæi quidem Cæſarienſes ut jus Civitatis contra Syros ſibi vindicarent, *Herodem* genere Judæum fuiſſe dixerunt, idque *Joſephus* refert: Sed Judæum ipſe tantum abeſt ut ſcripſerit, ut potius *Nicolaum Damaſcenum*, qui *Herodem* genere Judæum, & a Judæis oriundum qui Babylone captivi fuerant, & quidem de Tribu Juda eſſe finxit, ut ignavum aſſentatorem reprehendat. Judæos etiam *Viros Tribules* Herodes vocabat, ut illos demereretur, atque ita vocare poterat, cum in Judaicum nomen & Populum inſitus eſſet, utpote Proſelytus. Atque idem *Strabonis* ſenſus eſt. Cæterum Proſelytos tametſi Religione Judæi cenſerentur, in pleriſque tamen deteriori jure fuiſſe quam Judæos cæteros, compertum eſt. In Synedrium enim adoptari non poterant Proſelyti, & multo minus ad regnum jure aſſumi. Certe Advenæ ſeu Proſelyti in Scriptura Sacra Judæis indigenis opponuntur, quamvis Religionis ejuſdem communione juncti. Exodi 12. 19. *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus veſtris: Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Iſrael, tam de advenis quam de indigenis terræ.* Et Actuum 2. 2. *Judæi & Proſelyti* diſtinguuntur.

Obiicit *Caſaubonus*: Alienigenæ, poſtquam erant circumciſi, & reliquis Sacris initiati, non minus veri Judæi cenſebantur quam hodie Judæus, Turca, vel Tartarus, poſtquam ſacro lavacro fuerit tinctus vere ac proprie Chriſtianus eſt, & recte dicitur.

Reſpondetur negando paritatem. Ratio Diſcriminis eſt, quia *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*: Judæi vero naſcebantur & fiebant. Quamobrem nullum in prioribus divortium originis eſt. Ad Galatas 3. 26. 28. *Omnes filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Non eſt Judæus, neque Græcus: Non eſt ſervus, neque liber: Non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* In Judæis autem ratio maxima originis habetur. Aliud enim eſt eſſe *ex genere Iſrael, Hebræum ex Hebræis*, ut loquitur *Philip. 3. 5.*
Apoſtolus: aliud accepta Circumciſione ad Populum Iſrael aggregari. Recte igitur a Patribus *Herodes* allophilus & alienigena vocatur, etſi fuerit Idumæus, non Aſcalonita, ut ex Deſpoſynorum Judæorum, id eſt, qui ſe cognatos eſſe Domini gloriabantur, falſa traditione docuit *Julius Africanus*, quem alii Patres ſecuti ſunt. Cæterum controverſia illa quæ *Scaligero* & *Caſaubono* bilem movit tam intemperatam adverſus *Baronium*, ſola videtur quæſtio de nomine.

Obiicitur, Joſephum Lib. 14. *Antiquitatum*, Cap. 20. de prima Herodis uxore Ieroſolymitana, cui nomen *Doris*, ita ſcribere: *Duxerat ante uxorem de popularibus ſuis.* Judæus igitur erat.

Reſpondetur, Uxorem ex popularibus ſuis duxiſſe dici potuit Herodes, quia apud Judæos educatus & inſtitutus erat, imo & Judææ Præfectus, quamvis ex Judæorum genere ortus non eſſet. Præterea, in Joſephi Operibus Baſileæ apud Frobenium, & alibi editis, non legitur Dorin priorem Herodis uxorem fuiſſe ejuſdem gentis cum Herode, ſed popularem ex Judaica Gente. *Habuit ſiquidem* (inquit) *priorem uxorem, nomine Dorin, popularem ex Gente noſtra*; popularem hoc eſt ignobilem.

Obiicitur: Antipater Herodis parens fuit Idumææ Præpoſitus, & Herodes nondum Rex Mariamnem Hyrcani filiam duxit uxorem; ſed Antipatro Idumææ adminiſtratio concredita non fuiſſet, ſi ex illa fuiſſet oriundus; nec in matrimonium Herodi tradita fuiſſet Mariamnes, cum apud Judæos prohibita eſſent cum alienigenis matrimonia.

Reſpondetur, Hyrcanum Idumæam Antipatro crediidiſſe, quia fidem ejus probaverat, & a ſuæ Gentis hominibus in Alexandri fratris partes admodum propenſis ſibi formidabat. Herodi vero data eſt in uxorem

rem Mariamnes, quod Religione, quamvis non gente, Judæus eſſet: quod & ipſe & ejus pater a Romanis Judææ Præpoſiti maximam auctoritatem adepti eſſent; Judæique in magna rerum ſuarum perturbatione, eorum imperio, etiam adverſus Legis placita morem gererent.

Obiicitur: Si Herodes Idumæus fuiſſet Idumæorum Leges ac Ritus Judæis impoſuiſſet, quemadmodum Joannes Hyrcanus Ritus Judæorum impoſuerat Idumæis.

Reſpondetur, Id non tentaſſe Herodem, quia Religionem leviter curabat vir politicus & fortunæ tantum ſuæ ſerviens; Judæoſque Legi ſuæ ac Ritibus ſumme addictos noverat, & quidvis potius toleraturos quam eorum immutationem. Accedit, quod Idumæos Legi Circumciſionis ab Eſau ſubjectos poſtmodum ad totius Legis Moſaicæ obſervantiam Joannes Hyrcanus adduxerat, eoque nomine pro Judæis haberi cœperunt, Joſepho teſte, Libr. 13. *Antiquitatum*, Capit. 17. Quamobrem non mirum ſi Herodes Judaicos mores obſervaret, nec aliquid in iis immutare tentaret.

Obiicitur, Herodianos Herodem pro Meſſia habuiſſe: quod non feciſſent, niſi Judæus fuiſſet.

Reſpondetur, Herodianos fanaticos fuiſſe, numero paucos, & omnibus odioſos. Cæterum ita conſtans erat Herodem alienigenam eſſe, ut ex Eſſenis, aliiſque Sectis non pauci adduci numquam potuerint ut in ejus fidem jurarent; plurimi etiam tormentis & mortis comminatione ad juramentum illud præſtandum fuerint impulſi; unde ab ejuſmodi ſacramento exigendo vir politicis artibus inſignis & tempori ſerviens tandem abſtinuit. Ne vero Gentis Herodianæ, utpote quæ non eſſet ex Davidis familia, immo nec ex Judaico genere, a Regno repellendæ locus relinqueretur, Herodes omnes Judæorum Genealogias & publica Inſtrumenta comburi juſſit. Denique Herodianos ad Herodem pro Meſſia agnoſcendum impulſos, ea ratione, quod imperium Judaicæ Gentis a ſtirpe Davidica & Judaica ipſa Gente in illum translatum eſſet, S. Epiphanius obſervat Hæreſi 20. *Quamobrem*, inquit, *quod ex aliena illo Gente regnare cœperat, cum hactenus a Juda & Davide Regnum, atque ex Juda ſtirpe Principes ac Patriarchæ perſtitiſſent; quod inquam, imperium in externum hominem translatum fuerat, idoneam illis viſum eſt argumentum, ut Herodem eſſe Chriſtum arbitrarentur, quod ex illo Scripturæ loco conſequens videbatur*. Non deſinet Princeps e Juda, do-

Gen. 47. „ nec venerit cui reſervatum eſt. *Ut eo ſcala ſit accipiendam, quaſi Herodi reſervatum eſſet. Deſierant enim* (*ajebant*) *illi. Porro iſte de Juda genere non eſt, ac ne omnino quidem Iſraeliticæ Gentis. Huic autem Chriſto eſſe reſervatam fuerat. Verum quæ ſequuntur, illos* „ *manifeſte redarguunt*: Quoniam ipſe expectatio gen„ tium erit, & in eum Gentes ſperabunt. *Quænam vero Natio in Herodem ſperavit? aut quæ Gentium ſpes in expectando Herode defixa eſt?* &c.

„ Plura dabit Serarius in Opuſculo ſingulari *De Herode*.

DISSERTATIO X.
DE CELEBRI JOSEPHI
TESTIMONIO.
CHRISTUM JESUM SPECTANTE.

TEſtimonium iſtud habetur Libro 18. Antiquitatum, Cap. 4. Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς σοφὸς ἀνήρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή· ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ ἐπηγάγετο. ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵ γε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα, καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἰς ἔτι νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον.

Id ita vertit *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in Joſepho: *Eodem tempore fuit JESUS vir ſapiens, ſi tamen virum eum oportet dicere. Erat enim mirabilium patrator operum, & Doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt: Plurimos quoque tam de Judæis, quam de Gentibus, ſui habuit Sectatores, & credebatur eſſe Chriſtus. Cum invidia noſtrorum Principum Cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perſeveraverint. Apparuit enim eis tertia die vivens. Multa & hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus; & uſque hodie Chriſtianorum gens ab hoc ſortita vocabulum non defecit*. Quod quidem teſtimonium adulterinum, & a priſcis Chriſtianis Hiſtoriæ *Joſephi* aſſutum opinati ſunt *Oſiander*, *Giſanius*, *Montacutius*, *Capellus* uterque, *Cloppenburgius*, *Blondellus*, *Tanaquillus Faber*, aliique intemperantioris Criticæ Auctores. Contra vero genuinum propugnant *Galatinus*, *Junius*, *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, *Baronius & Bellarminus* Cardinales, *Caſaubonus*, *Uſſerius*, *Petitus*, *Voſſius* uterque, *Henricus Valeſius*, Doctiſſimus Præſul *D. Huetius*, aliique Viri Eruditi.

PROPOSITIO UNICA.

Præclarum illud de Chriſto Jeſu teſtimonium quod apud Joſephum legitur, genuinus Joſephi fœtus eſt.

PRobatur primo ex conſtanti & perpetua hujus teſtimonii lectione in Codicibus omnibus *Joſephi* tum Manuſcriptis, tum editis. Deinde ex Operum *Joſephi* diſtractione, quo tempore hunc locum aſſutum volunt, ſub finem ſcilicet tertii ſæculi. Codices enim omnes *Antiquitatum Judaicarum* penes Chriſtianos non erant, ut eos interpolare poſſent, ac illud teſtimonium pro dolo inſerere. Tertio, *Joſephi* diligentia in tradenda Hiſtoria ſui temporis, & rebus memoria dignis, quæ apud Judæos contigerant referendis, non patitur ut de Jeſu Nazareno ipſum ſiluiſſe exiſtimemus, cujus occaſione maximi in Judæa motus excitati, cujus nomen Orbe toto celeberrimum, qui Chriſtus appellatus eſt, de cujus nomine nova Chriſtianorum Secta prodiit, & longe lateque per ejus Apoſtolos & Diſcipulos propagata eſt. Quarto, cum *Joannis Baptiſtæ* & *Jacobi fratris Jeſu* meminerit, eoſque laude dignos cenſuerit, incredibile eſt de Chriſto Jeſu ſiluiſſe, cujus nomen longe clarius fuit. Quinto, ſeries orationis, locus appoſitus mentionem faciendi de Jeſu Nazareno, ubi de *Pilato* agit, ſtyli ſimilitudo & locutiones *Joſepho* familiares, hoc teſtimonium intruſum & adulterinum non eſſe probant, ſed *Joſephi* genuinum fœtum. Sexto, illud tamquam genuinum & legitimum laudant, & iiſdem verbis repræſentant *Euſebius* Libro 3. *Demonſtrationis Evangelicæ*, pag. 124. & Lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 11. *S. Hieronymus* in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in Joſepho, *S. Iſidorus Peluſiota* Lib. 4. Epiſtola 225. *Sozomenus* Lib. 1. Cap. 1. *Cedrenus* Hiſtor. Compend. p. 196. *Nicephorus Calliſtus* Lib. 1. Cap. 39. *Suidas* in Lexico, verbo Ἰώσηπος.

Obiicitur, Veteres Patres, qui Chriſtianæ Religionis veritatem adverſus Judæos propugnarunt, numquam hoc *Joſephi* teſtimonium protuliſſe, non *Juſtinum* in Dialogo cum Tryphone, non *Tertullianum* Libro Adverſus Judæos; qui certe illud prætermiſſuri non videntur, utpote ad cauſæ Chriſtianæ defenſionem validiſſimum, ſi tunc in *Joſephi* Codicibus extitiſſet. Accedit *Photii* ſilentium, qui cum *Joſephi* ſummarium & cenſuram dederit Tmemate 238. hujus teſtimonii nullatenus meminit.

Præterea, *Origenes* Jeſum a *Joſepho* pro Chriſto agnitum non fuiſſe diſerte teſtatur, Tom. 11. in Matthæum. *Et vero* (inquit) *mirabile eſt, quod cum Jeſum noſtrum non agnoſceret eſſe Meſſiam, nihilominus tale juſtitiæ teſtimonium Jacobo dederit*. Et Lib. 1. Contra Celſum: *Idem quamvis Jeſum parum agnoſcens pro Chriſto, dum quærit cauſam Hieroſolymorum Excidii, Templique demolitionis* [*cum debuiſſet dicere id accidiſſe propter ejus Populi contra Jeſum inſidias, quia Chriſtum a Prophetis promiſſum interemiſſent*] *quaſi invitus haud procul a veritate diſcedens, ait hæc contigiſſe Judæis in ultionem Jacobi cognomento Juſti, fra-*

tris

trii Jeſu qui dicitur Chriſtus, quia juſtiſſimum hominem occiderant. Idem *Theodoretus* aſſerit, nec injuria. Vaticinia enim Prophetarum Meſſiæ prænuntia *Joſephus*, ſive adulatorie, ſive ex animi ſententia, *Veſpaſiano* accommodavit: Cum tamen in hoc loco Jeſus clariſſimis verbis Meſſias eſſe dicatur: *Hic erat Chriſtus*.

Tertio, Teſtimonii hujus Auctor hominem dici non vult Jeſum; Deum igitur eſſe vult; quod de Meſſia ſuo Judæi numquam crediderunt.

Quarto, Jeſum plurimos e Gentibus ad ſe pertraxiſſe dicit, cum ex Ethnicis unam tantum alteramve mulierem ad ſuam Sectam Jeſus Chriſtus traduxerit.

Quinto, abſurdum eſt *Joſephum*, cujus in Ethnicorum ſuperſtitionem magis quam in Religionem Chriſtianam inclinabat animus, fatentem inducere, Prophetas prædixiſſe caſus, geſta, miracula, & Reſurrectionem Chriſti Jeſu.

Sexto Veriſimile non videtur, *Joſephum* Secta Phariſæum Jeſum laudaſſe, qui Phariſæos palam fuerat inſectatus.

Septimo, hæc periocha cum antecedentibus & conſequentibus minus coharet.

Octavo, ſtyli diſcrepantia teſtimonium iſtud aſſutum probat.

Reſpondetur ad primum, Inficialis argumenti nullam aut exiguam eſſe vim. *Juſtinum Martyrem*, *Tertullianum*, priſcos alios Patres, Judæorum pertinaciam Prophetarum Vaticiniis convincendam ſibi propoſuiſſe, teſtimonium *Joſephi* recentioris Auctoris, cujus non magnam apud Judæos auctoritatem eſſe noverant, prætermiſiſſe, maxime cum exploratum haberent, illud probe intellectum nihil adverſus Judæos conficere, ſed quæ de Jeſu Nazareno eſſet Chriſtianorum opinio dumtaxat exponere. *Photium* quod ſpectat, non mirum quod iſtius teſtimonii non meminerit, nec illud in ſuis Excerptis retulerit, cum *Judaicarum Antiquitatum* abſolutiſſimam Epitomen dare non inſtituiſſet, cujus quatuordecim priores Libros prætermiſit; & Tmemate a38. ſelecta quædam de *Herode* tantum excerpſit, ut ipſe profitetur. Et hæc quidem non ea fide deſcripſit, ut detrahere aliquid vel addere religio ipſi fuerit. In exemplum ſit hæc periocha, quæ apud *Joſephum* non habetur: *Hic eſt Herodes, Antipatri Idumæi, & Arabiſſa (Cypris autem nomen ipſi fuit) filius: Sub quo Chriſtus Deus noſter pro ſalute noſtri generis virgineo utero editur: Adverſus quem furore actus Herodes, aberravit quidem a Domino, plurimorum autem Infantium interfector fuit.* Si *Joſephi* non ſunt, quæ hic a *Photio* commemorantur, cur *Joſephi* eſſe negemus, quicquid a *Photio* prætermittitur?

Ad ſecundum reſpondetur, *Origenem* & *Theodoretum* recte aſſeruiſſe, Jeſum a *Joſepho* pro Chriſto habitum non fuiſſe, quia in Chriſtum non credidit, neque Chriſtianus fuit. Cum enim de Jeſu ait, *Chriſtus hic erat*, non id ſignificat, illum eſſe revera Chriſtum qui a Judæis expectabatur, ſed vulgata appellatione Chriſtum nominari ſolitum a Judæis, Chriſtianis, & ipſis Ethnicis. Matth. 1. 16. *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Sic Pilatus, Matth. 27. 17. 22. *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?* Sic impii Satellites, Matth. 26. 68. *Prophetiza nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* Sic Summi Sacerdotes cum Scribis, Marc. 15. 32. *Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de Cruce.* Ita *Suetonius* in *Claudio* Cap. 25. *Judæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Roma expulit*. Et *Tacitus* Lib. 25. Annalium, Cap. 44. *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio Imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat*. Ita & *Plinius* Epiſtola ad *Trajanum*, & *Lampridius* in Vita *Alexandri Severi*. Hinc *Euſebius* Lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. 3. *Incorporea autem & divinæ virtutis, quæ in ipſo fuit, magnum & luculentum indicium eſt, quod ſolus ipſe ex omnibus, qui umquam extiterunt ad hanc diem, nunc quoque ab omnibus hominibus per univerſum orbem Chriſtus vulgo appellatur, & ab omnibus communi conſenſu & teſtificatione hoc celebratur cognomine, & a Græcis ac Barbaris prædicatur*. Cum ergo dixit *Joſephus*, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν ſupplere voluit, ὁ λεγόμενος quod alibi, conceptis verbis expreſſerat, ſcilicet Lib. 20. Cap. 8. Ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. *Fratrem Jeſu, qui dicitur Chriſtus*. Atque hunc *Joſephi* ſenſum eſſe docet *S. Hieronymus*, hæc verba ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. ita reddens: *Et credebatur eſſe Chriſtus*.

Ad tertium reſpondetur, Judæos Meſſiæ ſuæ divinitatem adſcripſiſſe; nec tamen *Joſephum* exiſtimaſſe Jeſum eſſe verum Deum, ſicut nec verum Meſſiam. Quod ergo ait, *Si tamen illum fas eſt virum dicere*, id oratorio more dixit, ut prodigiorum a Jeſu patratorum admirabilitatem extolleret, & ſignificaret illum tanta geſſiſſe, ut Deo quam hominibus propior videatur. Quem loquendi morem & profanis Scriptoribus familiarem, nec a Chriſtianis omnino repudiatum pluribus exemplis oſtendit Doctiſſimus Præſul *Daniel Huetius* Demonſtrationis Evangelicæ Propoſitione 9. & inter alia ex *Matthiæ Corvini* Pannoniæ Regis Epitaphio quod refert *Jovius*.

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum, facta fuiſſe hominem.

Ad quartum reſpondeo, Etſi una tantum alterave mulier ex Ethnicis Chriſto in terris agenti nomen dederit, Gentes tamen integras Apoſtolorum prædicatione ad Criſtum converſas. *Joſephum* itaque ad ſuum tempus reſpexiſſe, quo Chriſtianum nomen jam longe lateque propagatum erat; & Chriſto jure tribuiſſe quod Apoſtoli Chriſti virtute ſe facere prædicabant.

Ad quintum reſpondeo, *Joſephum* ex propria ſententia non loqui, ſed ex publica fama, & Diſcipulorum Chriſti, atque omnium Chriſtianorum fide; cum ait: Illum Diſcipulis apparuiſſe tertia die redivivum; *Multa hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus:* Quaſi diceret, Eos qui Jeſum credebant eſſe Chriſtum, credere etiam ipſum die tertia ſurrexiſſe a mortuis, & Prophetarum de Meſſia prædictiones in illo exitum habuiſſe.

Ad ſextum reſpondeo, Mirum non eſſe quod *Joſephus*, Secta licet Phariſæus, tam magnifice de Chriſto ſcripſerit, cum *Veſpaſianum* capitalem Judaicæ Gentis hoſtem, aut Meſſiam eſſe crediderit, aut credere ſe finxerit. Et ſi Deus, qui hominum ingenia & corda regit omnipotentiſſima poteſtate, Paulum Secta quoque Phariſæum, & Chriſtianæ Religioni infenſiſſimum Chriſti Prædicatorem & Apoſtolum effecit; Quid mirum ſi a *Joſepho* in Judaiſmo pertinaci præclarum illud de Chriſto teſtimonium expreſſit?

Ad ſeptimum reſpondeo, *Joſephum* temporum ordinem, non rerum attendere, & diverſas ac omnino diſparatas narrationes rerum quæ iiſdem temporibus geſtæ ſunt, in unum caput congerere, nulla quæſita argumentorum commiſſura; qui nobiliſſimorum Hiſtoricorum mos eſt, quamvis alius ſit Oratorum ſtylus. Quæ autem eo in Capite narrat *Joſephus*, in quo præclarum illud de Chriſto teſtimonium habetur, *Pilati* temporibus contigerunt. Unde non eſt quod ea minus coharere Adverſarii cauſentur.

Ad octavum reſpondeo, Styli diſcrepantiam viros eximie criticos & eruditos nullam ſubodorari, inter alios *Caſaubonum*, *Uſſerium*, *Voſſios*, *Valeſium*, *Huetium*, &c.

His itaque conjecturis non obſtantibus, genuinum habeatur *Joſephi* teſtimonium de Chriſto Jeſu Salvatore noſtro, fine Legis & Prophetarum, cui ſempiterna laus, honor, & gloria.

FINIS HISTORIÆ VETERIS TESTAMENTI.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM, QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ABdiæ patria, ætas, pag. 168. Abdiæ vaticinia de Chriſto, & Eccleſia, *ibid.* Abdiæ Achabi Regis Diſpenſatoris pietas, 92.

Abia Roboami filius, Rex Juda, 85. Abiæ virtutes & vitia, *ibid.* Abiæ cum Jeroboamo bella & victoriæ, *ibid.* Abiæ uxores & liberi, 85.

Abiathar Sacerdos Adoniæ conjurationis conſcius, 80. Merito a Salomone Sacerdotio exauctoratur, *ibid.*

Abraham; Fauſti Manichæi in Abrahamum calumniæ, 27. Abrahamus a calumniis vindicatur, *ibid. & ſeq.*

Achab Rex Iſrael, 90. Nuptiæ ejus, impietas, iniqua fœdera, *ibid.* Achabo Regi pœna a Deo per Eliam Prophetam denuntiata, *ibid.* Eliæ miracula regnante Achab, *ibid.* Achab vineam Nabothi invadit, 91. Elias excidium Achab, & Jezabeli vaticinatur, *ibid.* A Propheta exterritus Achab Deum placare ſtudet Pœnitentiæ operibus, *ibid.* An vera fuerit Achabi pœnitentia, *ibid. & ſeq.* Achabus bellum Syris illaturus de belli eventu Pſeudoprophetas quadringentos fauſta omnia ominantes, conſulit, 91. Michæus Propheta ab Achabo interrogatus vaticinatur Achabi excidium, *ibid.* Virum Dei in carcerem conjici Achab jubet, *ibid.* Mors Achabi, 92. Eliæ de Achabo Vaticinium quomodo impletum, *ibid.*

Achaz Rex Juda, impietas ejus, 96. Achazi obitus, *ibid.* Error Joſephi in hiſtoria Achaz, 108.

Actiaca pugna, 256.

Adimanti Manichæi contra veteris Teſtamenti auctoritatem argumenta ex novi & veteris oppoſitione petita ſolvuntur, 29. *& ſeq.*

Adonias Salomonis frater tyrannidem affectat, 80. Adonias juſte a Salomone capitis damnatur, *ibid.* Utrum Regnum David cum Adoniæ jure primogeniti deberetur, 81. Utrum Regno juſte privatus fuerit a Patre, *ibid.*

Adorationis genus multiplex, 62.

Adulteria; Julia lex de adulteriis, qua occaſione lata, 257.

Ægypti Reges, 112. 239. Ægypti deſolatio a Nabuchodonoſore, 216. *& ſeq.* Ægyptus in Provinciam Romanam redacta, 256. Ægyptiorum Sapientia quid ſit, 14. Utrum Ægyptii Scriptores fuerint ante Moyſem, *ibid.* A quibus literas acceperint Ægyptii, *ibid.*

Æſchylus Poeta, 227.

Æſopus Fabulator, 225.

Aggæo nomen & dignitas Prophetæ aſſeritur, 291. Aggæi de Chriſto vaticinium, *ibid.*

Agraria lex, 249.

Ahiæ Silonitæ vaticinium contra Jeroboam, & Regnum Iſraelis, 86.

Alexander Bala, 202.

Alexander Bala Antiochi Epiphanis filius ſuppoſititius, 237. Demetrium Soterem Regno & vita ſpoliat, *ibid.* Alexandri nuptiæ, *ibid.* Clades & obitus, *ibid.*

Alexander Jannæus Rex & Pontifex Judæorum, 204. Ejus geſta & crudelitas, *ibid.* Alexandri morientis conſilia, *ibid.*

Alexander Ptolemæi Lathuri nepos Ægypti Rex, 242. *& ſeq.* Alexander alter hujus frater, 243. Populum Romanum Regni ſui heredem inſtituit, *ibid.*

Alexander Ptolemæi Phiſconis filius natu minimus, 242. Cleopatræ matris artibus Rex in locum fratris conſtituitur, *ibid.* Cleopatram matrem interfecit, 242. Concurſu Populi in exilium agitur, *ibid.*

Alexander Magnus, Philippo patri ſuccedit, 229. Alexandri mores, *ibid.* Alexandri expeditiones, *ibid.* Alexander triplici prælio Darium vincit, *ibid.* Alexandri in Darii matrem & uxorem pietas & clementia, 267. Alexandri Hieroſolymitana profectio, 230. Alexandri victoriæ, 230. Mors Alexandri, *ibid.* Alexandri virtutes & vitia, *ibid.* Danielis vaticinia de Alexandro Magno, & Monarchia Græcorum, 231. Quæſtiones Gymnoſophiſtis ab Alexandro propoſitæ, 232. Alexandri magni ſucceſſores, *ibid.*

Alexander Veles, 202. Alexander inſidiis Ptolemæi Philometoris ſoceri ſui Regno ſpoliatur, & in Syriam fugatur, *ibid.*

Alexandra Judæorum Regina, 204.

Amaſias Rex Juda, 94. *& ſeq.* Amaſias Idumæos cædit, 95. Joſephi Idola inter hoſtium ſpolia direpta colit, *ibid.* A Joaſo Iſraelitarum Rege vincitur, & capitur, *ibid.* Mors Amaſiæ, *ibid.* Joſephi errores in hiſtoria Amaſiæ, 107. De expeditione Amaſiæ contra Idumæos Hebræorum fabula, *ibid.*

Amaſis Rex Ægypti, quomodo Ægyptios ad ſui reverentiam perduxerit, 216.

Amon Manaſſis Filius, Rex Juda, 100. Impietas ejus, *ibid.* Suorum conjuratione in Palatio cæditur, *ibid.*

Amoſi Prophetæ genus, ætas, martyrium, 166. Amoſi teſtimonia a poſterioris ævi Scriptoribus ſacris uſurpata, *ibid. & ſeq.* Amoſi prophetiæ ſumma, *ibid.* Amoſi vaticinium de Chriſto & Eccleſia contra Grotium vindicatur, 167. Amos Propheta quando propheticum munus obierit, 95.

Amri Rex Iſrael nequiſſimus ab exercitu eligitur, 87. Samariam ædificat, *ibid.* Amri obitus, *ibid.*

Anacreon Poeta Liricus, 226. Ejus ingenium & mores, *ibid.*

Anaxagoras Clazomenius Philoſophus, celebre ipſius prænuntium, 227.

Ancus Marcius Rex quartus Romanorum, 124.

Anna Mater Samuelis typus Eccleſiæ, & Religionis Chriſtianæ, 77.

Anni Sabbatici, 39. Jubilæi, *ibid. Vid.* Sabbatici. Jubilæi anni Anni interregnorum, oppreſſionis, ſervitutis, & quietis, 44. Utrum ſeorſim ab annis Judicum numerandi, an vero in iis includendi, *ibid. & ſeq.*

Antigonus Ariſtobuli Filius a Parthis adjutus Regnum & Sacerdotium occupat Hircano exauctorato, 206. Herodis Bellum cum Antigono, *ibid.* Antigoni cædes, *ibid.*

Antiochus Alexandri Balæ Filius, 262.

Antiochus Aſiaticus Regno Syriæ a Pompejo exuitur, 239.

Antiochus Cyzicenus Regno fratrem ſpoliat, 238. Syria a fratre expellitur, *ibid.* Antiochi mors, *ibid.*

Antiochus Epiphanes quare ſic dictus, 236. Antiochi bella, *ibid.* Impietas ejus, 197. Antiochi Epipha-

phanis perſecutio cladeſque ab eo Judæis illatæ, 198. Antiochi perſecutio a Daniele prædicta, *ibid.* Antiochus Epiphanes Antichriſti typus, 199. Antiochi duces a Judæis profligantur, 200. Mors Antiochi Epiphanis, *ibid.* Trium locorum Scripturæ circa illam conciliatio, *ibid.* & *ſeq.* Danielis vaticinium de Antiocho Epiphane, 236.

Antiochus Eupator, *ibid.*

Antiochus Grypus Syriæ Rex quare ſic dictus, 238. Antiochi bella cum Alexandro, *ibid.* Inſidias a matre paratas effugit, *ibid.* Antiochus Grypus Regno a fratre ſpoliatur, *ibid.* Antiochus maximam Regni partem recuperat, *ibid.* Antiochi Grypi filii, *ibid.*

Antiochus Magnus Aſiæ Rex, 197. 234. Bella ab eo felici vel infelici exitu geſta, *ibid.* Danielis Vaticinia de Antiocho Magno, 234. & *ſeq.* Antiochi cædes, 235.

Antiochus Pius Syriæ Rex, varia, ejus bella & certamina, 238.

Antiochus Sidetes fraternum Regnum recuperat, 237. & *ſeq.* Antiochus in prælio cadit, *ibid.*

Antiochus Soter Seleuci Nicatoris filius, Aſiæ Rex, 233.

Antiochus Θεὸς ſive Antiochus ſecundus Aſiæ Rex & Antiochi Soteri filius & ſucceſſor, 234.

Antipater, genus ejus, patria, indoles, liberi, 205.

Antonius Conſul mortuo Julio Cæſare Reipublicæ hoſtis declaratur, 254. Bella adverſus Antonium, *ibid.* & 256. Antonii Triumviratus, 255. Proſcriptiones, *ibid.* Antonius mortem Ciceronis imperat, *ibid.* Armeniam ſubigit, 256. Antonii in Cleopatram inſanus amor, *ibid.* Antonii a Cæſare Octaviano debellatio, *ibid.* Mors Antonii, *ibid.* Antonius Herodi contra Judæos favet, 206.

Apollonius Rhodius, 241.

Apries ſeu Ephree Ægypti Rex ab Amaſi ſolio exturbatus & interfectus, 113.

Aratus Poeta, 240.

Arceſilaus Philoſophus, 239.

Archontes Athenis perpetui, 116. Archontes Athenis decennales, 119. Athenienſium Archontes annui, *ibid.*

Ariſteas Proconneſius Poeta, 225.

Ariſtea libellus de Legis Divinæ ex Hebraica lingua in Græcam tranſlatione per 70. Interpretes ſuppoſititius eſt, 331. Varia ſuppoſitionis argumenta, *ibid.* & *ſeq.*

Ariſtobulus filius Ioannis Hircani poſt mortem Patris Regis nomen & inſignia ſumit, 204. Ariſtobuli crudelitas in ſuos, *ibid.* Obitus ejus, *ibid.*

Ariſtobulus Rex & Pontifex Judæorum, 205. A Pompejo exauctoratur & in vincula conjicitur, *ibid.*

Ariſtobulus ultimus ex Aſſamonæorum ſtirpe Pontifex, 206.

Ariſtobulus Philoſophus, genere Judæus, 242.

Ariſtoteles, Platonis diſcipulus Alexandri Magni Præceptor, Philoſophorum Peripateticorum Princeps, 232.

Arſes Artaxerxis Ochi filius, ab Eunucho Bagoa Perſarum Rex conſtituitur, 225. Arſis cædes, *ibid.*

Artaxerxes Longimanus, Xerxis filius, Perſarum Rex, 223. Qua arte Artabanum Patris interfectorem & ſibi inſidias meditantem occidit, *ibid.* Virtutes ejus, *ibid.* Bella ab Artaxerxe ſuſcepta, *ibid.*

Artaxerxes Mnemon, Perſarum Rex, 224. Fratri vitæ ipſius inſidianti parcit, *ibid.* Artaxerxes in fratris ſeditioſi cadaver contumelioſis modis ſævit, *ibid.* Artaxerxis bella, *ibid.* Artaxerxes ſeverus pravitatis judicium vindex, *ibid.* Artaxerxes Darium filium vivus Regem facit, *ibid.* Filiorum ejus in ipſum conjuratio, *ibid.* Artaxerxis liberi & obitus, *ibid.*

Artaxerxes Ochus Perſarum Rex, 224. & *ſeq.* Artaxerxis Ochi crudelitas in ſuos, *ibid.* Bella & obitus, *ibid.*

Aſa Rex Juda, 85. An eadem mulier, Abiæ & Aſæ Regum, *ibid.* Aſæ pietas, & avitæ religionis reſtaurandæ ſtudium, *ibid.* Aſæ victoria celebris, *ibid.* Aſæ bella, *ibid.* Aſa ob imploratum Syriæ Regis auxilium, corrigitur, *ibid.* Triplex Aſæ peccatum, *ibid.*

Aſdrubalis Ducis Carthaginis ignavia, 248. Deditio, *ibid.* Uxoris ejus deſperatus furor, *ibid.*

Aſſuerus a quo Templi ædificatio prohibita, eſt Cambyſes, 195.

Aſſyriorum Reges, 113. Aſſyriorum Imperium ad Medos devolutum, 114. Novum Aſſyriorum Imperium, Ninive excitatur, *ibid.* Aſſyriorum Reges poſtremi, *ibid.* Aſſyriorum Imperium quot annis ſteterit, *ibid.* & *ſeq.*

Aſtiages Medorum Rex ultimus, 114.

Athalia Jorami Judæorum Regis vidua, Regnum Judæ occupat, 90. Athaliæ impietas & crudelitas, *ibid.* Athaliæ cædes, *ibid.*

Athenienſium Archontes, *Vid.* Archontes ſupra. Draco Athenienſium Legiſlator, 119. Athenarum expiatio ab Epimenide, 120. Ara apud Athenienſes ignoto Deo erecta, *ibid.* Solon Athenienſium Legiſlator, 121. Cives Athenienſium, claſſes & cenſus *ibid.*

B

Baaſa Rex Iſrael totam Jerohoami ſtirpem delet, 87. Baaſæ bella cum Aſa Rege Juda, *ibid.* Difficultas circa chronologiam ſacram ſolvitur, *ibid.* Baaſæ impietas, *ibid.* Jehu Prophetæ contra Baaſam ejuſque ſtirpem vaticinium, *ibid.* Baaſa Jehu Prophetam occidit, *ibid.* Baaſæ obitus, *ibid.*

Babylonis excidium, a Jeremia prænuntiatum, 101. Babyloniorum Reges, 218. & *ſeq.* Regum Babyloniorum ſucceſſio aliter a Joſepho tradita, 220.

Babylonici Regni exordium, 115. Babyloniorum mores, doctrina, religio, *ibid.* Babylonica captivitas quot annis definita ſit, 191. 276. & *ſeq.* Miracula tempore captivitatis Babylonicæ patrata, 191. Unde iſtorum ſeptuaginta annorum ducendum ſit exordium, *ibid.* Ubi finis conſtituendus, *ibid.* Babylonica Sedechiæ Regis & Populi deportatio & captivitas, 102. Anni ſeptuaginta hujus deſolationis, unde & quomodo computandi, 276. & *ſeq.*

Bacchanalia quid ſint, 247. Bacchanalia prohibita Romæ, & in tota Italia, *ibid.*

Baltaſſar Babyloniorum Rex, 219. Baltaſſari pœna divinitus irrogata, 193. Utrum Baltaſſar idem ſit qui Laboroſoarchodus, 229.

Baruch genus, patria, 101. 187. Quo tempore Baruch vaticinatus ſit, 187. Divina Baruch auctoritas, *ibid.* Libri Baruch, verſiones, 187. Jeremiæ epiſtola ad calcem libri Baruchi appoſita, ipſius Jeremiæ fœtus eſt, 188.

Beleſis an ſit ipſe Daniel, 216.

Beli Idoli hiſtoria, 192. & *ſeq.*

Bizantium a quo conditum, 119.

Bocchoris Ægypti Rex, 112. Leges Bocchoridis, *ibid.* Virtutes ejus & vitia, *ibid.*

Bœoticum Bellum, 228.

Booz, an plures Boozi admittendi ſint, 56. & *ſeq.*

Bubaſtitarum Dynaſtia, 112.

C

Cabbala quid ſit & quotuplex, 288. & *ſeq.* Utrum Eſdram vel Moyſem habuent auctorem, 290.

Cæſaris (Julii) Pompeii & Craſſi Triumviratus, 253. Bellum civile Pompejum inter & Cæſarem, *ibid.* Pugna Pharſalica, *ibid.* Bellum Alexandrinum, Ponticum & Africanum a Cæſare confectum, 253. Quadruplex Cæſaris triumphus, *ibid.* Cæſaris bellum Hiſpanienſe, 254. Julii Cæſaris Honores, *ibid.*

Cæſar Octavius a Julio Cæſare in filium adoptatus, & heres relictus, 254. Fortitudo ejus & Prudentia, *ibid.* Cæſaris Octaviani bellum adverſus Antonium, *ibid.* Cæſaris conſulatus, *ibid.* Pax inter eos inita, 255. Cæſaris Octaviani cum Antonio & Lepido triumviratus, *ibid.* Bellum Cæſarem inter & Antonium renovatur, *ibid.* Pax inter eos redintegrata, *ibid.* Sextus Pompejus a Cæſare debellatus, *ibid.* Lepidus a Cæſare in ordinem redactus, 256. Bellum Cæſarem inter & Antonium, *ibid.* A Cæ-

ſare

ſare Antonius vincitur, *ibid.* Triplex Cæſaris triumphus, *ibid.* Cæſar Imperator creatur, *ibid.* Cæſar Auguſtus appellatus, 257. Cæſar Auguſtus Pontifex Maximus creatur, *ibid.* Cenſus ab Auguſto Cæſare habiti, *ibid.* Cenſus ab Auguſto factus quo tempore Chriſtus natus eſt, *ibid.* Pax ab Auguſto Cæſare parta, *ibid.* Poetæ illuſtres Auguſti temporibus, 258.

Calanus Gymnoſophiſta, 232. Mors ejus, *ibid.*

Callimachus Poeta Cyrenæus, Poetarum Elegiacorum Princeps, 240.

Calliſthenes philoſophus, hiſtoricus, & orator, Alexandri incurrit odium, 231. *& ſeq.* Mors Calliſthenis, 232.

Cambyſes Cyri filius, Perſarum Rex, 222. Expeditiones ejus, inſania, crudelitas, & mors infauſta, *ibid.*

Canticum Canticorum quid ſit, 148. Quare ita nuncupatum, *ibid.* A quo ſcriptum, *ibid.* Utrum Canticum Canticorum amatorium carmen ſit in gratiam Filiæ Pharaonis a Salomone conditum, *ibid.* An ſacrum ſit Epithalamium nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ, divino afflatu a Salomone conſcriptum, *ibid. & ſeq.*

Capitolii conflagratio, 251.

Cardianus hiſtoricus, 239.

Carneadas philoſophus academicus, 242.

Carthago a Scipione expugnatur, 248. Et deletur funditus, *ibid.*

Cenſorum creatio, 245.

Cenſus inſtitutio apud Romanos, 243. Cenſus ab Auguſto habiti, 257.

Chalcedon condita, 119.

Chaldæorum Regnum, 215. Chaldæorum religio, doctrina, mores, *ibid.*

Chærilus Samius Poeta, 227. Quo tempore floruerit *ibid.* Chœrilus Samius cum Chœrilo Athenienſi non confundendus, *ibid.*

Ciceronis cædes, 255. Ejus elogium, *ibid.* Ciceronis nævi, *ibid.*

Cinerum ſupplicium quid ſit, & a quo inventum, 224.

Cleantes philoſophus, 233.

Cleopatra Ptolemæi Auletæ ſimul cum Ptolemæo fratre imperat, 242. Cleopatra pulſo fratre a Cæſare Ægypti Regina conſtituitur, *ibid.* Julii Cæſaris & poſt mortem ejus M. Antonii amica & fautrix contra Octavium Cæſarem, 243. Cleopatræ fœdi amores, ſuperbia, ambitio, & mors, *ibid* 256.

Cleopatra Ptolemæi Lathuri mater, vitia ejus, 242.

Clœliæ Virginis Romanæ magnanimitas, 244.

Chriſtus. Oracula Chriſti venturi prænuncia, 1. 2. 3. *& ſeq.* Chriſtum inter & Moyſem ſimilitudo, 1. *& ſeq.* Chriſtus quo ſenſu in libris Moſaicis maledictus dicatur, 29. Jephte Chriſti Domini typus, 51. Samſon Chriſti figura, 54. Vaticinia in libro Pſalmorum Chriſti mortem, paſſionem, reſurrectionem, Gentium vocationem per Chriſtum partam ſpectantia, 69. *& ſeqq.* Chriſti divinitas, generatio æterna, regia dignitas, Sacerdotium, victoriæ, ac triumphi præcinuntur, 72. *& ſeqq.* Inſignes de Chriſto prophetiæ quæ in libris Regum continentur, 77. *& ſeq.* Elias Chriſti typus, 154. *& ſeq.* Chriſti duplex adventus, 155. 166. De Chriſto vaticinia Prophetarum Oſee, 163. *& ſeq.* Joelis, 166. *& ſeq.* Amoſi, 167. Abdiæ, 168. *& ſeq.* Michææ, 170. *& ſeqq.* Iſaiæ, 175. *& ſeqq.* Habacuc, 183. Jeremiæ, 185. *& ſeqq.* Ezechielis, 260. Danielis, 262. Aggæi, 292. Zachariæ filii Barachiæ, 293. Chriſti Regnum ſpiritale & internum, 172. Chriſtus quare dictus ſit Jeſus Nazarenus, & non Bethleemiticus, *ibid.* Quo tempore Chriſtus natus ſit, 257. Ex 70. hebdomadum Danielis vaticinio Chriſti adventus demonſtratur, 270. *& ſeq. Vid.* Daniel. Jeſus Joſedech Chriſti typus, 294. Chriſti triumphalis ingreſſus Jeroſolymam, 295. Chriſti venditio, & mors a Zacharia prænuntiata, 296.

Conſulum creatio, 244. Conſulum reſtitutio, 245. Tribuni militares Conſulum loco creati, *ibid.*

Corinthus diruta, 249.

Coriolani ad Volſcos defectio, 244. Legatio muliebris ad eum miſſa, 245.

Cornelius Rufinus ob luxum ſenatu motus, 246.

Crantor philoſophus, 239.

Cras adverbium quid ſignificet, & utrum ſemper diem craſtinum in ſacris literis denotet, 61. *& ſeq.*

Craſſi (Marci) triumviratus, 252. M. Craſſi infelix exitus, 253.

Crœſus Lydorum Rex poſtremus, 225. A Cyro Perſarum Rege victus Regno ſpoliatur, 226. Philoſophi temporibus Crœſi celebres, *ibid.*

Cylonis piaculum, 120.

Cyri Perſarum Regis parentes, bella, mors, & epocha, 221. *& ſeq.* Cyri educatio, 114.

D

DAn Hujus vocis variæ acceptiones, 7.

Danielis genus, ætas, vitæ ratio, vaticinia, 262. Liber Danielis qua lingua editus, *ibid.* Ejus verſiones, *ibid.* Danielis vaticinia de Chriſto & Eccleſia *ibid. & ſeq.* Liber Danielis nomine inſcriptus genuinus ipſius fœtus eſt, 263. Danielis libri veritas contra Talmudiſtas & alios Rabbinos vindicatur, *ibid. & ſeq.* Daniel vere & proprie propheta fuit, 264. *& ſeq.* Unus & idem eſt Daniel propheta, & Suſannæ vindex, 265. *& ſeq.* Utrum ad eum Suſannæ, Beli, & Draconis hiſtoriæ referendæ ſint, *ibid. & ſeq.* Hiſtoria Suſannæ & alia quæ Danielis additamenta vulgo nominantur, ſacra ſunt, & canonica, 267. *& ſeq.* Danielis de 70. hebdomadibus vaticinium, & variæ circa illius explicationem ſententiæ, 193. 270. Septuaginta hebdomadum Danielis exordium ducitur probabilius ab anno vigeſimo Artaxerxis Longimani, 272. *& ſeq.* Finis vero poſt paſſionem Chriſti, *ibid.* Undecumque 70. hebdomadum exordium ſumatur ex his veniſſe Meſſiam ſeu Chriſtum demonſtratur, 273. *& ſeq.* Daniel Suſannam a ſenibus impudicis falſo accuſatam, & a Judicibus damnatam cœleſti ſapientia liberat, 191. Daniel Nabuchodonoſoris ſomnium explicat, *ibid.* Daniel omnibus Babylonis provinciis & univerſis Magiſtratibus Chaldæorum præficitur, *ibid.* Daniel in lacum leonum conjectus ibique illæſus, 193. Scriptura prodigialis a Daniele explicata, *ibid.* Danielis dignitas, *ibid. & ſeq.* Daniel in lacum leonum iterum conjicitur, unde illæſus eruitur, *ibid.* An Beleſis ſit ipſe Daniel, 216. Danielis vaticinia de Alexandro Magno, & Monarchia Græcorum, 231. Vaticinia Danieli, de Antiocho magno, 234. *& ſeq.* De Seleuco Philopatore, 236. De Imperio Romano, 258.

Darius Codomanus virtute ſua ad Imperium Perſarum provehitur, 225. Genus ejus, parentes, *ibid.* Darii bella cum Alexandro infeliciter geſta, *ibid.* Darii mors infauſta, *ibid.*

Darius Hyſtaſpis qua arte ſolium conſcenderit, 222. Darii Hyſtaſpis nuptiæ, *ibid.* Bella, *ibid.* Tributorum impoſitio, *ibid.* Darii in Babylonios crudelitas, *ibid.* Obitus, *ibid.* Utrum ſub Dario Hyſtaſpi ſecundi Hieroſolymitani Templi fabrica ſit abſoluta, 290. *& ſeq.*

Darius Medus utrum idem ſit ac Nabonidus, 119.

Darius Nothus Perſarum Rex, 224. Darii nuptiæ, *ibid.* Supplicium cinerum ab ipſo inventum, *ibid.* Utrum ſub Dario Notho Templum fuerit inſtauratum, 306. *& ſeq.*

David utrum ſit unicus omnium Pſalmorum auctor, 63. David typus Chriſti, 79. Pietatem Davidis de Templo ædificando cogitantis Deus amplis promiſſionibus munerat, 125.

Debbora vere & proprie Judex Hebræorum ac Propheta fuit, 46. Patres Debboram inter Judices Iſraelis numerandam cenſent, *ibid.* Satisfit objectionibus, *ibid. & ſeq.*

Decemviri ad ſcribendas leges deſignati, 245.

Decii devotio, *ibid.*

Dejoces Medorum Rex, 114.

Demetrius Nicanor Syriæ Rex, 202.

Demetrius Nicator paternum Regnum recuperat, & quomodo, 237. Bellum Parthicum ab ipſo ſuſceptum, *ibid.* Pacis ſimulatione deceptus capitur, *ibid.* Demetrius Nicator iterum regnat, 238.

Demetrius Phalereus Ptolemæi Lagi tempore celebris, 239.

De-

Demetrius Soter Antiochi Eupatoris ſucceſſor, 237. Syrorum in ipſum odium, *ibid.* Demetrius Regno ſpoliatur, *ibid.*

Demoſthenes Athenienſis Orator præſtantiſſimus, ipſius geſta & opera, 229. Ab Areopagitis carcere damnatur, *ibid.*

Deus prima & ſumma veritas, 24. Non ſolum propter æterna, ſed etiam propter temporalia beneficia Deus coli voluit, 28.

Deuteronomium quare ſic dictum, 1. Utrum Deuteronomium ſit Moſis genuinum opus, *ibid.*

Diagoras Philoſophus & Poeta, 227. Impietatis damnatus ab Athenienſibus, *ibid.*

Diogenes Philoſophus Cynicus, 231. Alexandro roganti Diogenem qua re haberet opus, reſponſum Diogenis, *ibid.*

Dionyſius Heracleota, 240.

Divortium primum apud Romanos, 246.

Dæmon nullam animas hominum evocandi poteſtatem habet, 60.

Doritheani Samaritanorum ſoboles, 209.

Draco Athenienſium legiſlator, 119. Draconis leges acerbæ, *ibid.* Draconis Babylonii a Daniele occiſi hiſtoria, 192. 193.

E

DE *Eccleſia* vaticinia prophetarum Oſee, 163. Joelis, 166. Abdiæ, 168. Amoſi, 167. Micheæ, 170. *& ſeq.* Iſaiæ, 175. *& ſeq.* Nahum, 183. Jeremiæ, 185. *& ſeq.* Ezechielis, 260. Danielis, 262. Aggæi, 292. Zachariæ, 293. Præclare de Eccleſia ex Gentibus congreganda vaticinationes, 189.

Eccleſiaſtici libri divina auctoritas probatur ex Scriptura, 319. Ex Patribus, *ibid.* Ex Traditione, *ibid.* Librum Eccleſiaſticum pars Eccleſiarum maxima in canonem retulit, 319. *& ſeqq.* Eccleſiaſticum librum tandem Eccleſia univerſa ut Canonicum ſuſcepit, 319. Auctor Eccleſiaſtici utrum Salomon fuerit, an Jeſus Sirac, 321.

Eccleſiaſtis liber in primo Canonicorum librorum ordine recenſendus, 143. Contra canonicam Eccleſiaſtis auctoritatem nulla militant ponderis alicujus argumenta, *ibid.* Liber Eccleſiaſtis Salomonem auctorem habet, 146. Eccleſiaſtis liber adſcribendus non eſt Ezechiæ, *ibid.* Nec Zorobabeli, *ibid.* Scriptores Ethnici ex libro Eccleſiaſtis nonnulla hauſerunt, 147. *& ſeq.*

Eclipſes Solis inſignes, 95.

Ela Rex Iſrael Baaſæ filius, ejuſque mors infauſta, 87.

Eleazari Judæ Machabæi fratris mors glorioſa, 201.

Eliæ literæ ad Joramum Regem, quando ſcriptæ, 88. Eliæ miracula, 90. Eliæ in Cœlum raptus, 92. Eliæ duplex ſpiritus quid ſit, *ibid.* Hebræorum fabulæ de Elia, 105 106. Juliani Apoſtatæ de igne in Eliæ ſacrificia cœlitus delapſo teſtimonia, 111. Utrum & quomodo Elias Chriſti Domini typus fuerit, 154. Elias Chriſti ad judicandos vivos & mortuos venturi Præcurſor futurus eſt, 155. *& ſeq.* Elias Propheta commendatur, *ibid.* Eliæ adventus temporibus Antichriſti, *ibid.* Eliæ miracula, martyrium, anticipata reſurrectio & aſſumptio in cœlum, *ibid.*

Eliſæus duplicis Eliæ ſpiritus hæres, 92. Eliſæi miracula, *ibid. & ſeq.* Mors Eliſæi Prophetæ, 95. Cadaveris ejus contactu mortuus ſuſcitatur, *ibid.* & 107. Fabula Hebræorum de Eliſæo, 106. De aquis Jericho ab Eliſæo ſanatis, 106. *& ſeq.* De vidua cujus oleum multiplicavit Eliſæus, 107. De ſeptennii fame quam prædixit Eliſæus, *ibid.* Utrum Naaman Eliſæum rogaverit, ut Idoli cultum ſimulare ſibi liceret, idque ſibi indulſerit Eliſæus, 157.

Ennii Poetæ obitus, 247.

Enochus Præcurſor Chriſti ad judicium venturi futurus eſt, 155.

Epicurus Philoſophus, & impia ejus dogmata, 233.

Epiroticum Bellum, 245. *& ſeq.*

Ephori apud Lacedæmonios, 119.

Eſchines Græcus orator, 229.

Eſdræ profectio Jeroſolymam, ibique geſta, 195. Libri Eſdræ duo canonici ſunt & divini, 306. A ſolis Anabaptiſtis rejecti, *ibid.*

Eſdras Sacerdos & Scriba Moſaicæ Legis, 279. Utrum Eſdras ſacros codices in Jeroſolymitano excidio, & in deportatione Babylonica amiſſos aut neglectos ex integro reparaverit, *ibid. & ſeq.* Utrum eos codices recognoverit tantum & emendaverit, *ibid.* Utrum Eſdras auctor fuerit Moſaicæ punctationis & maſoræ, 281. 286. Utrum Cabbala Eſdram habuerit auctorem, 286. *& ſeq.*

Eſſæi, ſive Eſſeni Phariſæis recentiores, 211. Eſſenorum dogmata, 212.

Eſtheris hiſtoria, 195. 311. Quando contigerit, 195. 313. Eſther B. Virginis & Eccleſiæ typus, 311. Liber Eſther Canonicus, *ibid.* Libri Eſther auctor incertus, *ibid.* Hiſtoriæ Eſtheris veritas contra Anabaptiſtas, ac Lutheranos quoſdam aſſeritur, 312. *& ſeq.* Septem poſtrema capita libri Eſther a Sixto Senenſi, Grotio, & aliis velut aſcititia & apocrypa perperam & inconſulto reiiciuntur, *ibid.* Agnoſcit Eccleſia ſeptem poſtrema Eſtheris capita canonicæ eſſe auctoritatis, *ibid.* Hiſtoria Eſtheris probabilius refertur ad tempora Darii Hiſtaſpis, 313. Eſtheris maritus quis fuerit, *ibid. & ſeq.*

Ethnicorum theologia ex libris Moſis magna ex parte deprompta, 14. *& ſeq.* 19.

Euhemerus hiſtoriæ fabuloſæ ſcriptor, 239.

Evilmerodach filius & ſucceſſor Nabuchodonoſoris, 192. 219. Judæorum res ſub Evilmerodacho Rege Babylonis, 192.

Euphorion Chalcidenſis Poeta & hiſtoricus, 241.

Euripides Poeta tragicus Athenienſis, 227.

Ezechias Rex Juda piiſſimus, 97. Gravis circa ejus ætatem difficultas, *ibid.* Ezechias Religionem inſtaurat, *ibid.* Ezechiæ bella, *ibid.* Ezechiæ precibus Deus innuens cladem maximam infert Sennacheribo Aſſyriorum Regi, *ibid.* Morbus Ezechiæ, 98. Signum ſalutis recuperandæ Ezechiæ roganti a Deo indulgetur, prodigioſa Solis retroceſſio, *ibid.* & 157. Ezechias ob theſaurorum oſtentationem ab Iſaia Propheta corripitur, 98. Ezechiæ obitus, *ibid.* Hebræorum fabulæ de Ezechia Rege. 108.

Ezechielis genus & ætas, 259. Ezechielis vaticinia de excidio Templi, & urbis, *ibid.* Ezechielis vaticinia de Chriſto & Eccleſia, 260. Ezechielis prophetia in duos libros olim diviſa, 261. Liber Ezechielis contra Theologum politicum diſſertatorem vindicatur, *ibid. & ſeq.* Ezechielis Prophetæ hiſtoria ab Ethnicis interpolata, 216.

F

FAbricii Conſulis Romani virtus, 245.

Fauſti Manichæi in Abrahamum calumniæ, 27. Fauſti contra veteris Teſtamenti veritatem & auctoritatem rationes, *ibid. & ſeq.*

Flora. Feſtus dies in honorem Deæ Floræ apud Græcos & Romanos inſtitutus, 120.

Floralia quid ſint, *ibid.*

H

HAbacuc Prophetæ genus, ætas, vaticinia, 183. Habacuc vaticinium de Chriſto, *ibid.* Habacuc ab Angelo ex Judæa Babylonem tranſlatus, Danielem in leonum lacu reconditum prandio recreat, 193.

Hanania Pſeudo-Propheta, 101.

Hebræi. Hiſtoria Regum Juda & Iſrael ut ab Hebræis interpolata, 102. Hebræorum fabula de Pœnitentia Salomonis, 103. Hebræorum aliorumque fabulæ de Elia, 105. De Jona Propheta, 106. De Elia & Eliſæo, *ibid.* & 107. De Amaſiæ Regis Juda expeditione contra Idumæos, 107. De Ozia Rege Juda, *ibid.* De Sennacherib & exercitu ejus, 108. De Ezechia Rege, *ibid.* De Manaſſe Rege, 109. Hebræi pueri in fornacem miſſi ibique illæſi, 191.

Hebdomadum 70. revelatio facta Danieli, 193. Unde 70. hebdomadum Danielis ſumatur exordium & finis, 272. *& ſeq. Vid.* Daniel.

He-

Digitized by Google

Hebron a quo ſic dicta, 7.
Hemerobaptiſtæ quare ſic dicti, 212. In quo cum Phariſæis conveniant, vel differant; *ibid.*
Herodis genus, 205. 336. Herodis adhuc Juvenis audacia, 205. Herodes cum regia Judæorum familia affinitatem contrahit; 206. M. Antonius Herodi contra Judæos ejus accuſatores favet; *ibidem.* Herodes Judæa pulſus ab Antigono, Romam ad Antonium confugit, *ibid.* Rex Judæorum a Senatu Herodes creatur, *ibid.* Herodis Bellum cum Antigono; *ibid.* Herodis crudelitas, *ibid.* Herodis periculum & ad Cæſarem Auguſtum profectio, *ibid.* Herodis magnanimitas; *ibidem.* Herodis ſævitia in Mariamnem uxorem, ſocrum Alexandram & amicos, 207. Cæſari Herodes adulatur; *ibid.* Herodes Judæorum odium beneficiis lenire conatur, *ibid.* Herodis politica, *ibid.* Herodis cum Filiis diſſidium; *ibid.* Inteſtina in Herodis domo diſſidia, *ibid.* Herodes apud Cæſarem accuſatus ei reconciliatur, 208. Alexandrum & Ariſtobulum ex Mariamne filios necat, *ibid.* Bethleemitarum infantium cædes ab Herode imperata; *ibid.* Herodes filium Antipatrum interfici jubet, *ibid.* Herodis morbus, *ibid.* Utrum Herodis filius inter infantes Bethleemiticos occiſus fuerit, *ibid.* Mors Herodis, 336. Utrum Herodes Idumæus fuerit & alienigena reſpectu Judæorum, 336.
Herodiani & eorum deliramenta, 212.
Herodotus Halicarnaſſenſis hiſtoricus, 227. Quando floruerit, *ibid.*
Hieroſolymorum excidium a Nabuchodonoſore, 102. Hieroſolyma a Pompejo occupata, 205. 252.
Hippocrates Medicorum Princeps, 227.
Hircani (Joannis) Aſſamonæi principatus & geſta; 203. Joannis Hircani obitus, 204.
Hiſpanicum Bellum a Romanis decretum & confectum, 249.
Homerus Poeta Græcus. Ætas & patria Homeri incerta, 117. Homeri elogium, *ibid.* Utrum Heſiodus Homero antiquor, *ibid. & ſeq.*
Horatii Coclitis facinus præclarum, 244.
Hyrcanus Alexandri Aſſamonæi filius, 204. Rex & Pontifex Judæorum, *ibid.* Hyrcanus regno a patre ſpoliatur, 205. Pompejus Hyrcanum reſtituit, *ibid.* Pontificia dignitas Hyrcano a Cæſare confirmatur, *ibid.* Senatuſconſulta in gratiam Hircani data, *ibidem.*

I

JAddi Pontificatus, 196.
Idiographus Pſalmus merito reiiciendus, 68.
Jechonias Rex Juda, 101. Circa Regni ejus annos difficultas, *ibid.* Impietas Jechoniæ, & deportatio Babylonem, *ibid.* Error Joſephi in hiſtoria Jechoniæ, 109.
Jehu militiæ dux in Iſraelitarum Regem inungitur; 94. Jehu Achabi domum excindit, & Baal cultum abolet; *ibid.* Impia Jehu ſimulatio, *ibid.*
Jephte votum imprudens & illegitimum fuit, 47. *& ſeq.* Crudeliter impletum in filia non virginitatis conſecratione; ſed mactatione cruenta, *ibid.* Jephte Chriſti Domini typus; 51.
Jeremiæ Prophetæ genus, ætas; martyrium, memoria, 183. Jeremiæ laudes, 184. Quando claruerit, 100. Excidium Hieroſolymorum a Nabuchodonoſore & Babylonicam Judæorum captivitatem ſeptuaginta annis duraturam prædicit; *ibid.* Jeremias Babylonis excidium prædicit; 102. Jeremiæ vaticinia ſecundum temporis ordinem in libro ejus non ſunt diſpoſita, 184. Nulla tamen in eo eſt repugnantia, *ibid.* Poſtremi Jeremiæ capitis auctor non eſt Jeremias, 185. Lamentationis genuinum opus Jeremiæ, *ibid.* Oratio Jeremiæ, *ibid.* Jeremiæ vaticinia de Chriſto & Eccleſia, *ibid.* Jeremiæ vaticinationes de vocatione Gentium, 186. De veteris Legis abrogatione, & novæ promulgatione, *ibid.* Jeremiæ epiſtola Baruchi libro adjuncta, Jeremiæ genuinus eſt fœtus, 188.
Jericho aquæ ab Eliſæo ſanatæ, 106. *& ſeq.*
Jeroboam primus Iſraelis Rex, 86. Decem Tribus a Roboamo deficiunt, quæ Jeroboamo parent, *ibid.* Hujus defectionis hiſtoria, 151. Jeroboam ab Abia Roboami filio vincitur, 85. Jeroboamus auctor ſchiſmatis in Judaica Religione, 86. Jeroboamum Idolorum cultum & ſuperſtitiones Ægyptiacas in Iſrael inſtituit; *ibid.* Jeroboamus a Propheta corripitur; *ibid.* Miracula in execrationem Jeroboami impietatis edita; *ibid.* Jeroboami uxor, 100. Ahiæ Siloritæ vaticinium contra Jeroboam & Regnum Iſraelis, *ibid.* Peccatum Jeroboami & ejus gravitas, 86. Mors Jeroboami, 87. Tota Jeroboami ſtirps a Baaſa Rege deletur, *ibid.* Utrum Vituli aurei a Jeroboamo conflati veri Dei ſymbola fuerint, in iiſque Iſraelitæ verum Deum coluerint, 151. *& ſeq.* Utrum Iſraelitæ in hoc cultu ab Idololatria, aliqua ratione excuſari poſſint, *ibid.* Jeroboam vitulos aureos non effinxit, nec Iſraelitis propoſuit in ſimilitudinem Cherubim Tabernaculi, vel Templi, 153. Neque in Joſephi Patriarchæ memoriam, *ibid. & ſeq.* Jeroboam vitulos aureos conflavit ad imitationem Ægyptiacæ ſuperſtitionis; *ibid.*
Jeroboam II. Rex Iſrael, 96. Jeroboami impietas, *ibid.* Ipſi infauſta prædicit Amos Propheta, *ibid.* Gravis circa annos Regni Jeroboam difficultas, *ibid.*
Jezabel Achab Iſrael Regis uxor, 90. Impietas ejus, *ibid.* Nabothum falſis teſtibus oppreſſum Jezabel lapidari curat, 91. Jezabelis excidium ab Elia Propheta denunciatum, *ibid.* Mors Jezabelis infauſta, 94.
Ignis ſacri inventio, 196.
Incantationum libri Salomoni falſo adſcripti, 104.
Interregnorum anni, 44.
Joachaz Rex Iſrael vitulinæ ſuperſtitionis ſtudioſiſſimus, 95. Joachaſi clades; *ibid.* Joam filium in Regni bellique conſortium vocat, *ibid.*
Joachaz Rex Juda a paterna pietate degener, 100. Captivus in Ægyptum abducitur, *ibid.*
Joachim Rex Juda; 100. Jeremias Propheta invitat eum ad pœnitentiam, *ibid.* Uriam contra Jeruſalem & terram Juda prophetantem Joachim gladio percutit; *ibid.* Tributum Nabuchodonoſori Joachim ſolvere cogitur; *ibid. & ſeq.* Joachimus a Chaldæis captus interficitur; 101. Ejus cadaver tractum & extra portas Hieroſolymorum projectum; *ibid.* In cadavere Joachimi ſigna nefariæ ſuperſtitionis inventa; *ibid.*
Joas Ochoziæ filius Athaliæ crudelitati ſubducitur, 96. Joaſi Regis inauguratio; *ibid.* Cultum Domini Joas reſtituit, *ibid.* Joas Rex Juda ſarta tecta Templi curat; 94. Joas idola colit, *ibid.* A Zacharia Propheta filio Jojadæ Pontificis correptus ſanctum vatem occidit; *ibid.* Mors Joaſi Regis; *ibid.*
Joathan Rex Juda, 96. Pietas ejus, bellica fortitudo; magnificentia, *ibid.* Mors Joathan, *ibid.*
Joas Rex Iſrael paternæ impietatis æmulator; 95. Benadabum Syriæ Regem tribus prælus vincit, *ibid.* Mors Joaſi, *ibid.*
Joelis Prophetæ genus & ætas, 165. Joel non prophetavit ad decem Tribus, *ibid.* Summa Prophetiæ Joelis, 166. Vaticinia Joelis de Chriſto & Eccleſia, *ibid.* De miſſione Spiritus Sancti, *ibid.* De ſecundo Chriſti adventu, *ibid.*
Jonas Propheta, 168. Jonæ patria, genus, ætas, miſſio Ninivem, *ibid.* Jonæ liber genuinus, 169. Cur Jonas ad Ninivitas miſſus, *ibid.* Jonas Chriſti typus & ſpirans Prophetia, *ibid.* Fabula Judæorum de Jona Propheta, 106. Fabulæ Græcorum ex hiſtoria Jonæ derivatæ, 111.
Jonathas Aſſamonæus in Judæ Machabæi principatum & ſacerdotium ſuccedit, 202. Jonathæ principatus & geſta, *ibid.* Jonathæ cum Alexandro Veles amicitia; *ibid.* Jonathæ nuptiæ, fortitudo, *ibid.* Mors Jonathæ, *ibid.*
Joram Rex Iſrael, 92. Achabo Patri & Jezabeli matri impietate inferior, *ibid.* Mors Jorami, 94.
Joram Rex Juda impiiſſimus Joſaphato pio Regi in Regno ſuccedit, 88. Jorami nuptiæ; *ibid.* Joramus Regnum a cæde ſex fratrum & aliquorum Procerum auſpicatur; *ibid.* Peregrinam idololatriam in Regnum Judæ introducit, *ibid.* Jorami impietatis ultio, *ibid.* Jorami mors infauſta; *ibid.* Literæ Eliæ ad Joramum Regem quando ſcriptæ, *ibid.* Chronologiæ

Digitized by Google

logiæ difficultas circa annos Jorami Regis ſolvitur, *ibid.*

Joſaphat Rex Juda piiſſimus, 87. An excelſa abſtulerit, *ibid.* Variæ hujus vocis acceptiones, *ibid.* Pugnantes in ſpeciem Scripturæ loci conciliantur, *ibid.* & *ſeq.* Joſaphat pro Lege Dei ſtudium, 88. Dei in Joſaphat beneficia, *ibid.* Joſaphat affinitatem cum Achab contrahit, *ibid.* A Jehu Propheta correptus pœnitentiam agit, *ibid.* Bona ejus opera, *ibid.* Victoriam de hoſtibus Joſaphat a Deo impetrat, *ibid.* Claſſis Joſaphati perit ob pactum cum Ochozia Achabi Regis Iſrael filio initum, *ibid.* Joſaphati extrema, *ibid.* Errores Joſephi in hiſtoria expeditionis Joſaphati, 106.

Joſephus; Error Joſephi de ſtructura Templi antiquis Patribus imperata, 102. Chronologia Joſephi Scripturæ Sacræ repugnans, *ibid.* Errores Joſephi circa dimenſiones & vaſa Templi, 103. Joſephi & aliorum errores circa Reginam Saba, *ibid.* Joſephus Scripturæ Sacræ contrarius circa tempus regni Salomonici, 104. Libri Incantationum Salomoni a Joſepho falſo tributi, *ibid.* Multiplex error Joſephi notatur in hiſtoria Prophetæ, qui a Leone in via occiſus eſt, *ibid.* Joſephi errores in Nabothi hiſtoria, 106. Errores Joſephi in hiſtoria Syriacæ expeditionis Joſaphati & Achabi, *ibid.* Hiſtoria Sacra de aquis Jericho ab Eliſæo ſanatis a Joſepho interpolata, *ibid.* Error Joſephi circa viduam, cujus oleum multiplicavit Eliſæus, 107. Joſephi ſilentium de hiſtoria Namaan, *ibid.* Joſephi errores circa mortuum contactu corporis Eliſæi ſuſcitatum, *ibid.* Errores Joſephi in hiſtoria Amaſiæ Regis Juda, & Joas Regis Iſrael, *ibid.* Error Joſephi in hiſtoria Achaz Regis Juda, 108. Joſephi in Joſiæ Regis hiſtoria hallucinatio, 109. Error Joſephi in hiſtoria Jechoniæ, *ibid.* Error Joſephi in chronologia Regum Juda, *ibid.* Animadverſiones in Joſephum circa ſextæ mundi ætatis hiſtoriam, 212. & *ſeq.* Joſephi dogmata erronea, 215. Celebre Joſeph de Chriſto teſtimonium, 338. Utrum genuinus Joſephi fœtus ſit, *ibid.*

Joſias Rex Juda piiſſimus, 100. Omnium idololatriæ impietatis evertit monumenta, *ibid.* Religionem inſtaurat, *ibid.* Joſiæ mors, *ibid.* Principatus anni, *ibid.* Judæorum de morte Joſiæ luctus, *ibid.* Errores Joſephi in Joſiæ Regis hiſtoria, 109.

Joſue cum primoribus Iſraeliticæ Gentis fœdus init cum Gabaonitis inconſulto Domino, 34. Utrum Joſue juratam ſecuritatem ipſis præſtare teneatur, *ibid.* & *ſeq.* Joſue in Gabaonitas clementia, 35. Joſue Legis Religionis obſervator, *ibid.* Præſidium Gabaonitis a Joſue datum *ibid.* Admirabilis ſtatio ſolis Joſue imperante, 36. Utrum Sol & Luna reipſa & vere ſteterint, Deo ad votum Joſue miraculum operante, 37. Joſuanæ diei duratio, 38. Joſuanæ diei cum Ezechiæ Regis die comparatio, *ibid.* Tempus Principatus Joſuæ, 42. Variæ ea de re ſententiæ, *ibid.* Joſue ſeptemdecim duntaxat annis Judæorum Reipublicæ præfuiſſe, opinio eſt Scripturæ magis conſona, 42. & *ſeq.* Quot annos Joſue natus ſit, cum ad Terram promiſſam conſiderandam cum Calebo & aliis exploratoribus miſſus eſt, 42. Liber Joſue incerti Auctoris & temporis eſt, 43.

Iſaias Propheta, Genus ejus, ætas, nomen, martyrium, 173. Iſaiæ ſcripta, 174. Quando claruerit, 95. Utrum Iſaiæ vaticiniorum liber genuinum ſit Iſaiæ opus, 174. Summa Vaticiniorum Iſaiæ, *ibid.* & *ſeq.* Iſaiæ de Chriſto & Eccleſia vaticinia, *ibid.* Ortum Chriſti ex Virgine vaticinatur Iſaias, 175. Joannem Baptiſtam Præcurſorem Chriſti, imperium ejus poteſtatem & gloriam Iſaias ponit ob oculos, 178. Vocationem Gentium præcinit, *ibid.* & *ſeq.* Evangelii prædicationem & Paſſionem Chriſti vaticinatur, 179. Efficaciam mortis Chriſti & gloriam ex ejus paſſione ſubſecuturam prænuntiat, *ibid.* Iſaiæ teſtimonium contra Judæos & Grotium vindicatur, 180. & *ſeq.* Præclaræ Iſaiæ de Eccleſia ex Gentibus congreganda vaticinationes, 181. & *ſeq.*

Iſocrates Orator ſuaviſſimus, 228.

Iſraelitæ fœdus cum Gabaonitis ineunt, ipſorum fraude decepti, 34. Utrum Iſraelitæ juratam Gabaonitas ſecuritatem præſtare tenerentur, *ibid.* Clementia erga Gabaonitas Iſraelitæ merito uſi ſunt, 35. Iſrelitæ Legem Dei de Chananæis omnibus occidendis non violarunt, cum Gabaonitas ſervarunt incolumes, *ibid.* & *ſeq.* Iſraelitici Regni exordia, 86. Iſraelitæ Reges, *ibid.* & *ſeq.* Regni Iſraelitici finis & Aſſyriaca Iſraelitarum captivitas, 98. Prophetarum vaticinia de Iſraelitici Regni excidio, 99. S. Stephanus cum Propheta Amos conciliatur, *ibid.* Regni Iſraelitici excidium poſt annos ſexaginta quinque futurum prædicit Iſaias, *ibid.* Unde hæc Epocha ducenda, *ibid.* Novi coloni in Iſraelitico ſolo ab Aſſyriorum Rege conſtituuntur, *ibid.*

Italicum Bellum Romanos inter & Italos initum, 250.

Ithobalus Rex Tyri, 217.

Jubilæus annus quid ſit & quare ſic dictus, 39. Anni Jubilæi privilegia, *ibid.* & *ſeq.* De anno Jubilæo lata lex, 40 Annorum Jubilæorum epocha, *ibid.* Utrum ab autumno vel vere ducebat initium, *ibid.* Utrum annus Jubilæus quolibet anno quadrageſimo nono celebraretur, an vero quinquageſimo, 41.

Judæ Machabæi principatus, & res præclare geſtæ, 200. Purgatio Templi a Juda Machabæo, *ibid.* Præclara Judæ facinora, *ibid.* Charitas & pietas, 201. Judas Machabæus arcem Jeroſolymitanam oppugnat, *ibid.* Judæ cum Nicanore amicitia, *ibid.* Judæ Machabæi fœdus cum Romanis, 202. Judæ Machabæi cædes, *ibid.*

Judæorum res tempore Babylonicæ captivitatis, 191. & *ſeq.* Sub Evilmerodacho Rege Babylonis, 192. Sub Dario Medo, 193. Edictum Cyri de Judæorum libertate, & reditu, *ibid.* Judæorum e captivitate Babylonica exitus, 194. Judæi ſecundi Templi fundamenta jaciunt, *ibid.* Cyrus Templi dumtaxat inſtaurandi non Urbis ædificandæ licentiam Judæis concedit, *ibid.* Judaicæ Reipublicæ ſtatus poſt captivitatem, *ibid.* Judæi nunquam deinceps omnimoda libertate potiti ſunt, *ibid.* Darius Hiſtaſpes Judæis favet, 195. Rex Judæorum ſub Artaxerſe Longimano, *ibid.* Judæorum iniqua conjugia, *ibid.* Eſdræ juſſu reſciſſa, *ibid.* Judæorum lingua & characteres poſt captivitatem, 196. Rex Judæorum ſub Alexandro, *ibid.* Judæos inter & Samaritanos de vero adorationis loco diſcordia, *ibid.* Judæi in Ptolemæi Lagi poteſtatem redacti, *ibid.* Judæorum res ſub Antiocho Magno & Seleuco ejus filio Syriæ Regibus, 197. Status Reipublicæ Judaicæ ſub Pſeudo-Pontificibus, Jaſone & Menelao, *ibid.* Antiochi Epiphanis perſecutio cladeſque ab eo Judæis illatæ, 198. Machabæi ad defenſionem Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ divinitus excitati, 199. Religionis Judaicæ Legumque liberum exercitium ab Antiocho Eupatore Judæis conceſſum, 201. Rerum Judaicarum ſtatus ſub Demetrio Sotere Syriæ Rege & Alcimo Pſeudo-Pontifice, *ibid.* Sub Demetrio Nicanore, 202. Sub Antiocho Alexandri Balæ filio & Tryphone, *ibid.* Sub Antiocho Sidete Syriæ Rege, 203. Sub Antiocho Cyziceno, 203. & *ſeq.* Judæorum ſub Simone Aſſamonæo felicitas, 202. & *ſeq.* Judæi Romani populi vectigales, 205. Senatuſconſulta in gratiam Judæorum Romæ, data, *ibid.* Judæorum odium in Herodem, 206. Herodes Judæorum odium beneficiis lenire ſtudet, 207. Edictum Cæſaris in gratiam Judæorum, *ibid.* Judæorum ſectæ ſexta mundi ætate exortæ, 208. & *ſeq.*

Judicum liber inter libros canonicos primi ordinis ſemper habitus ab Eccleſia, 55. Hujus auctor incertus, *ibid.* Librum Judicum poſt captivitatem decem Tribuum ſcriptum quidam falſo ſuſpicantur, *ibid.*

Judith hiſtoria, 195. 307. Quando contigerit, *ibid.* 310. & *ſeq.* Judith elogium, 307. Judith Deiparæ Virginis typus, *ibid.* Libri Judith incertus auctor, *ibid.* Judith liber divinus ac canonicus, *ibid.* Quæ in libro Judith continentur commentitia aſſerere impium eſt & hæreticum, *ibid.* & *ſeq.* Judithæ hiſtoria poſt reditum Judæorum e captivitate Babylonica contigit, 309.

Jugurtha Numidarum Rex captivus Romam deductus, liber dimittitur, 249. & *ſeq.* Jugurthæ præclara

ſen-

Digitized by Google

ſententia, 250. Jugurtha a Socero proditus iterum Romanis traditur, *ibid.*

L

LAboroſoarchodus Babylonius Rex, 219. Utrum Laboroſoarchodus idem ſit qui Baltaſſar, *ibid.*
Lacedæmonum leges, 118. Ephori apud Lacedæmones instituti, 119. Lacedæmoniorum Bella, *ibid.*
Latinum Bellum, 245.
Lepidus Magiſter Equitum Julii Cæſaris hoſtis a Senatu Romano judicatur, 255. Lepidi cum Antonio & Cæſare triumviratus, *ibid.* Lepidus a Cæſare in ordinem redactus, 256.
Lucretiæ ſtuprum a quo illatum, 244.
Luſtri origo, 244.
Lycades Cyrenæus, 241.
Lycophron Poeta, 240.
Lycurgus Lacedæmonum Legislator, 118.

M

MAcedonici Regni exordia, 118. Regum Macedoniæ ſucceſſio, *ibid.*
Macedonicum bellum a Romanis indictum, 246.
Machabæorum libri quid contineant, 321. Quis Librorum Machabæorum auctor, *ibid.* Libri Machabæorum primus & ſecundus incerti ſunt auctoris, 322. Libri Machabæorum olim a quibuſdam Eccleſiis in Canonem non relati, *ibid.* Ab Eccleſia univerſa tandem jure ut Canonici & divini recepti, *ibid.* & *ſeq.* Unde diſſonantia libri ſecundi Machabæorum a primo in chronologia, 324. & *ſeq.* Utriuſque libri diſſenſus circa mortem Antiochi Epiphanis explicatur & conciliatur, 326. Librorum Machabæorum hiſtoria cum Græcorum hiſtoria non pugnat, 327. Momenta eorum auctoritatem pugnantia diluuntur, 323. & *ſeqq.*
Malachias minorum Prophetarum poſtremus, 297. Malachias verus homo fuit, non Angelus, *ibid.* Malachias ab Eſdra diverſus, *ibid.* Quo tempore vaticinatus eſt Malachias, 298. Malachiæ de Chriſto Jeſu vaticinia, *ibid.* & *ſeq.*
Manahem Rex Iſrael; crudelitas ejus, 96. Aſſyriorum Regi dat mille Argenti talenta, *ibid.* Quare, *ibid.*
Manaſſes Summus Judæorum Pontifex, 196.
Manaſſes Rex Juda, 99. Ejus impietas, captivitas, pœnitentia, reſtitutio in Regnum, *ibid.* Oratio Manaſſis apocrypha, *ibid.* Manaſſis hiſtoria ab Hebræis interpolata, 109.
Menethas hiſtoricus, 240.
Maria, Judith Deiparæ Virginis typus, 307. Eſther Beatæ Virginis figura, 311.
Mariamne Herodis uxor & cædes, 207.
Maſora quid ſit, & in quo poſita, 281. Maſoræ auctores, 286. Maſoretharum obſervationes, *ibid.* & *ſeq.*
Maſſilia a Græcis condita, 119. Maſſilienſium Reſpublica, 120.
Mathatias ejuſque filii Machabæi ad defenſionem & liberationem Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ divinitus excitati, 199. Mathatiæ zelus, fortitudo, prudentia, *ibid.* Mathatiæ obitus, *ibid.*
Matrimonia; Lex Solonis de Matrimoniis, 121.
Medi; Aſſyriorum Imperium ad Medos devolutum, 114. Medorum Reges, *ibid.* Quatuor dumtaxat Medorum Reges, *ibid.*
Megaleſia quid ſint, & a quibus instituta, 246.
Megaſthenes hiſtoricus, 239.
Menander Poeta, *ibid.*
Menedemus Philoſophus, *ibid.*
Meſſeniacum bellum primum, 118. Bellum Meſſeniacum ſecundum, 119.
Michæas inter duodecim minores Prophetas ſextus, 169. Michææ genus, patria, ætas, *ibid.* Prophetiæ ſumma, *ibid.* Michææ vaticinia de Chriſto & Eccleſia vindicantur, 170. Vaticinium aliud Michææ de Chriſto vindicatur, *ibid.* Judæorum objectionibus reſpondetur, 171. & *ſeq.* Michæas cum S. Mattheo Evangeliſta conciliatur, 172. Aliud Michææ Prophetæ oraculum de Chriſto & Eccleſia, 173.
Mithridates Eupator Ponti Rex Ariobarzanem Cappadociæ, Nicomedem Bythiniæ regno exuit, 250. Mithridaticum bellum, *ibid.* Mors Mithridatis, *ibid.*
Mortui; Sancta & ſalubris eſt oratio pro mortuis, 232.
Moyſes; Utrum Pentateuchus a Moyſe vere ſcriptus fuerit, 1. & *ſeq.* *Vid.* Pentateuchus. Moyſis lex ſcripta quo tempore extiterit, 2. Legis Moſaicæ nomine quid intelligatur, *ibid.* Deuteronomium Moſis genuinum opus, 2. Jeſum inter & Moyſem ſumma ſimilitudo, 3. & *ſeq.* Moyſes omnium Gentium Philoſophis, Hiſtoricis, & Poetis antiquior, 10. & *ſeqq.* Moyſes multis ſæculis ante Trojæ excidium vixit, *ibid.* Utrum Moyſes ab Egyptiis eruditus fuerit, & quo ſenſu, 14. Ethnicorum Theologia ex libris Moſaicis magna ex parte derivata, 15. & *ſeq.* Scriptores Ethnicos multa ex Moyſis fontibus hauſiſſe veteres Patres confirmant, 19. & *ſeq.* An interpretatio aliqua librorum Moyſis antiquior fuerit verſione 70. Interpretum, 21. & *ſeq.* Moſaicos libros veros eſſe ac divinos probatur ex Chriſti & Apoſtolorum teſtimonio, 22. Ex figurarum veteris Teſtamenti Prophetarum adimpletione in Chriſto & Eccleſia, *ibid.* Ex Canonicarum Scripturarum concordia & conſenſione Prophetarum cum Moyſe, 23. & *ſeq.* Ex miraculis quibus Judaica Religio confirmata eſt a Deo per Moyſem 24. & *ſeq.* Ex ſanctis legibus & præceptis quæ in iis habentur, 25. Moſaici libri a populo Dei recepti, 23. Utrum Moyſes de mundi creatione ut par erat loquutus fuerit, 26. & *ſeq.* An creationem Angelorum omiſerit, 27. Moyſes oraculo Dei populo judaico præfectus, 24. Miraculorum a Moſe editorum veritas demonſtratur, *ibid.* Fauſti in Moſem calumniæ, 27. Moſes a calumniis vindicatur, *ibid.* Utrum in libris Moſaicis contineatur præcepta, quæ Chriſtianis obſervare non liceat 30. Quo ſenſu Chriſtus dicatur maledictus in libris Moſaicis 29. & *ſeq.* Utrum in libris Moſaicis terrena tantum & temporalia bona Dei ſervis promittantur, 28. Librorum Moſaicorum cum Novi Teſtamenti libris concordia 29. & *ſeqq.*
Mulier; Solonis leges de mulieribus, 121.
Mutius Scevola Aſiæ Proconſul, 250.

N

NAaman Syrus ad Eliſæum venit a lepra ſanandus, 89. Naaman Deum Iſraelis palam profitetur, 157. Utrum Naaman ita affectus fuerit, ut Rege Syriæ in Templo Remmon adorante, idoli cultum externo ritu ſimulare voluerit, *ibid.* An Eliſæum Prophetam rogaverit ut Idoli cultum ſimulare ſibi liceret, idque ſibi ipſi conceſſerit Eliſæus, *ibid.* Utrum Naaman ſpectator tantum non miniſter, cooperator, aut particeps Idololatriæ fuerit, *ibid.*
Nabonidus Rex utrum idem ſit ac Darius Medus, 219.
Nabopolaſſar Nabuchodonoſoris Magni Pater Babylonius Rex, 115.
Nabothi a Jezabele cædes, 91. Joſephi errores in Nabothi hiſtoria, 106.
Nabuchodonoſoris ſomnii explicatio, 191. Nabuchodonoſor ſtatuam ejus ad tubæ clangorem adorari jubet, *ibid.* Tres pueri Idrach Miſach & Abdenago ſtatuam ejus adorare renuentes in fornacem mittuntur, unde eruuntur illæſi, *ibid.* Nabuchodonoſor miraculi teſtis Deum Hebræorum laudat, & blaſphemari vetat, *ibid.* Nabuchodonoſoris ſuperbia & pœna, *ibid.* Nabuchodonoſor formam humanam non amiſit, 192. Quo ſenſu cor feræ ipſi datum, *ibid.* Nabuchodonoſor ſanitati, menti, regnoque reſtitutus Dei potentiam prædicat, *ibid.* Utrum Nabuchodonoſor pœnitentiam egerit, & ſalutem æternam conſequutus ſit, *ibid.* Nabuchodonoſor Luciferi typus, *ibid.* Nabuchodonoſor in Regni conſortium a patre aſſumptus, 115. Regni Nabuchodonoſoris epocha, *ibid.* Nabuchodonoſoris Chaldæorum Regis poteſtas, 218. Nabuchodonoſoris opera, 219.

Digitized by Google

Nadab Rex Iſrael Jeroboamo Patri in Regno ſucceſſit, 87. Mors ejus, *ibid.*

Nahum Prophetæ ætas, patria, 182. Nahum vaticiniorum de Ninives excidio, *ibid.* Nahum vaticinium de Eccleſia, 183.

Nechas primus Ægypti Rex, 112.

Nechao ſecundus, *ibid.*

Nehemias quis ſit, 195. Nehemiæ profectio, inſtauratio urbis, aliaque pie geſta, *ibid.* & *ſeq.* Utrum Nehemias Sacerdos fuerit, 196.

Nerigliſſorus Babyloniorum Rex, 219.

Numa Pompilius Rex ſecundus Romanorum & Legiſlator, 123. Libri Numæ poſt ejus mortem combuſti, *ibid.*

Numantinum bellum, 249.

O

OChozias Rex Iſrael, 92. De ſanitate recuperanda Accaronitarum Deum per nuntios conſulit, *ibid.* Elias Ochoziæ mortem ob impietatem denuntiat, *ibid.*

Ochozias Rex Juda impius, 89. A Jehu cæditur, *ibid.* Scripturæ 10 ſpeciem pugnantes de loco cædis Ochoziæ & ejus ætate conciliantur, *ibid.*

Olympiadum Epocha, 118.

Olympiorum Agonum inſtitutio, *ibid.*

Onias I. Summus Judæorum Pontifex, 197. Onias II. *ibid.* Oniæ III. Pontificatus, *ibid.* Onias III. pro populo Judaico Deum orare viſus, 202.

Onias Schiſmaticus Sacerdos, 209. Templum ab Onia Schiſmatico in Ægypto extructum, *ibid.*

Onomacritus Poeta, 225.

Oppia lex abrogata 246.

Oppreſſionis anni, 44.

Oracula Chriſti venturi prænuncia, 2. 3. & *ſeq.* Ethnicorum oracula partim falſa, caſo vera, 302. Oraculorum vanitatem Ethnici pleríque agnovere, *ibid.* & *ſeq.*

Oſee Prophetarum omnium antiquior, 163. Oſee genus, & ætas, *ibid.* Oſee nomen quid ſignificet, *ibid.* Oſee prophetiæ ſumma, *ibid.* Oſee vaticinia de Chriſto & Eccleſia, *ibid.* Oſee vaticinium de Chriſti fuga in Ægyptum, ejuſque reditu a Judæorum cavillis vindicatur, 164. Oſee vaticinium de Chriſti ad inferos deſcenſu & reſurrectione, 165.

Oſee Regum Iſrael ultimus, 98. Chronologica circa annos Regni ipſius difficultas, *ibid.*

Oſtraciſmus quid ſit, & quando Athenis inſtitutus, 226.

Ozias filius Amaziæ Rex Juda, 95. Oziæ Regi omnia bello, ac pace proſpera fuere, quamdiu fidelis Deo fuit, *ibid.* Ozias Sacerdotale officium temere uſurpat, *ibid.* Lepra a Deo percutitur, *ibid.* Reliquum vitæ tempus privatis in ædibus miſere traducit, *ibid.* Fabula de Ozia Rege Juda, 107.

P

PAralipomenon liber quare ſic dictus, 306. Hujus libri auctor, *ibid.* Divinitas & auctoritas, *ibid.* Paralipomenon & Regum librorum conſenſus cum SS. Matthæo & Luca in genealogiis Regum Juda, 152. Satisfit objectionibus, *ibid.* & *ſeq.*

Peloponneſiacum bellum, 227.

Pentateuchum a Moſe vere ſcriptum eſſe probatur ex Scriptura, 1. & *ſeq.* Ex traditione ab Apoſtolis ad nos derivata, 5. Ex ſummo Patrum conſenſu, *ibid.* Ex Pentateuchi Samaritani vetuſtate & auctoritate, *ibid.* Ex 70. Interpretum Verſione, *ibid.* Ex Scriptorum externorum teſtimoniis, *ibid.* Spinoſæ Pentateuchum a Moſe abjudicantis objectionibus reſpondetur, 6. Quo tempore Pentateuchus ſcriptus fuerit, 9.

Pentateuchus Samaritanus, quid de eo ſentiendum, 209.

Perſæus Philoſophus, 240.

Perſarum Imperium. Vaticinia de Regno Perſarum, 221. Perſarum Reges, *ibid.* & *ſeq.* Perſarum Imperii finis, 225.

Phacee Rex Iſrael, 98. Eo regnante tres Tribus a Theglathphalaſare in Aſſyriam deportatæ, *ibid.* Phacee conjuratione occiditur, *ibid.*

Phaceja Rex Iſrael, conjuratione tollitur, 96.

Phariſæorum nomen unde derivatum, 210. Phariſæorum dogmata præcipua, *ibid.* Phariſæorum vitæ inſtituta, *ibid.* Mores, *ibid.* Simulata pietas, *ibid.*

Philippicum bellum a Cæſare & Antonio confectum, 255.

Philippus Rex Macedonum Græcorum Imperator proclamatus, 229. Philippi cædes a quo & quare perpetrata, *ibid.* Legationes contra Philippum Romam miſſæ, 247.

Phidon Rex Argivorum, 118.

Pindarus Thebanus, Lyricorum Poetarum princeps, 227. Quo tempore floruerit, *ibid.*

Piſiſtratus Athenienſium Princeps, 225.

Plato Philoſophus Athenienſis, Socratis Diſcipulus, 228. Doctrinæ ejus cum Hebræis dogmatibus aſſenſus vel diſſenſus, *ibid.* De ſcriptis ejus quid ſentiendum, *ibid.* Plato ex Moyſis fontibus hauſit plurima, 16. 228. Platonicorum opinioni in Theologia, Phyſica, & Morali omnium Philoſophorum poſtponenda ſunt dogmata, *ibid.* Platonicarum Legum cum Moſaicis inſtituta comparatio, 18. Plato quid circa Sanctiſſimam Trinitatem ſenſerit, 17.

Polemo Philoſophus, 239.

Polybius Hiſtoricus, 249.

Pompejus Magnus Hieroſolymam occupat, 205. 252. Judæos vectigales facit, 205. Exauctorato Ariſtobulo Hircanum reſtituit, *ibid.* Triplex Pompeii triumphus, 252. Pompeii cum Poſſidonio Philoſopho congreſſus, *ibid.* Julii Cæſaris, Pompeii, & Marci Craſſi Triumviratus, *ibidem*. Bellum civile Pompejum inter & Cæſarem, 253. Pugna Pharſalica inter eos commiſſa, *ibid.* Mors Pompeii, *ibidem*.

Pompejus (Sextus) a Cæſare Octaviano debellatus, 255. Mors Sexti Pompeii, *ibid.*

Porcius Cato, Tribunus, Quæſtor, Conſul, & Cenſor, 248. Ejus in Cenſura ſeveritas, *ibid.*

Poſthumius Albinus Hiſtoricus, 249.

Prophetæ Philoſophis omnibus ætate ſuperiores fuere, 10. & *ſeq.*

Prophetæ Hebræi multa de Chriſto Jeſu prænuntiaverunt, 299. & *ſeq.* Hebræorum Prophetarum teſtimonia utiliſſima ſunt ad probandam Chriſtianæ Religionis veritatem, 300. & *ſeq.* Prophetarum Libri divini ſunt, *ibid.* Hebræorum Prophetæ ex Vaticiniorum ſuorum dignitate, pie & ſancte vixerunt, 304. & *ſeq.*

Protagoras onerum bajulus, Philoſophus & Orator ſummus evadit, 227. Atheiſmi ab Athenienſibus damnatus, Urbe expellitur, *ibidem*.

Proverbiorum liber utrum inter libros canonicos annumerandus, 140. 143. Proverbia Salomon ſcripſit ſapientia divinitus infuſa & Spiritu Sancto afflatus, 141. Liber Proverbiorum non eſt Ecloga optimarum ſententiarum, ex plurimis qui ante Salomonem floruerint Scriptoribus, 142. An duo poſtrema libri Proverbiorum capita Salomonem habeant Auctorem, 143.

Pſalmorum liber genuinus eſt, & antiquiſſimus, 63. A Chriſto & Apoſtolis ut ſacer laudatur, *ibid.* Prophetæ & Apoſtoli ex libro Pſalmorum teſtimonia depromunt, *ibid.* Ethnici nonnulla e Pſalmis in libros ſuos tranſtulerunt, 64. An Pſalmorum liber unius ſit Auctoris, incertum, *ibid.* Parum firmum eſt quod ex Pſalmorum titulis petitur argumentum, ad Auctorum divinitatem probandam, 65. Pſalmorum tituli humana, non divina auctoritate ſunt inſtructi, *ibid.* Argumentum quod ex more nominandi Pſalterium Davidicum petitur, Davidem eorum unicum eſſe auctorem minus probat, 67. Pſalmorum partem maximam Davidi tribuendam conſtat, *ibid.* Centum quinquaginta Pſalmos duntaxat continet Pſalmorum liber, 68. Pſalmus Idiographus merito rejicitur, *ibid.* Hebraica Pſalmorum in quinque libros diviſio reſpuenda ut Neotericorum Hebræorum inventum, *ibid.* Pſalmi Oratione Poeticis numeris adſtricta ſcripti ſunt, *ibid.* Quo metri genere, incertum, *ibid.* Prophetica Oracula ſeu Vaticinia Chriſtum & Eccleſiam, in libro Pſalmorum, ſpectantia, 69. & *ſeq.* Centeſimus-nonus Pſalmus

mus

mus eui tribuendus, 73. & ſeq. Lectio & meditatio Pſalmorum ſalutaris, 75.

Pſammenitus Rex Ægypti, 217.

Pſammitichus Ægypti Rex, 112.

Pſammuthis Ægypti Rex, 113.

Ptolemæorum ſeu Regum Ægypti poſt Alexandri Magni mortem ſucceſſio, 239.

Ptolemæus Auletes, Nothus, Ægypti Rex, 243.

Ptolemæus Dionyſius, cum furore Cleopatra imperat, *ibid.* Ptolemæi cum Cleopatra ſorore bella, *ibid.* Ptolemæus a Cæſare Solio deiicitur, *ibid.*

Ptolemæus Epiphanes, 241. Præclara ejus Regni initia, *ibid.* Extrema vero tyrannica, *ibid.* Mors Ptolemæi Epiphanis, *ibid.*

Ptolemæus Evergetes, & bella ab ipſo ſuſcepta, 240. Danielis de Ptolemæo Evergete Vaticinium, *ibid.* Deo vero, non Ægyptiacis Diis Sacrificia Ptolemæus Hieroſolymis obtulit, 241. Alia Ptolemæi geſta, *ibid.* Ptolemæi a filio cædes, *ibid.*

Ptolemæus Lagi Ægypti Rex, origo ejus, parentes, 196. 239. Hieroſolyma dolo occupat, 239. Ptolemæi bella, *ibid.*

Ptolemæus Lathurus Ægypti Rex, 242. A Cleopatra matre Regno pellitur, *ibid.* Ptolemæus in Regnum reſtituitur, *ibid.*

Ptolemæus Philadelphus, Ægypti Rex, Ptolemæi Lagi filius & ſucceſſor, 197. 239. & ſeq. Egregiam Alexandriæ Bibliothecam inſtituit, 240. Libros Sacros ex Hebraica lingua in Græcum a LXX. Interpretibus vertendos curat, *ibid.* Ptolemæus libris excultus, *ibid.* Ptolemæi nuptiæ, *ibid.* Ptolemæi Philadelphi virtutes & vitia, *ibid.*

Ptolemæus Philometor; nuptiæ ejus & bella, 241.

Ptolemæus Philopator parricidio Regnum obtinet, *ibid.* Segnities ejus, *ibid.*

Ptolemæus Phiſcon; varia ejus nomina, mores, liberi, 242.

Punicum Bellum I. 246. Bellum II. Punicum, *ibid.* Bellum III. Punicum, 247. & ſeq.

Punctatio Hebraica, quid ſit & unde originem duxerit, 281. Puncta vocalia & accentus nec Moyſem, nec Eſdram auctorem agnoſcunt, *ibid.* Punctorum vocalium inventio ad Maſſoreas Tiberienſes referenda, 282. Samaritani Puncta vocalia nulla habent, 281. & ſeq. Utrum ſublatis Punctis Scripturæ ſenſus incertus ſit & obſcurus, 283. Punctorum vocalium antiquitas, *ibid.* & ſeq.

Pythagoras Samius Philoſophus inſignis, 226. A militibus Cambyſis Babylonem abductus Magorum ibi diſciplinam hauſit, *ibidem*. In Italia pro Deo colitur, *ibid.* Plura Hebræorum dogmata in ſuam Philoſophiam traduxit, *ibid.* Pythagoram, aut Nazaretum Pythagoræ præceptorem Græcorum quidam cum Ezechiele Propheta confundunt, 216. Pythagora Tetractys, *ibid.*

Q

Q*Uietis* anni, 44. *Vid.* annus.

R

R*Aziæ* facinus, 201.

Regum libri primus & ſecundus, 75. Eorum Auctor haud omnino certus, *ibid.* Probabiliter cenſetur a Samuele, Natham & Gad Prophetis eſſe ſcriptos, 76. Inſignes de Chriſto Prophetias duo priores libri Regum continent, 77. Libri Regum in genealogiis Regum Juda ab Evangelio non diſſentiunt, 160. Objectiones ſolvuntur, *ibid.* Libri III. IV. Regum quando in lucem prodiere, 305. Horum librorum Auctor, *ibid.* Librorum III. & IV. *ibid.* Regum auctoritas contra Theologo-Politicum Diſſertatorem vindicatur, *ibid.*

Roboamus quando a patre genitus, 79. Salomoni patri in Regnum ſuccedit, 84. Decem Tribus a Roboamo deficiunt, & quare, *ibid.* Roboamus bellum adverſus decem Tribus gerere decernit, a quo Dei mandato abſtinet, *ibid.* Roboam divinæ prohibitionis immemor perpetuum adverſus Jeroboam bellum gerit, 85. Roboami Regis perfidia caſtigatur, *ibid.* Roboami obitus, *ibid.* Uxores & concubinæ, *ibid.*

Roma. Romani. Æra Urbis Romæ conditæ, 122. Romanorum Reges, *ibid.* & ſeq. 243. & ſeq. Romanorum bella varia, *ibid.* Primum bellum Punicum, 246. Punicum II. *ibid.* Punicum III. 247. Bellum Gallicum, *ibid.* Romanorum bellum cum Antiocho Magno Aſiæ Rege, *ibid.* Bellum adverſus Perſeum Macedoniæ Regæ, *ibid.* Bellum Hiſpanicum, 249. Numantinum, *ibid.* Servile, *ibid.* Romanorum bellum cum Gallis Tranſalpinis, *ibid.* Bellum contra Jugurtham Numidarum Regem, *ibid.* Italicum bellum, 250. Mithrydaticum bellum, *ibid.* Syria in Provinciæ Romanæ formam redacta, 252. Anni Romani emendati, 253. Romanorum bella civilia, 249. Bellum civile Sullam inter & Marium, 251. Pompejum inter & Cæſarem, 253. Cæſarem Octavianum inter & Antonium 254. & ſeqq. Vaticinia Danielis de Romano Imperio, 258. Roma a Gallis capta, 245. Romanorum res præclare geſtæ, 243. 245. & ſeq. *paſſim*.

Romulus Romæ conditor, & Rex primus, 122. Interregnum poſt Romuli mortem, *ibid.*

Ruth Hiſtoria quo tempore contigerit, 56. Liber Ruth quaſi appendix libri Judicum, *ibid.*

Rutilius Rufus injuſte accuſatus & damnatus, 250. Ejus in patriam ingratam charitas, *ibid.*

S

S*Aba* Regina Salomonis auditura Sapientiam Hieroſolymam venit, 133. Reginæ Saba patria, *ibid.* Reginam Saba ex Æthiopia veniſſe probabilius eſt, quam ex Arabia, *ibid.* & ſeq. Probabile eſt Reginam Saba ad veri Dei cognitionem, cultumque fuiſſe converſam, 135. & ſeq. Regina Saba typus Eccleſiæ, *ibid.* Joſephi & aliorum errores circa Reginam Saba, 103. Fabula de Regina Saba, *ibid.*

Sabbacon Dynaſtia, 112.

Sabbaticus annus quid ſit, 39. Anni Sabbatici privilegia, *ibid.* Annorum Sabbaticorum epocha unde deducenda, 40.

Sacerdotale munus Reges & cæteri laici exemplo Oziæ ſibi non arrogent, 95.

Sadducæi, quare ſic dicti, 209. & ſeq. Sadducæorum dogmata & mores, *ibid.*

Saitarum Dynaſtia, 112.

Salomon quem ætatis annum attigerat cum Regnum iniit, 79. Utrum decimo ætatis anno Roboamum genuerit, *ibid.* Quot annos Salomon regnaverit, *ibid.* Salomon fratrem Adoniam juſte capitis damnat, 80. Judicium capitale Salomonis in Adoniam fratrem Scriptura Sacra nullibi accuſat vel improbat, *ibid.* Salomon Sacerdotem Abiatharem merito exauctorat, *ibid.* Dei electione Salomon Rex conſtituitur, *ibid.* Salomon ſapientia, divitiis, felicitate, Regum nemini comparandus, *ibid.* Ædificatio Templi a Salomone, 82. & ſeq. Templi dedicatio a Salomone celebrata, & quando, 83. Salomonis ædificia Regia, *ibid.* Salomoni Deus apparet, *ibid.* Stabile Regnum & honor Templi perpetuus Salomoni promittitur, *ibid.* Salomonis claſſis & magna vis auri, argenti, gemmarum pretioſarum, quas Salomoni per annos ſingulos afferebat, *ibid.* & ſeq. Salomonis potentia & fama, 84. Salomonis lapſus, *ibid.* Multas alienigenas contra Legis præceptum Salomon uxores ducit, *ibid.* Septingentas circiter uxores Reginarum nomine inſignes habet, *ibid.* Fana falſis Numinibus erigit, *ibid.* Salomonis liberi, *ibid.* Salomonici Regni diviſio Salomoni denuntiata, 80. & ſeq. Mors Salomonis, 84. Ejus libri, *ibid.* 140. Fabulæ de pœnitentia Salomonis, 103. Joſephus Scripturæ Sacræ contrarius circa tempus Salomonis, 104. Libri incantationum Salomoni falſo adſcripti, *ibid.* Salomonis Hiſtoria ab Eupolemo partim confirmata, partim interpolata, 110. Epiſtolæ Salomoni ſuppoſitæ, *ibid.* & ſeq. Dionis Phœniciarum rerum Scriptoris de Salomone teſtimonium, 111. Templum Salomonicum unde originem ſuam traxerit, 125. & ſeq. Sors æterna Salomonis incerta, 136. Cauſa Salomonis ex Scriptura in utramque partem diſceptatur,

tur, *ibid.* & *ſeq.* Salomonis cauſa patrum teſtimoniis librata, 138. Patres Salomoni propitii, *ibid.* & *ſeq.* Patres ſaluti Salomonis adverſi, 139. & *ſeq.* Librorum Salomonis numerus eorumque auctoritas, 140. & *ſeq.* Utrum Proverbiorum liber ſecundum omnes ſuas partes Salomonem habeat auctorem, 141. Salomoni liber Eccleſiaſtis adſcribendus eſt, 146. Canticum Canticorum a Salomone conſcriptum eſt, 148. Cur Proverbia, Eccleſiaſtem, & Canticum Canticorum a Salomone ſcripta Eccleſia ſuſceperit, 140.

Samaria a quo condita, 87.

Samaritani. Nova Religio ab ipſis inducta, 208. Judæi cum Samaritanis in quo conveniant & differant, *ibid.* Judæorum in Samaritanos odium, *ibid.* & *ſeq.* Judæorum in Samaritanus calumniæ, *ibid.* Samaritanorum ſectæ, 209. Pentateuchus Samaritanus, *ibid.* & *ſeq.* Samaritanorum apoſtaſia, 199.

Samſonis peccata, 53. Samſonis pœnitentia ac mors fortiter & ſancte oppetita, *ibid.* Samſonis ſalus æterna ab Apoſtolo & Patribus comprobata, *ibid.* Spiritus Sancti impulſu Samſon ſibi mortem intulit, 54. Samſon egregius Chriſti typus, *ibid.*

Samuelis apparitio Sauli facta cum Pythoniſſam mulierem conſuluit, 57. Utrum Pythoniſſa veram Samuelis animam incantationibus ſuis evocaverit, *ibid.* Saul Pythoniſſam conſulens, a vero Samuele ſuam ſuorumque proximam cladem didicit, *ibid.* & *ſeq.* Samuelis anima Pythonicis artibus evocata non fuit, 57. & *ſeq.* Probabilis eſt eorum ſententia, qui Dæmonem ſub Samuelis phantaſmate apparuiſſe & Sauli reſpondiſſe cenſent, 60. & *ſeq.* Mors Sauli a Samuele prædicta quando contigerit, 61. & *ſeq.* Samuelis libri, 77. Eorum Auctor, 78.

Sapientiæ Librum ſacrum eſſe & canonicum probatur ex Scriptura, 315. Ex patribus, *ibid.* Sapientiæ Liber ut canonicus ſemper habitus eſt a majori Eccleſiæ parte, ut nunc ab Eccleſia habetur univerſa, *ibid.* & *ſeq.* Quædam olim Eccleſiæ Sapientiæ Librum in Canone non conſcripſerunt, 317. Sapientiæ Liber Salomonis fœtus non eſt, 318. Neque Sirachidis, *ibid.* Nec Jeſu Philonis Judæi, *ibid.* Sapientiæ Liber incertum habet Auctorem, *ibid.* Quare Sapientiæ Liber Salomonis nomen præferat, *ibid.*

Sapientes ſeptem Græcia, 121. & *ſeq.* Eorum ſententiæ, *ibid.*

Sardanapalus Aſſyriorum Rex, 113. Luxuria ejus & ignavia, *ibid.* Sardanapali obitus, *ibid.* Monumentum, *ibid.*

Saul; Utrum verus Samuel viſus ſit Sauli Pythoniſſam conſulenti. *Vid.* Samuel. Mors Saulis, 61.

Scevolæ fortitudo, 244.

Scipio Africanus, 246. Scipioni Africano a Tribunis Plebis dicta dies, 247. Ejus magnanimitas, *ibid.* Scipio contra mortem & legem Conſul factus adverſus Carthaginenſes mittitur 247. Carthaginem expugnat & delet funditus, *ibid.* & *ſeq.*

Scribarum nomen, 210. Scribarum genus multiplex, *ibid.* A Phariſæis diſtinctus erat Scribarum ordo, *ibid.* Quando ortus Scribarum ordo, *ibid.*

Scriptura Sacra; Ex ſolis Scripturis diſci poteſt, in quo poſitum ſit ſummum bonum & ſummum malum, 25. In ſolis Scripturis docentur charitas, humanitas, & cæteræ virtutes, *ibid.* Veteris & Novi Teſtamenti Præcepta in ſpeciem repugnantia conciliantur, 29. & *ſeq.*

Sedechias Regum Juda poſtremus, 101. Utrum ab illo alter ſit Sedechias Jechoniæ frater, *ibid.* Calamitatem Sedechiæ Regis Jeremias Propheta prænuntiat, 101. Sedechiæ ad Regem Babylonis Legatio, *ibid.* Sedechiæ Regis & Populi Babylonica deportatio & captivitas, 102.

Seleucus Antiochi Grypi filius, 238.

Seleucus Callinicus Aſiæ Rex, quare ſic dictus, 234. Seleuci cum Ptolemæo Evergete bella, & Antiocho fratre, *ibid.* Mors Seleuci Callinici, *ibidem*.

Seleucus Ceraunus, quare ſic cognominatus, *ibid.* Veneno perit, *ibid.*

Seleucus Nicanor Aſiæ Rex, 233. Seleucidarum æra a quo initium ducat, *ibid.* Seleuci bella & mors infauſta, *ibid.*

Seleucus Philopator Syriæ Rex ignobilis, 235. Heliodori inſidiis opprimitur, *ibid.* Danielis de Seleuco Philopatore Vaticinium, 236.

Sellum Rex Iſrael, parricidio quod Regnum obtinuerat, amittit, 96.

Sennacherib Regis Ægyptiorum clades, 97. Hebræorum fabulæ de Sennacheribo, & exercitus illius excidio, 108.

Septuaginta; Græca verſio Septuaginta Interpretum, 197. 340. Utrum interpretatio aliqua Librorum Moyſi antiquior fuerit verſione Septuaginta Interpretum, 21. & *ſeq.* Utrum LXX. Interpretum translatio divino conſilio ſit adornata, 331. & *ſeq.* An in ſingulis cellulis ſeparati, an ſimul congregati Libros Sacros verterint Septuaginta Seniores, 334. Quo tempore facta ſit verſio Septuaginta Interpretum, 335. An Libros ſolum quinque Moyſis, an Libros omnes Veteris Inſtrumenti interpretati ſint, *ibid.* & *ſeq.*

Servius Tullus Rex Romanorum, 243. Indoles ejus, & cædes a genero filia inſtigante perpetrata, 244.

Servitutis anni, 44.

Sevechus ſive ſua Ægypti Rex, 112.

Sezonchis Ægypti Rex, *ibid.*

Simon juſtus, ſummus Judæorum Pontifex, 197. Simon II. *ibid.*

Simonis Aſſamonæi principatus, & res geſtæ, 202. & *ſeq.* Judæorum ſub Simone felicitas, *ibid.*

Smerdis Magus, ſe Smerdim Cyri filium mentitus, Perſarum Rex ſalutatur, 222. Comperta Smerdis Magi intruſione e ſolio deiicitur, *ibid.*

Smyrna condita, 116.

Socrates Philoſophus, Platonis magiſter, 227. Socratis mors iniqua, *ibid.* Socratem mortuum Athenienſes lugent, 228. Socratis Dœmonium familiare quid ſit, *ibid.* Socratis divina dogmata, conſilia recta, præclaræ ſententiæ, *ibid.* Socratis verborum cum Chriſtianis dogmatibus convenientia, *ibid.*

Sogdianus Perſarum Rex, Xerxis ſecundi interfector, ab Ocho occiditur, 223.

Solis Eeclipſes memorandæ, 95. 157. Solis retroceſſio Ezechia regnante, 157. Utrum ſolaris tantum umbræ, in horologio Achaz, an Solis ipſius retroceſſione miraculum, in ſignum ſanitatis reſtituendæ, Ezechiæ datum explicari poſſit, *ibid.* & *ſeq.* Eo miraculo omnes cœleſtes orbes una cum Sole retroacti, *ibid.* Horæ plurimæ nocti detractæ, diei additæ ſunt, *ibid.* Quot, incertum, *ibid.*

Solon Athenienſium Legiſlator, 121. Solonis Leges ſingulares, *ibid.* & *ſeq.* Solon notat infamia eum qui in ſeditione neutram partem ſecutus fuerit, *ibid.* Lex Solonis ex Moſaica Lege accepta, *ibid.* Solon maledicere defunctis vetat Lege lata, *ibid.* Lex Solonis de Teſtamentis, *ibid.* Leges Solonis de officiis parentum & filiorum, & de artificiis, 121. Solonis Leges de mulieribus, *ibid.*

Sophocles Poeta Tragicorum princeps, 227. Ex ejus Tragediis plurima Chriſtianis conſona dogmatibus, *ibid.*

Sophonia Prophetæ genus, ætas, Vaticinia, 183. Sophoniæ Vaticinium de Chriſto & Eccleſia, *ibid.*

Spencerus de origine Templi quid ſenſerit, 127. & *ſeqq.*

Sulla; *Mithridatici* belli ſumma L. Cornelio Sullæ Conſuli mandata, 250. & *ſeq.* Bellum civile Sullam inter & Marium, 251. Sullæ tyrannica dominatio, *ibid.* Sulla primus ex Patriciis Corneliis corpus ſuum cremari vult, *ibid.*

Suſannæ Hiſtoria ad quem referenda, 265. Daniel Propheta Suſannæ vindex, *ibid.* Hiſtoria Suſannæ a Daniele relata a Rabbinorum calumniis vindicatur, 266. & *ſeq.* Utrum Hiſtoria Suſannæ in Hebræis codicibus habeatur, 268. & *ſeq.*

Suſanna a ſenibus impudicis accuſatur, & a Judicibus damnatur, 191. Suſannæ liberatio a quo & quomodo, *ibid.*

Sybillina Oracula, 251. Quid de iis ſentiendum, & quid de illis Ethnici ipſi judicaverunt, 302.

Syracuſani; Colonia ab Archia Corinthio Syracuſas ducta, 118.

Syria in Provinciæ Romanæ formam redacta, 251.

Taber-

T

Tabernaculum figura Eccleſiæ, 126.
Tabularum XII. Leges, 245.
Tanitarum Dynaſtia, 112.
Taracus Ægypti Rex, *ibid.*
Tarquinius Superbus Romanorum Rex, parricidio Regnum adipiſcitur, 244. Tarquinii crudelitas & dominandi cupido, *ibid.* Lucretiæ ſtuprum a Tarquinio illatum, *ibid.* Tarquinius Regno pellitur, *ibid.*
Tarquinius Priſcus Rex quintus Romanorum, 124.
Templum; Ædificatio Templi a Salomone, 82. Forma Templi ſeu exterior, ſeu interior, *ibid. & ſeq.* Templi dedicatio, 83. 126. A quo celebrata, *ibid.* An dedicatio Templi decima-quinta die menſis, qui erat ex Lege ſacer Feſto Tabernaculorum inchoata ſit, ut Feſtum utrumque ſimul celebraretur, *ibid.* Dedicatio Templi Miraculis celebris, *ibid.* Errores Joſephi circa dimenſiones & vaſa Templi, 103. Templi Salamoniei origo ad Ægyptiacam ſuperſtitionem, vel ruditatem Gentium referenda non eſt, 125. Templum Dei conſilio, afflatu & auctoritate conditum, *ibid. & ſeq.* Templum pietatis Davidis & Salomonis monumentum, *ibid.* Salomonis Templum, Chriſti & Eccleſiæ figura, 126. Utrum Templum Salomonicum prophanarum Gentium Templis ſit antiquius, 127. *& ſeq.* Spenceri rationibus ſanctitatem Templi pugnantibus reſpondetur, 128. *& ſeqq.* Secundi Templi jacta fundamenta, 194. Cyrus Templi dumtaxat inſtaurandi, non Urbis ædificandæ licentiam Judæis concedit, *ibid.* Impedimento ædificationi Templi oppoſita, *ibid.* Templi ædificatio ſub Dario reſumpta, 195. Darius Rex Perſarum, ſub quo Templi ſecundi inſtauratio abſoluta eſt, non Darius Nothus, ſed Hyſtaſpis fuit, 290.
Teſtamenti Veteris Scripturam veram eſſe & divinam, pluribus argumentis demonſtratur, 22. *& ſeqq. Vid.* Moyſes & Moſaici Libri. Veteris Teſtamenti & Novi concordia, 29. *& ſeqq.* Veteris Teſtamenti loca difficiliora explicantur, *ibid.*
Teſtamenta; Solonis Lex de Teſtamentis, 121.
Tales Mileſius, quare ſic dictus, 119.
Themiſtocles Archon Athenienſis, 226. Ingenium ejus, induſtria, fortitudo, *ibid.* Ob nimiam potentiam Athenis pellitur, *ibid.* Mors Themiſtoclis, *ibid. & ſeq.* Elogium, *ibid.*
Theocritus Poeta Syracuſanus, 240.
Theognis Syrus Philoſophus inſignis, 226. Theognis dogmata, *ibid.*
Thucydides Hiſtoricus quo tempore floruerit, 227.
Tiberii Gracchi Tribuni plebis cædes, 249.
Tobiæ ſenioris patria, in Deum fides, pietas, 188. Tobiæ miſericordia & charitas, *ibid.* Tobias omnibus facultatibus ſpoliatur, *ibid.* Tobias cœcitate probatur, *ibid.* Tobiam filium piiſſimis præceptis ac monitis inſtituit, *ibid.* Viſum recuperat, *ibid.* Tobiæ Vaticinium de Eccleſia, *ibid.* Auctor Libri Tobiæ incertus, *ibid.* Liber Tobiæ Chaldaice ſcriptus, 189. In primo Librorum Sacrorum Canone Tobiæ Liber conſcriptus non eſt, *ibid.* Ab Eccleſia tamen inter Libros Sacros & Canones receptus eſt, *ibid. & ſeq.* Objectionibus reſpondetur, *ibid.* Tobiæ Hiſtoria, 98.
Tobias junior; peregrinatio ejus ad Raguelem & nuptiæ, 188. *& ſeq.* Viſum patri reſtituit, *ibid.*
Tranſmigrationis vocabuli duplex ſenſus & ſignificatio, 162.
Tribuni plebis creati, 244. Tribuni Milites electi, 245.
Triumviratus Cæſaris, Pompeii & Craſſi, 252. Cæſaris, Antonii & Lepidi Triumviratus, 255.
Trypho, unus ex Alexandri Balæ Ducibus, 202. Tryphonis perfidiæ, 203. Syriæ Regnum invadit, 237.
Tulliæ Servii Tullii Romanorum Regis filiæ crudelis impietas, 244.
Tullus Hoſtilius Rex tertius Romanorum, 123.
Tyri Reges, 116. Iidem Tyri Sidoniſque Reges, *ibid.* Tyri excidium, 217. Duplex Tyrus diſtinguitur, 218.

V

Varro Conſul; eruditio ejus, & Libri ab ipſo conſcripti, 251. Varronis ætas & elogium, *ibid.*
Viduæ Regum apud Hebræos nemini niſi Regi in matrimonium dabantur, 80.
Vituli Aurei a Jeroboamo conflati, 151. *& ſeq. Vid.* Jeroboam.

Z

Zacharias Propheta filius Barachiæ, 293. Genus ejus, ætas, *ibid.* Utrum idem ſit cum illo, quem Chriſtus interfectum dicit a Judæis inter Templum & Altare, *ibid.* Zachariæ Vaticinium de Chriſto & Eccleſia, *ibid.* Jeſus Joſedech ut Chriſti Jeſu typus a Zacharia propoſitus, 294. Chriſti triumphalis ingreſſus Hieroſolymam a Zacharia prædictus, 295. Chriſti venditio a Zacharia prænunciata, 296. Cur hoc Vaticinium Jeremiæ tribuit S. Matthæus, *ibid.* Spiritus S. miſſionem, Chriſti mortem, Diſcipulorum diſperſionem, Baptiſmatis fontem Zacharias vaticinatur, 297. Excidium Hieroſolymitanum, Evangelii prædicationem, Gentium vocationem, & Eccleſiæ conſtitutionem prædicit, *ibid.*
Zacharias Propheta Jojadæ Pontificis filius, 94. Joaſi Regis Juda juſſu in Atrio Templi lapidibus obruitur, *ibid.* Utrum Zacharias ille ſit idem cum illo qui Matth. XXIII. 35. dicitur occiſus a Judæis inter Templum & Altare, *ibid.*
Zacharias Rex Iſrael poſterorum Jehu poſtremus, 96.
Zambri Rex Iſrael, parricidio Regnum adipiſcitur, 87. In Regia obſeſſus deſperata ſalute ſe, ſuoſque comburit, *ibid.*
Zeno Citticus, Philoſophorum Stoicorum princeps, 233.
Zoilus Amphipolitanus Sophiſta, 240.
Zorobabel Dux Populi Iſraelitici e captivitate redeuntis, 194. Zorobabel Chriſti typus, 195.

FINIS.

Aol 1469480

Digitized by Google